68
13 G
11

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

55.3 (?)
55
E
42
55. E. 26

ij 222.

H.222.

OCTAVVS TOMVS VITARVM SANCTORVM PRISCORVM PATRVM

PER PROBATISSIMOS AVCTORES, TAM GRAECOS, QVA'M LATINOS DESCRIPTARVM,

ET PER R. P. D. ALOYSIVM LIPOMANVM PRIMO' VERONENSEM, POSTREMO' BERGOMENSEM EPISCOPVM IN VNVM COLLECTARVM,

CVM SOLITIS CONTRA HAERETICOS ADNOTATIONIBVS.

COLL·ROM·SOC·IESV·BIBL·SEC·
IHS



ex legato ... Cocini

Romæ, apud Antonium Bladum Impreſſorem Cam.

M D L X.

AD SANCTISSIMVM
DOMINVM NOSTRVM
PIVM IIII
PONTIFICEM OPTIMVM
MAXIMVM
HIERONYMVS LIPOMANVS.

MIRABITVR *fortaſſe Sanctitas Veſtra, cur ego ſanctorum hominum vitas edendas hoc tempore curauerim. nam & propter ingenij mei imbecillitatem, & propter opus ipſum, in quo labor multorum dierum requiritur, nemo erit, qui me vel impudentem, vel certe imprudentem non exiſtimet. quod ſi quis recte ac diligenter conſiderabit, confido fore, vt is non ſolum hoc mihi vitio non vertat, verum etiam mei defenſorem ſe oſtendat. Aloyſius Lipomanus Bergomatum Epiſcopus patruus meus, cui Chriſti Eccleſia ſemper fuit antiquiſſima,*

vitas fere omnes ſanctorum patrum magno labore collectas retulit in volumina, easq; contra prauas hæreticorum opiniones ſcholijs illuſtratas imprimendas curauit; quorum librorum ipſe ſeptem corpora foras dedit, & iam octauum edere aggrediebatur, quod, eo mortuo, inter ipſius ſcripta inuentum Auguſtinus Lipomanus Veronenſium Epiſcopus *frater meus patruelis, ad quem propter dignitatem omnia hæc pertinere videbantur, vt peruulgaret, diligenter incumbebat. Sed & ipſe proxime è vita diſcedens opus hoc imperfectum reliquit. quare ego, vt & patrui, & fratris,* Epiſcoporum *piæ voluntati ſatisfacerem, octauum hunc librum magna ex parte impreſſum* Sanctitati Veſtræ *dicandum putaui. nam quæ de ſacra ac religioſa ſanctorum patrum inſtitutione diſſeruntur, digna ſunt ſacrorum, & chriſtianæ religionis principe, præſertim eo principe, qui* Petri *nauem rectam tenet, & non ſolum poteſtate, ſed etiam vitæ exemplo omnes in officio continet.* Habet *igitur* Sanctitas Veſtra *rationes, cur ego volumen hoc in ſuo nomine edendum curauerim, in quo nihil mihi aſſumo, præter huius officij neceſſitatem. totum eſt enim* Aloyſij Lipomani *patrui mei, cuius præterea extant lucubrationes multæ, quæ pro viribus enitar, vt aliquando in manus hominum perueniant.* Optimi *enim cuiuſq; iudicia, tum ad ordinem, tum ad intelligentiam diuinorum pſalmorum chriſtianis hominibus magnum afferent adiumentum.* Nunc *à* Sanctitate Veſtra *humiliter peto, vt librum hunc,*

tanquam pignus patrui mei erga eam, atque Eccleſiam Romanam obſeruantiæ, non ſolum benigne accipiat, ſed etiam ſua auctoritate roborare velit: id mihi tam erit gratum, quam optatum & iucundum fuit poſſe inter ipſius familiares à cubiculo numerari. quod quoniam incredibili Sanctitatis Veſtræ benignitate ſum facillime conſecutus, polliceor me, meosque omnes, ei, ac ſuis omnibus deuinctos fore memoria beneficij ſempiterna, cui ſalutem, & incolumitatem precari non deſinam.

Romæ Idibus Auguſti.

M D LX.

AVCTORES, QVI LIBRVM HVNC IN QVATVOR PARTES DIVISVM PERFICIVNT, HI SVNT.

PRO PRIMA PARTE.

MAGNVS ATHANASIVS PATRIARCHA ALEXANDRINVS.

DIVVS GREGORIVS NYSSENVS EPISCOPVS.

DIVVS EPHRAEM EDISSENAE ECCLESIAE DIACONVS.

BEATVS IOANNES DAMASCENVS PRESBYTER, ET MONACHVS.

BEATVS IOANNES CLIMACVS MONACHVS.

PRO SECVNDA.

BEATVS IOANNES CASSIANVS MONACHVS, ET PRESBYTER.

PRO TERTIA.

DIVVS GREGORIVS ARCHIEPISCOPVS TVRONENSIS.

PRO QVARTA.

BEATVS PETRVS DAMIANI EPISCOPVS OSTIENSIS, ET MONACHVS.

ALOYSIVS

LIPOMANVS EPISCOPVS BERGOMENSIS CANDIDO LECTORI SALVTEM.

MIRA RES, & quam fieri poſſe vix crediidiſſem, occurrit mihi, optime lector, quòd dum Vitas Sanctorum in librum vnum colligere initio me arbitror. Octauum ecce iam volumen abſolui. Eo enim proceſſere quæ mente conceperam; vt (ſi parua magnis, vel humana diuinis comparare licet) inſtar quinq; illorum panum, & duorum piſcium, quibus Saluator quinque millia hominum, exceptis paruulis, & mulieribus, in deſerto pauit, excreuiſſe videantur. Factumq; eſt hoc ipſius omnipotentis Dei benignitate, & clementia, ne tam pretioſus theſaurus diutius occuleretur in terrã, ſed ad totius matris Eccleſiæ vtilitatem in lucem prodiret.

Hic non eſt, quòd te multùm detineam, ſequimur enim morem, & inſtitutum noſtrum, vt nihil hic quoq; apponatur, quod non certum, firmumq; ſit, & à grauiſſimis, doctiſſimiſq; priſcis patribus elucubratum, quorum merita, ac virtutes ſuo loco

per nos breui recenſita inuenies. Habes etiam in marginibus ſcholia contra hæreticos appoſita, in quibus ſi quid forte noui repereris, & quod in ſuperioribus Tomis haud ſit cognitum, non me, ſed illos accuſato, qui quotidie ad horribiliores, & deteſtabiliores blaſphemias proſiliunt, ita vt ipſam etiam diuiniſſimam, ac ſuperbeatiſſimam aggredi Trinitatem non vereantur. Vide quo prorumpat impiorum hominum temeritas.

Quod autem ſuperiores Tomos ab Epiſcopo Veronenſe, hunc vero à Bergomenſe, collectum legas, non mireris; nam idem ego Aloyſius his proximè elapſis diebus ab Eccleſiæ Veronenſis cura ad Bergomenſis ſolicitudinem, in qua aliquando Coadiutoris functus fueram officio, à S. D. N. Paulo Papa IIII translatus ſum. Non ergo perſona, ſed Eccleſia mutata, non cura ſublata, ſed onus nouum ſeni, & laboribus, ac peregrinationibus confecto impoſitum eſt. Vale.

INDEX
PER ORDINEM
ALPHABETICVM.

A.

ABBACYRI monachi. fol. 45
Abrahæ Abbatis. fol. 131
Abrahami Abbatis. fol. 99. 100
Achatii monachi. fol. 48
Adebarbi recluſi. fol. 230
Aemiliani eremitæ. fol. 146
Albini Epiſcopi. fol. 229
Amabilis preſbyteri. fol. 208
Andreæ Apoſtoli. fol. 367. 369
Angelorum inuocatorum miraculum. fol. 199
Anthimi martyris. fol. 320
Apollinaris martyris. fol. 246. 248. 250
Apollo Abbatis. fol. 122
Archebii Abbatis. fol. 72
Archebii Epiſcopi. fol. 95
Aredii Abbatis. fol. 196
Auentini religioſi. fol. 219
Auiti Confeſſoris. fol. 230
Auſtremonii Epiſcopi. fol. 208

**

B.

BArbatiani confeſſoris. fol. 255
Bartholomæi Apoſtoli. fol. 336
Benedicti Abbatis. fol. 302
Bibiani Epiſcopi. fol. 215
Brachionis Abbatis. fol. 146
Britii Epiſcopi. fol. 167

C.

CAluppanis recluſi. fol. 145
Caſſiani Epiſcopi. fol. 220
Caſſiani martyris. fol. 373
Cheremonis Abbatis. fol. 96. 97
Chrodini Ducis. fol. 184
Contemptus ſeculi apologeticum. fol. 380
Creſcentiæ ſanctimonialis. fol. 232
Crucis Domini noſtri. fol. 15. 30
Eiuſdem inuentionis. fol. 316
Eiuſdem exaltationis. fol. 346. 348
Cypriani Abbatis. fol. 230

D.

DAlmatii Epiſcopi. fol. 181
Danielis Abbatis. fol. 83
Dedicationis Eccleſiæ. fol. 359. 361. 363
Deſiderati recluſi. fol. 225
Detremonii Epiſcopi. fol. 207
Dominici loricati. fol. 264
Domnoli Epiſcopi. fol. 184

E.

ELeuchadii Epiſcopi. fol. 236
Eparchii Epiſcopi. fol. 173

Eparchii recluſi. fol. 184
Erdicii liberalis. fol. 174
Etherici Epiſcopi. fol. 185
Euſebii Epiſcopi. fol. 199
Euphronii Epiſcopi. fol. 204
Euſichii recluſi. fol. 224
Euſtochii,& Perpetui. fol. 172

F.

Felicis Epiſcopi. fol. 231
Ferreoli Epiſcopi. fol. 183
Fidelis martyris. fol. 253. 255
Floridæ,& Paſchaſiæ. fol. 211
Friardi recluſi. fol. 143

G.

Galli Epiſcopi. fol. 134. 177
Genoueſæ virginis. fol. 227
Georgiæ religioſæ. fol. 209
Georgii martyris. fol. 240
Germani Altiſiodoren. Epiſcopi. fol. 211
Germani Pariſiorum Epiſcopi. fol. 227
Gregorii Epiſcopi. fol. 137
Gregorii Papæ. fol. 193

H.

Helii Epiſcopi. fol. 217
Hilarii Epiſcopi. fol. 199. 261
Hilarii Senatoris. fol. 211
Hoſpitii recluſi. fol. 182. 183. 229

I.

Ieſu Chriſti Dñi noſtri natiuitatis vigiliæ. fol. 284
Eiuſdem natiuitatis. fol. 5. 28, 287

Eiuſdem Epiphaniæ. fol. 299
Eiuſdem ingreſſus glorioſi in Hieruſalem. fol. 309
Eiuſdem vltimæ cœnæ. fol. 310
Eiuſdem paſſionis. fol. 12
Eiuſdem reſurrectionis. fol. 312
Eiuſdem ſacratiſſimi corporis. fol. 31
Eiuſdem imaginis. fol. 1
Illidii Epiſcopi. fol. 129
Imaginum adorationis. fol. 34
Ioannis Abbatis. fol. 62. 63
Ioannis alterius Abbatis. fol. 109. vſque ad 112. & fol. 115. vſq; ad 118
Ioannis Abbatis Galli. fol. 226
Ioannis Baptiſtæ. fol. 322
Ioannis Euangeliſtæ. fol. 291. 295. 298
Ioannis Opatii. fol. 49
Ioannis recluſi. fol. 206
Ioſeph Patriachæ. fol. 20
Iſidori Alexandrini. fol. 44
Iuniani recluſi. fol. 231
Iuſtini, & Similini preſbyterorum. fol. 213

L.

Laurentii monachi. fol. 45
Leobardi recluſi. fol. 158
Lucæ Euangeliſtæ. fol. 354
Lupentii Abbatis. fol. 186
Lupiani confeſſoris. fol. 214
Lupicini, & Romani Abbatum. fol. 127
Lupicini recluſi. fol. 147
Lupi Epiſcopi. fol. 218

Luſoris

Luſoris confeſſoris. fol. 227

M.

MAriæ Virginis Dei matris natiuitatis. fol. 338 (340. 343

Eiuſdem annunciationis. fol. 304

Eiuſdem aſſumptionis. fol. 332

Eiuſdem laud. & hymn. fol. 10. 28. 334. 335

Ad eandem oratio. fol. 11.

Eiuſdem lamentatio prope Crucem. fol. 14

De eadem ſermo. fol. 27

Macedonii diaconi. fol. 45

Macharii Abbatis. fol. 74. 99

Machetis ſenis. fol. 70. 71

Marcelli Dien. Epiſcopi. fol. 279

Marcelli Pariſiorum Epiſcopi. fol. 226

Marcellini Epiſcopi. fol. 279

Marci Euangeliſtæ. fol. 245

Mariani recluſi. fol. 223

Mariæ Magdalenæ. fol. 329

Martialis Epiſcopi. fol. 207

Martii Abbatis. fol. 148

Martini Abbatis. fol. 215

Martini Gallicien. Epiſcopi. fol. 179

Martini Turonen. Epiſcopi. fol. 164. 166. 191. 200. (201. 202. 364

Martyrum laudes. fol. 16

Matthæi Apoſtoli. fol. 349

Maurilii Epiſcopi. fol. 179

Maximi Abbatis. fol. 205

Maximi Epiſcopi. fol. 224

Maximini Epiſcopi. fol. 228
Medardi Epiſcopi. fol. 178 228
Melanii Epiſcopi. fol. 214
Memmii Epiſcopi. fol. 218
Mennæ monachi. fol. 46
Metriæ Confeſſoris. fol. 219
Michaëlis Archangeli. fol. 351
Miraculorum quorundam. fol. 375
Monegundis coniugatæ. fol. 156. 206
Moyſi Abbatis. fol. 75. vſq; ad 78
Mutii Abbatis. fol. 63. 64

N.

NAMATII Epiſcopi. fol. 172
Eiuſdem coniugis. fol. eodem
Nepotiani Epiſcopi. fol. 165
Nicetii Lugdunen. Epiſcopi. fol. 138. 216
Nicetii Treuirorum Epiſcopi. fol. 153
Nicolai Epiſcopi. fol. 371

O.

Omnium ſanctorum. fol. 357

P.

PAphnutii Abbatis. fol. 107
Patrocli Abbatis. fol. 142
Pauli Abbatis. fol. 74
Paulini Epiſcopi. fol. 234
Pelagiæ Lemouicinæ. fol. 231
Petri Apoſtoli. fol. 326
Petri, & Pauli Apoſtolorum. fol. 327
Photini, & Irenæi martyrum. fol. 162
Poppulæ religioſæ. fol. 203

Portiani Abbatis. fol. 133
Priuati martyris. fol. 164
Pyamonis Abbatis. fol. 103. vſq; ad 109
Pynufii Abbatis. fol. 64. vſq; ad 69. & fol. 112
Q.
QVintiani Epiſcopi. fol. 132. 175
R.
RAdegundis ſanctimonialis. fol. 232
Remigii Epiſcopi. fol. 222
Reutitii Epiſcopi. fol. 221
Rodulphi Epiſcopi. fol. 262
Romani presbyteri. fol. 212
Romualdi Abbatis. fol. 269
Rufini martyris. fol. 242. 244
S.
SAluii Epiſcopi vita, & tranſitus mirabilis. fol. 157
Sanctorum, & reliquiarum honoris. fol. 33
Sanctorum quorundam patrum defunctorum querimonia. fol. 18
Senoch Abbatis. fol. 150. 206
Sequani Abbatis. fol. 216
Sereni Abbatis. fol. 87
Sergii martyris relinquiarum. fol. 188
Seruatii Epiſcopi. fol. 220
Seueri Epiſcopi. fol. 307
Seuerini Epiſcopi. fol. 212
Seueri presbyteri. fol. 213
Sidonii Epiſcopi. fol. 173
Simplicii Epiſcopi. fol. 221
Solennis confeſſoris. fol. 205

Stephani monachi. fol. 55
Stephani protomartyris. fol. 289.
Eiuſdem baſilicæ. fol. 171
Syluestri Epiſcopi. fol. 225
Symeonis a columna. fol. 207

T.

Theodori Abbatis. fol. 71
Theodori Epiſcopi. fol. 189
Theodoſii Imperatoris. fol. 165
Theomaſti Epiſcopi. fol. 214
Theonæ Abbatis. fol. 114. vſq; ad 122
Tranquilli Epiſcopi. fol. 212
Troiani Epiſcopi. fol. 215
Tyberii Cæſaris. fol. 178. 179. 185

V.

Valerii Epiſcopi. fol. 225
Venantii Abbatis. fol. 151. 203
Venerandi, & Nepotiani Epiſcoporum. fol. 210
Venerandi, & Ruſtici. fol. 172
Victorii Epiſcopi. fol. 215
Victoris confeſſoris. fol. 314
Virginitatis ſupra matrimonium excellent. fol. 29
Vitalinæ virginis. fol. 200
Vitalis martyris. fol. 258
Vrbici Epiſcopi. fol. 165
Vrſi, & Leubatii Abbatum. fol. 155
Vrſini Epiſcopi. fol. 223
Vulfilaici Diaconi. fol. 190

INDEX EORVM, QVAE IN PRIMA HVIVS OPERIS PARTE SVB ORDINE ALPHABETICO COMPREHENDI NON POSSVNT.

QVOD ex omnibus rationalibus creaturis alij ſint amici Dei, alij ſerui fideles, alij inutiles, alij ab ipſo alieni, alij verò aduerſarij. fol. 36
Omnibus proponi Deũ vitã, & ſalutẽ, & qui ſint impij, iniqui, Chriſtiani, Dei amatores, & cætera. fol. 37
Quid facientes ſeculares coniugati ad Regnum cœlorum peruenire poſſint. fol. eodem
Deo in iuuentute eſſe ſeruiendum. Et quis ex tribus monachorum ſtatibus ſit conuenientior. fol. eodem
Monachum carere debere omnibus mundanis affectibus, quibus iam renunciauit. Et de tentationibus dæmonum circa hoc, & quæ eſſe debent contra eas remedia. fol. 38
Monachi quomodo cognoſcantur per anguſtã viam incedere. Et quo modo regendi iuuenes delicioſi, qui è ſeculo ad monaſteriũ veniunt. fol. 39
Qui mundum deſerit, & ad religionem confugit, non debet vlterius eò reuerti, eſtò à parentibus, & amicis cum lachrymis reuocetur. fol. 40
Somnijs nõ eſſe credendum. Et quando dæmon ſit propheta, & quando non. fol. 41
Qui religionis viam ingredi deſiderat, ante omnia de prouido ſibi gubernatore prouideat, quem cùm elegerit, promptè ei debet obedire, & in nullo eum iudicare. fol. eodem
De confeſſione peccatorum purè facienda, & de pœnitentia latronis, qui monaſterium ingreſſus eſt, ac mirabili eius confeſſione publica. fol. 42
De charitate nonnullorum monachorum, conuerſatione ſancta eorundem, ac ſaluberrimis collocutionibus. fol. 43
De coco monaſterij eorundem, de ſpiritali dictorum monachorum opere, & de modo correctionis delictorum. fol. eodem
De humilitate, obedientia, grauitate, atq; ſanctitate ſenum eiuſdem monaſterij. fol. 44
De diſpenſatore monaſterij, eiusq́; eiectione ex Eccleſia, ac mirabili tolerantia. fol. 45
De cellerario monaſterii, celeriq́; eius ſpiritualis morbi ſanatione. Et quomodo curaret Abbas vitio oſtentationis laborantes. fol. eodem
Reſponſio ſanctorum monachorum quid de ſolitariæ vitæ quiete ſentiant. fol. 47
Conſilium datum Ioanni Climaco à quodam ſancto ſene eiuſdem monaſterij, in quo tota monachi conuerſatio continetur. fol. eodem

De pœna colloquentium monachorum orationis tempore. Et de deſcriptione cogitationum in libellis, ac reuelandis illis paſtori. fol. 48
De fratre in pœnitentium ordine relato. Et qualis eſſet locus ille pœnitentum. fol. eodem
Contra quæ præcipua vitia pugnare debeant monachi. Et quomodo ſolitarios, quomodoq; in obedientia degentes tentet diabolus. fol. 50
De monaſterio carcer appellato, deq; admirabili eorum pœnitentia, qui in eo degebant. fol. 51
Quem fructum in nobis pariat aſſidua mortis meditatio. Et de quibuſdam monachis, qui huic ſtudio aſſiduè incumbebant. fol. 54
Quomodo luctus, & compunctio lætitiam in animo pariat. fol. 55
De taciturnitate Domini Ieſu, & loquacitate Petri. Et vnde oriatur loquacitatis vitium. fol. 56
Quòd in aliquo carnalis fornicatio hæreſis crimine maior appareat fol. eodem
Quæ ſint cauſæ nocturnarum illuſionum, & pollutionum. fol. eodem
Quòd ex pulchritudine corporum aſcendere debeamus cogitatione ad conſiderandam pulchritudinem opificis Dei. fol. 57
De fratre, qui apud loca neceſſaria naturæ orationibus pugnabat contra immundas cogitationes. fol. eodem
De tentatione ſuperbiæ, & inanis gloriæ à quodam ſuperata. Et quomodo inanis gloria ſit ſuperbiæ mater. fol. 58
Quomodo blaſphemiæ tentationem monachus quidam à ſe expulerit fol. eodem
Quomodo quidam pater ſanctus arguto quodam reſponſo dæmones illum tentantes expulit. fol. 59
De altero, qui pio compendio dæmones eum tentantes vicit. fol. eodem
Quis ſit humilitatis genitor. fol. eodem

INDEX EORVM, QVAE IN SECVNDA HVIVS OPERIS PARTE SVB ORDINE ALPHABETICO COMPRE- HENDI NON POSSVNT.

DE OBEDIENTIA fratris,qui decem ſportas circunferens publicè diſtraxit ad Abbatis imperium. fol. 64
Quæ præcepta dederit Abbas Pynufius fratri, quem in ſuo monaſterio ſub noſtra recipiebat præſentia. fol. 65
Quòd ſicut magna remuneratio monacho debetur ſecundùm inſtitutionem patrum laboranti, ita & pœna è contrario tribuatur;& idcirco non debeat quis facilè admitti in monaſterio. fol.eodem
Quòd abrenunciatio noſtra nihil ſit aliud,quàm mortificatio, & imago Crucifixi. fol. 66
Quòd crux noſtra timor Domini ſit. fol.eodem
Quòd renunciatio noſtra nihil proſit, ſi iiſdem, quibus renunciauimus,implicemur. fol.eodem
Quòd diabolus noſtro fini ſemper inſidietur, & nos eius caput iugiter obſeruare debeamus. fol. 67
De renunciantis præparatione aduerſum tentationes.Et de paucis imitandis. fol.eodem
Quo ordine quis ad perfectionem valeat peruenire, per quam de timore Dei ad charitatem conſequenter aſcendat. fol.eodem
Quòd non debeat monachus exempla perfectionis à multis expetere, ſed ab vno,vel paucis. fol. 68
Quarum debilitatum ſimilitudinem ſuſcipere debeat qui in cœnobio commoratur. fol.eodem
Quòd bonum patientiæ ſuæ non debeat monachus de aliorum ſperare virtute,ſed de ſua longanimitate. fol.eodem
Recapitulatio expoſitionis, per quam monachus poſſit ad perfectionem aſcendere. fol.eodem
Quòd in Aegypto indifferenter vidimus ſub aduentu noſtro ſolui quotidiana ieiunia. fol. 69
De continentia ſenis,qui ita ſexies cibum ſumpſit,vt ſeruaret eſuriem.fol.eodem
De eo ſene,qui in cella ſua eſcam nunquam ſolus accepit. fol.eodem
Quid de fructu ſtudij profeſſi ſint Abbas Peſius,& Ioannes. fol. 70
Quam exempli ſui profeſſionem Abbas Ioannes diſcipulis reliquerit moriturus. fol eodem
De epiſtolis,priuſquam legerentur,à fratre incenſis. fol. 71
De abſolutione quæſtionis,quã Abbas Theodorus orãdo promeruit.fol.eodem

Deſcriptio eremi, quæ eſt in Diolco, in qua anachoretæ cõmorantur. fol. 72
Qua ſimulatione cuiuſdam ſenis, Abbati Symeoni, cùm otioſus eſſet, opus manuum ſit prouiſum. fol. 73
De pueris, qui deferentes ad ægrotantem ficus, nõ deguſtatis eiſdem, fame in eremo defecerunt. fol. eodem
Sententia Abbatis Macharij de obſeruantia monachi, vel tanquam diutiſſimè victuri, vel tanquam quotidie morituri. fol. 74
De diſcretione per Abbatem Moyſem. fol. 75
Quòd diſcretio in primis congruat monacho. Et diſputatio ſuper hoc Abbatis Antonij. fol. 76
De errore Saulis, & Achab, quo ꝑ diſcretionis Imperitiã ſunt decepti. fol. eodem
Quid de bono diſcretionis in ſcripturis ſanctis referatur. fol. 77
De malo fine Heronis ſenis, qui diſcretionem non ſeruauit. fol eodem
De ruina duorum fratrum ob diſcretionis imperitiam. fol. eodem
De alterius illuſione, quam per imperitiam diſcretionis incurrit. fol. 78
De lapſu, & deceptione monachi Meſopotameni. fol eodem
Verba Abbatis Serapionis, & de marcore non patefactarum cogitationum, & de periculo propriæ confidentiæ. fol. eodem
De confuſione calcanda, & periculo non condolentis. fol. 79
De tribus abrenunciationibus, & tribus vocationũ generibus. fol. 81 vſq; ad 83
De perſeuerantia gaſtrimargiæ aduerſus philoſophos diſputata. fol. 84
De deſcriptione eremi, & inquiſitione de nece ſanctorum. fol. eodem
Reſponſio Abbatis Theodori ad propoſitam quæſtionem. fol. 85
De tribus, quæ in hoc mundo ſunt, id eſt bono, & malo, & medio. fol. eodem
Quòd malum nulli inuito ab alio poſſit inferri. fol. 86
Quòd mors ſanctis illata malum non fuit, ſed augmentum gloriæ. fol. eodem
De imminuta dæmonum poteſtate. fol. 87
Inuaſione dæmonum, aut infirmitatibus, interdum ſanctorum peccata purgari. fol. 88
De nece prophetæ ſeducti, & infirmitate Abbatis Pauli, quam pro ſua emendatione promeruit. fol. eodem
De tentatione Abbatis Moyſi. fol. 89
De humanitate Abbatis Sereni. fol. eodem.
De ſubiectione dæmonum, quam ſuis principibus præbent, fratris viſione perſpecta. fol. 90
De differentia nequitiæ, quæ aduerſis ſpiritibus ineſt, per duos philoſophos experta. fol eodem
De viſione cuiuſdã ſenis, quã ſup fratris inquieta operatione proſpexit. fol. 91
Sententia Abbatis Antonij de perfecta oratione. fol. eodem
De conſuetudine, quæ ſuper ſignificatione Paſchæ intra Aegypti prouinciam retinetur. fol. 92
De Abbate Serapione, & anthropomorphitarum hæreſi, quam ſimplicitatis errore contraxit. fol. eodem
De inquiſitione erroris, quem ſenex prædictus incurrit. fol. 93
Reſponſio de origine hæreſeos ſuperiùs comprehenſæ. fol. eodem
De inſtitutione orationis perpetuæ. fol. eodem
De deſcriptione Thenneſeos oppidi. fol. 95
Deſcriptio eremi, in qua cõmorabãtur Cheremõ, Neſteros, & Ioſeph. fol. eodem
Propoſitio Abbatis Cheremonis, quòd tribus modis vitia vincantur. fol. 96
Quibus gradibus ad ſublimitatem charitatis poſſit aſcendi. Et quæ ſit in ea ſtabilitas. fol. eodem

Quantum

Quantum excellant qui per charitatis affectum declinant à vitijs. fol. 97
Exemplum caſtitatis, quo docetur, non omnia ab omnibus æmulanda. fol. 98
Reuelatio facta Abbati Paphnutio de perfectæ caſtitatis experiméto. fol. 100
De optimo examine veritatis. fol. 101
Quòd impoſſibile ſit, quenquam, qui proprio fidit iudicio, diaboli illuſione non decipi. fol. eodem
Quam ob cauſam non debeant inferiores in collatione contemni. fol. eodem
Quemadmodum Diolco venientes ab Abbate Pyamone recepti fuerimus. fol. 102
Verba Abbatis Pyamonis, quomodo rudes monachi exemplo ſeniorum debeant erudiri. fol. 103
Quòd iuniores ſeniorum præcepta diſcutere non debeant. fol. eodem
De tribus generibus monachorum, quæ intra Aegyptum ſunt. fol. eodem
Quibus auctoribus cœnobitarum inſtituta ſit profeſſio. fol. 104
De anachoretarum ordine, & principio. fol. eodem
De Sarabaitarum principio, & conuerſatione. fol. 105
De quarto genere monachorum. fol. eodem
De humilitate vera. Et quomodo falſam cuiuſdam humilitatem prodiderit Abbas Serapion. fol. 106
Interrogatio quemadmodum vera patientia poſſit acquiri. fol. eodem
Reſponſio. fol. eodem
De exemplo patientiæ cuiuſdam religioſæ fœminæ. fol. 107
De exemplo patientiæ Paphnutij Abbatis. fol. eodem
De perfectione patientiæ. fol. 108
De cœnobio Abbatis Pauli, & patientia cuiuſdam fratris. fol. 109
De humilitate Abbatis Ioannis. fol. eodem
Reſponſio Abbatis Ioannis, cur eremum reliquiſſet. fol. 110
De virtute prædicti ſenis, quam in anachoretica exercuit diſciplina. fol. eodem
De commodis eremi. fol. eodem
De vtilitate cœnobij. fol. 111
De his, qui imperfecti eremum petunt. fol. eodem
Quomodo ſolitarius vitia ſua poſſit agnoſcere. fol. eodem
De diuerſis pœnitentiæ fructibus. fol. 113
Quomodo Abbas Theonas ad Abbatem Ioannem venerit. fol. 114
Exhortatio Abbatis Ioannis ad Theonam, & cæteros, qui cum eo venerant. fol. 115
De decimarum, & primitiarum oblatione. fol. eodem
Quòd Abraham, Dauid, & cæteri ſancti mandata legis fuerunt ſupergreſſi. fol. eodem
Quòd ſub Euangelij gratia degentes ſuperare debeant mandata legalia. fol. 116
Quòd Euangelij gratia ſicut perfectis tribuit regna cœlorum, ita venialiter ſuſtentat infirmos. fol. eodem
Quòd in noſtra ſitum ſit poteſtate, vtrum ſub Euangelij gratia, an ſub legis velimus terrore conſiſtere. fol. eodem
Quemadmodum Theonas coniugem ſuam, vt & ipſa renunciaret, exhortatus ſit. fol. 117
Quemadmodum non acquieſcēte vxore, ad monaſterium peruolarit. fol. eodem
Satisfactio pro eo, ne diſſidia coniugibus ſuadere videamur. fol. 118
De iterato ad Abbatem Theonam reditu noſtro, eiusq́ exhortatione. fol. eodem
Quòd triplici ratione proueniat genitalis fluxus egeſtio. fol. 119

Interrogatio, an ad ſacroſanctam communionem accedere liceat no- cturna illuſione pullutum. fol. 120
Reſponſio, quando reatum contrahat hæc paſſio dormientis. fol eodem
Quòd nonnunquam etiam inimici factione hæc contingat illuſio. fol. eodem
Quòd nunquam dignum ſe communione Dominica quiſpiam de- beat iudicare. fol. 121
Quòd hi poſſint parentum viciniam non timere, qui Abbatis Apollo mortificationem potuerint æmulari. fol. 122
Interrogatio, an obſit monacho, ſi à parentibus ſibi neceſſaria ſugge- rantur. fol. 123
Reſponſio, quid ſanctus Antonius ſuper hoc pronunciauerit. fol. eodem
De vtilitate operationis, & otij detrimento. fol. 124
Parabola de tonſoris mercede prolata ad illuſiones diaboli cogno- ſcendas. fol. eodem
Quomodo Euangeliſta Ioannes vtilitatem remiſſionis oſtendiſſe di- catur. fol. 125

INDEX EORVM, QVAE IN TERTIA HVIVS OPERIS PARTE SVB ORDINE ALPHABETICO COMPRE-HENDI NON POSSVNT.

PETRVS Romam venit,& per martyrium Chriſto teſti monium,vt cæteri Apoſtoli,perhibet. fol. 162
De perſecutione Traiani. fol.eodem
De hæreſum, & ſchiſmatum ortu. fol.eodem.
De perſecutione ſub Decio. fol. 163
De perſecutione ſub Valeriano, & Galieno. fol.eodem
De alijs martyribus. fol.eodem
De Priuato martyre,& Chroco tyranno. fol. 164
De perſecutione ſub Diocletiano. fol.eodem
De Conſtantino magno,beato Martino,& inuentione Crucis. fol.eodem
De Conſtantis Imperio. fol.eodem
De beato Martino. fol.eodem
De Valentis tyrannide. fol. 165
De duorum amantium caſtitate iuuenis,& virginis in Aruernis. fol. 166. 208
De beati Martini tranſitu. fol.eodem
De Vuandalis,& perſecutione Chriſtianorum ſub ipſis. fol. 168
De Cirola hæreticorum Epiſcopo,& de ſanctis martyribus. fol. 169
De Arauario Epiſcopo,& de Hunnis. fol. 170
De Attila Rege,& vxore Aëtij. fol.eodem
De fame in Burgundia,& Erdicij liberalitate. fol. 174
Quòd Gundebaldus ab Auito fideliter ad fidem ſuſcipiendam admonitus, ob leuiſſimam occaſiunculam permanſerit in errore. Et de Auiti præſtantia. fol.eodem
De bello Clodouei cum Alarico. fol.eodem
De indiuiduæ Trinitatis confeſſoribus priſcis,& recentibus,deq; eorum ſucceſſibus. fol. 177
De obitu Chrotildis Reginæ,& de Clothario,qui tertiam partem fructuum Eccleſijs auferre voluit. fol.eodem
De altercatione Gregorij Turonen. Epiſcopi cum hæretico. fol. 180
De ijs,quæ Chilpericus Rex ſcripſit. fol. 181
De puellis monaſterij Pictauen. fol.eodem
De altercatione Gregorij Turonen.Epiſcopi cum Oppila legato. fol. 186
De Theodoro Epiſcopo,& plaga ſuper Ratharium. fol. 189
De incendio vrbis Pariſiacæ. fol. 191
De tentatione Recluſorum. fol. 192
De conuerſione Richaredi Regis. fol.eodem
De inundatione Tyberis,& de beato Gregorio Papa. fol. 193

Oratio eiuſdem ad plebem. fol. eodem
Contra Saducæorum ſectatores reſurrectionem negantes. fol. 194
De miraculoſa euerſione medietatis Antiochiæ, fol. 195
De peſtilenti anno,& de diei Dominici celebratione. fol. 197
De ſancto Martino Turonico Epõ,& de ſepulchro ſancti Gatiani. fol. 200
De eodem,& de ſepulchro Vitalinæ virginis. fol. eodem
De lapide,in quo ſanctus Martinus ſedit. fol. eodem
De arbore erecta. fol. 201
De oratorio Martiniacenſis prædij. fol. eodem
De oleo ſepulchri ſancti Martini. fol. eodem
De vua ex vitæ,quam ipſe plantauit,& de cera ſepulchri. fol. eodem
De virtutibus eius Ternodorenſibus oſtenſis. fol. 202
De monaſterio eius in Hiſpania. fol. eodem
De hæretico,qui hominem illuminare voluit. fol. eodem
De altercatione hæretici cum catholico. fol. eodem
De opertorio cuiuſdam ſepulchri. fol. 203
De duarum virginum tumulis. fol. eodem
Quid ſanctus Euphronius de Chariberto Rege prædixit. fol. 204
De dedicatione oratorij Gregorij Turonen. Epiſcopi. fol. eodem
De ſepulchris presbyterorum in baſilica ſancti Martialis. fol. 207
De eo,qui eulogias accepit à ſacerdote. fol. 208
De ſepulchro effracto in baſilica ſancti Venerandi. fol. 209
De alijs ſepulchris ſanctorum in eadem baſilica. fol. eodem
De monacho,quem orantem Abbas aſpiciebat. fol. eodem
De igne,qui è reliquijs ſanctorum ſæpè prorupit. fol. eodem
De viſionibus pro patris Gregorij Turonen. Epiſcopi infirmitate. fol. eodem
De duobus presbyteris pſallentibus. fol. 212
De Eccleſia Reontien. fol. 213
De lilio ſepulchri Seueri presbyteri. fol. eodem
De ſepulchris,quæ eleuantur. fol. 214
De ſepulchro diuinitus amoto. fol. 216
De filia Leonis Imperatoris. fol. 217
De muliere,quæ Epipodij martyris calceamentum collegit. fol. 218
De alia muliere,cui vir oblationis cauſa apparuit. fol. eodem
De cœmeterio Auguſtudunenſis vrbis. fol. 220
De ſimulachro Berecynthiæ. fol. 222
De Epiſcopo,ſuper cuius pectus agnus apparuit. fol. eodem
De Eremita, cui caldaria lignea fuit. fol. 229
De negociatore,qui eleemoſynam non fecit. fol. 234
De alio,qui vinum adulterauit. fol. 235

FINIS INDICIS.

CATALOGVS RERVM, QVAE IN SEQVENTIBVS SANCTORVM VITIS PRO CATHOLICORVM DOGMATVM APPROBATIONE CONTRA RECENTES HAERETICOS CONTINENTVR.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

SEPTEM eſſe Eccleſiæ ſacramẽta ſtrictè accepta,& nõ plura
In ſermone 1 dedicationis Eccleſiæ. fol. 359. ſcho. 1

BAPTISMVS.

¶ Baptizandi antiquitus per multos dies ante pœnitentia,ieiunijs,& orationibus præparabantur.
In paſſione imaginis D.N. Ieſu Chriſti. fol. 1. ſcho. 2
¶ Baptizatos mos erat etiam olim inungi ſacro chriſmate, & Chriſti ſignaculo confirmari,& tradi illis,ſi eſſent adulti,corpus Chriſti.
In libro 9 hiſtoriarum Gallicanarum cap. 15. fol 192. ſcho. 1

CONFIRMATIO.

¶ Confirmationem eſſe Eccleſiæ ſacramentum,& in vſu antiquis patribus fuiſſe,ſanctumq́, & venerabile exiſtere.
In libro 2 hiſtoriarum Gallicanarum cap. 3. fol. 169. ſcho. 1
In ſermone de cœna Domini. fol. 310. ſcho 2. 3
In ſermone 1 dedicationis Eccleſiæ. fol. 359. ſcho. 2
¶ Chriſmate ſignare baptizatos in frõte, nõ eſt presbyterorũ,ſed Epiſc. officiũ.
In ſermone 1 dedicationis Eccleſiæ. fol. 359. ſcho. 3

EVCHARISTIA.

¶ In Euchariſtia rite conſecrata verum Chriſti corpus,& ſanguinem contineri.
In paſſione imaginis D.N. Ieſu Chriſti. fol. 1. ſcho. 5
In ſermone corporis eiuſdem. fol. 31. ſcho. 4. 5. 7
In ſermone 2 de ſancto Ioanne Apoſtolo,& Euangeliſta. fol. 295. ſcho. 12
In ſermone de cœna Domini. fol. 310. ſcho. 1
In ſermone 2 de natiuitate beatiſſimæ Virginis. fol. 340. ſcho. 3. 4
In Epiſtola de quibuſdam miraculis. fol. 375. ſcho. 1. 2. 3
¶ Sacram Euchariſtiam appellari viuifica,atq; diuina myſteria, & alijs huiuſce generis præclaris nominibus.
Ex Ioanne Climaco. fol. 56. ſcho. 23
De nocturnis illuſionibus. fol. 120. ſcho. 2
¶ Ad dignam ſumptionem ſanctiſſimæ Euchariſtiæ non ſufficere ſolam fidem, ſed opus eſſe etiam munda conſcientia.

* * *

In ſermone corporis D.N.Ieſu Chriſti. fol.31.ſcho.6
¶Communionem ſub vtraq; ſpecie non eſſe neceſſariam,vt aiunt hæretici.
In vita ſancti Galli Epiſcopi. fol.134.ſcho.7
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.65. fol.218.ſcho.3
¶Fornicarijs pœnitentibus ex Apoſtolica traditione per aliquot tempus interdici ſacram communionem.
Ex Ioanne Climaco. fol.56.ſcho.23
¶Puriſſimis ſunt tractanda manibus vel vaſa, in quibus ſeruatur ſacramentum, nedum ipſum ſacramentum.
In Epiſtola de quibuſdam miraculis. fol.375.ſcho.4

POENITENTIA.

¶Pœnitentiam eſſe Eccleſiæ ſacramentum,eiusq; partes tres eſſe:
In ſermone 1 dedicationis Eccleſiæ. fol.359.ſcho.10
¶Confeſſio ſacerdotalis antiquis patribus fuit in vſu. Et circa eius ſigillum miracula quædam contigiſſe.
In ſermone de ſancto Victore. fol.314.ſcho.1
In ſermone 1 dedicationis Eccleſiæ. fol.359.ſcho.10
In ſermone 2 de ſancto Andrea Apoſtolo. fol.369.ſcho.6
In Epiſtola de quibuſdam miraculis. fol.375.ſcho.14
¶Operis ſatisfactio requiritur ad ſalutem peccatoris; nec prodeſt ſola Chriſti paſſio,aut credere culpam ſibi remitti.
Ex Ioanne Climaco. fol.53.ſcho.20
In vita ſancti Dominici loricati. fol.264.ſcho.3
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol.268.ſcho.2.18
In ſermone de ſancta Maria Magdalena. fol.329.ſcho.1
In ſermone 2 de ſancto Andrea Apoſtolo. fol.369.ſcho.7
In ſermone de ſancto Nicolao. fol.371.ſcho.9
¶Veram pœnitentiam non eſſe duntaxat nouam vitam,ſed cum ea dolorem de peccatis commiſſis,& firmum propoſitum de non committendis in futurum.
Ex Ioanne Climaco. fol.51.ſcho.17
In ſermone de ſancto Victore. fol.314.ſcho.2
In ſermone 2 dedicationis Eccleſiæ. fol.361.ſcho.1
In ſermone 2 de ſancto Andrea Apoſtolo. fol.369.ſcho.5
¶Cilicium, cinis,ſiue puluis,ſaccus,& humi cubatio olim erant inſignia pœnitentium.
In ſermone ad monachos de ſanctis quibuſdam. fol.17.ſcho.3
Ex Ioanne Climaco. fol.49.ſcho.6

ORDO SACER.

¶In ordine Eccleſiaſtico diuerſos eſſe gradus, ad quos ordinatè aſcendendum eſt;& his laici debent eſſe ſubiecti.
De Abbatis Danielis conuerſatione. fol.83.ſcho.1
¶Mos conſecrandi Epiſcopos, & inungendi cum ritibus, qui nunc exhibentur, etiam antiquis patribus fuit in vſu.
In ſermone de ſancto Seuero Epiſcopo. fol.307.ſcho.1.2
In ſermone 1 dedicationis Eccleſiæ. fol.359 ſcho.7
¶Epiſcopalis dignitas eſt ſuper omnes gradus Eccleſiæ. Et Epiſcopi Apoſtolorum,presbyteri verò ſeptuagintaduorum diſcipulorum ſunt ſucceſſores.
In ſermone 1 dedicationis Eccleſiæ. fol.359.ſcho.4
¶Non omnes fideles ex æquo eſſe ſacerdotes,vt quidam nunc mentiuntur.

In vita ſancti Caluppanis. fol.145.ſcho.5
In ſermone de cœna Domini. fol.310.ſcho.8
In ſermone de ſancto Bartholomæo Apoſtolo. fol.336.ſcho.4
In ſermone de ſancto Luca Euangeliſta. fol.354.ſcho.3
In ſermone de ſancto Caſſiano martyre. fol.373.ſcho.4

¶Epiſcopos,& ſacerdotes eſſe Regibus,& Principibus ſuperiores. Et in his,quæ ad ſalutem ſpectant animarum,magis eis diuina authoritate collatam eſſe eorum,quæ in terra fiunt,curam,quàm ſecularibus Principibus.

In vita ſancti Nicetij Treuirorum Epiſcopi. fol.153.ſcho.3
In libro 2 hiſtoriarum Gallicauarum cap.23. fol.173.ſcho.2

¶Antiquus Eccleſiæ in ordinandis clericis mos fuit, vt ſuper eorum moribus,& meritis clerus,& populus priùs ferret teſtimonium;deinde cum ieiunio,prece, & timore promouerentur.

In vita Abbatis Theonæ. fol.119.ſcho.1

¶Sacerdotes,& Leuitæ etiam antiquitus habuerunt ſacratas veſtes, quibus in miniſterio Eccleſiaſtico vtebantur.

In ſermone de vigilia natiuitatis Domini. fol.284.ſcho.1

¶Si ſacerdos libidine, & peccatis colligatus ſit,non ob id perdit officium ſuum, vt quidam malè ſenſerunt. Idem dicendum de quacunq; alia poteſtate, tam ſpirituali, quàm temporali.

In ſermone de ſancto Martino. fol.364.ſcho.3

¶Diſtinctio debet eſſe inter populum,& ſacerdotem,nec iiſdem vtrunq; aſtringi legibus. Et vitam ſacerdotis præponderare,ſicut præponderat gratia.

In libro 5 hiſtoriarum Gallicanarum cap.46. fol.181 ſcho.1

MATRIMONIVM.

¶Matrimonium eſſe Eccleſiæ ſacramentum.

In ſermone 1 dedicationis Eccleſiæ. fol.359 ſcho.12

¶Nunquam in Occidentali Eccleſia aliquis ad ſacerdotium promotus eſt, niſi priùs habitæ coniugi renunciauerit, & illa pariter profeſſa fuerit velle in continentia viuere. Quod & in Orientali quoq; Eccleſia quandoq; factitatum legimus,ſed nō ſemper. Vſus enim apud eam fuit,perſeuerare in matrimonio iam contracto ante ſacerdotium. At nullibi vnquam inuentum eſt,quòd iam promotus ſacerdos nuptias contraheret.

In libro 1 hiſtoriarum Gallicanarum cap.39. fol.165.ſcho.1.2
In libro 2 earundem cap.17. fol.172 ſcho.1
In libro 2 earundem cap.23. fol.173.ſcho.1
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.76. fol 221.ſcho.1
Ex eodem libro cap.78. fol 222 ſcho 1
Ex eodem libro cap.107. fol 234.ſcho.2

¶Matrimonio per copulam carnalem non conſummato, licere vni ex ſponſis Religionem ingredi ſine alterius conſenſu; aut cauſa fidei,& virginitatis ſeruandæ ſponſum deſerere. Conſummato autem matrimonio,non licere ſine alterius conſenſu.

In vita Abbatis Theonæ. fol.119.ſcho.3
In vita ſancti Venantij Abbatis. fol.151.ſcho.1
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol.268.ſcho.A

¶Multi ſancti viri, & mulieres in matrimonio conſtituti pluribus annis cœlibem vitam duxerunt.

In libro 1 hiſtoriarum Gallicanarum cap.42. fol.166.ſcho.2
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.32. fol.208.ſcho.1

Ex eodem libro cap.75. fol.221.ſcho.1

EXTREMA VNCTIO

Extremam vnctionem eſſe Eccleſiæ ſacramentum, per eam conferri gratiam, ac remitti peccata.
In ſermone 1 dedicationis Eccleſiæ. fol.359.ſcho.5.6

GRATIA, ET LIBERVM ARBITRIVM.

Hominis liberum eſt arbitrium,& ex propria voluntate à Dei gratia mota bonum meritoriè operatur.
Ex Ioanne Climaco. fol.36.ſcho.1
Sine diuina gratia ne minimum quidem opus,quod meritorium ſit, attentare poſſumus.
In ſermone de beato Martino. fol.364.ſcho.4
Gratia Spiritus ſancti datur quærentibus,petentibus,pulſantibus. Et qui eam non quærit,non inuenit,qui non petit,non accipit,qui non pulſat, non conſequitur. Nec tamen ob id gratia dari dicitur ex meritis, vel ex naturæ noſtræ viribus acquiri.
De caſtitate Abbatis Sereni. fol.87.ſcho.3

FIDES, ET OPERA.

Non ſufficere ſolam fidem ad ſalutem,ſed etiam bona opera requiri; & è contra omnia bona opera non valent abſq; recta fide.
In libro 7 hiſtoriarum Gallicanarum cap.1. fol.188.ſcho.3
In ſermone de beato Eleuchadio Epiſcopo. fol.236.ſcho.2
In ſermone de ſancto Georgio martyre. fol.240.ſcho.2
In ſermone de ſancto Marco Euangeliſta. fol.245.ſcho.1
In ſermonibus de ſancto Apollinare. fol.246.248.250.ſcho.1.11.13
In ſermone de ſancto Fidele martyre. fol.253.ſcho.2
In ſermone de ſancto Barbatiano. fol.255.ſcho.11
In ſermone 2 de ſancto Ioanne Apoſtolo,& Euangeliſta. fol 295.ſcho.18
In ſermone de cœna Domini. fol.310.ſcho.4
In ſermone de omnibus Sanctis. fol.357.ſchol.3
In ſermone de inuentione ſanctæ Crucis. fol.316.ſcho.4.5.6.7.8
In ſermone de ſancto Anthimo martyre. fol.320.ſcho.2
In ſermone 2 de natiuitate beatiſſimæ Virginis. fol.340.ſcho.7.8.9.10.11
In ſermone 3 de natiuitate eiuſdem. fol.343.ſcho.1
In ſermone de ſancto Luca Euangeliſta. fol.354.ſcho.6
In ſermone 1 de ſancto Andrea Apoſtolo. fol.367.ſchol.2.3.6
In ſermone de ſancto Caſſiano martyre. fol.373.ſcho.5.6
Valere etiam illa bona opera ad coronam, quæ ſimul fiunt & intuitu Dei, & æternæ beatitudinis reſpectu.
In ſermone de laudibus martyrum. fol.16.ſcho.2
Validiora ſunt exempla,quàm verba;& plenius eſt opere docere, quàm voce, & inſtituere populum factis excellentiſſimum genus eſt doctrinæ. Qui autem vtroq; docet,verbo ſcilicet,& exemplo,is maximus erit in Regno cœlorum.
De Abbate Cheremone. fol.96. ſcho.1
In libro 10 hiſtoriarum Gallicanarum cap.28. fol.196.ſcho.1
Bonorum fidelium exercitia ſunt, ſobrietas, pudicitia, aſſiduæ vigiliæ, orationes, meditationes, lectiones, pſalmodiæ, ieiunia, humi cubationes, eleemoſynæ, vitiorum extirpationes, & reliqua omnia bona opera.

Qui verò aliâ incedunt via, non ſunt Chriſti diſcipuli cenſendi.
De imminuta dæmonum poteſtate. fol.128.ſcho.[illegible]
In vita ſancti Quintiani Epiſcopi. fol.132.ſcho.1
In vita ſancti Galli Epiſcopi. fol.134.ſcho.2.3
In vita ſancti Gregorij Epiſcopi. fol.137.ſcho.1
In vita ſancti Nicetij Lugdunen. Epiſcopi. fol.138.ſcho.2
In vita ſancti Patrocli Abbatis. fol.142.ſcho.1
In vita ſancti Friardi. fol..143.ſcho.1
In vita ſancti Caluppanis. fol.145.ſcho.1
In vita ſanctorum Aemiliani, & Brachionis. fol.146.ſcho.1.4
In vita ſancti Lupicini. fol.147.ſcho.1
In vita ſancti Martij Abbatis. fol.148.ſcho.1
In vita ſanctæ Monegundis. fol 156.ſcho.7.8
In vita ſancti Leobardi. fol.158.ſcho.1.4
In libro 2 hiſtoriarum Gallicanarum cap.5. fol.170.ſcho.1
In libro 5 earundem cap.46. fol.181.ſcho.8
In libro 10 earundem cap.1. fol.193.ſcho.2
In ſermone de ſancto Marco Euangeliſta. fol 245.ſcho.3
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol.268.ſcho.2.14
In ſermone de ſancto Nicolao. fol.371.ſcho.6
Non ſufficit bona voluntas, vbi adeſt facultas operandi. Sufficit autem vbi non adeſt.
In ſermone de ſancto Barbatiano. fol.255.ſcho.12

MERITVM.

Sanctos, & omnes fideles, qui Dei mandata rite ſeruauerint, meritum habere apud Deum omnipotentem, & reddi illis, tanquam iuſtam mercedem, vitam æternam. Et hoc eſſe cum ex parte diuinæ promiſſionis, tum ex Spiritus ſancti gratia bonorum illorum operum radice.
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.53. fol.214.ſcho.1
In ſermone de ſancto Barbatiano. fol.255.ſcho.3.5
In ſermonibus de S. Ioãne Apoſtolo, et Euãgeliſta. fol.291.295.ſcho.2.9.11.17

MISSA.

Miſſam eſſe ſacrificium; & ſacroſancta, ac veneranda myſteria, alijsq́; excelſis huiuſmodi nominibus à patribus nuncupari.
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol.268.ſcho.28
In ſermone de vigilia natiuitatis Domini. fol.284.ſcho.1
In Epiſtola de quibuſdam miraculis. fol.375.ſcho.7
Miſſæ vocabulum non eſſe nouitium inuentum, vt mentiuntur hæretici.
In libro 2 hiſtoriarum Gallicanarum cap.1. fol.168.ſcho.2
Miſſam prodeſſe animabus defunctorum.
In vita ſancti Lupicini. fol.147.ſchol.6
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.65. fol.218.ſchol.2
In Epiſtola de quibuſdam miraculis. fol.375.ſcho.7
Dominus noſter Ieſus Chriſtus in nocte cœnæ calicem ex vino, & aqua bene dixit, ac ſuis Apoſtolis tradidit.
In ſermone corporis D.N. Ieſu Chriſti. fol.31.ſcho 2

ECCLESIA CATHOLICA.

Vnica eſt catholica Eccleſia.

In ſermone de cœna Domini. fol. 310. ſcho. 5
In ſermone de ſancto Anthimo martyre. fol. 320. ſcho. 1

EXCOMMVNICATIO.

¶ Fuiſſe antiquis patribus excõmunicationes in vſu. Et ſũmoperè timendas eſſe.
In vita ſancti Nicetij Treuirorum Epiſcopi. fol. 153. ſchol. 2
In Epiſtola de quibuſdam miraculis. fol. 375. ſcho 5. 12. 13

PAPATVS.

¶ Petrũ fuiſſe primũ Apoſtolũ nõ vocationis ordine, ſed dignitatis prærogatiua.
In ſermone de ſancto Petro Apoſtolo. fol. 326. ſcho. 1
In ſermone de ſancto Bartholomæo Apoſtolo. fol. 336 ſcho. 5
¶ Petrum eſſe ſupremum in Eccleſia Hierarcham, & ab eo, tanquam à capite in membra, omnem poteſtatem in cæteros deriuare.
In ſermone 1 de ſancto Apollinare. fol. 246. ſcho. 1
In ſermone 1 de ſancto Andrea Apoſtolo. fol. 367. ſcho. 7
¶ Petrum fuiſſe Eccleſiæ fundamentum, & petram, ſuper quam illa fundata eſt. Et nulli alij Epiſcoporum data eſt tanta poteſtas, quanta Petro, & in eo omnibus eius ſucceſſoribus. Et qui Romanum Pontificem honorat, beato Petro reuerentiam præſtat.
In ſermone de ſancto Petro Apoſtolo. fol. 326. ſcho. 2
¶ Petrum, & Paulum Romæ fuiſſe conuincitur, & ibi martyrio coronatos.
In libro 1 hiſtoriarum Gallicanarum cap. 24. fol. 162 ſcho. 1
In libro 2 earundem cap. 5. fol. 170. ſcho. 2
In libro 6 earundem cap. 7. fol. 182. ſcho. 3
¶ Romana eſt verè catholica, & Apoſtolica Eccleſia, & omnis ritus Eccleſiaſtici, & monachalis magiſtra. Et ea fides, quam illa tenet, & confitetur, & non alia tenenda, & prædicanda.
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap. 27. fol. 207. ſcho. 1
In ſermone de ſancto Barbatiano. fol. 255. ſcho. 9
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol. 268. ſcho. 23
¶ Romanam Eccleſiam propter ſedem beati Petri iuriſdictionem, & curam habere ſuper omnes Eccleſias mundi. Et quod dicitur de Romana Eccleſia, intelligitur de ſummo Pontifice.
In libro 1 hiſtoriarum Gallicanarum cap. 28. fol. 163. ſcho. 1
In libro 10 earundem cap. 1. fol. 193. ſcho. 1
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap. 4. fol. 200 ſcho. 1
Ex eodem libro cap. 30. fol. 208. ſcho. 1
In ſermone de ſancto Barbatiano. fol. 255. ſcho 8
In ſermone de ſancto Vitale martyr. fol. 258. ſcho. 8
¶ Romam eſſe tutiſſimum Chriſtianæ communionis portum, præſertim oppreſſorum Epiſcoporum.
In libro 2 hiſtoriarum Gallicanarum cap. 1. fol. 168. ſcho. 1

SACRA SCRIPTVRA.

¶ Diuinorum librorum intelligentia non ex propria temeritate, & præſumptione hauriendam eſſe, ſed ex maiorum ſcriptis, & auctoritate, qui intelligendi regulam ex Apoſtolica ſuſceperunt traditione.
De ſignificatione Paſchæ. fol. 92. ſcho. 1
In libro 5 hiſtoriarum Gallicanarum cap. 44. fol. 181. ſcho. 1. 2
In ſermone de cœna Domini. fol. 310. ſcho. 6. 7

In ſermone de ſancto Bartholomæo Apoſtolo. fol.336.ſcho.47
In ſermone de ſancto Luca Euangeliſta. fol.354 ſcho.5
¶ Ad Romanum Pontificem, & ſanctam Eccleſiam, ideſt generalia Concilia pertinere, & non ad vnumquenque, cenſere de ſanctis ſcripturis, earundemque ſcriptoribus. Et eas ſolas in Canonem Eccleſiaſticorum librorum admittendas, quas ipſi iudicauerint.
De Abbate Serapione. fol.92.ſcho.2
¶ Secundam D.Petri Apoſtolorum Principis Epiſtolam, illius eſſe.
In ſermone de ſancto Eleuchadio Epiſcopo. fol 236.ſcho.1
¶ Apocalypſim D.Ioannis Apoſtoli illius eſſe.
In ſermone 2 de eodem. fol.295.ſcho.13

TRADITIONES PATRVM.

¶ Eccleſiæ fidem, & inſtituta à ſanctis Apoſtolis tradita fuiſſe.
In ſermone de adoratione imaginum. fol.34.ſcho.8
¶ In ſancta Dei Eccleſia ſunt traditiones non ſcriptæ, ſunt etiam traditiones ex ſcripto; & vtraſque ſancti patres veteres diligentiſſimè obſeruarunt.
In ſermone de adoratione imaginum. fol.34.ſcho.8
De tribus renunciationibus. fol.82.ſcho.3
¶ Patrum antiquorum traditiones ſeruandas eſſe; nec paucorum traditiones vniuerſis, quæ per orbem ſibi in Chriſto concordant, Eccleſijs præferendas.
In ſermone 1 de ſancto Apollinare. fol.246.ſcho.2
In Epiſtola de quibuſdam miraculis. fol.37. ſcho.8

CEREMONIAE.

¶ Mos eſt in Eccleſia orare cum genuflexione, & capitis detectione, ſiue totius corporis proſtratione, cũ pectoris tunſione, necnon cum lachrymis, & vigilijs.
Ex Ioanne Climaco. fol.52.ſcho.18
De pueris portantibus ficus. fol.73.ſcho.2
De exemplo patientiæ Abbatis Paphnutij. fol.108.ſcho.3
In vita ſanctorum Lupicini, & Romani. fol.127.ſcho.2
In vita ſancti Illidij Epiſcopi. fol.127.ſcho.2
In vita ſancti Quintiani Epiſcopi. fol.132.ſcho.6
In vita ſancti Portiani Abbatis. fol.133.ſcho.3
In vita ſancti Galli Epiſcopi. fol.134.ſcho.6
In vita ſancti Patrocli Abbatis. fol.142.ſcho.3
In vita ſancti Friardi. fol.143.ſcho.2
In vita ſancti Martij Abbatis. fol.148.ſcho.2
In vita ſancti Senoch Abbatis. fol.150.ſcho.5
In vita ſanctorum Vrſi, & Leubatij. fol.155.ſcho.3
In vita ſanctæ Monegundis. fol.156.ſcho.2.5.6
In libro 2 hiſtoriarum Gallicanarum cap.7. fol.171.ſcho.1
In libro 2 earundem cap.34. fol.175.ſcho.5
In libro 6 earundem cap.7. fol.183.ſcho.5
In libro 6 earundem cap. 8. fol.183.ſcho.1
In libro 7 earundem cap.31. fol.189.ſcho.3
In libro 8 earundem cap.15. fol.196.ſcho.5
In libro 10 earundem cap.28. fol.196.ſcho.5
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.38. fol.210.ſcho.2
Ex eodem libro cap.50. fol.213.ſcho.1
In ſermone de ſancto Stephano protomartyre. fol.289.ſcho.2

¶ Item orare cum manuum extenſione,& oculorum ad cœlum eleuatione.
In vita ſancti Abrahæ Abbatis. fol.131.ſchol.1
In libro 6 hiſtoriarum Gallicanarum cap.7. fol.183.ſcho.5
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.38. fol.210.ſcho.2
¶ Oratio,& vigiliæ res ſunt Deo placentes, ac hominibus vtiles,non ſuperfluæ, & ſine fructu,necnon valentes omnia impetrare à Deo.
In vita ſanctorum Lupicini,& Romani. fol.127.ſcho.8
In vita ſancti Gregorij Epiſcopi. fol.137.ſcho.2
In vita ſancti Caluppanis. fol.145.ſcho.4
In vita ſancti Senoch Abbatis. fol.150.ſcho.3
In vita ſanctorum Vrſi,& Leubatij. fol.155.ſcho.4
In vita ſanctæ Monegundis. fol.156.ſcho.9
In libro 1 hiſtoriarum Gallicanarum cap.38. fol.165.ſcho.1
In libro 10 earundem cap.23. fol.195.ſcho.1
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.22. fol.205.ſcho.1
Ex eodem libro cap.24. fol.206.ſcho.1
Ex eodem libro cap.45. fol.212.ſcho.2
Ex eodem libro cap.63. fol.217.ſcho.1
Ex eodem libro cap.84. fol.225.ſcho.1
Ex eodem libro cap.87. fol.226.ſcho.1
In ſermone de ſancto Hilario. fol.261.ſcho.2
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol.268.ſcho.16.26
¶ Orare ante cibum Chriſtianus mos, idem & poſt, cùm etiam cubitum imus, & cùm è lecto ſurgimus.
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.98. fol.229.ſcho.2
¶ Signare ſe,vel alias creaturas ſigno Crucis,& fidem habere ad Dominum,mutus eſt inexpugnabilis, quo etiam dæmones effugantur, & magna miracula patrantur.
In ſermone de paſſione Domini. fol.12.ſcho.5.6
In ſermone de ſancta Cruce. fol.30.ſcho.1
De differentia nequitiæ dæmonum. fol.90.ſcho.1
In vita ſancti Quintiani Epiſcopi. fol.132.ſcho.2
In vita ſancti Portiani Abbatis. fol.133.ſcho.1.2.3.4
In vita ſancti Gregorij Epiſcopi. fol.137.ſcho.3
In vita ſancti Patrocli Abbatis. fol.142.ſcho.2
In vita ſancti Friardi. fol.143.ſcho.2.3
In vita ſancti Caluppanis. fol.145.ſcho.2.3.6
In vita ſancti Lupicini. fol.147.ſcho.2
In vita ſancti Senoch Abbatis. fol.150.ſcho.5
In vita ſancti Venantij Abbatis. fol.151.ſcho.5
In vita ſancti Nicetij Treuirorum Epiſcopi. fol.153.ſcho.4.5.6
In vita ſanctæ Monegundis. fol.156.ſcho.3.5.10
In vita ſancti Leobardi. fol.158.ſcho.2.3
In libro 2 hiſtoriarum Gallicanarum cap.3. fol.170.ſcho.3
In libro 2 earundem cap.21. fol.173.ſcho.1
In libro 2 earundem cap.37. fol.176.ſcho.1
In libro 5 earundem cap.19. fol.178.ſcho.1
In libro 6 earundem cap.6. fol.182.ſcho.5
In libro 6 earundem cap.7. fol.183.ſcho.4
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.7. fol.201.ſcho.1
Ex eodem libro cap.12. fol.202.ſcho.1

Ex eodem libro cap.24. fol.206.ſcho.8
Ex eodem libro cap.29. fol.207.ſcho.1
Ex eodem libro cap 31. fol.208.ſcho.1
Ex eodem libro cap.56. fol.215.ſcho.8
Ex eodem libro cap.77. fol.222.ſcho.1
Ex eodem libro cap.82. fol.224.ſcho.1
In ſermone de ſancto Barbatiano. fol.255.ſcho.4
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol.268.ſcho.24

Aquæ, olei, & aliarum rerum benedictiones, & conſecrationes licitas eſſe, & ad multa commoda proficuas, atque antiquis patribus in vſu fuiſſe. Similiter & dedicationes Eccleſiarum, & altarium cum reliquijs ſanctorum. Et cœmeteriorum benedictiones.

In paſſione imaginis D.N. Ieſu Chriſti. fol.1.ſcho.3
De miraculo Abbatis Abrahami. fol.99.ſcho.1
In vita ſancti Illidij Epiſcopi. fol.129.ſcho.5
In vita ſancti Quintiani Epiſcopi. fol.132.ſcho.3
In vita ſancti Nicetij Lugdunen. Epiſcopi. fol.138.ſcho.14
In vita ſancti Martij Abbatis. fol.148.ſcho.3
In vita ſancti Senoch Abbatis. fol.150.ſcho.1.8
In vita ſancti Venantij Abbatis. fol.151.ſcho.4
In vita ſanctæ Monegundis. fol.156.ſcho.11
In libro 1 hiſtoriarum Gallicanarum cap.41. fol.165.ſcho.1
In libro 2 earundem cap.37. fol.176.ſcho.1
In libro 6 earundem cap.7. fol.182.183.ſcho.2.4
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.18. fol.203.ſcho.1
Ex eodem libro cap.20. fol.204.ſcho.1.2
Ex eodem libro cap.24. fol.106.ſcho.2
Ex eodem libro cap.82. fol.224.ſcho.2
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol.268.ſcho.22.31
In ſermone 1 dedicationis Eccleſiæ. fol.359.ſcho.9

Accendere in die luminaria, & habere etiam nocte in Eccleſijs, & ante ſanctorum tumulos, antiquus mos fuit.

Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.27. fol.207.ſcho.2
Ex eodem libro cap.69. fol.219.ſcho.1
Ex eodem libro cap.79. fol.222.ſcho.2

Ponere incenſum in Eccleſia, antiquiſſima conſuetudo eſt. Idem etiam prope ſanctorum martyrum corpora.

In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol.268.ſcho.4

Cantus in Eccleſijs antiquitus fuit in vſu, hymnodia, & pſalmorum recitatio.

In vita ſancti Galli Epiſcopi. fol.134.ſcho.4
In vita ſancti Gregorij Epiſcopi. fol.137.ſcho.2
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.47. fol.212.ſcho.2
In vita ſancti Dominici loricati. fol.264.ſcho.5
In ſermone de ſancto Luca Euangeliſta. fol.354.ſcho.4

Epiſcopos electos, & Sacerdotes, Reges item, atque Imperatores ſacro oleo ſolere inungi antiquus mos eſt in Eccleſia, necnon ſuper caput eorum virtutem inuocari Spiritus ſancti.

In ſermone 1 dedicationis Eccleſiæ. fol.359.ſcho.8

Horæ Canonicæ nocturnæ, & diurnæ, ſimiliter & beatiſſimæ Virginis, etiam antiquis erant in vſu.

In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol. 268. ſcho. 15
In ſermone de Annunciatione Virginis. fol. 304. ſcho. 1
In Epiſtola de quibuſdam miraculis. fol. 375. ſcho. 6. 9. 10
¶ Humi cubationes antiquis ſanctis in vſu fuiſſe; & valere ad obtinendum aliquid à Deo.
In vita ſanctæ Monegundis. fol. 156. ſcho. 8
¶ Litaniarum in Eccleſia antiquus vſus; ſimiliter & antiphonarum, ac reſponſoriorum decantatio.
In vita ſancti Quintiani Epiſcopi. fol. 132. ſcho. 5
In libro 2 hiſtoriarum Gallicanarum cap. 34. fol. 175. ſcho. 2
In libro 10 earundem cap. 1. fol. 193. ſcho. 3
In libro 10 earundem cap. 29. fol. 197. ſcho. 1
¶ Proceſſiones faciebant etiam antiqui Patres, præcedente ſigno venerandæ Crucis, vel & ſtationes, ac viſitationes Eccleſiarum fiebant cum orationibus litanias, & genuflexionibus.
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap. 79. fol. 222. ſcho. 3
¶ Floribus Eccleſias exornari antiqua conſuetudo eſt.
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap. 50. fol. 213. ſcho. 2

HABITVS, ET VICTVS.

¶ Veſtitus ſimplicitas, vilitas, & aſperitas antiquis ſanctis fuit in vſu; id quod ſanctitatis, & vitæ excellentiæ ſignum fuit.
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol. 268. ſcho. 32
In ſermone de ſancto Ioanne Baptiſta. fol. 322. ſcho. 2
¶ Victus quoque tenuitas, & parcitas, & delicioſorum ciborum abſtinentia eiſdem cordi fuit.
In oratione de paſſione Domini. fol. 12. ſcho. 1
In vita ſanctorum Lupicini, & Romani. fol. 127. ſcho. 1
In vita ſancti Lupicini. fol. 147. ſcho. 1
In vita ſancti Senoch Abbatis. fol. 150. ſcho. 2
In vita ſanctorum Vrſi, & Leubatij. fol. 155. ſcho. 2
In vita ſanctæ Monegundis. fol. 156. ſcho. 1
In libro 2 hiſtoriarum Gallicanarum cap. 5. fol. 170. ſcho. 2
In libro 6 earundem cap. 6. fol. 182. ſcho. 2
In libro 8 earundem cap. 15. fol. 190. ſcho. 4
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap. 81. fol. 223. ſcho. 3
In vita ſancti Dominici loricati. fol. 264. ſcho. 2
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol. 268. ſcho. 7. 21. 32
In ſermone de ſancto Martino. fol. 364. ſcho. 5
¶ Pane quandoque ſancti viri in cibo non ſunt vſi, ſed tantùm crudis oleribus, aut herbis.
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol. 268. ſcho. 17
¶ Multi ex ſanctis veteribus carnibus in cibo non ſunt vſi, neque vino in potu, ſed tantùm aqua vel frigida, vel calida.
In vita ſancti Lupicini. fol. 147. ſcho. 1
In vita ſancti Senoch Abbatis. fol. 150. ſcho. 2
In libro 8 hiſtoriarum Gallicanarum cap. 15. fol. 190. ſcho. 4
In vita ſancti Dominici loricati. fol. 264. ſcho. 2. 3. 1
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol. 268. ſcho. 17
¶ Cilicium, pelles, & vilis habitus multorum ſanctorum.
In libro 6 hiſtoriarum Gallicanarum cap. 6. fol. 182. ſcho. 1

¶ Abſtinentiam magiſtram eſſe incorruptionis, atq; puritatis altricem.
De nocturnis illuſionibus. fol. 119. ſcho. 1

IEIVNIA.

¶ Ieiunium non eſſe humanam traditionem, non rem ſuperſtitioſam, non inutilem ad promerendum aliquid à Deo, vt quidam hoc tempore dicunt.
De ieiunijs Monachorum Aegyptiorum. fol. 69. ſcho. 1
In libro 10 hiſtoriarum Gallicanarum cap. 28. fol. 196. ſcho. 2
¶ Ieiunium Quadrageſimæ ſemper fuit in maxima obſeruantia.
In vita ſancti Senoch Abbatis. fol. 150. ſcho. 4
In libro 6 hiſtoriarum Gallicanarum cap. 6. fol. 182. ſcho. 2
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol. 268. ſcho. 29
¶ Ieiunium ſacratiſſimi ſabbati Paſchalis, & ob id cæterorũ etiam ſabbatorum.
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol. 268. ſcho. 10
¶ Ieiunia ad libitum cum abſtinentia, & ciborum delectu, quibus diuinum auxilium imploratur, antiquis ſanctis frequentiſſima.
In oratione de paſſione Domini. fol. 12. ſcho. 1
In libro 2 hiſtoriarum Gallicanarum cap. 3. fol. 169. ſcho. 2
Ex libro in gloriam Confeſſorum. cap. 34. fol. 209. ſcho. 1
In vita ſancti Dominici loricati. fol. 264. ſcho. 4
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol. 268. ſcho. 11
In ſermone de ſancto Ioanne Baptiſta. fol. 322. ſcho. 1
¶ Ieiunium in pane & aqua frequentiſſimum in Eccleſia.
In vita ſancti Dominici loricati. fol. 264. ſcho. 2
¶ Ieiunia faciunt ad impetrandam veniam peccatorum, & alia etiam beneficia.
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap. 45. fol. 212. ſcho. 2
Ex eodem libro cap. 63. fol. 217. ſcho. 1
¶ Valere ieiunia ad refrenandam carnis laſciuiam.
De inſtitutione orationis perpetuæ. fol. 94. ſcho. 1

FESTI DIES.

¶ Dies Dominicus iam ab initio Eccleſiæ primitiuæ obſeruabatur, in quo nihil operis exercere licet; bonum q; eſt in eo coniuges ad inuicem non commiſceri ob Saluatoris noſtri reuerentiam. In hoc etiam die omnes Chriſtiani ad templa concurrunt.
In vita ſancti Gregorij Epiſcopi. fol. 137. ſcho. 9
In libro 10 hiſtoriarum Gallicanarum cap. 29. fol. 197. ſcho. 2
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol. 268. ſcho. 25. 34
¶ Paſchæ antiquiſſima ſolennitas, & maximæ virtutis.
In vita ſancti Senoch Abbatis. fol. 150. ſcho. 6. 7
In vita ſancti Leobardi. fol. 158. ſcho. 5
In libro 1 hiſtoriarum Gallicanarum cap. 33. fol. 164. ſcho. 1
In libro 2 earundem cap. 34. fol. 175. ſcho. 4
In libro 6 earundem cap. 40. fol. 186 ſcho. 1
In ſermone de ſancto Vitale martyre. fol. 258. ſcho. 1
In vita ſancti Dominici loricati. fol. 264. ſcho. 7
¶ Aſcenſionis Domini dies celebris.
In libro 2 hiſtoriarum Gallicanarum cap. 34. fol. 175. ſcho. 3
¶ Natalis Domini cum ſacroſancta eius nocte ſolennis.
In oratione Natiuitatis Domini. fol. 5. ſcho. 1. 2. 7
In vita ſancti Dominici loricati. fol. 264. ſcho. 10

¶ Epiphaniæ celebre feſtum.
Ex Ioanne Climaco. fol.46.ſcho.11
In vita ſancti Gregorij Epiſcopi. fol.137.ſcho.5
¶ Sabbatum ſanctum, ideſt vigilia ſacratiſsimæ Reſurrectionis Dominicæ valde ſolenne.
In libro 2 hiſtoriarum Gallicanarum cap.34. fol.175.ſcho.4
¶ Solennitates Sanctorum celebrandæ.
In ſermone 2 de natiuitate beatiſsimæ Virginis. fol.340 ſcho.2
In ſermone de ſancto Caſſiano martyre. fol.373.ſcho.1
¶ Feſtum omnium Sanctorum.
In ſermone de eiſdem. fol.357.ſcho.1
¶ Feſtum natiuitatis beatiſsimæ Virginis Mariæ.
In ſermone 2 de natiuitate eiuſdem. fol.340.ſcho.1
¶ Feſtum ſancti Michaelis Archangeli.
In vita ſancti Dominici loricati. fol.264.ſcho.6
¶ Feſtum ſancti Stephani protomartyris.
In ſermone de eodem. fol.289.ſcho.3
¶ Feſtum ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli.
In ſermone de eiſdem. fol.327.ſcho.1
¶ Feſtum ſancti Ioannis Apoſtoli, & Euangeliſtæ.
In ſermone 1 de eodem. fol.291.ſcho.1
¶ Feſtum ſancti Andreæ Apoſtoli.
In ſermone 2 de eodem. fol.369.ſcho.1
¶ Feſtum ſancti Bartholomæi Apoſtoli.
In ſermone de eodem. fol.336.ſcho.1
¶ Feſtum ſanctorum Apoſtolorum Simonis, & Iudæ.
In vita ſancti Dominici Loricati. fol.264.ſchol.9
¶ Feſtum ſancti Apollinaris Epiſcopi, & martyris.
In ſermone 2 de eodem. fol.248.ſcho.4.12
¶ Feſtum ſancti Fidelis martyris.
In ſermone de eodem. fol.253.ſcho.3
¶ Feſtum ſancti Ruffini martyris.
In ſermone de eodem. fol.242.ſcho 9
¶ Feſtum ſancti Vitalis martyris.
In ſermone de eodem. fol.258.ſcho.2
¶ Feſtum ſancti Martini Epiſcopi.
In ſermone de eodem. fol.364.ſcho.1
¶ Feſtum ſancti Nicolai Epiſcopi.
In ſermone de eodem. fol.371.ſcho.1
¶ Feſtum ſancti Germani Epiſcopi.
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.90. fol.227.ſcho.1
¶ Feſtum ſancti Mariani recluſi.
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.81. fol.223.ſcho 2
¶ Feſtum ſancti Auiti Confeſſoris.
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.99. fol.230.ſcho.2
¶ Feſtum ſancti Barbatiani Confeſſoris.
In ſermone de eodem. fol.255.ſcho.6
¶ Feſtum ſancti Victoris Confeſſoris.
In ſermone de eodem. fol.314.ſcho.3
¶ Feſtum conſecrationum Eccleſiarum ſolenne in illis ipſis, quæ conſecrantur, & in earum anniuerſarijs.

In paſſione

In paſſione imaginis D.N. Ieſu Chriſti. fol.1.ſcho.4
Vigiliæ ſanctorum cum ieiunio antiquitus quoq; obſeruabantur, & hymni in nocte ob celebritatem ſequentem cantabantur.
In vita ſancti Nicetij Lugdunen. Epiſcopi. fol.138.ſcho.16
In vita ſanctæ Monegundis. fol.156.ſcho.4
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.5. fol.200.ſcho.3
Ex eodem libro cap.28. fol.207.ſcho.1

SANCTI.

Sanctiſſima Dei Genitrix ſemper virgo fuit, ante partum, in partu, & poſt partum; nec ex virili ſemine, ſed de Spiritu ſancto verum Filium Dei concepit, & genuit, necnon verum hominem.
In ſermone de ſanctiſſima Virgine Maria. fol.27. ſcho.1.2.3.4.6
In Natiuitate Domini, & genealogia Virginis. fol.28. ſcho.1.2.3.4.5.6.7
In ſermone de virginitatis excellentia. fol.29. ſcho.1
In ſermone corporis D.N. Ieſu Chriſti. fol.31. ſcho.1
In ſermone de vigilia natiuitatis Domini. fol.284 ſcho.2
In ſermone de eiuſdem natiuitate. fol.287. ſcho.1.2
In ſermone de ſancto Stephano. fol.289. ſcho.1
In ſermone de Epiphania. fol.299. ſcho.1
In ſermone de Annunciatione Virginis. fol.304. ſcho.3
In ſermone de Aſſumptione eiuſdem. fol.331. ſcho.1.2
Sanctiſſimæ Dei Genitricis, quæ poſt Deum totius mundi ſalus eſt, & humani generis refugium, ſemper adeſſe auxilium, eam deuotè, & cum fiducia inuocantibus. Et contra verò eam blaſphemantibus, & lacerantibus vltionem.
In oratione de laudibus Matris Dei. fol.10. ſcho.1.2.4
In ſermone 1 de natiuitate ipſius beatiſſimæ Virginis. fol.338. ſcho.2
In ſermone 3 de natiuitate eiuſdem. fol.343. ſcho 2
Auget in immēſum præconia beatiſſimæ Virginis, Deū eſſe idē, quod illa eſt.
In ſermone 1 de natiuitate ipſius beatiſſimæ Virginis. fol.338. ſcho.1
Sacratiſſimæ Virgini data eſt omnis poteſtas in cœlo, & in terra, & nihil ei denegatum eſt, in cuius manibus ſunt theſauri miſerationum Domini.
In ſermone 1 de natiuitate ipſius beatiſſimæ Virginis. fol.338. ſcho.3.4
Sancti carnis concupiſcentiam robuſto, & integro ſanctimoniæ, & continentiæ rigore, multis etiam corporis afflictionibus calcabant; quos imitari debemus.
In vita ſancti Illidij Epiſcopi. fol.129. ſcho.1
In vita ſancti Martij Abbatis. fol.148. ſcho.2
In libro 8 hiſtoriarum Gallicanarum cap.15. fol.190. ſcho.3
In vita ſancti Dominici loricati. fol.264. ſcho.8
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol.268. ſcho.20
In ſermone de ſancto Anthimo martyre. fol.320. ſcho.3
In ſermone de ſancto Matthæo Apoſtolo. fol.349. ſcho.3
In tractatu de contemptu ſeculi. fol.380. ſcho.23
Sancti orantes pro nobis exaudiuntur à Deo, & propugnatores noſtri ſunt, ac patroni, ſeruatores, & cuſtodes.
In oratione de laudibus Martyrum. fol.16. ſcho.3.4
In ſermone de Sanctorum, & reliquiarum honore. fol.33. ſcho.7
Sanctos ſcire in Dei, & Xp̄i lumine orationes noſtras, & quæ circa nos agūtur.
In libro 2 hiſtoriarum Gallicanarum cap.7. fol.171. ſcho.3
In ſermone de ſancto Rufino martyre. fol.242. ſcho.3
Sanctos non rectè dici emortuos, ſed dormientes.

In ſermone de laudibus Ioſeph patriarchæ. fol.20. ſcho.1
In ſermone de Sanctorum,& reliquiarum honore. fol.33. ſcho.3.5
In vita ſancti Nicetij Lugdunen.Epiſcopi. fol.138 ſcho.3
In libro 8 hiſtoriarum Gallicanarum cap.33. fol.191.ſcho.1
In libro 10 earundem cap.28. fol.196.ſcho.8
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.5. fol.200.ſcho.1
Ex eodem libro cap.17. fol.203.ſcho.1
Ex eodem libro cap.18. fol.204.ſcho.1
Ex eodem libro cap.47. fol.212.ſcho.1
Ex eodem libro cap.62. fol.217.ſcho.1
Ex eodem libro cap.80. fol.223.ſcho.1
Ex eodem libro cap.86. fol.225.ſcho.1
Ex eodem libro cap.107. fol.234.ſcho.3
In ſermone de ſancto Rufino martyre. fol.242.ſcho.3
In ſermone de ſancto Vitale martyre. fol 258.ſcho.4
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol.268.ſcho.3

¶Sanctos magnam habere poteſtatem poſt mortem.

Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.3. fol.199.ſcho.1
Ex eodem libro cap.17. fol.203.ſcho.1
Ex eodem libro cap.97. fol.229.ſcho.1
Ex eodem libro cap.98. fol.229.ſcho.1

¶Sanctos poſt mortem recipi in cœlo,videre Deum,& orare pro nobis, & exhibere hominibus beneficia.

In vita ſancti Gregorij Epiſcopi. fol.137.ſcho.6
In vita ſancti Nicetij Lugdunen. Epiſcopi. fol.138.ſcho 9
In vita ſancti Friardi. fol.143.ſcho 4
In vita ſancti Lupicini. fol.147.ſcho.3
In libro 1 hiſtoriarum Gallicanarum cap.42. fol.166 ſcho.3
In libro 10 earundem cap.13. fol.194.ſcho.1
In libro 10 earundem cap.28. fol.196 ſcho.A
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.59. fol.216.ſcho.2
Ex eodem libro cap.71. fol.219.ſcho.1
Ex eodem libro cap.75. fol.221.ſcho.2
Ex eodem libro cap.102. fol.231.ſcho.2
Ex eodem libro cap.106. fol.233.ſcho.3
Ex eodem libro cap.109. fol.235.ſcho.1
In ſermone de ſancto Rufino martyre. fol.242.ſcho.1 r.13
In ſermonibus de ſancto Apollinare. fol.248.250.ſcho.6.8.9
In ſermone de ſancto Fidele martyre. fol.253.ſcho.4
In ſermone de ſancto Barbatiano. fol 255.ſcho.1
In ſermone de ſancto Vitale martyre. fol.258.ſcho.3.4.5.10
In vita ſancti Dominici loricati. fol.264.ſcho.12
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol.268.ſcho.35
In ſermone 2 de ſancto Ioanne Apoſtolo,& Euangeliſta. fol.295.ſcho.14
In ſermone de ſancto Benedicto. fol.302.ſcho.2
In ſermone de ſancta Maria Magdalena. fol.329.ſcho.2
In ſermone de omnibus Sanctis. fol.357.ſcho.2
In ſermone de ſancto Nicolao. fol.371.ſcho.7

¶Sanctos poſſe dici interceſſores,legatos,aduocatos ad Deum, citra Redemptoris noſtri contumeliam.

In oratione de laudibus Matris Dei. fol.10. ſcho.3

Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.2. fol.199.ſcho.2
Ex eodem libro cap.93. fol.228.ſcho.1
In ſermone 1 de ſancto Ioanne Apoſtolo,& Euangeliſta. fol.291.ſcho.7
In ſermone de ſancto Petro Apoſtolo. fal.326.ſcho.3
In ſermone de omnibus Sanctis. fol.357.ſcho.4
Sanctos inuocandos,inuocatos'que beneficia conferre,& antiquos patres eos inuocaſſe. Nec ob eorũ inuocationẽ obtenebrari Dei neceſſariã inuocationem.
In ſermone de paſſione Domini. fol.12.ſcho.3
In oratione de laudibus martyrum. fol.16.ſcho.1
In vita ſancti Gregorij Epiſcopi. fol.137.ſcho.7.8
In vita ſancti Nicetij Lugdunen. Epiſcopi. fol.138.ſcho.1.8
In vita ſancti Nicetij Treuirorum Epiſcopi. fol.153.ſcho.7
In libro 2 hiſtoriarum Gallicanarum cap.5. fol.170.ſcho.2
In libro 2 earundem cap.7. fol.171.ſcho.3
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.1. fol.199.ſcho.1
Ex eodem libro cap.46. fol.212.ſcho.1
Ex eodem libro cap.61. fol.216.ſcho.1
Ex eodem libro cap.96. fol.229.ſcho.1
Ex eodem libro cap.101. fol.230.ſcho.1
In ſermone de ſancto Rufino martyre. fol.242.ſcho.6.7
In ſermone 2 de ſancto Apollinare. fol.248.ſcho.7
In ſermone 1 de ſancto Ioanne Apoſtolo,& Euangeliſta. fol.291.ſcho.7
In ſermone de ſancto Matthæo Apoſtolo. fol.349.ſcho.3
In ſermone de ſancto Nicolao. fol.371.ſcho.4.10
Miracula, quæ ad Sanctorum inuocationem fiunt, Dominus Ieſus Chriſtus facit in illis,ſiue per illos,vt veram fidem in nobis confirmet, & per aperta documenta doceat adeſſe Deum,res'que,ac mentes hominũ paterno ſtudio curare.
De mortuo ſuſcitato. fol.99.ſcho.1
In vita ſancti Galli Epiſcopi. fol.134.ſcho.11
In vita ſancti Nicetij Treuirorum Epiſcopi. fol.153.ſcho.1
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.11. fol 202.ſcho.2
Ex eodem libro cap.100. fol.230.ſcho.1
In ſermone de ſancto Rufino martyre. fol.242.ſcho.5
In ſermone de ſancto Nicolao. fol.371.ſcho.3
Miracula,quæ poſt Sanctorum obitum apud eorum memorias fiunt,ſplendorem vitæ illorum apertè confitentur.
Ex Ioanne Climaco. fol.47.ſcho.13
In vita ſanctorum Lupicini,& Romani. fol.127.ſcho.10
In vita ſancti Illidij Epiſcopi. fol.129.ſcho.3.6
In vita ſancti Portiani Abbatis. fol.133.ſcho.5
In vita ſancti Senoch Abbatis. fol.150.ſcho.9
In vita ſanctorum Vrſi,& Leubatij. fol.155.ſcho.5
In libro 1 hiſtoriarum Gallicanarum cap.40. fol.165.ſcho.1
In libro 4 earundem cap.19. fol.178.ſcho.1
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.36. fol 209 ſcho.1
Ex eodem libro cap.51. fol.213.ſcho.1
Ex eodem libro cap.52. fol.214 ſcho.1
Ex eodem libro cap.61. fol.216 ſcho.2
Ex eodem libro cap.83. fol.224 ſcho.1
Ex eodem libro cap.103. fol.231.ſcho.1
In ſermone de ſancto Rufino martyre. fol.242.ſcho.4

In ſermone 2 de ſancto Ioanne Apoſtolo,& Euangeliſta. fol.295.ſcho.2
In ſermone de ſancto Nicolao. fol.371.ſcho.2

Bonorũ remunerator Deus Sãctorũ ſuorũ corporibus magnũ honorẽ exhibet.
In ſermone de ſancto Rufino martyre. fol.242.ſcho.4

Sanctorum reliquias venerandas eſſe,ſanctas,beatas,& ſacras dici,necnon eorum res exteras, quæ etiam interdum gratiarum beneficia præſtare ſolent, & inhabitantes dæmones eijcere. Has autem in Eccleſijs ſeruari,antiqua conſuetudo fuit.
In ſermone de paſſione Domini. fol.12. ſcho.2
In ſermone de Sãctorũ,& reliquiarũ honore. fol.33. ſcho.4
Ex Ioanne Climaco. fol.54. ſcho.22
De nece ſanctorum Eremitarum. fol.84. ſcho.1
De infirmitate Abbatis Pauli. fol.89. ſcho.3
In vita ſancti Galli Epiſcopi. fol.134.ſcho.5.9.10
In vita ſancti Gregorij Epiſcopi. fol 137.ſcho.4
In vita ſancti Nicetij Lugdunen.Epiſcopi. fol.138.ſcho.6.7.10.11.13.14.17
In vita ſanctorum Aemiliani,& Brachionis. fol.146.ſcho.3
In vita ſancti Lupicini. fol.147.ſcho.4
In libro 6 hiſtoriarum Gallicanarum cap.7. fol.182.ſcho.1
In libro 7 earundem cap.31. fol.188 ſcho.1.2
In libro 8 earundem cap.15. fol.189.ſcho.1
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.9. fol.201.ſcho.1
Ex eodem libro cap.10. fol 201.ſcho.1
Ex eodem libro cap.84. fol.225.ſcho.2
Ex eodem libro cap.85. fol.225.ſcho.1
Ex eodem libro cap.95. fol 228.ſcho.1
Ex eodem libro cap.102. fol.231.ſcho.1
In ſermone de ſancto Marco Euangeliſta. fol.245 ſcho.6
In ſermone de ſancto Barbatiano. fol.255.ſcho.7
In ſermone de ſancto Hilario. fol.261.ſcho.1.3.5
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol.268.ſcho.36

Non eſſe attendendum cinerem Sanctorum corporum, nec fauillam reliquiarum carnis, oſſa'ue tempore conſumpta, ſed diuinam virtutem, & Spiritus ſancti gratiam in eis radiantem, & coruſcantem.
Ex libro in gloriam Confeſſorum.cap.106. fol.233.ſcho.2
In ſermone de ſancto Rufino martyre. fol 242.ſcho.1.2
In ſermone de ſancto Marco Euangeliſta. fol.245.ſcho.5
In ſermone de ſancto Vitale martyre. fol.258.ſcho.6

Ex Sanctorum memoria,& oſſium illorum tactu ſanctificationem acquiri, atq; ex eorum ſepulchris ciuitates ſanctificari, loca vel minima fuſo illorum ſanguine illuſtrari,& agros præſeruari.
In libro 6 hiſtoriarum Gallicanarum cap.7. fol.182.ſcho.1
In ſermone 2 de ſancto Apollinare. fol.248.ſcho.5
In ſermone de ſancto Vitale martyre. fol.258.ſcho.7.9

Sanctorum ſepulchra,quæ etiam ſacroſancta dicuntur, in veneratione haberi antiquus mos fuit, vbi virtutes magnas interdũ per eos præſtari ſolitas etiam dæmones ipſi vel inuiti fateri compelluntur.
In vita ſancti Venantij Abbatis. fol.151.ſcho.6
In libro 10 hiſtoriarum Gallicanarum cap.28. fol.196.ſcho.6
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.25. fol.206.ſcho.1
Ex eodem libro cap.54. fol.214.ſcho.1

Ex eodem

Ex eodem libro cap.58. fol.215.ſcho.1
Ex eodem libro cap.66. fol.218.ſcho.1
Ex eodem libro cap.71. fol.219.ſcho.2

¶ Peregrinandum ad ea,& ad loca ſancta adorationis cauſa. Et patribus has peregrinationes fuiſſe in vſu.
In vita Abbatis Pynufij. fol.65. ſcho.2
In libro 2 hiſtoriarum Gallicanarum cap.5. fol.170.ſcho.2
In libro 5 earundem cap.37. fol.179.ſcho.1
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.59. fol.215.ſcho.1
In ſermone de ſancto Hilario. fol.261.ſcho.4
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol.268.ſcho.8
In ſermone de ſancto Nicolao. fol.371.ſcho.5

¶ Confugientes ad eorum pignora,& ſepulchra adiuuari, apud quæ etiam mos erat pernoctare.
In vita ſancti Galli Epiſcopi. fol.134.ſcho.10
In vita ſancti Gregorij Epiſcopi. fol.137.ſcho.10
In vita ſancti Nicetij Lugdunen. Epiſcopi. fol.138.ſcho.5. 12
In vita ſancti Patrocli Abbatis. fol.142.ſcho.5
In vita ſancti Martij Abbatis. fol.145.ſcho.6
In vita ſanctæ Monegundis. fol.156.ſcho.12
In libro 8 hiſtoriarum Gallicanarum cap.12. fol.189.ſcho.1
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.4. fol.199 ſcho.2
Ex eodem libro cap.15. fol.203.ſcho.1
Ex eodem libro cap.21. fol.205.ſcho.2
Ex eodem libro cap.24. fol.206.ſcho.3
Ex eodem libro cap 29. fol.207.ſcho.1
Ex eodem libro cap.33. fol.208.ſcho.1
Ex eodem libro cap.41. fol.211.ſcho.1
Ex eodem libro cap.79. fol.222 ſcho.2
Ex eodem libro cap.72. fol.227.ſcho.1
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol.268.ſcho.1. 37

¶ Antiquus Eccleſiæ mos eſt in die paſſionis ſanctorum Martyrum ſolẽnes conuentus apud illos agere, hymnos in honorem eorum canere, & in illorum ſolennitatibus gaudere; necnon templa, & altaria ipſorum diuerſimode exornare, viſitare, variaq́; illic donaria,& vota offerre, ſicut & modò fit.
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.21. fol.205.ſcho.1
In ſermone 2 de ſancto Ioanne Apoſtolo,& Euangeliſta. fol.295.ſcho.10

¶ Solum Deum colimus,& adoramus latriæ adoratione, Sanctos autem, vt veros Dei ſeruos,& amicos veneramur,& diligimus.
In ſermone de Sanctorum, & reliquiarum honore. fol.33. ſcho.1. 8
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.2. fol.199 ſcho.1
Ex eodem libro cap.45. fol.212.ſcho.1

¶ Sancti, dij, domini,& reges rectè dici poſſunt.
In ſermone de Sanctorum,& reliquiarum honore. fol.33 ſcho.2

¶ Sanctis non eſſe detrahendum, non nocendum, eorum feſta non contemnenda, nec eorum ſepulchra, oſſa, cineres, vel reliquias ab immundis, & facinoroſis tangenda. Non eſſe res, vel bona eorum auferenda, nec illorum miniſtros iniuria afficiendos. Non peierandum, non fornicandum in eorum Eccleſijs, aut monaſterijs, vel ante illorũ ſepulchra; quoniã ſeuerè hæc omnia caſtigantur.
In vita ſancti Nicetij Lugdunen. Epiſcopi. fol.138.ſcho 4
In libro 8 hiſtoriarum Gallicanarum cap.16. fol.191.ſcho.1

* * * *

Ex libro In gloriam Confeſſorum cap.67. fol.218 ſcho.1
Ex eodem libro cap.79. fol.222.ſcho.1
Ex eodem libro cap.81. fol.223 ſcho.3
Ex eodem libro cap.93. fol.228 ſcho.2
Ex eodem libro cap.94. fol.228.ſcho.1
In ſermone de ſancto Rufino martyre. fol.242.ſcho.10.12
Sancti in virtute Dei miracula faciunt,& ſanitates conferunt.
In ſermone de Sanctorum,& reliquiarum honore. fol.33.ſcho.6
In vita ſancti Quintiani Epiſcopi. fol.132 ſcho.4
In ſermone de ſancto Barbatiano. fol.255.ſcho.2
In ſermone de ſancto Victore. fol.314.ſcho.4
Antiquus mos fuit, vt in ſolemnitatibus Sanctorum, eorum vitæ in Eccleſia legerentur.
In ſermone de ſancto Fidele martyre. fol.253.ſcho.8

IMAGINES.

Crucis ſignaculum murũ eſſe inexpugnabilem, ac miræ virtutis; & antiquitus Crucem in omnibus materijs pingi, inſculpi, atq; adorari ſolitam.
In ſermone de paſſione Domini. fol.12. ſcho.4
In ſermone ſanctæ Crucis. fol 30.ſcho.2.3.4
In vita ſancti Patrocli Abbatis. fol.142.ſcho.4
In libro 5 hiſtoriarum Gallicanarum cap.19. fol.178.ſcho.1
In ſermone de ſancto Caſſiano martyre. fol.373.ſcho.2.3.5
Adorare Crucem,& alia plurima, eſt traditio non ſcripta.
In ſermone ſanctæ Crucis. fol.30.ſcho.2.3
In ſermone de adoratione imaginum. fol.34 ſcho.6
In ſermone de inuentione ſanctæ Crucis. fol.316.ſcho.3
Imaginum vſum in Eccleſia bonum eſſe,& antiquum.
In paſſione imaginis D.N.Ieſu Chriſti. fol.1.ſcho.1
In ſermone de Sanctorum,& reliquiarum honore. fol.33.ſcho.8
In ſermone de adoratione imaginum. fol.34.ſcho.7
In vita ſanctorum Aemiliani, & Brachionis. fol.146.ſcho.2
Imagines venerandas eſſe recurrendo mente ad prototypum, ideſt imaginatum. Et qui illas contempſerunt, acriter quandoq; puniti ſunt.
In ſermone de adoratione imaginum. fol.34.ſcho.2.3
Genuflectere ante imagines orando eos, quos repræſentant, opus eſſe bonum, ac pium, ſimiliterq; luminaria ante ipſos accendere. Et per eas Deum ingentia quandoq; operatum fuiſſe miracula.
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol.268.ſcho.13
Inuentæ ſunt imagines ad promptitudinem memoriæ. Et procidentes adoramus non materiam, ſed imagine repræſentatum.
In ſermone de adoratione imaginum. fol.34.ſcho.1.5
In antiquo teſtamento tritus non fuit imaginum vſus, quia diuinitas non poterat figurari; ſecus in nouo.
In ſermone de adoratione imaginum. fol.34.ſcho 4

PVRGATORIVM.

Eſſe locum Purgatorium, in quo poſt mortẽ animæ luant pœnas peccatorum.
In ſermone 2 de ſancto Andreæ Apoſtolo. fol.369.ſcho.4
In ſermone de ſancto Nicolao. fol.371.ſcho.8
Opera viuorum,& orationes proſunt animabus defunctorum.

Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.5. fol.200.ſcho.8
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol.268.ſcho.30
In ſermone de ſancto Nicolao. fol.371.ſcho.9
In Epiſtola de quibuſdam miraculis. fol.375.ſcho.7

VOTA.

¶ Vota etiam ſub conditione: Si Deus mihi talem gratiam fecerit, hoc, vel illud agã: antiquis patribus fuiſſe in vſu; & poſt emiſſionẽ ab illis fuiſſe impleta.
In oratione Natiuitatis Domini. fol.5.ſcho.8
In vita ſancti Illidij Epiſcopi. fol.129.ſcho.4
In vita ſancti Nicetij Lugdunen. Epiſcopi. fol.138.ſcho.15
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.41. fol.211.ſcho.2
Ex eodem libro cap.82. fol.224.ſcho.3
In ſermone 2 dedicationis Eccleſiæ. fol.361.ſcho.5
¶ Vota antiquis patribus fuiſſe in vſu, & poſt emiſſionem ab illis fuiſſe impleta.
In ſermone 2 dedicationis Eccleſiæ. fol.361.ſcho.2.3.4.6

COELIBATVS.

¶ Virginitatem ſeruare non eſſe impoſſibile, auxiliante Dei gratia, quæ volentibus nunquam deeſt. Et hoc inſtitutum ex Dei Genitrice in nouo teſtamento proceſſiſſe.
De caſtitate Abbatis Sereni. fol.87 ſcho.1
In vita ſancti Dominici lorlcati. fol.264.ſcho.1
In ſermone 1 de ſancto Ioanne Apoſtolo, & Euangeliſta. fol.291.ſcho.6
¶ Virginitatis commendatio; & ſtatum eius eſſe valde Deo charum; & qui illam ſeruant, templum Dei effici, & vas ſanctificatum.
In ſermone de virginitatis excellentia. fol.29.ſcho.3
In ſermonibus de S. Ioãne Apoſtolo, & Euangeliſta, fol.291.295. ſcho.5.8.16
¶ Peccatum eſſe maximum Deo ſacratas Virgines nuptiali toro violare, ſeu fornicationibus profanare; ſimiliter & profeſſos monachos.
In oratione Natiuitatis Domini. fol.5.ſcho.4
De fratre, qui cateruas dæmonum vidit. fol.90.ſcho.2
In libro 1 hiſtoriarum Gallicanarum cap.42. fol.166.ſcho.1
¶ Dominus Ieſus Chriſtus virginitatem rem optimam, & perfectam eſſe in ſeipſo demonſtrauit.
In ſermone de virginitatis excellentia. fol.29.ſcho.6
In ſermone 1 de ſancto Ioanne Apoſtolo, & Euangeliſta. fol.291.ſcho.3
¶ Virginitas nobilior, & ſublimior viduitate, & coniugio; & per eius obſeruantiam meremur æternam beatitudinem.
In ſermone de virginitatis excellentia. fol.29 ſcho.4.5.7
De nocturnis illuſionibus. fol.121.ſcho.3
¶ Virginitas etiam in ſanctis veteris Teſtamenti reperitur.
In oratione Natalis Domini. fol.5.ſcho.6
In ſermone de virginitatis excellentia. fol.29 ſcho.2
In vita Abbatis Theonæ. fol.115.ſcho.2
¶ Adeò placuit Omnipotẽti Deo Virginitas, vt vnigenitus eius Filius, nulla præeunte virili commixtione, ex ſacratiſſima Maria ſine virginitatis corruptione ortus ſit.
In ſermone corporis D.N. Ieſu Chriſti. fol.31.ſcho.3
In ſermone de Annunciatione Virginis. fol.304.ſcho.2
In ſermone 1 de ſancto Ioanne Apoſtolo, & Euangeliſta. fol.291.ſcho.4

TEMPLORVM CVLTVS.

Templa magnifica,& monaſteria antiqui Principes,Epiſcopi,ac populi in honorem Dei ædificabãt;& illud primum erat Chriſtianæ fidei indicium. Quæ etiam diuerſis donis,territorijs,& poſſeſſionibus ditabant. Vnde eſt opus Deo gratum,& acceptum;non autem malum,vt hæretici mentiuntur.

In libro 1 hiſtoriarum Gallicanarum cap.36. fol.164.ſcho.2
In libro 2 earundem cap.14. fol.172.ſcho.1
In libro 6 earundem cap.20. fol.184 ſcho.1
In libro 10 earundem cap.28. fol.196.ſcho.3
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.63. fol.217.ſcho.2
In ſermone de ſancto Martino. fol.364.ſcho.2
In tractatu de contemptu ſeculi. fol.380.ſcho.4

In nomine Sanctorum, atq; Angelorum, antiquitus ædificabantur Eccleſiæ, atq; altaria,& in eorum honorem conſecrabantur.

In ſermone de Sanctorum,& reliquiarum honore. fol.33.ſcho.8
In libro 10 hiſtoriarum Gallicanarum cap.28. fol.196.ſcho.3
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.72. fol.220.ſcho.1
In ſermone de ſancto Ruſino martyre. fol.242.ſcho.8
In ſermone de ſancto Martino. fol.364.ſcho.3

Eccleſiam non tantùm pro auditione verbi Dei,& ſacramentorum perceptione,ſed etiam pro loco orationis fuiſſe inſtitutam,atq; ad adorandum Deum.

In vita ſancti Venantij Abbatis. fol.151.ſcho.3
In libro 2 hiſtoriarum Gallicanarum cap.7. fol.171.ſcho.2

Candelabra,Cruces,calices,patenæ,thuribula,clericorum indumenta, & alia omnia ſacra vaſa, etiam aurea, & argentea, cæteraq; ornamenta, quibus in Eccleſijs Deo decẽter deſeruitur,ei placere,& grata eſſe. Et qui his abuſi ſunt, & vi, vel furto ſubtraxere,grauiter punitos eſſe.

Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.63. fol.218 ſcho.3
Ex eodem libro cap.71. fol.219.ſcho.3

Placere Deo,quòd Sanctorum baſilicæ inſtituantur hæredes defunctorum.

In libro 10 hiſtoriarum Gallicanarum cap.28. fol.196.ſcho.7
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.65. fol.218.ſcho.1

MORS, ET MORTVI.

Defunctorum animæ vigilijs, pſalmis, orationibus, eleemoſynisq; viuorum adiuuantur,necnon ſalutaris victimæ oblatione.

Ex Ioanne Climaco. fol.46.ſcho.1 2

Conſuetudo lauandi corpora defunctorum ſtatim poſt mortem, & ea induendi,necnon religioſè curandi,eſt antiqua.

In libro 2 hiſtoriarum Gallicanarum cap.5. fol.170.ſcho.4
In libro 4 earundem cap.5. fol.178.ſcho.1
In libro 6 earundem cap.29. fol.184 ſcho.1
In libro 7 earundem cap.1. fol.188.ſcho.2
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.42. fol.211.ſcho.1
Ex eodem libro cap.75. fol.221.ſcho.3
Ex eodem libro cap.81. fol.223.ſcho.2
Ex eodem libro cap.104. fol.231.ſcho.1

SEPVLTVRA.

Sepulturam curandam eſſe,& non negligendam;& par eſſe,vt viri Deo dicati

magnificam eam,& glorioſam habeant.
In vita ſancti Lupicini. fol.147.ſcho.6
In vita ſancti Martij Abbatis. fol.148.ſcho.5
In libro 2 hiſtoriarum Gallicanarum cap.5. fol.170.ſcho.3
In libro 4 earundem cap.19. fol.178.ſcho.1
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.99. fol.230.ſcho.1
In ſermone de ſancto Vitale martyre. fol.258.ſcho.14
¶ Chriſtiana traditio eſt,hymnos,& pſalmos in defunctorum fidelium ſepultura decantare,& tumulos ſuper eorum corpora componere.
In vita ſancti Galli Epiſcopi. fol.134.ſcho.8
In vita ſancti Lupicini. fol.147.ſcho.5
¶ De more Catholicæ Eccleſiæ eſſe Chriſtianorum corpora cum ſacerdotibus, & clericis,atque populi frequentia tumulari,necnon cum crucibus, ac lampadibus,& cereis,odoramentorumque ſuauitate,atque apud ſanctorum oratoria.
In vita ſancti Galli Epiſcopi. fol.134.ſcho.8
In vita ſancti Lupicini. fol.147.ſcho.5
¶ Anniuerſaria mortuorum, quadragenaria, tricenaria, & ſeptenaria antiquis fuiſſe in vſu.
De patientia cuiuſdam fratris. fol.109.ſcho.1
¶ Sacra cœmeteria,vbi defunctorum Chriſtianorum corpora ſepeliuntur,placere Deo,vnde eius reuelatione quandoque fuerunt deſignata;& eorum vſum eſſe antiquiſſimum.
Ex Ioanne Climaco. fol.49. ſcho.15
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.106. fol.232.ſcho.1

MONACHATVS.

¶ Monachiſmum non eſſe nouum,ſed antiquiſſimum inſtitutum.
De tribus generibus Monachorum. fol.104.ſcho.1.2
In ſermone de ſancto Marco Euangeliſta. fol.245.ſcho.2
In tractatu de contemptu ſeculi. fol.380.ſcho.1
¶ Monachorum commendatio à ſanctis.
Ex Ioanne Climaco. fol.37.38.43.ſcho.2.3 8
¶ Etiam tempore Hieronymi,& ante,fuiſſe monaſteria Virginum.
De infirmitate Abbatis Pauli. fol.89.ſcho.2
¶ Ante pubertatis annos antiquitus reperiuntur quidam Religioni adacti.
In vita ſancti Galli Epiſcopi. fol.134.ſcho.1
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol.268.ſcho.27
¶ Monachatus,& Virginitas ſtatus magis propinqui ſunt, & via compendioſa, ac facilis,per quã in hoc corpore quis Angelicã ducere poteſt cõuerſationem.
In ſermone de ſancto Marco Euangeliſta. fol.245.ſcho.4
¶ Antiqui monachi veram beatitudinem in cultura Dei,& legum eius obſeruatione conſtituebant. Et eorum propoſitum erat modis omnibus ſe ipſos mundo crucifigere,ac vitiorum concupiſcentias radicitus de animo euellere.
In ſermone ad Monachos de ſanctis quibuſdam,& cæt. fol.18. ſcho.2
Ex Ioanne Climaco. fol.50.ſcho.16
In vita Abbatis Pynufij. fol.66.ſcho.3
De tribus generibus Monachorum. fol.105.ſcho.5
In ſermone 1 dedicationis Eccleſiæ. fol.359.ſcho.11
¶ Etiam antiqui Monachi habuerunt regulas,& conſtitutiones.
In vita Abbatis Pynufij. fol.67.ſcho.6
De rudibus Monachis erudiendis. fol.103.ſcho.1

In libro 7 hiſtoriarum Gallicanarum cap.1. fol.187.ſcho.1
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.38. fol.210 ſcho.1
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol.268.ſcho.6

¶ Monachi ſeruabant obedientiam, perpetuum cœlibatum, abſtinentiam cum ciborum delectu, moderationem, humilitatem, longa ieiunia, humi cubitationes, & varias corporis afflictiones.
Ex Ioanne Climaco. fol.39.44.ſcho.4.9.10
In vita Abbatis Ioannis in lico. fol.62.63.ſcho.1.2.3
In vita Abbatis Mutij. fol.63.ſcho.1
In vita fratris, qui ſportas, & cæt. fol.64.ſcho.1
In vita Abbatis Pynufij. fol.65.ſcho.1
In ſententia Abbatis Macharij. fol.74.ſcho.1
In vita Abbatis Paphnutij. fol.108.ſcho.1
De rudibus Monachis erudiendis. fol.103.ſcho.2
De tribus generibus Monachorum. fol.104.ſcho.1
In vita ſanctorum Lupicini, & Romani. fol.127.ſcho.5.7

¶ Paupertatem Euangelicam eſſe rerum omnium actualem, & volūtariam, non autem inuitam deſertionem. Et hanc antiqui monachi ita profitebantur, vt nihil in priuato haberent proprij.
Ex Ioanne Climaco. fol.39.ſcho.5
De tribus generibus Monachorum. fol.105.ſcho.3
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.107. fol.234.ſcho.1
In ſermone de ſancto Georgio martyre. fol.240.ſcho.1
In ſermone de ſancto Benedicto. fol.302.ſcho.1
In tractatu de contemptu ſeculi. fol.380.ſcho.3.5

¶ Vtebantur monachi antiquitus veſtimentorum vilitate, & aſperitate, & vt in pluribus cilicio. Nam vilitas veſtis ſignum eſt mundi contemptus. Et qui monachus fiebat, tondebatur, & nouum induebat habitum. Et de cuculla.
Ex Ioanne Climaco. fol.42.ſcho.7
De rudibus Monachis erudiendis. fol.103.ſcho.2
In vita ſancti Venantij Abbatis. fol.151.ſcho.2
In libro 6 hiſtoriarum Gallicanarum cap.6. fol.182.ſcho.4
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol.268.ſcho.5

¶ Pſalmodiæ vſus, hymnorum, & cantus antiquis monachis frequentiſſima, tam in die, quàm in nocte.
De fratre, qui cateruas dæmonum vidit. fol.90.ſcho.1
In vita ſanctorum Lupicini, & Romani. fol.127.ſcho.9

¶ Vtebantur etiam frequentibus lectionibus, orationibus, meditationibus, lachrymarum effuſionibus, vigilijs, ſilentio, ſeceſſione, & cella perpetua.
In ſermone ad Monachos de ſanctis quibuſdam, & cæt. fol.18.ſcho 1
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol.268.ſcho.12

¶ Operabantur manibus antiqui monachi, atq; ex labore & ipſi viuebant, & qui ad eos propter Deū veniebant; multas etiā pauperibus eleemoſynas dabant.
De Abbate Symeone. fol.73.ſcho.1
De Abbate Paulo. fol.74.ſcho.1
De tribus generibus Monachorum. fol.105.ſcho.4
In reſponſione ſancti Antonij. fol.123.ſcho.1
In vita ſanctorum Lupicini, & Romani. fol.127.ſcho.4
In vita ſanctorum Vrſi, & Leubatij. fol.155.ſcho.1
In vita ſancti Romualdi Abbatis. fol.268.ſcho.19.

¶ Non debere Monachum à Religione deficere, & inſtitutum ſuum deſerere.

Ex Ioanne Climaco. fol.52.ſcho.19
In vita Abbatis Pynufij. fol.66.ſcho.4
In vita Abbatis Archebij. fol.73 ſcho.1
In vita ſanctorum Lupicini,& Romani. fol.127.ſcho.5
In Epiſtola de quibuſdam miraculis. fol.375.ſcho.15

HAERETICI.

Accurata, ſcilicet impia, hæreticorum dogmata euitanda.
In ſermone 1 de ſancto Andrea Apoſtolo. fol.367.ſcho.4.5
Non eſſe cum hæreticis communicandum, ſed ab eis fugiendum. Immò nec vocabula cum eis habere communia debemus.
In ſermone de ſanctiſſima Virgine Maria. fol.27.ſcho.5
Hæretici noſtri temporis ſemper inter fœminas viuũt, præcipuè verò illorum ſacerdotes.
In oratione Natalis Domini. fol.5.ſcho.5
De infirmitate Abbatis Pauli. fol.88.ſcho.1
In vita ſanctorum Lupicini,& Romani. fol.127.ſcho.6
Hæretici nullas pati volunt tribulationes, nullos labores ſuſtinere, vt Regnum cœlorum acquirant, nec crucem ſuam tollere,& poſt Dominum Saluatorem ire, tantùm fidei illi ſuæ inani confidentes.
In vita Abbatis Pynufij. fol.67.ſcho.5
De caſtitate Abbatis Sereni. fol.87.ſcho.2
In ſermone 3 de ſancto Apollinare. fol.251.ſcho.10
In ſermone de ſancto Barbatiano. fol.255.ſcho.10
In ſermone de ſancto Caſſiano martyre. fol.373.ſcho.6
Hæreticorum eſt fallere, inſidiari, & mentiri.
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.13. fol.202 ſcho.1
In ſermone de ſancto Seuero Epiſcopo. fol.307.ſcho.3
Miracula quandoq; facit Deus ad confundendos hæreticos,& confirmandos fideles.
Ex libro in gloriam Confeſſorum cap.14. fol.202.ſcho.1

FINIS TABVLAE SCHOLIORVM.

OCTAVI
TOMI
PARS
PRIMA

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS BERGOMENSIS

CANDIDO LECTORI.

NON ſumus auſi ſuperioribus Tomis vitarum ſanctorum, libellum hunc, qui ſequitur, de paſsione Imaginis Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ ei in ciuitate Syriæ Beryto illata eſt, à magno patre illo Athanaſio Alexandrinæ Eccleſiæ Patriarcha conſcriptum, inſerere, eò quòd quaſi apocryphum illum, hoc eſt, non ab Athanaſio, ſed ab aliquo alio ſub eius nomine, vt fit plerunq; confictum cenſebamus. At cùm Synodum ſeptimam, ſingulaq; illius geſta percurrerem, Actione Quarta inueni librum hunc ſub viri illius nomine in medium adduci, atq; hanc eandem hiſtoriam pro imaginum cultu in memoriam reuocari. Tantorum itaq; patrum auctoritate motus, ſententiam illico mutaui, librumq; pro vero, & authentico deinceps habere meritò compulſus ſum. Proinde & primum eidem locum in octauo hoc noſtro Tomo lubentiſsimè aſsignaui. Quid enim illud, obſecro, eſt, in quo magnus Athanaſius non primas obtineat? Nam ſi te ad Epiſcopos vertas, ſiue ad ſacerdotium mirabiliter euocatos homines ſpectes, ſi ſacrorum librorum ſcriptores euoluas, vel catholicæ fidei robuſtiſsimos defenſores requiras, non'ne Athanaſius is eſt, qui primus tibi ſemper occurrit? Iure ergo, ac meritò is huic noſtro octauo Tomo principium dabit. Peruenit deinde ad manus noſtras diui Gregorij Nyſſeni magni Baſilij fratris de Natiuitate Domini luculentiſsima oratio, non indigna & ipſa prorſus quæ libri initium exornaret. Eam igitur poſt libellum Imaginis ſecundo loco leges. Quæ poſt hæc ſubnectuntur, qualia ſint, affixa ſingulis epiſtola noſtra ſignificabit. Vale.

INCIPIT LIBEL-
LVS ATHANASII EPISCO-
PI ALEXANDRINAE VRBIS
DE PASSIONE IMAGINIS
DOMINI NOSTRI IE-
SV CHRISTI,
QVALITER
CRVCIFIXA EST IN SYRIA, IN VR-
BE BERYTO, QVI CITATVR IN SE-
PTIMA SYNODO, SECVNDA NI-
CENA, ACTIONE QVARTA,
SVB CONSTANTINO IV-
NIORE, ET IRENE
EIVS MATRE CE-
LEBRATA.

DILECTISSIMI filij ſanctæ Eccleſiæ, mentis veſtræ oculos, ſimul & aures erigite, & conſiderantes admiremini rem geſtam, quam ad veſtram ſcientiam transmittere cupimus. Cernite cuncti infinita Dei omnipotentis mirabilia, & ei laudes inceſſabiles reddite per ſecula. Contemplemini eius ineffabilem per cunctas generationes benignitatis magnitudinem, multis modis hice clariorem, ſuper humanum genus reſplenduiſſe ſemper. Conſiderate ſublime diſpenſationis eius myſterium, & ideo ex nimia eius pietate permoti aſſumite planctum, lachrymasq́ amaras proferre mementote, ac ſingultus ſuper tale miraculum in noſtra generatione patratum, quod omnibus ſeculis eſt mandandum. Deo quippe nihil impoſsibile, ſed etiam nec aliquid eſt difficile. Nam ſuper ea, quæ ipſe modernis dignatus eſt patrare temporibus, omne cor obſtupuit, audientium fugit viſus, hebetatus eſt auditus. Sicut enim in paſsione vnigeniti ipſius expauit cœlum, radij quoq; Solis obtenebrati ſunt, quinetiam terræmotus ſuo horrendo ſonitu abyſsi fundamenta validè exterruit, & mortuos plurimos, quos abyſſus ipſe tenebat, eructare fecit viuificatos, ita & nunc ſecundò eadem ſigna pariter ſunt innouata. Igitur audientes intelligite, intelligentes obſtu-

peſcite, & ea quæ vobis intimare curamus, plena fide, & aure intenta cordis percipite. Eſt autem huiuſmodi ſeries narrationis.

CAP. I.

EST quædam ciuitas in Syria, inter terminos Tyri, & Sidonis poſita, Berytus vocata, Antiochiæ olim ſubdita. In hac vrbe innumerabilis multitudo erat Hebræorum, cùm eo tempore ciuitas illa metropolitanam obtineret dignitatem. Accidit autem, vt iuxta ſynagogam Hebræorum, quæ magna valde habebatur, quidam Chriſticola à quodam ſuſcepiſſet cellulam, cenſumq́; ei ex ea redderet; in qua dum ingreſſus eſſet ad habitandum, iconam 1 Domini noſtri Ieſu Chriſti, quam apud ſe habebat, fixit in pariete contra lectuli ſui faciem, quæ etiam continebat in ſe integram Domini ſtaturam. Euoluto deniq; non paruo temporis ſpatio, iam prælibatus Deicola perquirere ſtuduit in alio loco eiuſdem vrbis magis ſpatioſam domum ad habitandum. Quam cùm reperiſſet, tollens cuncta, quæ ad ſe pertinere videbantur, egreſſus eſt de cellula. Domini autem prouidentia id agente, Ieſu Chriſti Domini noſtri iconam ibi neglectam reliquit. Hoc autem Domini occulto peractum eſt conſilio, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, vt oſtenderet cunctis ſe colentibus ſuorum miraculorum virtutem, ad increpationem impiorum, firmamentum verò ſuorum fidelium.

1 Vides antiquiſsimũ vſum imaginum in Eccleſia?

Factum eſt autem poſt hæc, vt Hebræus quidam eandem cellulam ſuſciperet ad habitandum. Quam ingreſſus cum ſuis omnibus cœpit habitare in ea, minimè contemplatus locum illum, qui Dominicam iconam apud ſe retinebat abſconditam. Die verò quodam idem Hebræus de ſuis contubernalibus inuitauit vnum ad prandium. Epulantibus illis, eleuauit Hebræus, qui inuitatus fuerat, oculos, & vidit in interiori loco illius cellulæ iconam Dominicam parieti connexam. Tunc vehementi furore exardeſcens, cœpit fremere dentibus aduerſus eum, qui ipſum conuocauerat dicens: Tu Hebræus cùm ſis, quomodo apud te Ieſu illius Nazareni iconam habes repoſitam? Conuitia quoq; & opprobria tanta aduerſus Dominum Saluatorem emiſit, quanta nec aures fidelium ſufferre poſſunt, nec nos ſcriptis tradere præſumimus, ob iniuriam noſtri Redemptoris. Iudæus verò, qui illum maleuolum conuocauerat ad prandium, ſatisfacere illi cupiens, ſacramentis terribilibus profitebatur, ſe nunquam illam, quam præmonſtrabat, vidiſſe iconam. Ad hæc qui inuitatus fuerat ſiluit.

Finito autem conuiuio abſceſsit, & abijt ad ſummos ſacerdotes, & principes, & dixit eis: Notum vobis ſit, quoniam Hebræus ille talis Ieſu Nazareni iconam apud ſe retinet clanculo. At illi hæc audientes dixerunt ad eum: Nunquid poſſunt vera eſſe quæ aſſeris? Non credimus, niſi demonſtraueris. Ipſe verò affirmabat, quòd eam in domo illius demonſtraret. Hæc illi audientes maximam in iram deciderunt. Sed die illo, quia iam hora incumbebat veſpertina, ſiluerunt. Mane verò facto, ſummi ſacerdotes, principes, & maiores natu plebis Iudæorum, aſſumentes ſecum illum, qui ſocium accuſauerat, ad domum ipſius velociter feſtinauerunt. Videntes autem vera eſſe quæ dicta fuerant, facto impetu cum eo, qui hæc teſtificauerat, irruerunt in illum, multiſq; contumelijs, ac varijs cruciatibus affectum, extra ſynagogam ſemiuiuum proiecerunt.

CAP. II.

DEPONENTES autem Domini noſtri Ieſu Chriſti iconam in terra, dixerunt adinuicem: Quoniam aures noſtras tetigit non exigua opinio, quòd Ieſum Nazarenum patres noſtri diuerſis modis illuſerunt, ita & nos huic faciamus. Tunc cœperunt ſpuere in faciem imaginis Domini Saluatoris noſtri, & percutiebant eam alapis, inde dicentes: Quanta Ieſu Galilæo noſtri genitores fecerunt, eadem & nos huic eius imagini faciamus. Innumerabilibus itaq; illuſionibus Dominicam illuſerunt iconam. Iterum dicunt: In eius paſsione ſcriptum eſſe agnoſcimus, quòd eius pedes, & manus in Cruce confixæ ſunt; nos verò quamuis moderniores tempore, nil prætermittentes, addamus & hæc. Tunc crucifigentes iconam Dominicam clauos acutiſsimos adhibuerunt in manibus, & pedibus ipſius imaginis. Poſt hæc permoti magis ac magis fellis amaritudine dicunt inter ſe: Audiuimus quòd patres noſtri Ieſu Galilæo acetum, & fel in potum cum ſpongia præbuerunt, hoc & huic faciamus. Quod & ſic fecerunt, apponentes ad os ſanctæ iconæ noſtri Redemptoris acetum cum felle mixtum.

Nec ſic itaque cordis ſui malitiam refrenantes, iterum dicunt: Didicimus quòd noſtri maiores coronã contextam de ſpinis capiti illius Crucifixi circumponebant, poſtmodum arundine percutiebant inſultantes ei; & nos igitur nihil poſtponentes, idipſum faciamus. Cùm'que coronam ſpineam capiti illius circumpoſuiſſent, accipientes arundinem, percutiebant caput imaginis illius, qui caput eſt omnium ſanctorum. Ad extremum verò, cùm inſaniam ſuæ mentis tolerare non poſſent, dixerunt: Sicut veraciter didicimus, patres noſtri latus Ieſu lancea aperuerũt; nos verò ne aliquid minus feciſſe videamur, & hoc ipſum adijciamus. Nullam ad hæc moram mediam fecerunt, & afferri lanceam iuſſerunt, & præceperunt cuidam Hebræo tollere eam, & valido ictu latus dextrum iconæ illius transfodere. Cùm'q; tam maximum facinus fuiſſet perpetratum, res mira, & vehementer ſtupenda, nullo'q; vnquam ſeculo audita, ibi repente eſt effecta. Nam ipſius vulneris locus aqua, & ſanguine illico cœpit decurrere. Et ſicut in paſsione Dei filij Saluatoris mundi olim contigit cœlum expauiſſe, ita nunc quoq;, pariter Deo præſtante, eadem innouantur. Verè enim in hoc facto non ſolùm elementa mundi concuti potuere, ſed etiam virtutes ſupernæ tale facinus exhorruere.

Tibi ergo, Chriſte, cum Patre, Spiritu'q; ſancto ſit gloria indeficiens. Quis enim eſt ſicut tu, Domine; & quis eſt Deus faciens mirabilia ſigna, & terribilia, & obſtupeſcenda in cœlo, & in terra? O' admirabilis mediator Dei & hominum, homouſion, mundi redemptor, ac ſaluator, totius bonitatis, & pietatis fons, & origo. O' quantus es, Domine Ieſu, in humilitate, qui cùm eſſes Deus, morticinum noſtræ carnis ſuſcipiendo, homo fieri dignatus es pro ſalute generis humani; quem impij, & crudeles paulominus ab Angelis minoratum cernentes, horribili morte plectere non erubuerunt. O' quam magnus es, noſter Saluator, in patientia, qui in tempore tuæ traditionis, tuo proditori ad te venienti oſculum præbere non renuiſti, & ſeruo Malcho Apoſtoli gladio abſciſſam auriculam redintegraſti, quando ad paſsionis victimam velut ouis manſueta ducebaris. O' quantus es in miſericordia, Chriſte, ſpes vnica mundi; qui cùm in Cruce teipſum hoſtiam Deo patri exhibuiſſes ſanctam, & immaculatam, pro tuis crucifixoribus veniam poſtulaſti, dicendo ad patrem: Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Tunc quidem pro noſtra ſalute inenarratus,

in eadem carne, quam ex Virgine ſancta, & immaculata aſſumpſeras, mortem pertuliſti crudelem. Et qui eras in ſubſtantia cum Patre, ſanctoq; Spiritu vnus & impaſsibilis exiſtens, & inuiſibilis, condoluiſti humanam perire naturam. Et ideo in hanc lachrymarum vallem deſcendens, pro noſtris erroribus, & piaculis, formam ſeruilem ſuſcepiſti, in qua te permiſiſti ab iniquis teneri, & flagellari, ad vltimum verò crucifigi. Nunc autem in ſancta imagine tua crucifigeris, Domine, iterum, ad confuſionem impiorum omnium infidelium, & ad corroborationem omnium in te credentium. Et ideo tibi omnipotenti Deo vnà cum Patre, Spirituq; ſancto gloria ſit per cuncta ſeculorum ſecula, decus, & fortitudo, virtus, atq; victoria. Amen.

CAP. III.

AVdite, omnes Eccleſiæ filij, cætera, quæ poſtmodum facta ſunt; ipſius enim myſterij fuit diſpenſatio. Poſtquam enim, vt ſuperius dictum eſt, latus ſanctæ imaginis illius lanceâ apertum eſt, continuò exiuit ſanguis, & aqua. Dixerunt autem principes ſacerdotum: Afferatur vas ad locum vulneris, & videamus exitum rei. Qui illico detulerunt hydriam, & ad locum vulneris, vnde ſanguis, & aqua decurrebant, ſtatuerunt. Quæ abſq; vlla mora ſubitò repleta eſt. Dixerunt autem ad inuicem: Quoniam ſuſurrant Christum colentes, quòd ſigna, & mirabilia multa inaudita fecerit in mundo, quæ nemo alius potuit agere, accipiamus hunc ſanguinem, & aquam hanc, & deferamus ad noſtram ſynagogam, & congregemus vniuerſos, qui ſe malè habent, & ex hoc perungamus eos, & ſi vera ſunt ea, quæ de Chriſto dicuntur, continuò ſanabuntur, ſin aliàs, ludibrio habeantur à nobis cuncta, quæ à ſuis ſequacibus aſtruuntur de eo. Hæc dicentes, hydriam deferunt ad ſynagogam, æſtimantes ſe Chriſto Ieſu Domino noſtro æterni Regis filio maximam inferre poſſe iniuriam.

Congregauerunt igitur quoſcunq; repererunt languidos, & in conſpectu cunctorum Hebræorum introducti ſunt in ſynagogam, inter quos quidam prouectæ ætatis erat homo, quem à natiuitate ſua grauiſsima poſſederat corporis moleſtia, quæ Græca locutione paralyſis, Latina verò diſſolutio membrorum dicitur. Hic dum primùm ab eis fuiſſet perunctus, repente de ſuo grabato quaſi ceruus exiliens, ad laudem filij Dei incolumis redditus ad propria remeauit. Deinde adducentes cæcos nonnullos, loca eorum luminum perungere ſtuduerunt. Qui & ipſi ſtatim in Ieſu Chriſti nomine diſcuſſa cæcitate, poſt multos annos lumen amiſſum recipere meruerunt. Aegrotantes autem plurimi ad hoc ſpectaculum ſunt adducti. Cùmq; & illi fuiſſent peruncti, mirabili Dei virtute vndiq; perfuſi, ſenſu redintegrato priſtino, ad propria dum reuertuntur ſaniſsimi, laudes Dei omnipotentis filio Ieſu Chriſto Domino Saluatori noſtro perſoluuntur ab omni populo. Tumultus autem exortus eſt magnus, per totam eandem vrbem concurrentibus omnibus, propter innumerabilia, quæ fiebant, miracula. Et quicunq; varijs languoribus infirmos poſſeſſos habebant apud ſe, illuc eos deducentes perungebant, & ſtatim ſanitatem, quam deſiderabant, conſequebantur. Omnes autem, ad quoſcunq; peruenire potuit fama, afferentes infirmos, quos ipſi habebant in domibus, paralyticos, cæcos, claudos, ſurdos, mutos, & leproſos, ſiue aridos, deducebant eos ad ſynagogam Iudæorum, vbi hæc fiebant ſigna diuinitus. Sed quamuis maxima eſſet hæc

eadem ſynagoga, nequaquã tamen recipere poterat ſuperuenientium multitudinem. Inſuitæ enim erant populorum cateruæ, quæ vndique illuc confluebant propter innumerabilia miracula, & prodigia, quæ pro ſua nimia multitudine ne faſtidium generent, transgrediendo prætermittuntur.

Omnes autem principes ſacerdotum, & ſeniores, & omnis turba Iudæorum paruulorum, ac maiorum, & mulierum, videntes quæ facta fuerant, crediderunt in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quem vt Eſaiæ vaticinium cecinit, virgo concepit, & virgo peperit, ac poſt partum virgo permanſit, & dicebant: Gloria ſit tibi, Chriſte, quem patres noſtri verum Deum, & verum hominem in Cruce morte horribili afficere non metuerunt. Qui nunc etiam à nobis iterum paſſus es te in imagine tua Cruci affigi. Gloria ſit tibi, Chriſte filii Dei, qui tanta mirabilia nobis miſeris demonſtraſti. Tibi credimus, tu nobis eſto propitius, & nos ſuſcipere dignare, quia ex toto corde, & tota anima, atq; virtute ad te confugimus. Hæc, & his ſimilia clamantes dicebant, lachrymas autem amaras emittebant, & ſingultus.

CAP. IIII.

POſtquam autem curati ſunt cuncti, qui ægritudine detinebantur, cucurrit omnis multitudo Iudæorum ad domum ſanctæ Eccleſiæ, quæ in eadem vrbe erat, vbi & Metropolitanum inuenerunt: Cuius prouoluti veſtigijs, ſe peccaſſe, ſe grauiter deliquiſſe, magnis vocibus fatebantur. Is cùm ab eis perquireret omnem rei geſtæ veritatem; ſanctam iconam Domini Saluatoris eidem demonſtrantes, annunciauerunt cuncta, quæ in ea exercuerant; & qualiter ab ictu lanceæ ſanguis, & aqua emanauit ex latere ipſius, necnon & de mirabilibus ab ea oſtenſis ipſi retulerunt per ordinem. Ille verò interrogabat, qualiter icona ipſa ab eis fuiſſet reperta, & ſi ab aliquo eam accepiſſent. At illi retulerunt ei, quòd quidam Chriſticola per obliuionem in cellula ſynagogæ proxima dimiſiſſet eandem iconam, dum ſe ad alium locum transferret hoſpitandi gratia. Qui ſtatim iubetur inquiri; & repertus in præſentia domini Metropolitani ſtatuitur.

Cùmq; ab eo ſtudioſiſsimè fuiſſet interrogatus, quomodo icona apud ſe deueniſſet, vel à quo tam mirabiliter poſita eſſet, reſpondit dicens, quòd Nicodemus, qui ad Ieſum nocte venerat, proprijs manibus eam compoſuiſſet, & moriens Gamalieli tradidiſſet. Gamaliel autem doctoris gentium Pauli magiſter, cùm diem ſibi cerneret adeſſe extremum, Iacobo eam reliquit, & Iacobus Symeoni, & Symeon Zachæo, & ſic per ſucceſsiones temporum in Hieroſolyma perdurauit, vſquequo ſubuerſio illius vrbis patrata eſt quadrageſimo & tertio anno poſt aſcenſionem Domini Saluatoris ad cœlos. Sed biennio antequam Titus & Veſpaſianus eandem ſubuerterent vrbem, admoniti ſunt à Spiritu ſancto fideles, atq; Diſcipuli Chriſti, vt relicta Vrbe, ad regnum ſe transferret Agrippæ Regis, quia ipſe tunc Agrippa Romanis fœderatus erat. Qui egreſsi ab Vrbe omnia, quæ ad cultum noſtræ religionis, vel fidei pertinere videbantur, ſecum auferentes, in has regiones ſe tranſtulerunt. Quo tempore etiam icona cum cæteris rebus Eccleſiaſticis deportata vſq; hodie in Syria permanſit, quam ego ipſe à parentibus ex hac luce migrantibus mihi traditam, iure hæreditario vſq; nunc poſſedi. Hæc certa, & manifeſta ratio eſt de icona ſancta Domini Saluatoris, qualiter de Iudæa in Syriæ partes deuenit.

Auditis his ſermonibus, Reuerendiſsimus Metropolitanus valde hilaris redditus, conuerſus ad populum Iſraeliticum dicebat: Conuertere, Iſrael, ad Dominum patrem vniuerſorum viuentium, & adora nobiſcum eius filium, per quem ſunt omnia creata, & Spiritum ſanctum, qui eſt viuificator cunctorum viuentium, & illuminator noſtrarum animarum. Feſtina debitum abſoluere votum. Omnis autem turba ſtirpis Iudaicæ clara voce cœpit cantare, & dicere: Vnus Deus Pater & ipſe ingenitus; vnus Filius & ipſe vnigenitus Chriſtus, quem patres noſtri crucifixerunt, & nos ipſum agnouimus verũ Dominũ; vnus Spiritus ſanctus & ab vtroq; procedens, per quem veraciter nos credimus eſſe ſaluandos. Hæc dicentes proſtrati genibus ipſius veniam poſtulabant de ſuis conſequi ſceleribus per baptiſmi remedium. Quos ſuſcipiens beatus Antiſtes cum ſuis clericis per dies 2 plurimos de diſciplina erudiuit Chriſtiana, ad vltimum verò catechuminos factos, & triduano peracto ieiunio, ex aqua & Spiritu ſancto regenerauit eos.

2 Ecce quomodo baptizãdi antiquitus per plurimos dies de fide Chriſtiana inſtruebãtur, & ieiunio pparabantur.

CAP. V.

Poſtquam verò baptiſmum conſecuti ſunt, rogabant enixius ſanctum virum, vt ſynagogam ſuam Eccleſiam 3 conſecraret, in honorem ſancti Saluatoris mundi. Quorum petitionem minimè aſpernatus, ſynagogam illorum, quæ maior eſſe videbatur, in nomine vnigeniti Dei filij Redemptoris mundi conſecrauit. Exunc itaq; per diuerſas orbis terræ nationes, & prouincias mos inoleuit, vt baſilicas plurimas, vel oratoria Pontifices Chriſtianæ legis in honorem ſancti Saluatoris mundi condere, & dedicare non deſinant. Nam antea antiquiores noſtri, vel maiores hoc peragere minimè præſumpſerunt. Sed ad narrationis noſtræ ordinem reflectamus orationem. Rogauerunt autem Metropolitani præfatum virum, vt cæteras ſynagogas eorum in honorem quorundam beatorum martyrum conſecrando reconciliaret. Itaq; & huic petitioni libenter animum accommodauit, & quæ illi ſuggeſſerunt, Dei iuuamine fretus, cuncta expleuit deuotus. Factum'q; eſt gaudium magnum in ciuitate illa, non ſolùm de ſanitate corporum, quæ emanauerat maxima, ſed & de tantis animabus, quæ ab interitu ſatanæ ad vitam æternam fuerant reuocatæ.

3 Vides vſum conſecrandi Eccleſias antiquiſsimum eſſe?

CAP. VI.

Venerabilis verò & ſummus Antiſtes die noctu'q; varijs fluctuabat cogitationibus de hydria, quæ Dominicum intra ſe retinebat cruorem, valde hæſitans quid de ea opportunum fuiſſet peragere. Tandem autem ſalubri reperto conſilio, omnibus Eccleſijs, quæ per orbem terræ longè, lateq; conſiſtebant, inæſtimabile, atq; profuturum prouidit conſolationis remedium. Deniq; ampullas præcepit fieri vitreas, in quibus poſuit portiones ſingulas de ſanguine, & aqua, quæ de imagine Domini Saluatoris noſtri decurrerant; eaſq; ſtatim per Aſiam, Aphricam, & Europam, per ſuos nuncios dirigens, cuncta, quæ apud vrbem iam dictam ſuo tempore contigerant, ſuis ſcriptis manifeſtiſsimè vniuerſis ſanctæ Eccleſiæ filijs ſignificauit, hoc inſuper ab

eis efflagitans, vt per annos ſingulos in menſe Nouembri, qui apud Hebræos eſt nonus, apud nos verò menſis vndecimus, nono die ipſius menſis, ideſt quinto Idus Nouembris, non minori reuerentia, quàm Natalis Domini, vel Paſcha, iſta 4 dies præcipua obſeruatione colatur.

4 Dies feſtus conſecrationis Eccleſiæ.

CAP. VII.

Haec eſt vera, & firmiter credenda narratio de cruore lateris Domini noſtri Saluatoris, qui profluxit de ſancta imagine ipſius, quæ crucifixa eſt in Syria, in Beryto ciuitate. Hic eſt etiam ſanguis ille Dominicus, qui apud pleroſq; repertus eſſe dicitur. Nec eſſe aliter æſtimandum eſt à verè catholicis præter id quod ſcribitur à nobis, quaſi ex carne, & ſanguine Chriſti aliquid poſsit in mundo inueniri, niſi illud, 5 quod in ara altaris per manus ſacerdotum quotidie ſpiritualiter efficitur. Hæc ergo ſciens, amantiſsimi patres, & fratres, acceleraui declarare vobis ad ædificationem animarum veſtrarum, ad incrementum veſtræ fidei, vt & in hoc ſcire valeatis, quanta ſit virtus, & pietas Domini Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Idcirco in fide fortes eſtote, & congaudete ſuper magna, & obſtupeſcenda eius miracula, quæ in noſtra generatione à Deo ſunt patrata, dateq; illi gloriam cum lætitia gaudentes, & cum nimia cordis compunctione eius maieſtati immenſas gratias agite, eo quòd fidei ſuæ, & ſcientiæ dignos nos fecit eſſe. Ipſi Chriſto Ieſu Saluatori noſtro cum Patre, ſanctoq; Spiritu gloria ſit, honor, ac laus perennis; qui ſempiternum, atq; indiuiſum abſq; initio, & fine obtinet imperium.

Amen.

5 Vides quòd qui efficitur in altari per manus ſacerdotum, verus ſanguis, & caro eſt Chriſti, ſed ſpiritualiter, hoc eſt in alia forma, nempe in ſpecie panis, & vini?

DIVI GREGORII NYSSAE PONTIFICIS IN DIEM NATALEM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI ORATIO, PETRO FRANCISCO ZINO VERONENSI INTERPRETE.

BVCCINATE, inquit Dauid, in neomenia tuba, in inſigni die ſolennitatis veſtræ. Cœleſtis autem doctrinæ inſtituta omnia ſunt inſtar legis apud eos, qui audiunt. Quamobrem, quoniam adeſt inſignis dies ſolennitatis noſtræ, nos item obſeruemus legem, & efficiamur ſacræ celebritatis buccinatores. Legalis autem tuba, vt declarat Apoſtolus, eſt oratio. Dicit enim, incertum tubæ clangorem eſſe non oportere, ſed ſonis diſtinctum, vt ea, quæ dicuntur, perſpicua ſint. Aedamus igitur & nos, fratres, clarum aliquem ſonum, qui non minus exaudiatur, quàm ſi æderetur cornea tuba; quandoquidem & lex in vmbræ figuris ante depingens veritatem, in tabernaculorum celebritate tibis vt caneretur, mandauit. Et præſens celebritatis argumentum veri tabernaculi myſterium eſt. In hac enim humanum ei tabernaculum figitur, qui propter nos formam hominis induit. In hac tabernacula noſtra, quæ morte corruerant, inſtaurantur ab eo, qui ab initio conſtruxerat ædificium. Nos etiam ea verba pſalmi cum vocali Dauide plaudentes dicamus: Benedictus qui venit in nomine Domini. Quomodo autem venit? Non nauigio, aut curru aliquo, ſed incorrupta virginitate in vitam humanam traiecit. Hic Deus noſter, hic Dominus, & illuxit nobis, vt diem hanc 1 ſolennem conſtitueret in condenſis vſq; ad cornua altaris.

1 Natiuitatis Domini ſolẽnis dies etiã antiquitus habebatur.

Quòd autem myſterium, fratres, in ijs, quæ dicta ſunt, contineatur, neutiq; ignoramus; ſcimus enim vniuerſas res procreatas eſſe veluti templũ quoddam Domini, à quo procreatæ ſunt. Verùm quia ſuperinducto peccato obſtructa erant ora illorum, qui victi fuerant, & exultationis vox obticuerat, & dies feſtos celebrantium conſenſus diſtractus erat, cùm humana natura cum beatarum mentium natura in celebrando non conueniret, idcirco venerunt Prophetarum, & Apoſtolorum tubæ, quas lex corneas vocat, quia ex vero Vnicorni confectæ ſunt. Hæ ſpiritu ſancto inflatæ continuum veritatis ſonum protulerunt, vt auribus eorum, qui propter peccatum obſurduerant, patefactis, per frequentiam inferioris tabernaculi cum excellentibus illis menibus, quæ

ad altare ſuperius aſtant, concinentem vna ſolennitas concelebraretur. Diuina enim illius altaris cornua ſunt eximiæ, & præſtantes cœleſtis naturæ virtutes, & principatus, & poteſtates, & throni, & dominationes, quibus cum per tabernaculi excitationem in celebritate coniungitur humana natura, renouatione corporum condenſata. Nam condenſari, & ornari, & indui, idem eſt; vt illi, qui hæc intelligunt, interpretantur.

Agitè igitur ad ſpiritalem choream animos noſtros excitemus, nobisq́ chori ducem, & principem, & coryphæum Dauidem proponamus, & vna cum illo dulcem illam emittamus vocem. Hæc eſt dies, quam fecit Dominus; exultemus, & lætemur in ea. In hac tenebræ incipiunt minui, & creſcente ſplendore, noctis termini contrahuntur. Neq; enim caſu, aut ſponte ſua contin-

2 In hac die ſolenni.

gunt hæc, fratres, in hac die 2 ſolenni, qua humanæ vitæ ſplendet diuina vita. Sed per ea, quæ cernuntur, mentis aciem intendentibus arcanum quoddam oſtendit natura, ac tantùm non vocem emittens docet eos, qui audire poſſunt, quid ſibi velit, quòd in aduentu Domini dies augetur, & nox imminuitur. Mihi enim videor eam ſic loquentem exaudire: Conſidera, homo, qui hæc aſpicis, ex ijs, quæ videntur, ea tibi aperiri, quæ recondita ſunt. Vides noctem ad ſummam longitudinem perueniſſe, & cùm progredi vlteriùs nequeat, conſiſtere, ac regredi? Cogita exitioſam peccati noctem, quæ malis omnibus artibus aucta, ad ſummum malitiæ cumulum venerat, hodie reciſam eſſe, ne longiùs ſerperet, atque illuc deinceps redigi, vt planè deficiat, ac deleatur. Vides vberiores lucis radios, & ſolem ſolito ſubliniorem? Cogita veræ lucis præſentiam Euangelij radijs totum orbem terrarum illuſtrare.

Quòd autem humanæ vitæ non ab initio, ſed extremis temporibus Dominus apparuerit, hanc meritò fortaſſe cauſam quiſpiam exiſtimabit, quòd qui malitiam vt tolleret, humanam vitam erat ingreſſurus, expectauit neceſſariò vt omne ab inimico ſatum, propagatumq́ peccatum germinaret, ac tum demum, vt legitur in Euangelio, radici ſecurim admouit. Nam & qui præſtant medendi facultate, dum febris adhuc corpus exurit, & ex cauſis morbum efficientibus paulatim intenditur, obſecundant morbo, quoad vis ad ſummum peruenerit, nec cibi ſubſidium vllum ægrotanti præbent. At vbi malum conſtiterit, patefacto iam toto morbo, tunc artem adhibent. Sic animorum ægrotantium medicus expectauit, dum malitiæ morbus, quo natura hominum victa laborabat, ſe totum aperiret, ne latens aliquid, incuratum remaneret, ſi curaſſet id ſolum, quod cernebatur. Itaq; nec Noë tempeſtate, cùm omnis caro in iniquitate corrupta eſſet, aduentu ſuo medicinam attulit, quia nondum Sodomitici ſceleris germen pullulauerat. Nec tempore euerſionis Sodomorum Dominus aduenit, quoniam in humana natura multa adhuc mala latitabant. Vbi enim impius Pharao? Vbi indomita Aegyptiorum malitia? Nec tunc igitur tempus fuit, vt huic vitæ ſe Deus commiſceret. Oportebat, vt Iſraëlitarum iniquitas

1 pateficeret. Oportebat, vt regnũ Aſſyriorum, & ſuperbia Nabuchodonoſor adhuc in vita latitans oſtenderetur. Oportebat, vt piorum cædes, tanquam ſcelerata; ſpinoſaq́ planta, ex mala diaboli radice prodiret. Oportebat, vt Iudæorum Prophetas occidentium, & à Deo miſſos lapidibus obruentium, ac Zacharia tandem inter templum, & altare interfecto, piaculum admittentium rabies detegeretur. Ad ſceleratorum germinum numerum adde & infantium ab Herode patratam cædem.

Cùm igitur malitiæ vis ſe totam effudiſſet, multisq́ luxurians modis creuiſſet in animis eorum, qui ſingulis ſeculis ſcelere inſignes extiterant, tunc Deus, vt ad Athenienſes Paulus ait, ignorantiæ tempora deſpiciens, in diebus vltimis aduenit, quando non erat intelligens, nec requirens Deum, quando cuncti de-

clinauerant, & facti erant inutiles, quando concluſa erant omnia ſub peccato, quando iniquitas abundabat, quando vitiorum tenebræ ad ſummum vſq; terminum venerant. Tunc apparuit gratia, tunc veræ lucis enituit radius, tunc in tenebris, & vmbra mortis ſedentibus ortus eſt iuſtitiæ Sol. Tunc humanam carnem indutus multa ſerpentis capita pede contriuit, ad terramque allidens conculcauit.

Ne quis autem mala, quæ nunc in vita ſunt, reſpiciens, falſa nos dicere ſuſpicetur, quòd in extremis temporibus ſplenduiſſe nobis Dominum aſſeramus. Nam (obijciat aliquis) qui tempora, quibus malitia retegeretur, expectauit, vt illam auctam, cumulatamq; radicitus euelleret, ſic etiam tollere, atq; abolere cunctam debuerat, vt nullæ ipſius in vita reliquiæ remanerent. Nunc autem & homicidia, & furta, & adulteria, & reliqua omnia flagitia, & ſcelera debacchantur. Is ergo, qui hæc ſpectans ſic obijcit, inſigni, peruulgatoque exemplo quæſtionem ipſemet ſoluat. Quemadmodum cùm ſerpentes interficiuntur, non continuò reliquas partes vnà cum capite mori videmus; ſed cùm interierit caput, illæ tamen adhuc vitam retinent, nec vitali priuantur motu; ſic accidit in draconis interitu. Etenim ingens cùm eſſet admodùm fera, quippe quæ ſingulis hominum ætatibus exercuerat, qui multiplex eius caput, ideſt, vim illam malorum inuentricem multa in ſe capita continentem ſuſtulit, cæterarum ipſius partium tractus neglexit, vt interfectæ feræ motum poſteris ad exercitationis occaſionem relinqueret. Ecquod igitur colliſum, & eſtractum eſt caput? nónne illud, quod impio conſilio mortem intulerat, quod morſu mortiferum homini virus iniecerat. Quamobrem qui mortis euertit imperium, vim, quæ in capite ſerpentis erat, vt ait Propheta, contriuit. Quod autem huius feræ in humana vita relictum fuit, quódq;, quoad homines vitiorum motionibus permouentur, ſquama peccati vitam irritat, atq; aſperam reddit, potentia quidem, etſi non penitus actu, iam mortuum eſt, cùm eius caput contuſum, & inutile factum ſit. At vbi tempus tranſierit, & ea, quæ mouentur, conſtiterint, aduenerítq; vitæ huius abſolutio, quam expectamus, tunc & cauda, & extrema pars inimici, mors ipſa nimirum deſtruetur, atq; ita delebitur omnino cuncta malitia, cùm omnes in vitam per reſurrectionem reuocati, qui iuſti erunt, ad cœleſtem quietem accedent, qui autem peccatis obnoxij, in gehennæ ignem detrudentur.

Sed ad præſens gaudium reuertamur, quod paſtoribus nunciant Angeli, cœli enarrant, & Magis prophetiæ ſpiritus multis, varijsq; rationibus prædicat, vt etiam Magi gratiæ præcones fiant. Nam qui ſolem ſuum oriri facit ſuper iuſtos, & iniuſtos, quiq; pluit ſuper malos, & bonos, cognitionis radium, & rorem ſpiritus alienis etiam linguis demiſit, vt aduerſariorum teſtimonio magis etiam apud nos veritas confirmaretur. Audiuiſti ariolum Balaam meliori numine afflatum ſic alienigenis prædicentem: Orietur ſtella ex Iacob? Ecce tibi, qui ab eo genus duxerunt, Magi ex prædictione ipſius nouum obſeruant ortum ſtellæ, quæ præter aliarum ſtellarum naturam, & motus, & ſtatus eſt particeps, & ad vtilitatem hac vtitur viciſsitudine. Etenim cùm ceteræ ſtellæ partim in orbe non errante ſemel infixæ ſtatū immobilem ſortitæ ſint, partim nunquam ceſſent à motu, hæc & mouetur, dum Magis ſe ducem præbet, & ſtat, dum illis oſtendit locum.

Audis Eſaiam clamantem: Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis? Diſce ab eodem Propheta, quomodo natus ſit puer, quomodo datus ſit filius. Num iuxta naturæ legem? Minimè verò, inquit. Legibus enim naturæ non paret, qui naturæ Dominus eſt. Quomodo igitur natus eſt puer? Dic. Ecce, inquit, Virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen eius

Emmanuel. Quod ſi interpreteris, ſignificat, nobiſcum Deus. O rem admirandam: Virgo mater efficitur, & permanet virgo. Cernis nouum naturæ ordinem? In alijs mulieribus, quandiu aliqua eſt virgo, non eſt mater. Nam poſteaquam eſt facta mater, virginitatem non habet. Hîc autem vtrunq; nomen in idem concurrit. Eadem enim & mater, & virgo eſt. Nec virginitas partum ademit, nec partus virginitatem ſoluit. Decebat enim, vt qui in vitam humanam introibat, vt homines integros, incorruptosq; ſeruaret, ab incorrupta ſibi deſeruiente integritate initium duceret. Nam hominum conſuetudo expertem connubij, incorruptam appellat.

Hoc mihi ante magnus ille Moſes per eam lucem, in qua ſibi Deus apparuit, videtur cognouiſſe, qui cùm rubus arderet, nec tamen conſumeretur: Aſcendam, inquit, & videbo viſionem hanc magnam: non loci motum, vt arbitror, per aſcenſum declarans, ſed temporis tranſitum. Quod enim tunc per flammam, & rubum ſignificabatur, progrediente tempore, quod intercedebat, perſpicuè in myſterio Virginis apertum fuit. Quemadmodum enim illic eſt rubus; & tangit ignem, & non comburitur, ita hîc eſt Virgo, quæ lucem parit, & non corrumpitur. Quòd autem per rubum Virginis corpus, quod Deum ſuſcepit, intelligatur, ne te ſimilitudinis pudeat. Nam omnis caro propter peccati ſuſceptionem, & ob id ipſum tantùm, quòd eſt caro, peccatum eſt. Peccatum autem in ſcriptura vocatur ſpina.

Ac ne à propoſito longius euagemur, fortè non erit intempeſtiuum, ſi incorruptæ matris teſtem eum, qui inter templum, & altare fuit occiſus, proferamus. Hic eſt Sacerdos Zacharias, non Sacerdos ſolùm, verumetiam Propheta. Ac prophetiæ quidem poteſtas in Euangelij libro declaratur, cùm viam hominibus muniens diuina gratia, ne Virginis partus incredibilis putaretur, minoribus miraculis fidelium aſſenſum ſic exercuit, vt fœmina ſterilis, & vir iam ætate confectus filium ſuſciperent. Hoc mirandi Virginis partus proœmium fuit. Etenim ſicut Eliſabeth, quæ ſterilis ad ſenectutem peruenerat, non poteſtate naturæ fit mater, ſed ei diuino conſilio filius naſcitur, ſic quod in virgineo partu non credendum videtur, ſi referatur ad Deum, credibile eſt. Quoniam igitur ex virginitate prouenientem præcedit nuncius ſterilis, qui ad vocem illius, quæ Dominum vtero gerebat, antequam in lucem prodiret, in aluo matris exiluit, ſimul ac natus eſt præcurſor Verbi, prophetico ſpiritu Zachariæ ſilentium ſoluitur. Quæcunq; autem diſſeruit Zacharias Propheta, ad futurum ſpectabant.

Hic igitur diuino numine ad occultorum cognitionem ductus, cùm virginitatis myſterium in partu incorrupto non ignoraret, in ſacro templo Virginem matrem à loco virginibus per legem aſsignato non ſemouit, Iudæosq; docuit, naturam humanam vnà cum reliquis omnibus rerum omnium effectori, & Regi ita ſubiectam eſſe, vt arbitratu ſuo eam ipſe regeret, non autem ab ea regeretur; itaq; in manu ipſius eſſe, nouam ortus rationem moliri, quæ matrem eſſe virginem non impediret; quamobrem eam ſe à virginum loco non excluſiſſe. Locus autem ille erat ſpatium quoddam inter templum, & altare. Cùm igitur audiuiſſent Iudæi rerum omnium Regem in vitam humanam diuino ordine prodijſſe, metuentes, ne Regi ſubderentur, ſacerdotem, qui hæc de ipſo partu teſtificabatur, ad ipſum altare ſacrificantem interfecerunt.

Sed longè à propoſito aberrauimus, cùm ad Bethleem, de qua in Euangelio, oratione recurrere nos oporteret. Nam ſi verè paſtores ſumus, & proprijs gregibus inuigilamus, ad nos vtiq; ſpectat Angelorum vox, quæ magnum hoc gaudium nunciat. Oculos igitur in cœleſtem exercitum intendamus, tripudium ſpectemus Angelorum, diuinum ipſorũ cantum audiamus. Qui nam plaudentiũ

ſonus?

ſonus? Gloria, clamant, in altiſsimis Deo. Cur diuino numini, quod in altiſsimis cernitur, gloriam tribuunt? Quoniam, inquiunt, & in terra pax. Ob hoc ſpectaculum gaudio perfuſi ſunt Angeli. In terra pax. Quæ prius deteſtabilis erat, quæ ſpinis, ac tribulis plena ſolitudo, quæ damnatorum exilium, quæ belli regio, hæc pacem ſuſcepit. O' rem admirabilem. Veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cœlo proſpexit. Talem dedit hominum terra fructum ſuum. Et hæc fiunt pro bona in hominibus voluntate. Deus humanæ naturæ commiſcetur, vt ad ſublimitatem diuinam hominem tollat.

His auditis, in Bethleem proficiſcamur, nouum ſpectaculum contemplemur; quomodo partu ſuo Virgo lætetur, quomodo lactet infantulum. Sed prius auſcultemus, quid de ipſa memoriæ proditum ſit. Virginis pater (vt ex hiſtoria quadam incerti auctoris accepi) fuit inſignis quidam ciuis obſeruantia legis, & vitæ probitate in primis nobilis, qui ſine filijs ad ſenectutem peruenerat, cùm minùs idoneam ad gignendum vxorem haberet. Habebatur autem matribus ex lege honor quidam, quo carebant fœminæ, quæ liberos nullos ſuſceperant. Quapropter & hæc imitata id, quod de matre Samuelis ſcriptum eſt, in ſanctum ſanctorum ingreditur, & ſupplex Deum orat, ne ſe legis benedictione ſinat excidere, cùm nihil vnquã admiſerit contra legem. Quòd ſi 3 mater euaſerit, ſe quodcunq; pepererit, ei dedicaturam. Quamobrem cùm voti compos effecta filiam ſuſcepiſſet, eam vocauit Mariam, vt ipſo etiam nomine teſtaretur acceptum munus à Deo. Illam igitur, cùm iam grandiuſcula eſſet, nec vbere matris ampliùs indigeret, ducens ad templum Deo reddidit, & ſtudioſè promiſſum exoluit.

3 Vide votum etiã ſub conditione emiſſum à matre Dominæ noſtræ, & illius obſeruationem.

Sacerdotes autem, quandiu paruula fuit, ad Samuelis ſimilitudinem in ſanctis ædibus educarunt; ſed cùm iam adoleſceret, conſulebant, quidnam agerent de ſacro illo corpore, ne Deum offenderent. Etenim naturæ legi illam ſubijcere, vt cuipiam in matrimonio collocata ſeruiret, abſurdiſsimũ videbatur. Inſtar enim 4 ſacrilegij fuiſſet, ſi muneris Deo ſacrati dominus homo fieret. Legibus enim erat conſtitutum, vt maritus dominaretur vxori. Mulierem rurſus inter 5 ſacerdotes in templo verſari, atque in ſanctis ædibus conſpici, nec lex, nec grauitas permittebat. Deliberantes igitur in hanc ſententiam diuinitus conuenerunt, vt eam connubij nomine cuipiam deſponderent, qui tamen ad cuſtodiam eius duntaxat eſſet idoneus. Ad hoc autem munus aptiſsimus inuentus eſt Ioſeph ex eadem tribu, & patria, qua erat 6 Virgo. Sacerdotum ergo conſilio Ioſeph puellam ſponſam accipit. Quæ tamen coniunctio ſponſalia non eſt egreſſa.

4 Nota inſtar eſſe ſacrilegij, ſi Virgo Deo dicata homini iungatur in matrimonio.

5 Hoc locum hodie nõ habet apud hæreticos, nam inter eorũ ſacerdotes fœminas ſemp permixtas reperies.

Tunc ad Virginem miſſus eſt Gabriel, qui ei diuinæ voluntatis arcanum aperiret. His autem fauſtiſsimis verbis vſus eſt. Aue gratia plena, Dominus tecum. Contraria hæc eſt oratio illis vocibus, quas prima mulier audiuit. Tunc enim illa doloribus propter peccatum damnata eſt; nunc autem in hac per gaudium dolor expellitur. In illa moleſtiæ partum præceſſerunt; huic partum lætitia prænunciat. Ne timeas, inquit. Quoniam omnibus mulieribus timorem affert partus expectatio, dulcis partus promiſsione timor eximitur. In vtero, inquit, concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Quid autem Maria? Audi pudicam Virginis vocem. Quomodo erit mihi iſtud, quoniam virum non cognoſco? Angelus partum nunciat; at illa virginitati inhæret, & integritatem Angelicæ demonſtrationi anteponendam iudicat. Nec Angelo fidem non habet, nec à propoſito recedit ſuo. Interdixi, inquit, mihi conſuetudinem viri. Quomodo iſtud erit mihi, quoniam virum non cognoſco? Hæc Mariæ vox declarat ea, quæ ex hiſtoria incerti auctoris commemoraui,

6 Vides etiam antiquæ legis tempore fuiſſe in vſu Virginitatẽ?

non eſſe penitus abſurda. Si enim liberorum cauſa ducta fuiſſet à Ioſeph, quomodo parituram Angelo prænuncianti, ſe rem nouam, & alienam audire prætuliſſet, cùm ipſa quoq; ſe ſe obſtrinxiſſet naturæ lege, vt aliquando mater eſſet? Verùm quia carnem Deo conſecratam, tanquam ſanctum aliquod oblatum munus, oportebat intactam, integram'que præſtare, idcircò, Licet, inquit, Angelus ſis, licet è cœlo venias, licet id, quod oſtenditur, naturam ſuperet humanam, tamen me virum cognoſcere nefas eſt. Quomodo ſine viro mater ero? Ioſeph enim ſponſum noui, ſed virum non cognoſco.

Quid ad hæc auſpex Gabriel? Quem thalamum ſtatuit puro, impolluto'que connubio? Spiritus ſanctus, inquit, ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi. O' beatum vterum illum, qui bonitatis præſtantia ad ſe traxit animi bona. In reliquis enim omnibus vix animus purus Spiritus ſancti præſentiam capit; hìc autem caro fit Spiritus receptaculum. Sed & virtus Altiſsimi obumbrabit tibi. Quid ſignificat arcanus hic ſermo? Chriſtus Dei virtus eſt, & ſapientia, vt ait Apoſtolus. Virtus igitur Altiſsimi, quæ Chriſtus eſt, per aduentum Spiritus ſancti formatur in Virgine. Quemadmodum enim vmbra ad præcedentium corporum figuram effingitur, ſic forma, & indicium diuinitatis Dei in virtute ipſius, qui paritur, oſtendetur; & imago, & ſignum, & adumbratio, & ſplendor exemplaris per admirabilem rerum effectionem demonſtrabitur.

Verùm hortatur nos Euangelium, vt in Bethleem oratione reuertamur, & quæ in antro ſint myſteria videamus. Quid'nam eſt hoc? Puer pannis inuolutus, & poſitus in præſepio; & Virgo poſt partum, ac incorrupta mater complectitur filium. Emittamus illam Prophetæ vocem: Sicut audiuimus, ſic vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei noſtri. Num hæc, quæ audiuimus de Chriſto, fortuna, & caſu contigerunt, & ſcripta ſunt, an hiſtoriæ ſubeſt aliqua ratio? Quid ſibi vult hæc Domini in antro ſedes? hæc in præſepi reclinatio? Cur tempore deſcriptionis tributorum in vitam ingreditur? An perſpicuum eſt, eum, quemadmodum à legis execratione nos eripit factus ipſe pro nobis execratio, & liuores noſtros in ſe transfert, vt eius liuore nos curemur, ſic etiam vectigalem fieri, vt nos à grauiſsimo vectigali, quod ab homine mors exigit, liberaret? Quòd verò ſpeluncam vides, in qua paritur Dominus, cæcam hominum vitam, & ſub terra demerſam cogita, in qua naſcitur ille, qui in tenebris ambulantibus, & in regione vmbræ mortis ſedentibus ſe oſtendit. Pannis autem obuoluitur, & faſcijs conſtringitur, qui peccatorum noſtrorum cathenas ſubiit, & vincula.

Præſepe verò, in quo verbum gignitur, beſtiarum eſt domus, vt cognoſcat bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. Per bouem intellige illum, qui legis iugo ſubiectus eſt, per aſinum autem, quod eſt animal ferendis oneribus natum, eum, qui ſimulachrorum cultus onuſtus eſt crimine. Cæterùm commune rationis expertium animalium pabulum, & vita fœnum eſt. Producens, inquit Propheta, fœnum iumentis. Quòd autem ratione præditum eſt animal, veſcitur pane. Idcircò in præſepi, quod eſt animalium ratione vacantium ſedes, è cœlo delapſus vitæ panis proponitur, vt & quæ à ratione remota ſunt animalia, rationis cibo nutriantur, atque ita ratione decorentur. Medium igitur in præſepi ſe inter bouem, & aſinum vtriuſque Dominus locat, vt medium parietem maceriæ ſoluens, duos condat in ſemetipſo in vnum nouum hominem, ab altero graue legis iugum eripiens, alterum ſimulachrorum cultus onere liberans.

Sed oculos ad mirabilia cœlorum ſpectacula tollamus. Ecce enim non

Prophetæ ſolùm, & Angeli gaudium hoc nobis denunciant, verumetiam cœli rebus ſuis admirandis Euangelij gloriam prædicant. Ex Iudæis, vt ait Apoſtolus, Propheta Chriſtus ortus eſt. Sed eius ortu non illuminatur Iudæus. Peregrini, & à teſtamentorum promiſsione, benedictione'que patrum alieni ſunt Magi, qui cognitione populum Iſraëlitam antecuertunt, & cœleſtem agnoſcentes lucem, & in ſpelunca Regem non ignorantes. Hi munera afferunt, illi inſidias ſtruunt. Hi venerantur, illi perſequuntur. Hi gaudent inuento, quem exquirebant, illi nunciatum ipſius ortum reformidant. Videntes enim, inquit, ſtellam ſupra locum, vbi erat puer, gauiſi ſunt gaudio magno valde. Herodes autem ſermonem audiens turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo. Hi & tanquam Deo thus offerunt, & auro dignitatem regiam colunt, & prophetica quadam gratia per myrrham mortis diſpoſitionem ſubſignificant. Illi verò cunctos infantes vnum in locum coactos internecione tollendos cenſent. Quod eos mihi non ſolùm crudelitatis, verumetiam ſummæ dementiæ videtur coarguere.

Quid enim ſibi vult iſta puerorum trucidatio? Cur auſi ſunt homicidæ ſeſe tanto ſcelere obſtringere? Quoniam nouum quoddam, inquiunt, mirandum'que cœli portentum Regis indicium Magis nunciauit. Quid igitur tum? Aut portendenti ſigno fidem habes vt vero, aut quod rumore iactatur, vanum putas. Si talis eſt, qui cœlos ſibi fecerit inſeruire, prorſus eſt ſupra manum tuam. Sin autem in poteſtate tua eſt, vt ille vel viuat, vel moriatur, cum fruſtra pertimeſcis. Qui enim id agit, vt imperio tuo ſubditus ipſe ſit, pro quo molietur inſidias? Cur horrendum illud datur mandatum? Cur impia fertur ſententia, vt miſeri infantes trucidentur? Quid peccarunt? Quid morte, aut ſupplicio dignum admiſerunt? Crimen vnum duntaxat habent, quòd nati ſunt, & in lucem æditi. Et propterea neceſſe fuit, vt ciuitas carnificibus compleretur? vt cogeretur matrum multitudo, & infantium populus? vt adeſſent etiam patres? & generis propinquitate coniuncti ad ſæuum facinus congregarentur? Quis oratione calamitatem deſcribat? Quis acerbitatem enarrans oculis aſpiciendam proponat? mixtam illam lamentationem, luctuoſum'que ſtum puerorum, matrum, propinquorum, patrum ad minas carnificum miſerabiliter exclamantium?

2. Quis dicendo poſsit exprimere carnificem gladio contra puerum irruentem, & toruo, truci'que vultu contuentem, ac verbis crudelibus alloquentem, vna quidem manu corripientem infantulum, altera verò gladium adigentem? Matrem porrò ex altera parte filium ad ſe trahentem, obijcientem'que ceruicem ſuam acuto gladio, ne miſerum filium carnificis manu necatum proprijs oculis intueatur? Quis explicet ea, quæ patres agunt, reuocationes, ſuſpiria, poſtremos filiorum complexus? præſertim cùm idem à multis fiat eodem tempore? Quis variam, multiplicem'que calamitatem, & conduplicatos puerperarum dolores partus exponat? & acerrimas, quas admouebat natura, faces? Quomodo puer infelix & vberi ſimul inhæreret, & per viſcera letalem plagam acciperet? Quomodo miſera mater ſimul infantis ori ſubderet vbera, & ſinu ſanguinem eius exciperet? Manus autem impetu ſæpenumero carnifex vno gladij ictu filium, & matrem conſauciabat, & vnus ſanguinis riuus ex matris plaga, & ex mortifero vulnere filij mixtus decurrebat.

3. Iam verò cùm nefaria Herodis ſententia non ſolùm nuper geniti necarentur, ſed etiam illi, qui alterum agebant annum, raperentur ad mortem (Scriptum eſt enim eum iuſsiſſe, bimulos, & minores interfici) videre erat matres non paucas, quæ eo temporis ſpatio duos filios enixæ

fuerant. Quod'nam igitur rurſum in his ſpectaculum cernebatur, cùm duo carnifices circa matrem vnam eſſent occupati, vnusq; prope currentem filium ad ſe raperet, alter autem lactentem adhuc infantulum è gremio matris euelleret? Quid tum faciat mater infelix, cùm natura bifariam in filios diuellatur, & vtroq; filio maternis viſceribus ex æquo faces admouente neſciat, vtrum ex carnificibus priùs ſequatur, cùm vnus ex hac, alter ex illa parte pueros ad cædem trahat? Præcurrat'ne ad nuper genitum confuſos, indiſtinctosq; gemitus emittentem? At inhibetur ab altero iam loquente, balbutientiq; lingua matrem inclamante. Quid'nam agat? Quò ſe vertat? Vtrius voci voce ſua reſpondeat? Vtrius gemitum gemitu excipiat ſuo? Vtrius defleat necem, cùm

7 Dies feſtus Natalis Domini. vterq; naturæ ſtimulis æquè miſeram feriat? Sed amoueamus aures ab hiſce queſtibus, & ad lætiora, dieiq; 7 feſto magis conuenientia cogitationem conuertamus, licet Rachel, vt inquit Propheta, clamans filiorum cædem deploret. In die enim feſto, vt ait ſapiens Salomon, malorum decet obliuiſci.

Quæ autem nobis celebrior dies hac eſſe poteſt, in qua malas diaboli tenebras diſcutiens iuſtitiæ ſol per naturam noſtram illucet mundo? in qua qui cæcidit, excitatur? qui victus eſt, in gratiam recipitur? qui eiectus eſt, reuocatur? qui è vita excidit, ad vitam redit? qui ſeruiturem ſeruiuit, regni dignitatem aſſequitur? qui mortis vinculis conſtrictus eſt, ad regionem viuentium reuertitur? Nunc, vt propheta teſtatur, æreæ mortis portæ confringuntur, ferrea comminuuntur vincula, quibus antea genus hominum in mortis cuſtodia concluſus detinebatur. Nunc, vt cecinit Dauid, recluditur porta iuſtitiæ. Nunc per totum orbem vna voce feſtum celebrantium clamor exauditur: Per hominem mors, & per hominem ſalus. Primus in peccatum lapſus eſt; iacentem ſecundus ſuſcitauit. A muliere mulier defenſa eſt. Prima peccato aditum patefecit; hæc, vt teſtamenti pateret aditus, miniſtra fuit. Illa ſerpentis conſilium eſt ſecuta; hæc ſerpentis interfectorem exhibuit, & lucis authorem in lucem ædidit. Illa per lignum induxit peccatum; hæc per lignum gratiam intulit. Lignum autem Crucis intellige, cuius fructus eſt ſemper virens, & guſtantibus vita fit immortalis. Nullus autem hanc gratiarum actionem Paſchatis tantùm myſterio putet conuenire. Sic enim cogitet, Paſcha quidem diuinæ diſpoſitionis eſſe finem, qui tamen finis conſequi nequeat, niſi principium antecedat. Quid igitur antiquius eſt? Ortus nimirum morte. Etſi igitur huius bona ſunt, pars tamen bonorum ipſius ortus.

Quòd ſi quis munera, quæ in Euangelijs commemorantur, enumeret, ſi recenſeat miracula curationum, in inopia, & fame ciborum copiam, mortuorum è monumentis excitationem, ſubitam, atq; improuiſam effectionem vini, expulſiones dæmonum, varias affectiones ad valetudinem reuocatas, claudorum ſaltus, illitos luto cæcorum oculos, diuinam doctrinam, leges latas, arcanam ſimilitudinum ſignificationem, hæc omnia huiuſce diei gratia comprehenduntur. Hæc enim bonorum, quæ deinceps conſecuta ſunt, omnium initium fuit. Quamobrem exultemus, & lætemur in ea.

Negligamus, vt hortatur Propheta, exprobrationem hominum, nec deſpectione ipſorum ſinamus nos vinci, qui diuinæ diſpoſitionis, & prouidentiæ rationem irrident, quaſi non decuerit Dominum ſubire corporis naturam, nec in hominum vita naſcendo verſari. Ignorant enim rei myſterium, quo Dei ſapientia nobis ſalutem afferre conſtituit. Eramus ſponte peccatis noſtris venditi, & inſtar eorum, qui argento veneunt, vitæ noſtræ inimico mancipati. Quid tibi à Domino optandum fuit? Non'ne vt eripereris è ſeruitute? Cur igitur curioſè requiris modum? Cur benemerenti benemerendi rationem præſcribis, non ſecus, ac ſiquis benemerito ſuccenſeat medico, quòd ſe non hac, ſed illa

ratione curauerit? Quòd ſi diuini conſilij rationem curioſitate ductus exquiris, hoc tibi ſatis ſit intelligere, non vnum aliquod bonorum, ſed quicquid boni cogitatione, ac mente concipitur, illud eſſe diuinum numen, potens, iuſtum, bonum, ſapiens, omnia denique nomina, & notiones, quibus natura diuina declaratur.

Conſidera igitur mihi, num in hoc beneficio, quo nos affecit, cernantur omnia, quæ dicendo per eum, bonitas, ſapientia, iuſtitia potentia. Vt bonus deſertorem amauit. Vt ſapiens rationem inuenit, qua ſeruitute oppreſſum in libertatem vendicaret. Vt iuſtus in ſeruitute continentem, & emptionis iure poſſidentem non coëgit, ſed ſeipſum pro illo, qui victus erat, tradidit, & tanquam vas, & ſponſor debitum ipſe perſoluit, vt eum, qui obſtrictus erat, liberaret. Vt potens non victus eſt in inferno, nec eius caro vidit corruptionem. Neq; enim fieri poterat, vt vitæ author, ac Dominus à corruptione vinceretur.

At turpe, inquies, fuit, eum in vitam humanam ingredi, & carnis moleſtias experiri. Immò verò hîc apparet muneris amplitudo. Etenim cùm aliter è tantis malis homo liberari non poſſet, beatitudinis Rex gloriam ſuam cum vita noſtra commutauit. Ac puritas quidem ad noſtras ſordes ſeſe demiſit. Sordes tamen ipſæ puritatem non attigerunt. Lux enim, vt in Euangelio legitur, in tenebris fulſit, tenebræ autem eam non comprehenderunt. Nam tenebræ præſentia ſplendoris euaneſcunt. Sol in tenebris non obſcuratur. Quod mortale eſt, abſorbetur à vita, quemadmodum ſcribit Apoſtolus; non autem vita à morte conſumitur. Quod corruptum fuit, cum incorrupto ſeruatur; corruptio autem ad incorruptionem non accedit. Idcirco communis rerum omnium procreatarum concentus exurgit Dominum ſuum vna voce collaudantium, ſic omni lingua cœleſtium, terreſtrium, atque infernorum exclamante: Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris laudandus in æternum. Amen.

B

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCPVS BERGOMENSIS

SYNCERO LECTORI SALVTEM.

CVM ex laborioſa illa, non minuſq; periculoſa Poloniæ legatione, diuina prorſus ope, & non alia, incolumis in Italiam reuerterer, & hexaphoro vectus, ne itineris tædio torperem, diui Ephræm Ediſſenæ Eccleſiæ diaconi elangantiſsimos ſermones legerem, quædam ex ipſis decerpſi, quæ ad illuſtrãdum Octauum hoc noſtrum ſanctorum vitarum volumen admodum accommodata mihi viſa ſunt. Proinde ea tibi nunc ſupponimus, benigne lector, quæ, certò ſcio, ingens tibi paritura deſiderium, reliqua ſanctiſsimi huius viri ſcripta per teipſum percurrendi. Quis enim eum morum probitate, vitæ ſanctitate, monachiſmi diſciplina, eruditione, & pietate antecellit? Nemo profectò, niſi is vnus magnus ſit Baſilius Ephræm ipſius ſpiritualis pater, præceptor, & inſtitutor? Sed non longè poſt eius veſtigia, crede mihi, graditur ſanctiſsimus hic vir, & clericorum, & monachorum iubar ſplendidiſsimum. Accingere ergo tu quoq;, & ad ea, quæ ſcripſit, legenda, & ad ea, quæ docuit, opere complenda. Ita enim nec ignauus lector, nec ſurdus apparebis auditor, ſed verus illuminati viri diſcipulus, poſtque huius breuis vitæ curſum ibi tandem collocaberis, vbi ipſe modò Deum omnipotentem cum ſanctis omnibus indeſinenter laudat, & glorificat. Vale.

ORATIO DIVI EPHRAEM DIACONI ECCLESIAE EDISSENAE, VIRI SANCTISSIMI, ET ILLVMINATISSIMI, DE SANCTISSIMAE DEI MATRIS LAVDIBVS.

INTEMERATA, prorſusq́; pura, Virgo Deipara, regina omnium, ſpes deſperantium, Domina mea glorioſiſsima, eademq́; optima, ſublimior cœlicolis, purior Solis radijs, & ſplendoribus, honoratior Cherubin, & polyommatis, ideſt multoculis ſpiritibus, ſanctior Seraphin, & nulla comparatione cæteris omnibus ſuperis exercitibus glorioſior, ſpes patrum, gloria Prophetarum, Apoſtolorum præconium, & honor Martyrum, Sanctorum lætitia, & lumen ſtudioſorum Abraham, Iſaac, & Iacob, decus Aaron, Moſis ſplendor, & Gedeon vellus, Hierarcharum cœtus, & omnium Sanctorum, ac Virginum corona, ob fulgorem inacceſſa. Acerra aurea, lucerna micantiſsima, vrna cœli manna geſtans, tabula ſcriptam legem ferens mortalibus, arca vera, charta diuiniſsima, omnium princeps, circunſpecta, & lucifera Virgo, conſolatio ſanctiſsima, & omnium dux, ſacratiſsima puella.

O' rube incombuſte, & patens prædium, & viridans Aaron illius virga. Virga profectò extitiſti, & flos filius tuus. E' radice Dauid, & Salomonis germinauit Chriſtus noſter creator, Deus & Dominus omnipotens, altiſsimus & ſolus. Tu quò ad corpus Deū, & Verbum genuiſti, virgo ante partum, virgo in partu, virgo poſt partum. Claues nō excuſsit Deus creator tuus in tuo virginali vtero, abſque ſemine carnem indutus, te, ò celeberrima, talem præſeruans, qualis extiteras ante partum. Per te reconciliati ſumus Chriſto Deo meo, filio tuo. Tu peccantiū, & auxilio deſtitutorū adiutrix. Tu portus ꝉ procella vexatorum, ſolatium mundi, carcere clauſorum liberatrix celeberrima. Tu orphanorū ſuſceptio, tu captiuorum redemptio, tu ægrotantium exultatio, & omnium ſalus. Tu ſolitariorū ſtabilimentum, & ſpes mundanorum. Tu virginum decus, corona, & gaudium. Tu mundi lætitia, ò domina princeps, regina præſtantiſsima, & perquambenedicta, puella veneranda, dominorum domina puriſsima. Sub alis tuis cuſtodi me, & protege. Miſerere mei, qui ſum luto inquinatus, qui ſceleribus quam plurimis creatorem Deum meum, & iudicem offendi, ne aduerſus me glorietur ſatanas exitioſiſsimus, ne in me exurgat execrandus inimicus meus, ne ſeruum tuum à tui ſpe deſtitui cognoſcam, ne calumnietur me detrectantium lingua. Non mihi alia fiducia, ò Virgo ſyncera. Ex vlnis equidem maternis tibi, domina mea, deditus ſum miſerabilis, & cliens tuus vocatus ſum, ne maleuolus ſatanas me ad infernas portas abducat. Tu

ꝉ Ecce quomodo ſanctiſsima Virgo eſt humani generis refugiū, & totius mūdi ſalus poſt Deum.

2 Inuocat ſanctam Dei genitricem pro conſequẽda peccatorũ venia à filio, & beatitudinis gloria adipiſcenda.

enim meus portus, ò Virgo inuiolata, & præſes auxiliatrix. Deniq; ſub tutela & protectione tua totus ſum. Crebris lachrymis te, ò celeberrima mater implorо, & aduoluor tibi, domina mea, ſuppliciter clamans, ne dulcis filius tuus, & vitæ omnium dator, ob multa, quæ patraui, ſcelera, tollat me de medio, & miſeram animam, ceu leo, diripiat, vel velut ſterilem ficum infelicem me excidat. Sed obſecro, vt Chriſtum meum adeam, & ſubeam aulas illas beatorum, vbi non ſunt lachrymæ, non vexatio, non moleſtia, non mors, non tormenta, non locorum anguſtiæ, ſed lætitia inexhauſta, voluptas iuſtorum, deliciæ, & exultatio, gloria, & ſplendor. Imple os meum gratia dulcedinis tuæ. Illumina mentem, ò gratia plena. Moue linguam meam, & labia ad laudes tibi alacri, & læto animo canendas, & præcipuè melos illud Angelicum celebratiſsimum, quod Gabriel in Nazareth ſeruili habitu ad te Virginem, & matrem Dei mei integerrimam clamans cecinit, ſalutationem maximè congruam, & digniſsimam, mundi ſalutem, cunctarum'que animarum tutelam.

Dignare, Virgo, te tuum ſeruum laudare, & dicere: Aue Dei ſplendidiſſimum, & luculentiſsimum vas; aue Domina Maria gratia plena; aue in mulieribus Virgo beatiſsima; aue ſtella fulgentiſsima, ex qua Chriſtus prodijt; aue illuſtriſsima lux, mater, & Virgo; aue quæ mirificè Regem omnium peperiſti; aue per quam nobis ſol præclariſsimus illuxit; aue Domina cunctis ſublimior; aue canticum Cherubin, & hymnus Angelorum; aue pax, gaudium, & ſalus mundi; aue generis humani lætitia; aue patrum præconium, & prophetarum decus; aue martyrum pulchritudo, & corona ſanctorum; aue piorum gloria, & in ſolitudine degentium hymnus; aue præclariſsimum Hierarcharum cœleſtium ornamentum; aue hymnigraphorum omnium oratio; aue præſtantiſsimum orbis terræ miraculum; aue terrigenarum omnium delectatio; aue paradiſe deliciarum, & immortalitatis; aue lignum vitæ, gaudium, & voluptas; aue vallum fidelium, & mundi ſalus; aue tranquille portus, & à fluctibus agitatorum liberatrix; aue noſtra periclitantium auxiliatrix; aue progenitoris illius Adam reſurrectio; aue iucunda libertas; aue omnium parens; aue flos gratiæ, & conſolationis; aue refugium peccatorum, & hoſpitium; aue propitiatorium laborantium; aue refugium in Hieroſolymis; aue throne mei creatoris glorioſiſsime; aue æui ſplendor illuſtriſsime, & micantiſsime; aue ſpes omnium proborum aduerſis caſibus afflictorum; aue conuerſorum refugium; aue virorum iuxta mulierum'que regina, & tutela; aue mundi mediatrix glorioſiſsima; aue vniuerſi terrarum orbis conciliatrix; aue Domina ſceptrum fidelibus tuis impetrans; aue gloria, & lætitia omnium ſacerdotum; aue Virgo ſolatium ſolitariorum; aue porta cœlorum, aſcenſus omnium; aue reſeramentum portarum paradiſi; aue quæ mœrores ſedaſti, adornatrix omnium; aue eadem quæ leniſti oppreſſorum moleſtiam; aue clauis cœlorum, & regni Chriſti; aue portus optime huius vitæ nautarum; aue animæ meæ ſpes bona, & fida; aue Chriſtianorum omnium firma ſalus; aue lumen præfulgens, quo mundus illuſtratur; aue mater Chriſti filij Dei viui; aue noſtra geniorum protectio luculenta, & gloria; aue quæ nullo ſpatio comprehenſum in ſinu comprehendiſti; aue quæ Chriſtum vitæ datorem educaſti, Chriſtum pientiſsimum omnium creatorem, Deum, dulcem Ieſum meum, altorem mundi, hominum amantiſsimum, omnipotentem patrem meum, cui competit gloria, honor, & poteſtas in ſecula, laus, & magnificentia, cum æterno Patre, & Spiritu ſancto nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum.

Precibus

Precibus 3 Dei genitricis ſemper Virginis,& exercitus cœleſtium, ac cœtus Angelorum, Cherubin, Seraphin, Prophetarum, Martyrum, Hierarcharum, Sanctorum ſtudioſorum intercesſionibus, & omnium beatorum ſupplicationibus, miſerere tuæ creaturæ, Deus mi clementisſime. A' dextris in hora iudicij colloca humiles ſeruos tuos. Ne, ô Domine vitæ author, ad opera, quæ nos mortales legem præuaricati commiſimus, aſpexeris, quin potius aſpice ad mirifsimam humanitatem,& miſericordiam tuam. Amen.

3 Vide quomodo ſancti intercedũt pro nobis.

EIVSDEM DIVI EPHRAEM ORATIO AD SANCTISSIMAM DEI GENITRICEM.

IMMACVLATA, impolluta, incorrupta, pudica Virgo, Dei ſponſa, Domina noſtra, quæ Deum Verbum hominibus mirifica tua conceptione conciliaſti, & rebellem humani noſtri generis naturam cœleſtibus conſociaſti, vnica ſpes deſperatorum, oppreſſorum ſubſidium, & ad te currentium auxilium præſentiſsimum, omnium deniq; Chriſtianorum profugium, me ſceleſtum peccatorem, & fœdis meis cogitationibus, verbis, factis, factum viliſsimum, atq; adeò voluptatum mollitiem animo ſeruili, & abiecto amplexatum, ne auerſeris, quæſo; quin potiùs ſicut humaniſsimi Dei mater es, ita me peccatorem humaniter ſuſcipe, & meam ſordidiſsimam, indignisq; labijs expreſſam orationem admitte, nec non tuum quidem filium, meum autem herum, & Deum, materna tua liberalitate volens exora, vt mihi quoq; mitiſsima illa ſuæ pietatis viſcera reſeret, & poſthabitis innumerabilibus peccatis meis, ad pœnitentiam me conuertat, proq; ſua complere mandata concedat. Adſis 4 mihi ſemper, Virgo miſericors, clemens, & benigna, in præſenti quidem vita feruens protectrix, & auxiliatrix, hoſtiles impetus repellens, & me deducens ad ſalutem, ac in ſupremo vitæ momento miſeram meam animam conſeruans, & tenebroſos malorum dæmonum aſpectus ab ea procul abigens, in terribili autem die iudicij ab æterna damnatione me liberans, poſtremò inacceſſæ tui filij, & Dei gloriæ me hæredem efficiens. Quam per interceſsionem, fauoremq; tuum, Domina mea ſanctiſsima, Dei mater, te etiam atque etiam oro, aſſequi valeam, gratia, miſeratione, & humanitate vnigeniti tui filij Domini, & Dei, ac Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, cui conuenit omnis gloria, honor, & veneratio cum æterno eius Patre, & ſanctiſsimo, optimoq; vitæ authore Spiritu, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

4 Et hîc inuocat immaculatam Virginem.

SERMO DIVI EPHRAEM VIRI SANCTISSIMI, ET ILLVMINATISSIMI, ECCLESIAE EDISSENAE DIACONI, DE PASSIONE DOMINI SALVATORIS, AMBROSIO CAMALDVLENSI INTERPRETE.

LOQVI timeo, & narrationem plenam horroris linguæ officio aggredi. Eſt enim reuera metus ingens de paſsione Domini Saluatoris verba facere, & tentare tantæ rei indignitatem explicare. Hodie nanq; Dominus noſter traditus eſt in manus peccatorum. Sed cuius rei gratia eſt traditus ſanctus, innocens, cœleſtis Dominus, ac ſine peccato? Qui nihil peccauerat, hodie traditus eſt. Venite, fratres, diſcamus quare traditus ſit Chriſtus Saluator noſter. Propter nos impios Dominus traditur. Quis non admiretur? quis non obſtupeſcat? Peccantibus ſeruis Dominus traditur, vt liberet à morte proprios ſeruos, qui ante peccauerant. Perditionis, ac tenebrarum filij in tenebris exierunt eum comprehendere, qui in iſtu oculi poterat omnes exurere. Vidit illorum audaciam Dominus, & veſanam iracundiam, ſeq; ipſum cum omni manſuetudine ſponte ſua impiorum tradidit manibus. Vinxerunt perditi immaculatum Dominum, illuſeruntq; ei, qui alligauerat fortem inſolubilibus nexibus, noſq; à peccatorum noſtrorum vinculis ſoluerat. Texuerunt & coronam ſpinarum, quas pro fructu tulerat vinea Iudæorum. Illuſerunt ei, Regem appellantes, & conſpuerunt in faciem eius, cuius aſpectum omnes cœlorum virtutes contremiſcunt. En rurſus anguſtia, dolor, & lachrymæ cor meum occupant, dum conſidero Dominum contumelias, probra, verbera, ſputa tanta lenitate tolerantem. Venite, diſcamus miſerationum ipſius magnitudinem. Dulcis Dominus ſeruum inutilem, & incontinentem habuit in paradiſo voluptatis, qui vbi peccauit, tortoribus traditus eſt. Vidit pius Dominus deficientem inter flagella, & miſericordia motus, vt ſeruum eximeret à pœna, ſemetipſum pro illo flagris expoſuit.

Volebam hic finem facere ob nimij ſtuporis magnitudinem, ſed

rurſum veritus ſum, ne per meum ſilentium, irritarem Spiritus gratiam. Pauco tamen, fratres, non leuiter, dum iſta pronuncio, tremunt'que omnia oſſa mea, cùm ea diligenti admota conſideratione diſcutio. Ipſe omnium conditor Deus noſter, & Dominus ante Caipham hodie ſiſtitur, quaſi vnus ex reis, vnus'que miniſtrorum ei alapam dedit. Tremit cor meum, hæc omnia cogitans. Sedet ſeruus, Dominus ſtat, & qui plenus erat ſceleribus, contra inſontem, atque ab omni peccati labe alienum ſententiam dictat. Contremuerunt cœli, fundamenta orbis terræ concuſſa ſunt, expauerunt Angeli omnes, atque Archangeli, Gabriel, & Michael facies ſuas alis contexerunt, Cherubim trementia ſub rotis ſe abdiderunt, Seraphin illa hora alas ad inuicem colliſiſſe viſa ſunt, cùm daret miniſter iniquitatis alapam Domino maieſtatis. Quomodo igitur non protulerunt fundamenta terræmotum, atque tremorem, cùm horà illa contumelijs affici creatórem ſuum cernerent? Cogito, ac tremore concutior, rurſus'que compungor, intuens leniſsimam tolerantiam benigniſsimi Domini. Tremunt ecce renes mei, dum loquor. Creator, qui de puluere terræ hominem per gratiam finxerat, à manibus, quas ipſe formauerat, alapam accipit.

Caueamus ſolicitè, fratres, ne iſta omnia ſimpliciter audiamus, quæ pro nobis Dominus pertulit, ſed ea ſolicitè ruminemus, & iugi meditatione voluamus. Dic, miniſter infelix, dic ſerue nequam: Cuius rei gratia Dominum alapis cædis? Serui quidem omnes cùm liberi efficiuntur, accipiunt alapam, vt mortali libertate potiantur. At ipſe, ò infelix, cùm ſit omnium liberator, iniuſtè alapa cæditur. Quid putas mercedis accipere à Caipha pro huiuſmodi alapa? Ergo'ne non audiſti? Ergo'ne non didiciſti, quoniam filius eſt omnium Domini? Alapam quidem dediſti omnium Domino, ſed ſeruus ſeruorum factus es in æternum, opprobrium, & abominatio omnium, æterno damnatus incendio. Grande miraculum, fratres, ſtuporis pleniſsimum eſt, cernere Chriſti Regis, ac Domini noſtri manſuetudinem. Palma cæſus à ſeruo, rationabiliter, prudenter'que reſpondit cum omni manſuetudine, ac reuerentia. Seruus furit, Dominus patitur. Iraſcitur ſeruus, Dominus in ſua benignitate perſiſtit. Indignationis aculeos, rixam'que tumultuantis animi, iræ maximè tempore, quis continet? Dominus noſter hæc omnia pertulit benignitate ſua. Quis tuam, ò mitiſsime Domine, patientiam, aut ferre, aut explicare poſsit.

Huc accedite, chariſsimi, dilecti Chriſti, compunctione ſimul & affectu ſummo Redemptoris illecti. Venite conſideremus pariter, quid hodie contigit in Sion ciuitate Dauid. Semen Abrahæ charum, atque electum, quid hodie geſsit. Immaculatum nempe Dominum, tradidit morti. Hac die Chriſtus Saluator noſter per iniquorum manus iniuſtiſsimè ligno Crucis affixus eſt. Venite omnes, & corpus noſtrum abluamus lachrymis, atque gemitibus, quia Dominus noſter, & Rex gloriæ pro nobis impijs morti eſt traditus. Si quis fortè noſtrum dilectiſsimi cuiuſpiam, atque chariſsimi audiat ſubitò mortem, vel ipſum dilectum mortuum ante oculos ſuos iacere repente conſpiciat, immutatur facie, eiuſq; ſerenitas aſpectus obnubilatur. Ita & lucidus ſol ex alto cœli axe contumeliam Domini pendentis in Cruce conſpiciens, immutatus eſt facie, contraxit lucis ſuæ igneos radios, iniuriam'que Domini videre non ſuſtinens, mœrore ſe veſtiuit, & tenebris. Ita & Spiritus ſanctus ex templo conſiderans dilectum Ieſum appenſum in ligno Crucis, rupto honeſto illo templi velo à ſummo vſq; deorſum, continuò exiuit de templo. Creatura omnis in metu, ac tremore fuit, quando mortuus eſt Saluator noſter, cœleſtis Rex, Dominus maieſtatis. Nos autem peccatores etiam contemnimus ſemper, propter

quos ille traditus eſt, qui ſolus ſine peccato fuit. Ridemus quotidie audientes paſsiones, & contumelias Domini, & Saluatoris noſtri, diebus'que ſingulis delicias quærimus, ac omni ſtudio veſtis curamus ornatum. Sol ecce propter contumeliam Domini, ſplendorem lucis ſuæ conuertit in tenebras, vt nos videntes ipſum imitemur. Dominus tuus, ò infelix, pro te in Cruce contumelijs afficitur, & tu veſtis mollitiem, & ornamenta ſectaris? Non tremit cor tuum, non mens tua exhorreſcit hæc audiens? Qui ſolus ſine peccato eſt, propter te impiæ traditur morti, iniurias, opprobria, verbera patitur; ipſe vero ſuperbia tumidus audis hæc omnia?

At verò congruum, ac decens eſt, vt grex rationalis vniuerſus paſtorem ſuum iugiter ambiat, eum'q; ſemper videre deſideret. Ita obſecro, reueremini illum. Nolite cibis 1 lautioribus, & delicijs ſeculi contra propoſitum religionis aſſueſcere, ſed in omni exercitatione veſtra in paſtorem veſtrum ſemper intendite, vt ab eius veſtigijs nuſquam aberretis. Ne, quæſo, imitatores Iudæorum ſimus, vt populus durus, perfidus, inobediens, & bona Dei, Saluatoris'que beneficia irritans iugiter. Altiſsimus propter Abraham fidelem famulum ſuum, pronum'q; ipſius deuotionis affectum, tulit ab initio duritiam, ac perfidiam populi, manna de cœlo ad manducandum dedit eis; verùm ipſi cœleſti cibo indigni, allia concupierunt, cibos planè malè olentes. Aquam rurſus ex petra in deſerto eis produxit, ſed ipſi horum vice ſibi acetum dederunt, ſuſpendentes in ligno. Caueamus, fratres, ne Iudæorum participes inueniamur, crucifigentes Dominum creatorem noſtrum. Metuamus ſemper, habentes ante oculos paſsionem Redemptoris noſtri. Meditemur aſsiduè pœnas ipſius, atq; ſupplicia. Propter nos enim paſſus eſt impaſsibilis Dominus, pro nobis crucifixus eſt, qui ſolus ſine peccato fuit. Quid nos, fratres, ei reddere, quid tantis eius beneficijs retribuere vnquam poterimus? Attendamus ergo nobis ipſis, ne paſsiones eius irritemus. Huc omnes, Eccleſiæ filij, accedite, qui ſancto, & pretioſo ſanguine immaculati agni redempti eſtis. Venite, meditemur paſsiones Chriſti cum gemitu, & lachrymis, atq; inter meditandum contremiſcamus, dicentes ad inuicem: Chriſtus Saluator noſter pro nobis peccatoribus morti traditus eſt. Perpende, frater, quid'nam ſit quod audiſti? Deus ſine peccato, Altiſsimi filius, pro te traditus eſt. Aperi cor tuum, conſidera ipſius paſsiones diligenter, & ita tecum tacitus volue. Deus, in quem peccatum cadere non poteſt, hodie traditus eſt, hodie illuſus, hodie conſputus, hodie flagris cæſus, hodie percuſſus alapis eſt, hodie coronam ſpineam tulit, hodie crucifixus eſt cœleſtis agnus. Contremiſcat cor tuum, horreat anima tua, in huiuſmodi meditatione paſsionum Domini tui quotidie lachrymas funde. Dulces quippe nimium ſunt eiuſmodi lachrymæ, illuſtratur'que anima paſsiones Chriſti iugiter verſans. Huiuſmodi ſit ſemper meditatio tua. Lachrymare quotidie, gratias referens Domino pro his, quæ pro te paſſus eſt, vt in die aduentus eius ſint tibi lachrymæ tuæ gloria, & exultatio ante tribunal illud terribile iudicis. Affligere tu quoque, dum intentè cogitas, quæ pro te pertulit pius, ac mitiſsimus Dominus. Tolera tentationes, gratias ex animo referens. Beatus ſanè, qui ſemper ante oculos habet cœleſtem Dominum, & paſsiones eius, qui'que ſeipſum crucifixit mundo, qui omnibus vitijs, terreniſq; negocijs mortuus eſt, qui imitator factus eſt Domini ſui. Hæc ſapientia, hæc prudentia, hic affectus eſt fidelium omnino famulorum, cùm ſemper imitatores fiunt Domini ſui in operibus bonis. Aſpicis, ò homo, immaculatum Dominum in Cruce pendentem, & audes infelix in delicijs, & riſu peragere curſum, quo viuis in terra? An ignoras, miſer, quod is, qui crucifixus eſt, Dominus, de his omnibus abs te exiget rationem? Tu quidem nunc negligis, & contemnens rides,

1 Vide hîc imponi delectũ ciborum, & à lautioribus abſtinẽtiam.

& paſsim delicijs ſolueris, ſed veniet profectò dies illa terribilis, dies vltionis, cùm ſine fine lugebis, ac præ doloribus tuis in igne perpetuo cum eiulatu proclamabis, neq; erit omnino qui reſpondeat, & miſereatur animæ tuæ.

Adoro te, Domine, benedico te, pie, precor te, ſancte, tibi procido, amator hominum Domine, te, immaculate, glorifico, quoniam tu vnigenitus Dominus omnium, qui ſolus ſine peccato es, pro me indigno, & peccatore morti traditus es, & morti Crucis, vt peccatoris animam liberares, & à peccati nexibus ſolueres. Quid tibi pro his omnibus retribuam, Domine? Gloria tibi, piiſſime, gloria tibi, miſericordiſsime, gloria tibi longanimis, gloria tibi, qui omnia peccata remittis, gloria tibi, qui deſcendiſti ſaluare animas noſtras. Gloria tibi, q te in vtero Virginis noſtra carne veſtiſti, gloria tibi, q p nobis es natus. Gloria tibi, qui propter nos tentus es, gloria tibi, qui vinctus es, gloria tibi, qui flagris cæſus es. Gloria tibi, qui conſputus es, gloria tibi, qui crucifixus es, gloria tibi, qui ſepultus es, gloria tibi, qui reſurrexiſti die tertia. Gloria tibi, qui prædicatus es, gloria tibi, qui creditus es, gloria tibi, qui aſſumptus es in cœlum, gloria tibi, qui cum gloria ingenti ſedes ad dexteram patris. Gloria tibi, qui iterum venturus es in gloria Patris, & ſanctorum Angelorum, ad iudicandum omnem animam, quæ irritas facit ſanctas paſsiones tuas, in hora illa horrenda, atque terribili, quando virtutes cœlorum mouebuntur, cùm ſimul venient Angeli, Archangeli, Cherubin, & Seraphin cum tremore magno in conſpectum gloriæ tuæ, cùm tremefacta quatientur fundamenta terræ, & ſpiritus omnis exhorrebit præ inæſtimabili gloria immenſæ maieſtatis tuæ. In illa hora, quæſo, operiat me manus tua ſub alis ſuis, & liberet animam meam à ſempiterno igne, & ſtridore dentium, & exterioribus tenebris, & perpetuo gemitu, vt ego te ſanctum Dominum, & Redemptorem noſtrum benedicens, dicam: Gloria tibi, Domine, qui me peccatorem per immenſas miſerationes benigniſsimæ pietatis tuæ ſaluare dignatus es. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuis, & regnas, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

LAMENTATIO SANCTISSIMAE DEI GENITRICIS PROPE CRVCEM STANTIS PER EVNDEM DIVVM EPHRAEM.

STANS apud Crucem puriſsima Virgo, Saluatorem'que in ligno ſuſpenſum ſuſpiciens, plagas reputans, intuens & clauos, querelas, colaphos, ac flagellationem, cum grauibus ſuſpirijs, cum fletu ingenti, cum lamentis doloroſiſsimis exclamauit, dicens: Mi fili dulciſsime, dilectiſsime fili, quomodo Crucem ſuſtines? Mi fili, & mi Deus, quomodo ſputa, clauos, & lanceam, quomodo pateris alapas, riſus, iniurias, ſpineam coronam, purpuream veſtem, ſpongiam, arundinem, fel, & acetum? Quomodo pendes in Cruce denudatus, mi fili, qui cœlum nubibus contegis? Quomodo ſitim fers, qui es opifex, qui'q; mare, & aquas omnes creaſti? Quomodo moreris inſons in medio ſceleſtorum? Quid'nam commiſiſti? Qua in re, fili mi, Hebræos offendiſti? Et cur ergo te iſti ſimul iniqui, ſimul ingrati Cruci ſuffigunt? Quorum claudos, & permultos valetudinarios ſanaſti, mortuos viuificaſti, paralyticum, ideſt mẽbris omnibus laxatum conſolidaſti, mi fili pientiſsime; qui ab vtero cæcum illuminaſti, mi ſaluator, viduæ filiũ ſuſcitaſti, ô omniũ vita; qui filiã Chananææ ſeruaſti, Centurionis filiũ à morte liberaſti. Arena, quantumuis numeroſa, menſurã habere poteſt, at tua miracula, fili, omnẽ prorſus modũ excedunt. Lazarum à monumento ſuſcitaſti; Mi Lazare, inquiens, exi de ſepulchro; & vox tua eũ traxit ab inferis, & ad vitales auras reuocauit. Tu verò quomodo interis, mi fili dulciſsime, magnanime Deus? Deficio te ſuſpiciens in ligno ſuſpenſum, conclauatum, plagis'q; plenum, mi fili.

O Iudæi illeges, & Chriſti interfectores, iniqui in Deũ, & in creatorẽ veſtrum ingrati, non'ne manna vos aluit in eremo? Non'ne mare per Moyſem diremit? Non'ne traduxit in terrã promiſsionis? At tu, popule nequã, & Chriſti abnegator, pro cõmodis, & bonis cõtraria reponis, pro mãna fel, pro aqua acetũ. Amariſsima te potione potarunt impij, mi fili. Quinq; panibus aluiſti quinque hominum millia; Iudæam tuis concionibus impleſti, mi fili. Vbi nunc pulchritudo tua, fili? Vbi tuus modò decor? Quomodo in Cruce extinctus es, mi fili, & Deus meus? Sol lumen ſuũ obſcurauit, & alius factus eſt, ſplendida luna in tenebras euanuit, petræ ſunt perfractæ, & monumenta aperta, templi'q; velum in duo eſt diſciſſum. Creaturæ conditorem ſuum, & opificem cognouerunt; & hi peruerſi, & miſeri Hebræi aures obſtruxerunt, oculos clauſerunt, ne ſolem nunquam occidentem ſuſpectarent, fili mi.

O Gabriel Archangele, & miniſter Domini, ô Gabriel Archangele, agẽ

cauſam tuere. Vbi nunc illud Aue? Vbi benedictum Aue, quod mihi dixiſti, Angele? Vbi nunc lætitia, ac benedictio, qua dixiſti ad me, Benedicta tu in mulieribus? Ad quid verò mœrorem, & victimam filij mei, quam eram acceptura, non denunciaſti? Semper tribulationes, gemitus; Iudæorum immenſam inuidiam, ingratitudinem peruerſorum, & tranſgreſſorum. O' Symeon admirande, en nunc gladius, quo mihi prædixiſti cor meum traijciendum. Ecce gladium, ecce vulnus, fili, & Deus mi. Tua mors meum cor ſubijt, viſcera mea ſunt diſrupta, meum lumen obtenebratum eſt, & pectus meum grauis pertranſijt gladius. Horrendam cerno paſsionem tuam, mi fili, & Deus mi. Video immeritam cædem tuam, nec ferre opem poſſum. Vbi tua nunc forma, mi fili? Miſerere deiectæ, & orbatæ, mi fili. Miſerere, ò ſuauiſsime, abiectæ Mariæ. Miſerere, clementiſsime, & me ſolare. Proſpice, fili mi, lachrymas, attende meos gemitus, & aperi os tuum. Da mihi ſolatium. Non habeo prorſus, mi fili, quò caput reclinem. Non alium cognatum, patrem, aut matrem, vel fratrem, vel ſororem, qui mihi animum reddat. Tu mihi pater, tu mater, tu frater, tu filius. Tu mihi vita, & ſpiritus, ſpes mea, & protectio. Tu mea conſolatio, tu & creatio, tu Deus meus, tu creator meus, tu opifex meus. Lugete mecum omnes diſcipulæ Domini, dolorem meum, & vulnus profundum cordis mei contuentes.

Decumbe, Crux ſanctiſsima, lignum benedictum, vt plagas filij mei, & Dei mei exoſculer, ad conſolandum proprium filium meum, vt amplectar filij mei corpus, vt os ſuauiſsimum deoſculer, oculos, faciem, manus, & cædem iniquam. Decumbe, Crux mea, decumbe. Magna, ò Crux, gloria tua, magna tua gratia, magna poteſtas tua. O' lignum benedictum, quoniam innocens Deus, & creator tuus, tanquam latro, & nocens ſuper te expanſus eſt. Fili mi chariſsime, veneror tuas afflictiones, colo, & adoro tuam miſericordiam, & magnanimitatem. Honoro 2 lanceam, vulnus, arundinem, clauos, ſpongiam, alapas, opprobria, & acetum, colaphos, & ſputa, & verbera, fili mi, quandoquidem tuæ creaturæ cauſa iſta ferre ſuſtinuiſti. Dedecus tuum, fili mi, decus cunctis factum eſt. Mors tua facta eſt mundi totius vita. Cæterùm reſurgito quamprimum, fili mi & Deus, quemadmodum prædixiſti mihi, vt ſaluus fiat mundus. Mortem conculcaſti, & interitum, vt gaudeam ego humilis mater tua, & mecum lætentur dilecti tui. In verecundiam autem, & confuſionem tui inimici omnes deueniant.

2 Sanctiſsima Virgo nõ negligit, non ſpernit lanceam Domini, arundinẽ, clauos, ſpongiam, & cætera Dñicæ paſsionis inſtrumẽta, ſed honorat.

At verò nos te, ò immaculata, & benedicta, filij tui, Deiq; omnium mater inculpata, pura, integra, ſacroſanctiſsima, deſperatorum ſpes, & damnatorum, collaudamus, benedicimus tibi, vt gratia plenæ, quæ Chriſtum genuiſti, omnes 3 tibi aduoluimur, omnes te imploramus. Etue nos, ò intemerata, ab omni neceſsitate, à cunctis diaboli tentationibus. Eſto noſtra conciliatrix, & aduocata in hora iudicij. Libera nos à futuro igne, & tenebris. Et tui filij gloria, Virgo, nos dignare. Tu nanq; es ſpes apud Deum Chriſtianorum ſanctiſsima, cui honor in ſecula ſeculorum. Amen.

3 Ecce quomodo ſanctiſsimam Dei genitricem inuocat, nec propter id iniuria infertur Domino noſtro Ieſu Chriſto.

EIVSDEM

EIVSDEM DIVI EPHRAEM SERMO DE SANCTA, ET VIVIFICA CRVCE.

NOS CHRISTIANI à Gentilibus, ac Iudæis declinemus, poſtes'q; noſtros p̃cioſa, ac viuifica Cruce coronemus, dicentes cum Apoſtolo Paulo: Mihi abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Pingamus 4 in ianuis, atque in frontibus noſtris, & in ore, & in pectore, atq; in membris omnibus, viuificum ſignum. Armemur inſuperabili hac Chriſtianorum armatura. Ea enim victrix eſt mortis, fidelium ſpes, lux orbis terræ, paradiſi reſeratrix, profligatrix hæreſeum, monachorum adminiculum, firmamentum fidei, magna, ſalutaris'que cuſtodia, & gloria perpetua Orthodoxorum in æternum. Hanc, ò Chriſtiane, armaturam diebus ſingulis, & noctibus, horis, atq; momentis in omni loco circunferre non deſinas, nihil'q; ſine ipſa perficias; ſed 5 ſiue dormias, ſiue iter agas, ſiue euigiles, ſiue operi inſiſtas, ſiue manduces, ſiue bibas, ſiue maria nauiges, ſiue tranſmittas flumina, hac te lorica circuntege, membra'que tua omnia ſalutari ſigno exorna, atque circunſepi, & non accedent ad te mala. Hoc enim ſigno conſpecto, aduerſariæ poteſtates conterritæ, trementes'que recedunt. Crux 6 ipſa Chriſti veraciter ſanctificauit orbem, fugauit tenebras, lucem'que reuexit. Hæc eliminauit errores, viam'que monſtrauit. Hæc ab Ortu Solis, & Occaſu, à Septentrione, & Meridie, collegit gentes, atque in vnam Eccleſiam, in vna fide, ſub vno capite in charitate connexuit. Hæc Orthodoxorum inexpugnabilis murus eſt.

4 Ecce quomodo olim etiã ſignum viuificæ Crucis vbiq; pingebat, eò quòd inſuperabilis Chriſtianorum ſit armatura.

5 Semp̃ ſignare ſe debet Crucis ſigno vir Chriſtianus, vt & mala ad illũ non accedãt, & contrariæ poteſtates conterritæ, & tremẽtes recedant.

6 Vide, & obſtupeſce ſanctæ Crucis virtutem.

Quod os, quæ labia, quæ lingua, dignè p̃ merito laudare poterit victricia arma æterni Imperatoris noſtri Chriſti? Crux Caluariæ in loco defixa, mox vitæ noſtræ feliciſsimum botrum ſine opere humano pullulauit. Hoc denique pretioſiſsimo ligno, Chriſtus Deus noſter inferni voraciſsimum dirupit ventrem, nimis'que patulum diaboli obſtruxit os. Eo conſpecto, contremuit mors, omnes'que, quos à primo homine vſque ad id temporis, ſubditione ſua tenuerat vinctos, dimiſit. Crucis armis accincti ſancti Apoſtoli, omnem inimici calcauere virtutem. Hac ſe thoracis vice munientes milites Chriſti, beatiſsimi martyres, omnes artes, & inuentiones, atrocitates'que tyrannorum ſuperarunt. Hanc baiulantes ſancti monachi, ſeculo valefacientes, ſummo cum gaudio, & alacritate in ſolitudinibus, & montibus, & ſpeluncis, cauernis'q; terræ ſibi ſedes elegerunt. O' ineffabilem, immenſam'que

bonitatem benigniſsimi Dei, qui tam magna, tamque præclara munera, humano generi Crucis indulſit vexillum. Hæc autem ſancta Crux rurſus in conſummatione ſeculi, cùm ſecundus illuxerit Domini Saluatoris aduentus, prima, cum gloria ingenti, & Angelicorum exercituum infinita multitudine apparebit in cœlo, inimicos quidem terrens, ac vexans, fideles autem illuminans, atque lætificans, aduentumque cœleſtis Imperatoris annuncians.

De pretioſiſsima, & viuifica, diuinaq; Cruce hactenus diximus, etſi plura his dici poterant, ac fortaſſe debuerant.

SERMO DIVI EPHRAEM VIRI SANCTISSIMI, ET ILLVMINATISSIMI, ECCLESIAE EDISSENAE DIACONI, DE LAVDIBVS SANCTORVM MARTYRVM, AMBROSIO CAMALDVLENSI INTERPRETE.

INSIPIENS, imperitus, rudis pictor, & horridus, pulcherrimam ſpectatoribus proponere imaginem cupit, eamq́; lucentem, ac ſplendidam cunctis oſtendere, id eſt ſanctorum martyrum pugnam. Sed cùm dignis ea imagine coloribus careat, nec adſit manus, quæ in ea effigie lineamenta pfecta inſignire valeat, quo pacto præſumet iners, atq; rudis excedentem virium ſuarum modum, imaginem vel ornare coloribus, vel ſpectantibus ad intuendum proponere? Quoniam igitur ſuam non ignorat inertiam, neq; ſuæ humilitatis oblitus eſt huiuſmodi opifex, in oratione proſternitur deprecans Dominum omnium Regem Chriſtum, vt qui martyribus ſuis inter certamina donauit vires, atque inter preſſuras tolerantiam contulit, vt varias aſtuti inimici artes, & callidum ingenium vincerent, coronamq́; immortalem & immarceſsibilem raperent, ipſe Deus bonus, pius, ſanctus, rudi artifici, & imperito, ſapientiam, intelligentiam, ac virtutem præſtet, quibus imaginem pulcherrimam, atq; digniſsimam poſsit erigere, ſanctorumq́; martyrum glorioſa certamina, ſpectanda omnibus poſthac generationibus, atque admiranda proponere, vt poſteri addiſcant præclaram patientiam, eximiamq́; conſtantiam ſanctorum bellatorum. Fuerunt enim profectò nobiliſsimi, & conſtantiſsimi propoſiti, nimiumq́; laudabiles. Nam cùm perſecutionis ſæuiſsimæ feruor Chriſtiani gregis ſtrages plurimas daret, omnesq́; timidi, ac fide imbecilles certare renuerent, Chriſtum'que Dei filium confiteri pœnarum metu detrectarent, fortiſsimi iſti milites Chriſti inſtaurarunt aciem, & conſerto bello ſummis viribus fuderunt hoſtem, victoriaq́; potiti ſunt. Accincti enim lumbos ſuos fide integra, atque perfecta, interriti Chriſtum Dominum, ingentiq́; conſtantia confitebantur. Qui verò formidine, ac pauore ſuperati, terga hoſti dederunt, cœleſti regno ſeipſos abdicarunt. Miſeri profectò, atq; miſerabiles, quos torpor, atque ſocordia tanta gloria fecit indignos.

Stabant igitur certaminis tempore fortiſsimi bellatores Dei, tormenta omnia ſumma animi alacritate tolerantes pro nomine vnigeniti filij Dei, ac Saluatoris noſtri Chriſti. Quàm verò ſtrenui, quantaq; laude fortitudinis præditi fuere, qui ſubiecta oculis horrenda ſupplicia contra ſe parata, non modò nihil timuerunt, verùm maiori quoq; conſtantia pugnantes, cuncta tolerando ſuperarunt? Cernebant ardentem rogum, ignitas ſartagines, ollasq; feruentes, quæ feruore nimio guttas picis, & adipis longiùs iaculabantur. Aſpiciebant item ferratas, & aculeatas rotas inter ignium globos nimia celeritate verſari. Intuebantur ferreas vngues, laminasq; candentes, fuſtes, vectes, aculeos, terebra, compedes, atque cathenas, omnem'que prorſus artem, quam inimicus veritatis aduerſus confeſſores Domini Saluatoris inuenit. Omnia enim pœnarum genera in conſpectum martyribus hoſtis callidus dedit, vt in formidinem verteret ſanctos, & aſpectu ipſo, ac terrore pœnarum, lingua non amplius confiteri Dominum Ieſum metu impedita præſumeret.

Quid autem fideliſsimi, promptiſsimiq; bellatores Chriſti inter huiuſmodi ante oculos expoſita horrenda, inauditaq; ſupplicia? Promptiores effecti maiore fiducia, atq; conſtantia indubitanter, & intrepidè ante tribunalia iudicum, ac præfectorum Chriſtum Dominum confitebantur. Non ſtridens flamma, non ignitæ ſartagines, non ollæ feruentes, non rotarum horrendæ vertigines, non ardentes laminæ, non vnguium dentes, non cætera id genus tormenta, non compedes, non cathenarum pondus immenſum, non tyrannorum minæ, non principum fremitus, non ars tota diaboli, miniſtrorumq; eius exterruit fortiſsimos milites Chriſti, non impulit abnegare pietatem, non à charitate Dei, & Saluatoris abduxit; ſed præcincti fide, conculcarunt machinas omnes inimici, neq; illos omnino formido tentauit. Vidiſti ſeruorum fidelium robur? Vidiſti gloriam pugilum Chriſti, atq; conſtantiam? Vidiſti alacritatem ingentem cœleſte regnum tota fide quærentium, Chriſtumq; Regem ſuum omni affectu ambientium? Vidiſti fidem perfectam veraciter perfectorum? Vidiſti charitatem flagrantem in beatiſsimis pectoribus martyrum, pro qua terrena cuncta ſpreuerunt, vt Deum ſuum tenerent, quem dilexerunt? Vidiſti affectum Chriſti, quomodo à terra ſublimat exaltari cupientes? Vidiſti exultantem paradiſum amplecti, ac fouere ſui quoſdam auidos milites Chriſti in æterna luce, ac pace gaudentes?

Accede, mi frater chariſsime, pertracta, conſidera martyrum glorioſos triumphos. Aſpice oculis cordis cœleſtium pugilum eximiam fidem, inuiolabilemq; pietatis affectum. Non valuit vis immenſa pœnarum iuſtorum animos flectere; tam intrepidæ charitatis ardorem nec mors ipſa quiuit extinguere. Cæſi magno cum gaudio flagrorum ictus, vt ſummas delicias, ſuſcipiebāt, ſerenaq;, ac ridenti facie gratias Deo referebant, quia meruerant pro ipſius nomine pati. Quibus ego vos laudibus prædicem, ò perfecti milites Chriſti? Aut quomodo appellem vos, inclyti, atq; beatiſsimi viri? Quis veſtræ fidei laudes explicare ſufficiat? Obſtupuit nempe Oratorum facundia, Philoſophorumq; ſapientia, dum cernerent mirabilia in Chriſti famulis fieri. Iudicibus, ac Tyrannis verba defecerunt, ſanctorum martyrum conſtantiam, & alacritatem, immenſamq; athletarum Chriſti tolerantiam aſpicientibus. Nam dum lictorum manus eorum membra torquerent, viſceraq; nudarent, non mœrentes aſpexere, non triſtes, nec ſolùm inter cruciatus gemitum non ædentes, verùm lætiore facie gaudia interna teſtantes. Quippe illis ea erant tormenta pro requie, & carnifices obſequi potiùs, quàm ſæuire videbantur.

Nos autem, fratres, quam, obſecro, apud Deum in die iudicij excuſationem habituri ſumus, qui ſine perſecutionis atrocitate, & cruciatibus varijs,

charitatem Dei, vitamq́; noſtram ita negligimus, ac tanto corporis ſomno demerſi ſumus? Martyres ecce vexati, afflicti, tentati, exquiſitisq́; tormentis cruciati, Deum ex toto corde, totaq́; mente dilexerunt. Nullis tentationibus, nullis, grauiſsimis licet, acerrimisq́; ſupplicijs flecti potuit tanta conſtatia. Nullis perſequentium terroribus diuinæ charitatis ardor in ſacris pectoribus quiuit obtundi. Nos verò in requie, atq; delicijs benigniſsimum Deum, ac Dominum noſtrũ diligere volumus. Quid igitur acturi, quid dicturi ſumus in die illa terribili, cùm beatiſsimi martyres propè ſolium gloriæ magna cum gloria, & confidentia aſtantes, oſtendent cicatrices vulnerum, atrociumq́ pœnarum in ſuis corporibus lucentes, fulgoremq́; Solis ſua claritate vincentes? Nos quid'nam ibi, fratres, oſtenſuri ſumus? Quas virtutes præferemus? Num charitatem Dei? Num inuiolabilem fidem? Num terrenorum omnium nuditatem? An fortè tranquillitatem? An quietem? Num eleemoſynas? Num miſerationis affectum? An manſuetudinẽ? An orationes mundas? An compunctionẽ ſalutarem? An vigilias? An lachrymas? Beatus ſanè, felixq́; eſt, quem illic iſta comitantur. Nã erit profectò tunc martyrum ſocius, neq; à cœleſti, & pleno luminis thalamo abijcietur, ſed eandem habebit confidentiam coram Chriſto Domino, & Angelis eius, his operibus fretus, gloriamq́; nihilò martyribus inferiorem.

Precamur, beatiſsimi martyres, qui pro Domino Saluatore, proq́; illius charitate ſponte, & impigrè tormenta ſubijſtis, atq; ideò familiariùs Domino coniuncti eſtis, vt 1 pro nobis miſeris, & peccatoribus, & negligentiæ ſqualore ſordentibus, Dominum interpellare dignemini, vt ſuperueniat in nos gratia Chriſti, quæ corda noſtra radio ſanctæ charitatis illuſtret, vt ipſum toto corde diligere poſsimus. Vos nempe verè beati, atque glorioſi eſtis, quos Angeli, & homines pari conſenſu beatos prædicant. Nam preſſuræ tempore, cùm pœnarum dolor augeretur, vos ante mentis oculos paradiſum habebatis, vobiſcum iſta reputantes: Multiplicentur hîc ſupplicia corporis, vt illic in paradiſo voluptatis propagetur & requies. Cùm'que in altum ſe attollerent fluctuum montes, & moles vndarum per ſupplicia paſsionum, beatitudo 2 vobis à Deo repromiſſa iugiter verſabatur ante oculos, perfectè credentibus non poſſe mentiri Deum, qui iſta promiſerat. Quoniam igitur futura illa, & ſempiterna bona iugiter intuebamini, certi vos eis ſine fine fruituros, idcircò, beatiſsimi, flecti, molliri'que non potuit veſtra conſtantia. Læta, & exultans futurorum expectatio, fortes vos, ac robuſtiſsimos fecit. Itaque horis ſingulis noua vobis admoueri acriora ſupplicia cupiebatis, neq; ſatiari pœnis poteratis. Vidit vos truculentus arbiter ſecuros, fidentes, intrepidos in agone perſiſtere, nullam'que pœnarum acerbitatem, nullos verberum ictus, nullas carnificum manus omnino formidare, fractas'que ſuæ nequitiæ vires obſtupuit, ac doluit. Vbi verò cruciatus omnes, ò fortiſsimi athletæ Dei, immenſa virtute viciſtis, arbitrabatur inſanus Iudex per ferri metum robur veſtræ conſtantiæ in formidinem poſſe conuertere, negaturos'que Chriſtum putauit, quem toto animi affectu concupiſtis, qui'que in cordibus veſtris, vt in puriſsimo, gratiſsimo'que domicilio inhabitabat. Ignorabat amens, fore, vt ipſius gladius, qui immenſos ſanguinis riuos, ſtrictus in ſanctorum iugulum, fuderat, ſibi in primis pararet necem, vt ipſis pij cruoris vndis ſuffocaretur infelix. Aiebat autem militibus ſuis victus, atque confuſus: Timeo, ac trepido vehementer hunc ſanguinem, qui de cæſorum pro Ieſu Nazareni nomine ceruicibus manat. Se inuicem hortantur ad mortem pro ipſius confeſsione ſubeundam. Terret me tanti ipſorum cruoris effuſio, neque ad momentum, ante tantum diſcipulorum Chriſti conſenſum, tantam'que concordiam fidei conſiſtere poſſum. Pœnitet

1 Vide quomodo etiam veteres patres inuocabant ſanctos, & vt apud Dominum pro ſe intercederẽt ſupplicabãt.

2 Nota valere illa opera ad coronã, quæ etiã ſiũt æternæ beatitudinis reſpectu.

me iam facti mei, mallemq; aduerſus eos non concitaſſe principū animos. Ecce enim illorū ſanguis me vndiq; exagitat. En ſanguinis odor meas exoluit vires, ac nequeo penitus illuc intendere aciē, vbi Diſcipulorū Ieſu oſſa inhumata iacent.

Hæc ſunt, ò formoſi milites Chriſti, inſignia veſtræ victoriæ. Iſta, ò athletæ probatiſsimi, perfectiq; diuini prælij bellatores, veſtræ fidei, ac fortitudinis præmia. Iſtæ veſtræ victoriæ, hæc gloriatio veſtra. Mors veſtra perennem vobis peperit vitā. Conſpexere ſapientes ſtragem veſtram, ac in ſtuporem conuerſa eſt illorum ſapientia, attonitiq; ad alterutrum dicebant: Verè magnus eſt Chriſtianorum Deus, in quem illius diſcipuli ita crediderunt, vt ab eius fide nullis ſupplicijs amoueri poſsint. Sæpè autem & tortores ipſi, beatorum tanta permoti conſtantia, Chriſtum venerabiliter adorauerunt, factiq; ſunt in timore Dei, ac fide perfecti, tolerantia maximè martyrum, & exhortationibus, quibus ſe mutuò in ipſo ardore certaminis ad paſsiones tolerandas animabant, prouocati. Vidiſtis, fratres, diuini conſenſus eminentiam? Vidiſtis, dilectiſsimi, charitatem Dei, membra ſua inter labores, paſsionesq; roborantem? Nam ſancti illi ſe inuicem in ipſo certaminis feruore ad perferendos pro fide Chriſti cruciatus hortabantur, puſillanimesq; conſolabantur, vt ipſi quoq; illorum ſerui vnà cum dominis in ſancto certamine martyrij corona donarentur. Nos contra mali, atq; peruerſi, inuicem inuidemus, inuicem comedimus, inuicem mordemus ob immanitatem nequitiæ noſtræ. Agè igitur ſanctorum martyrum eſto diſcipulus. Si te illis in diſciplinam tradas, erunt tibi præceptores optimi, diſces que ab illis nulla ratione paſsionibus cedere; diſces ab eis perfectam fidem, charitatem Dei, ingentemq; miſerationis affectum, ac futurorum deſiderium. Hi enim ardentem rogum virtute Dei, & fide perfecta vicerunt. Vince igitur & tu ſemper ardentes noxiæ concupiſcentiæ flammas. Varios illi cruciatus tolerando ſuperarunt, ſpe, quæ eſt in Chriſto, ſubnixi. Tu quoq; turpes omnes paſsiones, pudicitia, & cogitatione pietatis admota, ſuperare contende. Vicerunt illi tyrannos per modeſtiam, & longanimitatem. Vince tu quoq; iracundiæ tyrannidem eiſdem armis inſtructus. Illi apertè martyres fuere. Tu in occulto martyr eſto perfectus. Illi palàm conſummauere certamen, vt in die retributionis tu cum ipſis coroneris, atq; in cœleſti regno illorum gloriæ ſocius inueniaris, atq; vnà ſempiterno gaudio fruaris.

Nunc igitur, beatiſsimi viri, ò glorioſiſsimi martyres Dei, me miſerum veſtris iuuate 3 precibus, vt in illa hora miſericordiam conſequar, quando manifeſta erunt occulta hominum. Vt pincerna inutilis, ac rudis vobis effectus ſum, ò ſanctiſsimi martyres. De vino veſtri certaminis inclyti, filijs, ac fratribus fidei veſtræ poculum tradidi. De præclara menſa veſtræ victoriæ omnigenis inſtructa epulis, patres, ac fratres, propinquosq; veſtros quotidie menſam veſtram adeuntes, toto animi affectu recreare contendi. Nam ecce pſallunt, Deumq; cum exultatione glorificant, qui virtutis veſtræ ſacratiſsima capita cœleſtibus coronis honorauit, ſummoq; cum gaudio circunſtant certaminis veſtri reliquias, benedici cupientes, ac ſecum referre ſancta animæ, corporisq; remedia. Omnes ergo benedicite, vt boni diſcipuli benigniſsimi Domini, & Saluatoris noſtri. Ego item imbecillis, accepto veſtris meritis, ac precibus robore, cecini tota deuotione animi ante ſanctas reliquias veſtras hymnum veſtræ laudis, & gloriæ. Pro 4 me igitur miſero ante thronum maieſtatis aſsiſtite, vt veſtris precibus ſaluari merear, ac vobiſcum æterna beatitudine perfrui, gratia, & miſericordia Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui eſt cum Patre, & Spiritu ſancto honor, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

3 Ecce quomodo ſancti pro nobis orant.

4 Aduerte verba hæc. Pro me miſero ante thronū maieſtatis aſsiſtite, vt veſtris precibus ſaluari merear, ac vobiſcū æterna beatitudine perfrui.

SERMO DIVI EPHRAEM DIACONI ECCLESIAE EDISSENAE AD MONACHOS DE SANCTIS QVIBVSDAM PATRIBVS, QVI TEMPORE ILLO REQVIEVERANT.

COR meum doleo. Compatimini mihi, fratres mei, fidelissimiq; conserui. Venite, audite. Anima mea doloribus angitur, dolent pedes, deficiunt renes. Vbi sunt lachrymæ, vbi sacra compunctio, vt corpus meum gemitibus, & lachrymis abluam? Quis me transtulit in locum inhabitabilem, vbi non erat omnino lux, aut vox filiorum hominum, vbi serenitas deerat, atq; tranquillitas, vbi tumultus aderat intercipiens lachrymas, confusioq; impediens luctum? Exaltans verò vocem, fleui ad Deum, amaras lachrymas fundens, atq; inter gemitus dixi: Sana me, Domine, & sanabor. Nimis enim angitur cor meum, & gemitus eius non ſinunt me vel ad momentum requiem capere. Video enim, Domine, quoniam ſanctos tuos, veluti aurum electum, aſſumis ex huius ſeculi vanitate in æternæ vitæ feliciſsimam requiem, & tanquam ſapiens, & peritus agricola, plenos prudentia, & bonorum operum fructibus colligis iuſtè, & in horrea vitæ recondis. Nempe enim fructus noſter lachrymis caret, quibus irroretur, compunctionemq; non habet, vt ex afflatu lachrymarum viridis fiat; ſed neq; humilitatem habet, vt æſtum vehementem amœna obumbratione coërceat. Nuditate itidem caret, quæ illum ab aduerſarijs opprimi nequaquam permittat. Non habet charitatem Dei, radicem ſcilicet validam, quæ ſuſtinet fructum. Non contemptum terrenarum rerum, atq; curarum, quæ ſunt profectò vermis corrodens, atq; conſumens acriter fructus. Non vigilias, neq; peruigilem ſenſum, nec ſine imaginibus varijs in oratione perſiſtentem; ſed harum vice virtutum optimarum, contraria omnino habere conuincitur, iram ſcilicet acrem, atq; furorem fructus perimentem, vt ad nihilum iam vtiles ſint. Rerum immodica poſſeſsio illū deorſum incuruat. Angor animi, & huiuſmodi cætera fructum non ſinunt mateſcere, vt Domino ſuo in vſum eſſe poſsit, cœleſti ſcilicet agricolæ.

Væ mihi, anima, væ mihi; dolore perſtringere, & lachrymas funde, quæ patribus ſanctis, & probatiſsimis monachis repente orbata es. Vbi modò ſunt patres? Vbi ſunt modò perfecti? Vbi ſunt ſancti? Vbi ſunt iuſti? Vbi ſunt

vigiles? Vbi ſunt ſobrij? Vbi ſunt humiles? Vbi ſunt mites? Vbi quieti? Vbi continentes? Vbi expediti, ac nudi? Vbi religionis ornamenta? Vbi nulla fictione fucati? Vbi compunctionis gratia ornati, Deoq́; grati, atq; chariſſimi, qui cùm Deo in oratione aſſiſterent, madefaciebant terram imbribus dulciũ lachrymarum, quas profundebat ſacra compunctio? Vbi ſunt amici Dei diuina charitate pleni, qui nihil omnino corruptibile in terra poſsidentes, crucemq́; ſuã tollentes, iugiter ſecuti ſunt Saluatorẽ, cautè incedentes per anguſtã viam, ſolerterq́; prouidentes, ne in præcipitia inciderẽt, neq; oberrarent in deſerto inuio, & inaquoſo, atq; tenebroſo, ſed viam rectam veritatis pergerẽt, viam mandatorũ Dei, plenam lumine diuinorum præceptorum, prompti, atq; alacres, ambulantes iter rectũ, famuli Dei, voluntariè afflicti in hoc ſeculo pleno vanitatis? Idcirco Deus valde eos diligens, collegit eos in portum æternæ vitæ, gaudiumq́; ſempiternum, quo illi exultant illic, atq; triumphant inter paradiſi delicias, in cœleſti thalamo immortali ſponſo coniuncti. Nam cum gaudio ingenti hinc migrauerunt profecti ad Deum, habentes ſecum paratas lampades ſuas.

Non eſt modò nobiſcum illorum virtus, non nunc in nobis eſt illorum continentia, non eſt in nobis nunc infatigabilis illorum inſtitutio, & labor. Non eſt modò inter nos illorum religio. Abuolauit nunc à nobis eorũ præcipua manſuetudo. Receſsit à nobis nũc illorũ nuditas. Deſeruerũt nos modò vigiliæ illorum. Non eſt in nobis nunc charitas Dei. Non eſt modò in nobis miſeratio Christi. Non eſt in nobis modò infirmorum, ac negligentium compaſsio. Sed omnes ferè ſumus truces, immites, nec pati prorſus inuicem poſſumus. Sagittæ igneæ ſunt linguæ noſtræ in alterutrum horis ſingulis intentæ. Omnes honorem quærimus. Omnes requiem noxiam ſequimur. Omnes inanem captamus gloriam. Omnes multa poſsidendi deſiderio tenemur, ac ſtudio.
1 Omnes 1 gyrouagi ſumus. Omnes inertiam ſequimur. Omnes præcipitamur in ſomnum. Omnes iracundi, omnes deſides ſumus, ad ſcurrilitates prompti ac robuſti, ad fundendas orationes pigri, ad ſimulandum alacres, ad quietem ſilentij ſeruandam imbecilles, ad delicias prompti, ad vigilias antelucanas triſtes, ad charitatem frigidi, ad iracundiam feruidi, ad bona inertes, in mala præcipites. Quis igitur non lamentetur, & lugeat? Quis non omni lachrymarum fonte deploret inſtitutionem noſtram negligentia plenam? Patres illi noſtri, qui præceſſerunt nos, vtiles Domino fuerunt, ſeq́ue ipſos, & alios exemplo ſuo ſeruauerunt. Non illi erant deſides, non duplicem habebant, ſed ſimplicem, & vnicam curam, & cogitationem, quo pacto ſcilicet 2 Deo placere poſſent. Præclarum ſpectaculum cunctis intuentibus propoſiti erant. Vnus ex eis Deum pro multis hominibus precari, & placare poterat. Duo rurſus ex ipſis coram Deo aſsiſtere valebant in orationibus ſanctis, & exorare confidenter amatorem hominum Deum etiam pro multis debitorum millibus.

Nota cõtra eos, qui dicunt, antiquos monachos nõ habuiſſe cellam permanentẽ, ſed fuiſſe gyrouagos.

2 Vide ſanctorum monachorum ſcopum, & inſtitutum contra nouos hæreticos.

Hei mihi, fratres, hei mihi, ad quæ tempora venimus? Hei mihi, dilectiſsimi, in quæ malitiæ prærupta deuecti ſumus? Ignorantiæ caligine ſponte cæcamur. Quia enim non vigilat cordis noſtri oculus, per nimiam cogitationum noſtrarum vanitatem, idcircò ſumus inualidi, neque propoſitam nobis vexationem inſpicere poſſumus. En modò ſancti, & iuſti in vitæ tranquilliſsimum ſinum ex hac tempeſtate colliguntur, ne videant preſſuras, & ſcandala, quæ propter peccata noſtra nobis ſuperueniunt. Illi eliguntur, & nos dormitamus. Illi colliguntur, & nos negligimus. Rapiuntur illi, & nos ad inania mundi pertrahimur. Illi ad Deum ſuum confidenter vadunt, & nos in terra intumeſcimus. Aduentus Dñi in ianuis appropinquauit, & nos cogitationes verſamus ambiguas. Cœleſti tuba ſonitum dare parata eſt ad imperium

Domini

Domini, vt terrore vocis ſuæ vniuerſa concutiat, vt excitet mortuos, vt recipiat vnuſquiſq; ſecundùm opus ſuum; virtutesq; cœlorum paratæ aſsiſtunt in cuſtodijs ſuis, vt præcedant ante faciem ſponſi venientis in gloria, in nubibus cœli ad iudicandos viuos, & mortuos; & nos increduli ſumus. Quid ergo fiet in illa hora tremenda, fratres mei? Quomodo illic rationem Deo pro ſalutis noſtræ negligentia reddituri ſumus, niſi modò ſolliciti ſimus, conſtanterq; defleamus, pœnitentiam agentes idoneam in humilitate cordis, & manſuetudine animæ? Alioquin expectat nos illa tribulatio extremæ vltionis, cùm quisque noſtrum inter anguſtias pœnitens lamentabitur, & flens amariſsimè dicet: Væ mihi peccatori, quid repente contigit mihi? Quomodo pertranſijt vitæ meæ tempus in negligentia, & torpore conſumptum? Ignoraui, miſer, quomodo clam ſubductum eſt mihi vitæ ſpatium. Dum vanitati, & leuitati operam darem, non intellexi infelix. Vbi ſunt ſunt dies illi, quieti deputati, quos ego in leuitate conſumpſi, vt agam 3 pœnitentiam in cilicio, & cinere? Sed nihil iſta verba tunc proderunt, cùm item videbimus ſanctos omnes in gloria veſtitos luce, aduolantes in aëra in occurſum Chriſti regis gloriæ, nosq; miſeros in tribulatione ingenti cernemus. Quid putas facturi ſumus? Quis oro confuſionem illam, diramq; exprobrationem perferre poterit?

3 Ecce quomodo cilicium, & cinis habitus ſunt pœnitentium.

Reſipiſcamus, fratres, vigilemus dilectiſsimi, euigilemus amici Dei, expergiſcamur ſerui Chriſti, filij dilecti à Deo Saluatore noſtro. Redeamus ad nos ipſos, colligamus parumper cogitationes noſtras à ſeculi iſtius vanitate. Procidamus Deo, fundentes imbres lachrymarum. Deprecemur eum cum affectu, & gemitibus cordis, vt nos eripiat à ſempiternis ignibus, amariſsimisque ſupplicijs. Ne, quæſo, ſeparemur à dulciſsimo Domino, qui dilexit nos, & dedit ſemetipſum pro nobis in mortem. Vos omnes deprecor, omnes obteſtor, ac ſupplex oro, ego peccator, ego indignus, vt pro me miſero, ac deſide fundatis lachrymas in orationibus veſtris, ac precibus mundis, vt ego quoque vobiſcum compungi cum lachrymis merear, illumineturque vel puſillum excæcatum cor meum, & inquiram Deum Saluatorem ſanctum, vt mihi modicum alacritatis largiatur, quò poſsim ſtudioſè pœnitere, quandiù tempus eſt acceptabilis pœnitentiæ, ac vobiſcum, fratres, eſſe ſaluus ego vita indignus. Ita, obſecro, dilectiſsimi, ſuſcipite precem. Ita quæſo, filij Dei, ſuſcipite admonitionem. Ita, oro, membra Chriſti, ſuſcipite deprecationem peccatoris Ephræm fratris veſtri negligentis, curemusque omnes pariter, dum tempus habemus, Deum ſanctum placare, nobisque propitium facere. Ecce enim adeſt in ianuis Dominus, vt faciat conſummationem huius vaniſsimi ſeculi. Amen.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS BERGOMENSIS

OPTIMO LECTORI.

MEMINI in ſuperioribus voluminibus vitarũ ſanctorum poſuiſſe me alteram Patriarchæ Ioſeph vitam à Philone Iudæorum diſertiſsimo ſcriptam, nec tamen propterea dimittere volui, quin & hanc ab Ephræm Diaconorum omnium eruditiſsimo, & probatiſsimo compoſitam hoc loco interſererem. Etenim tanta dicendi facundia, tanta pietatis dulcedine fluit, vt cuiuslibet legentis pectus emolliat, audientiſq́ ex oculis, velit, nolit'ue, lachrymas excutiat. Diſcis & hîc quantùm valeat pura in Deũ confidentia, quæ tñ non inanis ſit, ac temeraria, ſed innocentis vitæ iuncta probitati, & virtutis ſplendore decorata. Non enim in ſe ſperantes derelinquit Dominus, ſint licet vinculis ferreis conſtricti, aut medijs in fluctibus periclitentur, vel in caminum ignis ardentis proijciantur. Ecce quomodo & ab inuidorum fratrum manibus, & à peſsimæ mulieris inſidijs, longè deteriore malo, necnon à carceris ſqualore, & pedore iuſtus eripitur, & Aegypti ſecundus à Rege dominus conſtituitur. Diſce & tu cum honeſtate vitam ducere, & in Domino confidere, nec timere quid faciat tibi homo.

Habes ex hac vita ad ſacroſanctam Geneſis hiſtoriam ceu compendioſum commentariolum. Nam & quæ ibi diuinus ſcriptor reticuerat, hîc non omittuntur, nempè quomodo beatus adoleſcens in via Hippodromi captiuus tranſiens, ſuper matris Rachelis tumulum amariſsimè fleuit. Quomodo ex integritate tunicæ allatæ ſanctus ſenex Iacob maturiùs rem conſiderans, non eſſe à fera peſsima probum adoleſcentem deuoratum, ſed inſidioſè ab alijs interemptum argumentabatur. Quomodo & improba mulier peccatum ſuum, & inſidias, quas caſtiſsimo Ioſeph tetenderat, neceſsitate ſimul, ac veritate cogente, viro ſuo fateri coacta ſit. Deniq; & quomodo furtum ſcyphi argentei fratres Beniamin imputabant, eò quòd Rachelis eſſet filius, quæ aliàs patris ſui idola furata fuerat. Sed & quod paulò obſcuriùs ibidem dicitur, hîc apertiùs exprimitur; quomodo videlicet in ſcypho argenteo Ioſeph ſanctus augurari dicebatur, per fictionem tamen, cùm ea impietas minimè iuſtũ virũ deceat.

Cura ergo & tu, chariſsime lector, & quiſquis hæc audis, huic ſanctiſsimo viro aſsimilari, & peccato vſq; ad carcerem, vſq; ad ſanguinem, vſq; ad animæ efflationem reſiſtere. Ita enim continget tibi eidem in æterna beatitudine ſociari. Nam qui iuſtorum opera exercere ſolicitè nititur, iuſtorum etiam præmia aſſequi meretur. Quod tibi, mihiq;, & omnibus concedat idem benignisſimus Deus, qui ſolus vires, & robur præſtat omnibus, qui eius fulti gratia, egregiè contra vitia decertare proponunt. Vale.

SERMO DIVI EPHRAEM DIACONI ECCLESIAE EDISSENAE DE LAVDIBVS SANCTI IOSEPH PATRIARCHAE, AMBROSIO CAMALDVLENSI INTERPRETE.

DEVS Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, Deus magne, atq; admirabilis, qui etiam elegiſti ſemen ſanctorum ſeruorum tuorum diligentium te, largire, clementiſsime, vt fluant in me gratię tuæ fluenta largiſsima, quò dignè valeam præclarum, ac maximum præbere ſpectaculum pulcherrimi, atq; caſtiſsimi Ioſeph, qui ſemper baculus fuit, cui innitetur Patriarchæ Iacob profunda, & veneranda ſenectus. Hic enim profectò, hic ſanctus puer à prima ſtatim ætate, Chriſti & primum, quo ad nos ex Virgine prodijt, & ſecundum, quo ſummo pauore concutiet omnia, ſignauit aduentum. Itaq;, chariſsimi mei, à Chriſto dilecti fratres, conſtantes, & alacres animo ſimus, vt honeſtiſsimi pueri facta tam grandia ſuſpenſis mentibus inſpicere, atq; audire poſsimus. Equidem, fratres mei, hunc adoleſcentulum non modò honeſtiſsimum dixerim, ſed omni digniſsimum admiratione, pudicitiæ fontem, victoremq; libidinum, ac trophæum mirabile de hoſte referentem. Vnde & futuri illius Saluatoris aduentus figura præceſsit. Quisq; igitur abijciat ex animo omnem terrenarum rerum curam, & cum deſiderio ſuſcipiat dulcia carmina. Sunt enim ſpiritalia cantica, quæ lætificant animam. Sicut enim Dominus noſter de ſinu Patris, vt nos omnes redimeret, miſſus eſt; ita & puer Ioſeph à patre directus eſt, vt ſuos reuiſeret fratres. Et quemadmodum illi, ſimul atque inſpexerunt appropinquantem Ioſeph, cœperunt aduerſus eum cogitare nequitiam, & quidem cùm illis pacem à patre perferret; ita & Iudæi duro ſemper corde, mox vt Saluatorem viderunt, dixerunt: Hic eſt hæres, venite occidamus eum, & noſtra erunt omnia. Et ſicut fratres Ioſeph dicebant: Occidamus eum, & euademus ſomnia ipſius: ita & Iudæi; Venite (inquiunt) occidamus eum, & obtineamus ipſius hæreditatem. Ioſeph fratres comedentes vendiderunt, quem propoſito, & voluntate necauerant; eodem modo Iudæi execrabiles, Paſcha manducantes, Saluatorem occiderunt. Deſcenſus in Aegyptum Ioſeph, Saluatoris ſignat ad noſtra deſcenſum. Sicut autem Ioſeph intra thalamum incluſus omnem peccati vim

magno vigore calcauit, atq; aduerſus Aegyptiam dominam ſuam coronas victoriæ clariſsimas retulit; ita & Dominus, ac Saluator animarum noſtrarum ad inferni clauſtra deſcendens, dextera ſua omnem illic atrociſsimæ mortis, & catenus inuicti tyranni potentiam ſtrauit, atq; deſtruxit. Quoniam verò peccatum ſuperauerat, Ioſeph in carcerem ſeruandus includitur, donec tempus coronæ percipiendæ veniret; ita & Dominus, vt peccata mundi omnia tolleret, in monumento reponitur. Ioſeph biennij tempus egit in carcere, magna ibi cum requie, ac libertate verſatus; & Dominus noſter triduum in inferno permanſit, vt potens, & corruptione intactus. Iuſſu Pharaonis Ioſeph placidè ex carcere, vt veriſsimus Chriſti typus educitur, ac ſomniorum fidelis interpres futuram frugum vbertatem facilè ſignat; at verò Dominus noſter ex mortuis propria virtute ſurrexit, inferni ſpolijs captis, reconciliationem noſtram Patri offerens ſuam, reſurrectionemq́; prædicans, & æternam vitam. Ioſeph, accepta ſuper omnem Aegyptum poteſtate, in curru Pharaonis ſedit; Rex autem noſter ante ſecula, atq; Saluator aſcendens in nube lucida in cœlum, ad dexteram Patris cum gloria ſedet, vtpote vnigenitus filius. Cum verò in Aegypto regnaret Ioſeph, accepta contra inimicos ſuos poteſtate, adducuntur ſponte illius fratres ante eius ſolium, quem adduxerant neci, ingrediunturq́; cum metu, ac tremore, vt adorent in conſpectu eius, qui ab illis in mortem venditus fuerat, & cum timore procidunt coram Ioſeph, quem ſuper ſe regnare noluerant. Agnitis verò ille fratribus ſuis, vno verbo oſtendit homicidas. Quod illi audientes, attoniti, & pauore perterriti ſteterunt, obtutibus humi depreſsis, confuſione pleni, & loqui minimè audentes, neque omnino quicquam habentes, quod in excuſationem ſui ſceleris afferre poſſent, recognoſcentesq́; apertè peccatum ſuum. Putarant infelices, qua illum hora vẽdiderant, eum eſſe iã mortuum, dũ repente is, qui fuerat ab eis peremptus, magna fretus poteſtate, ſuper illos regnare deprehenſus eſt. Ita & in die illa terribili cùm venerit Dominus in nubibus aëris, ſedebit ſuper ſedem regni ſui, adducenturq́ue vincti coram illo ab Angelis terribilibus omnes inimici eius, qui eum ſuper ſe regnare noluerunt. Arbitrati enim tunc ſunt impij Iudæi, illum, ſi crucifixus eſſet, quaſi hominem eſſe moriturum, non intelligentes miſeri, Deum illum eſſe, qui, vt ſaluaret animas noſtras, aduenerat. Ac ſicuti Ioſeph dicebat palàm fratribus ſuis, terrens eos, ac pudore ſuffundens: Ego ſum Ioſeph, quem vos vendidiſtis, ecce nunc regno etiam nolentibus vobis; ita & Dominus Crucem oſtendet lucentem ipſis crucifixoribus ſuis, recognoſcentq́ue ipſam Crucem, & filium Dei à ſe crucifixum. Vidiſtis vt Ioſeph in carne figura certa fuerit Domini ſui? Quoniam verò à puero eſfloruit ipſius virtus, agè hinc iam initium ſumentes, ipſius geſta enarrare pergamus.

Hic nempe beatiſsimus, decem & ſeptem annorum tempus in domo patris gratia ſublimis virtutis enituit, proficiens quotidie in timore Dei, in honeſtate propoſiti, & honore parentum. Cùm verò in fratribus ſuis deprehenderet iniquitatem, modicè illam annunciauit patri. Re enim vera virtus ſemper ab iniquitate diſſentit, neque illi congruere poteſt. Huius rei gratia illum oderant fratres, quòd ab eorum ſcelere alienus eſſet, virtutiq́ue puer operam daret. Habens autem habitantem in ſe Deum ſanctum, cernebat in ſomnis, quæ ſibi ex diſpoſitione ſummi Dei euentura erant. At pater Iacob cùm ignoraret fratrum odium clandeſtinum aduerſum Ioſeph, ſimplici animo diligebat Ioſeph, virtutum flore ab ipſa prima ætate vernantem. Paſcentibus autem illis oues in Sichem, contigit Ioſeph eſſe cum patre domi. Pater autem Iacob abſentium filiorum affectu patrio curam gerebat. Dixit ergo ad Ioſeph dilectiſsimum filium ſuum: Veni, fili,

perge ad fratres tuos, & diligenter addiſce an rectè valeant ipſi, & greges, ei⸗ to'ꝗ; rediens renuncia mihi. Accepto patris mandato, Ioſeph pergebat gau⸗ dens ad fratres ſuos, deferens pacem ex perſona patris, nulla'que eum de illis mordebat ſuſpicio. Profectus igitur oberrabat in ſolitudine, fratribus ſuis, eo⸗ rumq; paſtoribus minimè inuentis. Cùm verò mœrens, ac triſtis incederet, occurrit illi homo, viam'que monſtrauit, quæ ducebat ad fratres. Vbi autem eos procul aſpexit Ioſeph, lætior aduolat, amplecti omnes nimio amore deſi⸗ derans. Illi autem poſtquā eum appropinquare viderunt, quaſi feroces beſtiæ, de occidendo eum tractare cœperunt. Ibat igitur Ioſeph, velut innocens a⸗ gnus manibus atrocium luporum diſcerpendus. At vbi ad eos peruenit, placi⸗ dè illos, ac blandè ſalutauit, vt ſeſe haberent ex perſona patris interrogans. Verùm illi inſurgentes continuò, tunica illum, qua indutus erat, exuerunt, & ſinguli ſtridebant dentibus in eum, viuum abſorbere cupientes, truces'que, & immites, vt odio ſuo ſatisfacerent, honeſtiſsimum illum, ac ſanctum pue⸗ rum varia cæde affligebant. Cernens autem Ioſeph ſeipſum tot malis expo⸗ ſitum (nullus enim prorſus erat, qui miſereretur) ad preces ſe, & lachrymas, gemitusq; conuertit, & extollens vocem, obſecrabat eos, dicens: Vt quid, fra⸗ tres mei, ita iraſcimini? Deprecor vos omnes, ſuſtinete modicum dum loquar. Mater mea defuncta eſt, & pater Iacob eam nunc vſque quotidie luget, & vultis luctum alium afferre patri noſtro, priore adhuc vigente, & necdum ſe⸗ dato? Obſecro vos omnes, ne me à Iacob patre meo ſeparetis, ne deſcendat ſenectus eius cum mœrore ad infernum. Adiuro vos per Deum Abraham, Iſaac, & Iacob, qui ab initio vocauit Abraham, & dixit ei: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram bonam, quam ego oſtendam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & ſicut arenam maris, quæ eſt innumerabilis; per Deum excelsum, qui dedit Abrahæ tole⸗ rantiam promptè offerendi in ſacrificium filium ſuum vnigenitum Iſaac, vt re⸗ putaretur ipſi Abrahæ in gloriam; per Deum, qui eruit Iſaac de morte, dans pro illo arietem in holocauſtum acceptabile; per Deum ſanctum, qui dedit be⸗ nedictionem Iacob ex ore patris ſui Iſaac; per Deum, qui deſcendit cum Ia⸗ cob in Charran in Meſopotamiam, vnde exierat Abraham; per Deum, qui liberauit Iacob ex omni anguſtia, & dixit ſe daturum ei benedictionem, ne, quæſo, deſtituar patre Iacob, ne ita me lugeat, ſicut luxit Rachel, neq; rur⸗ ſus contenebrentur oculi eius, qui horis ſingulis operitur reditum meum, & in⸗ gredi ad ſe expectat. Remittite me ad Iacob patrem meum. Nolite, obſecro, ſpernere lachrymas meas, ſed patri me reſtituite.

Hæc illo per Deum patrum adiurante, feræ illæ beluæ continuò in lacum eum iniecerunt, neq; Deum metuentes, neq; eius adiuratione ad reuerentiam moti, & quidem cùm ille ſingulorum veſtigia ſtringeret manibus, & fratrum pedes rigaret affatim lachrymis, clamans, ac dicens: Fratres mei, miſeremini⸗ ni mei. Iniecto autem Ioſeph in lacum ſolitudinis, amariſsimis lachrymis, miſerabilibusq; lamentis, atq; gemitibus, ſeipſum vnà & Iacob patrem defle⸗ bat, lachrymansq;, & trahens ex alto corde longa ſuſpiria, dicebat: Inſpice, pater Iacob, quæ filio tuo contigere. Ecce enim in lacum miſſus ſum veluti mortuus. En ipſe præſtolaris meum ad te reditum, pater, & ego nunc in lacu iaceo tanquam homicida. Dixiſti mihi, pater: Perge ad viſitandos fratres tuos cum paſtoribus, & ad me cum celeritate reuertere: Sed ecce iſti velut imma⸗ niſsimi lupi effecti ſunt, & me abs te ſepararunt, honeſtiſsime, atq; amabilis pater. Non iam aſpicis faciem meam, neq; vocem audis, neq; vltra ſuper me innititur tua ſancta, & veneranda ſenectus. Non iam ego viciſsim intueor ſa⸗ cram, dulcem'que caniciem tuam, quoniam ſepulto mortuo melior non eſt

conditio mea. Defle, pater, filium tuum, & te filius viciſsim deploret, quia ita à puero ſeparatus ſum à facie tua. Quis dabit mihi loquentem columbam, vt profecta hinc annunciet ſenectuti tuæ gemitum meum? Defecerunt, dulcis pater, & lachrymæ, & gemitus, voxq́; ipſa penitus elanguit, nec eſt qui adiuuet. O terra, ò terra, quæ clamaſti ad Deum ſanctum pro Abel iuſto iniuſtè perempto, ſicut tradiderunt nobis aui, ac parentes, quòd ſcilicet terra clamauerit propter ſanguinem iuſti, ipſa nunc quoq; clama ad Iacob patrem meum, apertè illi indicans, quæ mihi à fratribus acciderunt.

Vt autem iniecerunt Ioſeph in lacum funeſti illi, ſederunt vt comederent ouantes, ac biberent, ac veluti exultant victores fugatis hoſtibus, & capta præda, ita illi nimio cum gaudio diſcubuere. Cùm verò læti, atque geſtientes manducarent, ac biberent, leuantes oculos viderunt negociatores Iſmaëlitas venientes, qui pergebant in Aegyptum, camelos ducentes, qui aromata ferrent, dixeruntq́; ad inuicem: Multò nobis melius eſt venundare Ioſeph peregrinis negociatoribus iſtis, vt profectus hinc in aliena regione moriatur, nec ſit manus noſtra ſuper fratrem noſtrum. Eduxeruntq́; Ioſeph de lacu fratrem ſuum, tanquam feræ beluæ, acceptoq́; pretio vendiderunt mercatoribus, non patris ſui mœrores conſiderantes, cui curam ingentem, angoremq́; inijciebant. Illis verò iter agentibus, contigit vt deuenirent in locum Hippodromi, vbi ſepulta eſt Rachel. Illic enim defuncta erat, cùm rediret Iacob de Meſopotamia. Vbi autem vidit Ioſeph ſepulchrum Rachel matris ſuæ, accurrens cecidit ſupra monumentum, extollensq́; vocem ſuam ingemuit lachrymans, & clamauit in amaritudine animæ ſuæ, dicens: Rachel, Rachel mater mea, exurge de puluere, & inſpice Ioſeph filium tuum, quem dilexiſti, ac vide quid illi contigit. En ipſe captiuus in Aegyptum abducitur, traditus quaſi maleficus in alienorum manus. Fratres mei omnino nudatum vendiderunt in ſeruum, & pater Iacob ignorat quomodo proditus ſum. Aperi mihi, mater mea, & ſuſcipe me in ſepulchro tuo. Fiat tumulus tuus, vnus mihi ac tibi lectulus. Suſcipe, mater, filium tuum, ne violenta pereat nece. Accipe me, mater, qui ſubitò Iacob patre deſtitutus ſum, ſicuti & tuo mater contubernio à puero priuatus ſum. Audi, mater dulcis, gemitum cordis mei, grauemq́; eiulatum, & me in tuo monumento ſuſcipe. Non enim iam ſuſtinent oculi mei lachrymarum imbres, neque anima mea gemitibus ſufficit. Rachel, Rachel, non audis vocem Ioſeph filij tui? En vi abducor, & me ſuſcipere non vis? Iacob vocaui, nec audiuit vocem meam. Ecce rurſus & te voco, & ne tu quidem audis me. Hîc, hîc ſupra tuum tumulum moriar, ne in alienam regionem quaſi malefactor aliquis ducar.

Vbi verò omnes ſimul aſpexerunt Iſmaëlitæ, qui emerant Ioſeph, illum ita cucurriſſe, ac ſuper tumulum Rachel matris ſuæ in faciem corruiſſe, dixerunt ad inuicem: Adoleſcens iſte præſtigias artis magicæ in nos exercere vult, vt manus noſtras poſsit effugere, nobisq́; ignorantibus euaneſcere. Comprehendamus eum igitur, & fortibus nexibus conſtringamus, ne nobis magijs ſuis auferat viſum. Accedentes itaq; ad illum, frementesq́; dixerunt: Surge iam, atq; magicam exercere deſiſte, ne te ſupra tumulum hunc percutientes, auri, quod pro re dedimus, iacturam patiamur. Poſtquam verò ſurrexit, viderunt omnes illius faciem lachrymis, ac gemitibus nimijs aduſtam, cœperuntq́; ſinguli modeſtè illum rogare, dicentes: Cur fles? Quid lachrymis manas? Magno enim mœrore detineris, ex quo ſepulchrum iſtud vidiſti, cùm eſſes in huius Hippodromi via. Itaq; abiecto metu confidenter nobis eloquere quod ſit opus tuum, cur item venditus ſis. Paſtores enim illi, cùm te venderent, nobis ita dixerunt: Cautè illum obſeruate, ne fortè in via diffugiat à vobis; inſontes ſumus

ſunt illa veſtigia. Vnde igitur ſanguis? Si autem fera, quæ comedit Ioſeph, ita ſola fuit, quo pacto hæc omnia perpetrare potuit? Hic igitur mihi deſerto, ac deſtituto luctus, hic gemitus eſt. Ioſeph lugeo, & tunicam defleo. Duo hi luctus, duo gemitus, acerbiſsimiq; ploratus, Ioſeph, atq; tunicæ. Quomodò enim ille exutus eſt? Moriar ecce, Ioſeph fili mi, mea lux, meumq; firmamentum, & tunica tua mecum deſcendet in infernum. Nolo enim iam Solis radios absque te cernere, fili mi Ioſeph. Deficiat anima mea cum anima tua, Ioſeph lux mea.

Interea Iſmaëlitæ ſumentes Ioſeph, magno ſtudio illum in Aegyptum deduxerunt, exiſtimantes ob eximiam adoleſcentis formam pecunias plurimas à quouis ex principibus ſibi conferendas. Ipſis autem per medium ciuitatis prætereuntibus, ecce Phutiphar illis continuò occurrit, intuitus'que Ioſeph, percontatus eſt eos dicens: Dicite, negociatores, vnde eſt hic adoleſcens? Non enim vobis ſimilis eſt; omnes namq; vos Iſmaëlitæ eſtis, hic autem formæ honeſtate præcellit. Qui reſponderunt: Nobiliſsimus omnino, plenus'que prudentiæ eſt. Dato igitur pretio, quantum illi poſtulauerant, ſummo affectu emit ab eis Ioſeph. Et cùm introduxiſſet domum, inueſtigabat, quæ'nam fuiſſet eius educatio. At verò ille à ſancto ſemine iuſti Abrahã, Iſaac, & Iacob nihil degenerans, proficiebat virtute, magna'que conſtantia in domo domini ſui, ac de die in diem pudicitiæ virtutem, aſpectu, ac verbo magis magisq; tuebatur, habens ante oculos iugiter Deum ſanctum cuncta ſupernè inſpectantem, Deum patrum ſuorum, qui illum ex lacu, & morte, atque ex fratrum eripuerat ſcelere. Verùm ipſius cor iugiter contriſtabatur, ac mœrebat pro ſancto patre ſuo Iacob. Animaduertens autem dominus eius conſtantiam iuuenis, atque grauitatem, ſummam'que diſciplinam, & gratitudinem, omnia, quæ poſsidebat, Ioſeph pulcherrimo, tanquam chariſsimo filio, tradidit gubernanda; neque quicquam aliud nouerat dominus, niſi panem ſolummodò, quo veſcebatur. Sciebat enim Ioſeph eſſe fideliſsimum, expertus'que erat rem ſuam, ac omnem ſubſtantiam ſub manibus illius in dies augeri. Porrò domina ipſius cùm vidiſſet Ioſeph ſingulari pulchritudine præditum, vulnerata eſt acri amoris iaculo, veſania'que diaboli, & vehementi cupidine dormire cum illo cupiebat, honeſtiſsimum'que adoleſcentem, ac pudicitiæ fontem in foueam turpitudinis ardebat impellere, innumeras artes, varios'que ornatus excogitans, ac nullis omnino ſumptibus parcens. Nam horis ſingulis mutabat amictum, faciemq; ſtibio, ac fucis varijs pingens, & crinibus aurum inſerens, atq; impudicis nutibus ſubridens, caſtiſsimos tentabat iuuenis oculos. Putabat nimirum infelix, hiſce illecebris ſancti animum facilè illaqueari poſſe. At verò Ioſeph timore Dei vndique ſeptus, ne ſimplici quidem aſpectu in illam intuebatur. Poſtquam verò illa animaduertit artes ſuas, & ornatus inſignes nihil iuſto præualere, maiore flagrabat cupiditatis ardore, ac ſolicitudine anxia quid ageret ignorabat. Cogitabat procacibus verbis illum ad ignominiæ opus hortari, obſeruans tempus, quo illi, velut aſpis inſaniens, impudicitiæ virus infunderet, impudenti'que facie dicebat ad Ioſeph: Dormi mecum, nihil omnino formidans. Audacter mecum congredere, vt & ego ſpecie tua affatim fruar, & tu viciſsim mea ſatieris pulchritudine. Cubilia multa nobis ad hoc opitulantur. Habes tu liberã totius domus poteſtatem; nullus omnino ingredi præſumet ad nos, neque noſtrum impedire ſecretum. Itaque accede ad me, mecum'que imple deſiderium, valde enim vror concupiſcentia tui.

Ad hæc lapis ille adamantinus, & animo, & corpore inuiolabilis perſtitit, atq; in tanta procella immobilis manſit. Cæterùm timore Dei cuncta repellens

ignea libidinis iacula, decora, congrua'q; ſibi honeſtate ab ſe illam diuinis verbis arcebat, ita illi dicens: O mulier, iſtud quidem ſcelus implere minimè conuenit tecum, quæ domina mea es; Deum enim quidem timeo. Ecce autem & Dominus meus omnia tradidit mihi, quæ ſibi & domi, & foris ſunt, neque eſt aliquid, quod ſub manu mea non ſit præter te. Quàm igitur iniquũ eſſet, tantá vim dilectionis talis domini prodere, qui me ita dilexit? Quomodo poſſum coram Deo, qui ſcrutatur corda, & renes, huiuſmodi facinus exequi? Hæc ſancta verba dicebat Ioſeph horis ſingulis ad dominam ſuam, corripiens, admonens, increpans, culpans. Verùm nihil diuinum mulieris auris admittebat, maiore'que turpitudinis flagrabat ardore, & inſita magis vrebatur obſcœnitate libidinis, obſeruabat'que per momenta tempus reperire idoneum, quo caſtiſsimum iuuenem impudicè violare poſſet. Videns autem Ioſeph mulierem adeò impudenter, atq; immaniter, ceu feram, ſuper ſe irruere, vt animum ſuum, corpus'q; corrumperet, leuauit oculos ſuos ad Deum patrum ſuorum, aſsidue'que orabat altiſsimum, dicens ita: Deus [1] Abraham, Iſaac, & Iacob, Deus magne, atque terribilis, erue me ab hac fera peſsima. Ecce enim ipſe aſpicis, Domine, mulieris inſaniam, quomodo me in occulto occidere per flagitium cupit, vt vnà ſecum moriar in peccatis, & prorſus ſeparer à Iacob patre meo. Liberaſti me, Domine, de morte, & ab iniuſtis fratribus meis, libera me nunc quoq; ab inſaniente fera iſta, ne operibus nequam alienus efficiar à patribus meis, qui vehementer, ac piè dilexerunt te, Domine. Atq; ex alto corde trahens longa ſuſpiria, Iacob iterum appellabat cum lachrymis dicens: Ora, pater, ipſe pro filio tuo Ioſeph, quoniam vehemens aduerſum me concitatur bellum, quod me à Deo ſeparare poſsit. Iſtud mulieris bellum longè atrociùs eſt, quàm quod mihi fratres mei inferre voluerunt. Illud necabat corpus, hoc ſeparat à Deo animam. Scio equidem, dulciſsime mi pater, quoniam orationes tuæ pro me ad Deum ſanctum aſcenderunt, atq; ideo ex lacu mortis ereptus ſum. Et nunc rurſus exora altiſsimum, vt me ab hac eruat fera, quæ filium tuum perdere nititur; cui neq; in oculis verecundia, neq; in corde timor Dei eſt; ne ſicuti fratribus tuis deſtitutus corporaliter ſum, ita & ab animo alienus efficiar. Profectus ſum ad fratres meos, facti'q; ſunt vt beluæ, & vt grauiſsimi lupi abs te anulſerunt, pater ſancte, & in Aegyptum deductus ſum in manibus alienorum, & ecce rurſus fera alia occurrit mihi. Fratres quidem in deſerto interimere me voluerunt, hæc autem in cubiculo me diſcerpere inquirit. Ora, pater dulciſsime, pro me filio tuo, ne coram Deo, & patribus meis moriar.

[1] Si ſancti non viuerent coram Deo, ſed eſſent emortui, vt quidá nugátur, non inuocaret Ioſeph Deum Abraham, Iſaac, & Iacob, cùm nõ ſit is mortuorum Deus, ſed viuentiũ, vt ait ipſe Dominus, & Saluator.

Cùm autem verbis dominæ ſuæ parere noluiſſet, quæ illum ſingulis horis vrgebat, ac veluti aſpis immitis illi, omni pudore abiecto, imminebat, obſeruauit ipſa tempus, quo illum in thalamo ſolum inueniret, ſic'q; peccatum conſummaret. Vbi verò illum in lectulo ſuo, vt cupiebat, deprehendit, accedens impudenter, ipſum ad ſe conabatur attrahere, nequitiam'q; perpetrare. Ille autem admiratus mulieris impudentiam ſingularem, continuò extra domum curſu exilijt, ac ſicuti aquila, cùm aucupes viderit, alis cœli celſitudinem penetrat, ita & Ioſeph ex his retibus fugit, ne vel dicto, vel facto vulnus exciperet; in'q; illius manibus pallium linquens, diaboli laqueos fugit. Videns autem mulier illum ita effugiſſe, magno in mœrore erat, iam'q; plectere iuſtum cogitabat, accuſare illum turpitudinis apud virum volens, vt eo comperto, vir eius zelotypio furore ſuccenſus, interimeret Ioſeph, illud ſimul ſecum reputans: Multò mihi melius eſt, vt Ioſeph moriatur, vt vel ſic requie fruar. Non enim fero tantum pulchritudinis in domo mea per momenta conſpicere, cùm frui ipſa vel clam, aut palam, eximia iuuenis ſpecie nequeam. Vocatis itaque ſeruis, & ancillis ſuis, ait: Scitis quid admiſerit in me puer Hebræus, quem

conſtituit vir meus ſuper domum ſuam? Voluit mecum impudenter congredi. Non ſufficit illi poteſtas omnis domus noſtræ,niſi me quoq; ſeparare à viro meo conaretur. Sumptamq; Ioſeph tunicam oſtendit viro, probro illi dicens: Adduxiſti ecce puerum iſtum Hebræum, vt contumeliam inferret, illuderetq; mihi vxori tuæ. Scis tu, domine mi, quòd pudica ſum, atq; ideo annunciaui tibi. Auditis huiuſce calumnijs vir eius, vxoris verbis protinus credidit, ita eſſe aſſerentis, iratusq; iuſsit continuò vinciri Ioſeph,& in domum carceris mitti, maximas intentans minas, verborum illius, ac benedictionum, quæ ſibi tum domi, tum foris propter Ioſeph obuenerant, penitus immemor. Neq; crimen obiectum diligenter inquiſiuit, ſed ſtatim aduerſus eum iniuſtam protulit ſententiam, dicens: Ioſeph in carcerem conijci iubeo, nullaq; prorſus requie frui. Deus autem Abraham, Iſaac, & Iacob, qui ſcrutatur omnium corda, cum ipſo erat, dedit'que illi miſericordiam in oculis principis carceris, ac permiſit illum in carcere liberum à vinculis viuere. Neq; enim vnquam diſcedit benigniſsimus Deus noſter ab his, qui metuunt illum corde perfecto.

Poſthæc peccauerunt Pharaoni pincernarum princeps, ac magiſter piſtorum, iuſsitq; Rex vtrunq; in carcerem trudi. Porrò Ioſeph miniſtrabat illis. Cùm autem illi clauſi detinerentur, poſt dies aliquot viderunt ambo ſomnia, quid eis breui euenturum eſſet, præſignantia. Ioſeph autem ſanctus,miniſter cùm eſſet, conſuetò ingreſſus ad eos, animaduertit ambos mœſtos, ac triſtes;& cùm mœſtitiæ cauſam percontaretur, dixerunt: Somnia vidimus, nec eſt qui ea nobis exponat, ideoq; in mœrore ſumus. Dixit autem eis: Iſtud quidem Dei eſt, obſcura quæ'q; reſerare timentibus eum. Dicite mihi ſomnia veſtra, vt ea vobis per me Deus meus aperiat. His auditis, pincernarum, & piſtorum principes dixerunt ſomnia Ioſeph, quæ viderant ambo. Ioſeph autem paucis verbis expoſuit eis exactiſsima fide quæcunque illis à Rege euentura erant, vt poſtmodum rei probauit euentus. Nanq; pincernarum principem honori ſuo, officioq; reſtituit, piſtorum verò magiſtrum tradidit morti. Cùmq; pincernæ ventura prædiceret, orabat eum, dicens: Memento mei coram Pharaone,Regiq; de me celeriter ſuggere, vt me hinc educat, nihil enim peccaui,neque mali quippiam feci, ſed abſq; cauſa iniectus in domum carceris ſum. O' ſemen electum, atq; beatiſsimum, quid à mortali homine ſubſidium quæris? Omiſſo Deo, hominem rogas? Certè expertus es auxilium Dei, quando etiam pudicitiæ tunicam intactam, inuiolatam'que ſeruaſti. Cur, oro, caſtitatis lilium, deficis animo, cùm Deus tibi regnum gloriam'que prouideat? Quò autem tentationem fortiùs toleras, eò illuſtrior tibi corona victoriæ contexitur. Vt autem (iuxta quod prædixerat Ioſeph) impleretur ſomniorum vtriusq; ſolutio, poſt triduum fecit Pharao conuiuium omnibus optimatibus ſuis, recordatusq; inter epulas piſtorum magiſtri, & pincernarum principis, alterum quidem in priorem reſtituit gradum, alterum verò tradidit morti.

Cùm verò oblitus eſſet pincerna interpretis ſui, per Dei prouidentiam poſt duos annos vidit Pharao ſomnia magna, quæ ſapientum omnium Aegyptiorum, omnium'que magorum artem omnem,intelligentiam'que tranſcenderent. Experrectus autem Pharao, ſapientes omnes acceſſiri iuſsit, quibus cùm ſomnium annunciaſſet, nemo vim ſomnij explicare valuit. Rege itaq; mœrente, curisq; confecto, nunciauit ei pincernarum princeps omnia de Ioſeph. Eis auditis, Pharao gauiſus eſt gaudio magno, iuſsitq; continuò illum ad ſe adduci. Et cùm proceſsiſſet ex carcere, dixit illi Pharao coram optimatibus ſuis: Audiui de te, quòd vir ſapiens, & prudentiſsimus ſis, & qui ſomnia obſcura interpretari noueris. Reſpondit autem Ioſeph Pharaoni: Indultoris ſapientiæ Dei eſt exponere ſomnia. Dixit autem Pharao ſomnia ſua coram Ioſeph,& omnibus

magnatibus ſuis; audiuitq́; continuò ſomniorum expoſitionem ex ore Ioſeph, veluti ex ore Dei. Stupefactus Pharao ad tantam adoleſcentis ſapientiam, excellensq́; conſilium (ſiquidem illi conſuluerat, virum vnum conſtituere ſapientem, atq; intelligentem, vt Aegypti frumenta colligeret; futuram quippe famem ingentem dicebat; vt haberentur fruges plurimæ in tempus preſſuræ ſeruatæ) ait ad illum: Teipſum conſtituam hodie ſuper omnem Aegyptum, qui tale conſilium reperiſti, atq; ad tui oris imperium, & Aegyptus, & omnis domus mea diſponetur. Tunc impoſuit illum in currum ſuum, omnesq́; magnates partim antecedebant currum, partim circundabant eum, vnà pergentes, maximè cùm ex ore Pharaonis accepiſſent, ſecundum eſſe illum Aegypti Regem. Videns autem Phutiphar, qui Ioſeph prius in carcerem miſerat, mirandum ſpectaculum, quòd ſediſſet Ioſeph in Pharaonis curru, timuit valde, ſenſimq́; ſe ex medio Principum ſubducens curſu in domum ſuam cum metu maximo ſe recepit, & aperiens os ſuum, ait vxori: Vidiſti, ò mulier, ſignum mirabile, & inſperatum, ex quo timor nobis magnus incumbit? Ioſeph enim ille, qui quondam noſter fuerat ſeruus, dominus noſter effectus eſt, totiusq́; Ægypti. Et ecce cum gloria Pharaonis inuehitur curru, & tanquam Rex honoratur ab omnibus. Ego autem cùm illius ferre nequirem aſpectus, ſenſim me ſubripui, clamq́; diſceſsi.

His compertis, vxor viro rem aperuit, ita dicens: Notum ſit tibi hodie peccatum meum, quod ego admiſi. Ego ſum, quæ pulcherrimum Ioſeph, pudiciſsimum illum adamaui, cùmq́; per ſingula momenta blanditijs plurimis, & ornatibus varijs caſtiſsimo inſidiarer adoleſcenti, vt illo frui poſſem, eiusq́; eximia pulchritudine ſatiari, neq; omnino efficere id quirem, vt vel verbo pudicitiam proderet, vi illum tenere contendi, vt me vel modicè toleraret. Verùm ille, dimiſſo pallio in manibus meis, aufugit. Ego enim eram, quæ vim illi inferre volueram, quando tibi pallium eius oſtendi. Cæterùm auctor ſum illi bonorum, quæ ipſi & regnum præſtiti, & maximam gloriam. Niſi enim ego ita amaſſem Ioſeph, in carcerem coniectus non fuiſſet. Immò verò & gratias mihi habere debet, quæ fui gloriæ ipſius cauſa. Iuſtus, ac pius, & ſanctus eſt Ioſeph, qui etiam calumniam paſſus, nemini prodidit. Exurge itaq;, ac perge gaudens, & eum vnà cum magnatibus alijs adora ſecurus. Surgẽs autem Phutiphar ſtudioſè cucurrit, & Ioſeph ſanctum reuerenter adorauit. Inter hæc impletis iam annis illius vbertatis maximæ, inualuit fames in tota terra Chanaan, mœſtusq́; erat Iacob cum filijs ſuis. Audiens autem quòd alimenta venderentur in Aegypto ad omnem copiam, dixit liberis ſuis: Audiui quòd in Aegypto frumenti plurimum ſit, pergite igitur illuc, & emite nobis eſcas, ne omnes fame moriamur. Acceptis mãdatis patris filij Iacob, deſcenderũt omnes emere ſibi cibos. Cùmq́; in Aegyptum perueniſſent, acceſſerunt ad Ioſeph cum reliquis, vt triticum emerent; non autem agnoſcebant illum, quòd eſſet frater ſuus. Vt autem vidit Ioſeph fratres ſuos, protinus agnouit omnes, & ait fremens: Hi decem viri exploratores peſsimi ſunt, atq; ideo ingreſsi ſunt Aegyptum. Comprehendite illos igitur, & in vincula conijcite; profecti enim ſunt ad explorandam terram. Hoc illi aſpicientes, contremuerunt, & cum metu ingenti reſponderunt ei dicentes: Abſit hoc à nobis, domine, omnes fratres vnanimes ſumus, filijq́ue dilecti patris vnius viri iuſti. Fuimus aliquando duodecim numero, ex his vnus pulcherrimus, & chariſsimus patri, à beſtia mala peremptus eſt, lugetq́ue illum pater vſq; in hunc diem. Frater autem alius cum patre noſtro eſt in terra Chanaan, relictus in ſolatium patris. Reſpondit illis rurſus Ioſeph cum iracundia, dicens: Quoniam quidem ego Deum ſanctum timeo, & colo, iſtud vobis condono. Sumite igitur eſcas, & continuò ad patrem veſtrum pergite, ac ſi vera dicitis, fratrem veſtrum minimum, quem ille amat, adducite ad me huc,

ſicq́;

ſic'q; demum credam vobis. Sumentes autem triticum ad patrem ſuum cum mœrore profecti ſunt in terram Chanaan, nunciauerunt'que ei ſuſpicionem peſſimam, & iracundiam viri. Vehementer autem hac illorum relatione triſtatus eſt pater, ait'que cum gemitu: Quid hoc feciſtis? Vt quid domino Aegypti alium vos habere fratrem dixiſtis? Qui reſpondentes dixerunt ei: Ipſe interrogauit nos, cognationem'q; noſtram ſcire diligentiſsimè voluit. Dicit eis Iacob: Moriar magis, quàm Beniamin ex ſinu tollatis meo.

Cùm verò fames vrgeret, dixit eis Iacob: Si ego filijs ex Rachel penitus orbari, meiſq; chariſsimis liberis primari debeo, vt dicitis, ſurgite, tollêtes'q; munera in manibus veſtris, pergite ſimul. Fecerunt autem ſicut præceperat eis Iacob; cùm'q; veniſſent in Aegyptum, omnes cum timore magno adorauerunt coram Ioſeph. Qui poſtquam vidit fratrem ſuum Beniamin cum metu, ac formidine aſtantem, commota ſunt viſcera eius, cupiebat'q; illum amplecti, atq; oſculari, & interrogabat cum ſummo affectu, dicens: Viuit pater? Qui ait: Viuit ſeruus tuus pater noſter. Dicit ei rurſum: Num habet adhuc Ioſeph in corde? Et ille; Vehementer, inquit, illum habet fixum in animo, conſumitur'q; ipſius deſiderio. Cum verò illum amplecti non poſſet, neq; vltra interrogare, ingreſſus in cubiculum ſuum copioſas profudit lachrymas. Qua enim hora vidit fratrem ſuũ, continuò recordatus eſt patris ſui Iacob, dicebat'q; cum lachrymis: Beati qui videre merentur diuinã ſanctæ tuæ ſenectutis effigiẽ, dulciſsime pater; neq; enim totum regnum, omniſq; gloria conferri poteſt canis tuis, ò nimium dilecte Deo. Optaui addiſcere ex ore Beniamin, an me geſtares in corde, ſicut & ego te. Idcircò fratres meos arte coẽgi, ſecum adducere Beniamin fratrem meum; non enim illis credidi dicentibus mihi de te, quòd haberent patrem, & minimum fratrem, putabam'que illos inuidia concitatos, etiam filium tuum minorem Beniamin occidiſſe, atque in maiorem luctum animum tuum inieciſſe, quemadmodum & me propoſito malæ voluntatis occiderunt. Oderant quippè nos duos, quòd vterini eſſemus ego, & Beniamin. Scio, pater, quia noſtri gratia vehementer angeris, & ſolicitudine cumularis, & nunc maximè cruciatur ſenectus tua propter fratrem meum Beniamin; & ipſe enim magno cruciatu afficior, dum conſidero neminem noſtrum tuæ ſenectuti in præſentiarum aſsiſtere. Non ſufficiebat tibi luctus meus, adiectus eſt tibi, pater, & hic. Ego gemituum tuorum, atque ſingultuum ſum auctor. Durè nimis, ac crudeliter feci, Beniamin ad me venire præcipiens, dum addiſcere cupio, an verè viueret pater meus. Quis mihi dabit tuam ſanctam rurſus effigiem cernere, & inſatiabiliter intendere in Angelicam faciem tuam? Deinde cùm amariſsimè in cubiculo fleuiſſet, lota rurſum facie, prodijt hilaris, iubet'q; introduci omnes in domum ſuam, vt cum illo conuiuium inirent.

Audite, quæſo, fratres, quomodo illos vndique in formidinem impellit Ioſeph. Iubet illos accumbere, ſingulos nominatim vocans, & per ordinem, ſicut fuerant geniti, ſtatuens, vtebatur'q; per vnumquenq; quodam quaſi diuinationis modo. Propoſitus erat illi ſcyphus argenteus, quem tenens ille manu, atq; in leuã transferens, pulſabat cum dexteræ digito manus. Cùm'q; pulſaretur ſcyphus, magnum ſonitum ædebat in aures omnium aſsiſtentium. Semel igitur pulſans ait: Horum omnium primus Ruben eſt, primus ipſe in honore diſcumbat. Pulſauit ſecundò, & ſecundi nomen edixit; Symeon, inquiens, ſecundus natu eſt, ipſe quoq; ſecundò diſcumbat loco. Tertiò dehinc tinnitum digito expromens: Leui, ait, diſcumbat, & tertio honoretur loco. Atq; ita ſingulos accumbere fecit, nomine illos per ordinem vocans. Quamobrem eos in ſtuporem conuertit, maiori'q; formidine impleuit, adeò vt putarent ipſum omnia ſcire, dicerent'que ad inuicem: Putas'ne agnouit ex calice, nos ſibi antea

eſſe mentitos, cùm dixerimus Ioſeph à fera peſſima deuoratum eſſe? Magna igitur cogitationum tempeſtate fluctuabant. Vt autem hac eos ſuſpicione leuaret, ex menſa ſua partes ei tradit, ampliorem'q; partem fratri ſuo Beniamin, ita vt maiorem quincuplo, quàm cæteris miſerit. Cur itaq; hoc Ioſeph fratribus fecit, vt ex ſcypho nomina diceret ſingulorum? Vt ſcilicet illorum crimen augeret. Tunc iubet diſpenſatori ſuo, vt frumenti copiam fratribus abſq; pretio daret, atq; in ſacco Beniamin clam deponeret ſcyphum, eos'q; gaudentes continuò a ſe dimitteret. Haud longè à ciuitate diſceſſerant hilares, cùm illos ille curſu inſecutus, obiurgare cœpit, atq; inſectari, graues'q; intentare minas, fures eos appellans, & collati ſibi honoris indignos. Reſpondentes autem diſpenſatori Ioſeph fratres dixerunt: Aurum etiam, quod altera vice inuenimus in marſupijs noſtris, retulimus domino noſtro, nunc ſcyphum domini tui, qua ratione furati eſſemus? Abſit hoc à ſeruis tuis. Dixit autem eis: Sacculos veſtros deponite, ſcrutandos'q; permittite. Feſtinatò illi ſaccos depoſuere ex iumentis, inuentus'q; eſt ſcyphus in ſacco Beniamin. Quod illi cùm vidiſſent, ſciderunt veſtimenta ſua, cœperunt'q; minas multas, & probra, & iniurias inferre ei, neq; ipſum ſolum, verùm & Rachel ſimul & Ioſeph cum patre inſimulabant, dicentes: Vos ſcandalum fuiſtis patri noſtro, tu, & Ioſeph filij Rachel. Ioſeph enim regnare ſuper nos voluit, & meritò à fera comeſtus eſt. Tu autem rurſus frater eius in ignominia, & probro nos eſſe feciſti. Non'ne vos eſtis filij Rachel, quæ patris ſui idola furata, ſe ea furatam eſſe negauit? Extollens autem vocem Beniamin cum gemitu, & lachrymis ſatisfacere ſingulis cœpit, ac dicere: Deus ipſe patrum noſtrorum ſcit, qui aſſumpſit Rachel, quemadmodum ipſe voluit, qui pulcherrimi Ioſeph mortem minimè ignorat, ipſum'q; modò conſolatur inuiſibiliter, qui videt noſtra omnia, qui ſcrutatur corda, & renes, ipſe, inquam, ſcit quia non hunc ſcyphum, vt dicitis, furatus ſum, neq; tale aliquid cogitaui; ita videam patris Iacob ſanctam, venerandam'q; caniciem, vt cum gaudio ſancta illius oſculer genua, vt ſcyphum iſtum furatus non ſum. Heu, heu, Rachel, quid contigit filijs tuis? Ioſeph pulcher à fera, vt aiunt, occiſus eſt. Ecce ego nunc, mater, fur repentè, dum neſcio, factus ſum, & ignoro quo pacto in terra aliena ſeruus detineor. Ioſeph in eremo cùm diſcerperetur à beſtia, clamauit vt inueniret qui ſe liberaret, & non inuenit. En ego rurſus, ò dulcis mater, apud fratres meos me expurgo, nec eſt qui audiat me, credat'q; mihi filio tuo.

Sumpto itaq; Beniamin, regreſſi ſunt in ciuitatem ad Ioſeph, nihil habentes, quod reſpondere poſſent. Reſpondens autem Ioſeph irato ſimilis, ait eis: Hæccine eſt beneficiorum meorum retributio? Idcirco honoraui vos, vt mihi ſcyphum meum, in quo vaticinor, auferretis? Non'ne dixi vobis, quòd non eſtis pacifici, ſed exploratores? Propter timorem Dei hoc agam vobiſcum; eum ſolum, qui furatus eſt calicem meum, ſeruum meum eſſe iubeo. Accedens autem vnus ex eis, Iudas nomine, poſito genu orabat eum, dicens: Ne quæſo iraſcaris, domine, ſi loquar. Interrogaſti nos ſeruos tuos, dicens: Habetis patrem, aut fratrem? Diximus'q; domino noſtro: Eſt nobis pater ſeruus tuus, qui duos filios habuit, quos ſuper omnes nos diligit. Vnum ex his fera peſſima diſcerpſit in montibus, luget'q; illum horis ſingulis pater, & in dolore, ac gemitu nunc vſq; perſiſtit, atq; adeò vt terra (fermè dixerim) ad voces eius lugere videatur. Alterum ſecum detinet domi in ſolatium prioris filij. Nunc autem, ſicut iuſſiſti, adduximus fratrem hunc noſtrum, & inuenti ſumus ſerui tui grauiſſimi ſceleris rei. Oro autem, vt ipſe ſeruus tuus ſim pro puero iſto, modò puer cum fratribus reuertatur ad patrem. Ipſum enim ego ſuſcepi à patre meo, & ſine ipſo ad eũ redire nõ poſſũ, ne videã patris mei amariſſimam mortẽ.

Cùm audiſſet Ioſeph verba Iudæ, videretq́ eos omnes vultibus in humum demiſsis aſsiſtere, aſpiceret item Beniamin ſciſſa tunica cum gemitu procidentem aſtantium genibus, vt ipſi Ioſeph exorarent, quò ad patrem cum fratribus eum redire permitteret, nimis omnino turbatus eſt, commotisq́ viſceribus, aſtantes omnes protinus abire iuſsit. Quibus abeuntibus, leuauit vocem ſuam Ioſeph cum fletu dicens fratribus, quos retinuerat: Ego ſum Ioſeph frater veſter, non ſum comeſtus à fera, vt modò dixiſtis. Ego ſum, qui à vobis in lacum proiectus ſum nudus. Ego ſum, quem Iſmaëlitis vendidiſtis; qui cùm omnium veſtrum genibus, veſtigijsq́ prouoluerer, nemo fuit ex vobis, qui tunc in illa preſſura miſereretur mei, ſed vt feræ beluæ in me inuaſiſtis. Veruntamen, fratres mei, nemo veſtrum timore turbetur, magis autem gaudete mecum, & exultate. Et quemadmodum dixiſtis patri noſtro priùs, quòd ego in montibus à fera interfectus eſſem, ita rurſus læti renunciate Iacob, dicentes: Ioſeph filius tuus viuit, & ecce ſedet in curru Regis, ſceptrum regni Aegypti manu tenens. Cùm verò vocem Ioſeph audiſſent fratres eius, præ pauore, ac formidine facti ſunt velut mortui. Accedens autem Ioſeph vetus ſanctæ propaginis palmes, oſculabatur vnumquenque eorum magno affectu, nihil prioris iniuriæ memor, vt ſibi congruum erat, eosq́, & donis, & honoribus lætiores fecit, magnoq́ cum gaudio remiſit omnes ad patrem, dicens: Nolite in via contendere omnino, ſed magis feſtinanter properate ad patrem noſtrum, & dicite illi: Hæc dicit filius tuus Ioſeph. Fecit me Deus Regē totius Aegypti, accede cum gaudio pater, & aſpice filium tuum. Veni, pater, in lætitia cordis, vt videam ſanctæ ſenectutis tuæ Angelicam faciem.

Abeuntes verò cum feſtinatione renunciauerunt Iacob verba Ioſeph. Audito Ioſeph nomine, ſuſpirauit Iacob, lachrymasq́ profundens ait eis: Quare conturbatis ſpiritum meum, vt rurſus recolam effigiem Ioſeph pulcherrimi, & optimi filij mei, dolorisq́ flammam iam ſenſim extinctam, denuò vultis accendere? Accedens autem Beniamin deoſculatus eſt illius genua, & mentum, dicens: Vera ſunt quæ audiſti, pater optime, & honeſtiſsime. Oſtenderuntq́ illi omnia, quæ miſerat Ioſeph. Tunc autem credidit verbis Beniamin, ſurgensq́ cum omni domo feſtinus, & gaudens, pertexit in Aegyptum ad Ioſeph filium ſuum. Vt autem audiuit Ioſeph aduenisſe Iacob patrem ſuum, proceſſit ex vrbe cum optimatibus Pharaonis, magnoq́ obſequentium ſtipatus cuneo, occurrit illi. Cum vidiſſet autem Iacob filium ſuum, cecidit ſuper collum eius, magno cum gemitu, & affectu dicens: Iam nunc lætus moriar, ex quo vidi faciem tuam, dulciſsime fili, adhuc enim tu veraciter viuis. Amboq́ fleuerunt pariter & glorificauerunt Deum. Et nos igitur pro his omnibus referamus gloriam Patri, & filio, & Spiritui ſancto, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS BERGOMENSIS

BENIGNO LECTORI.

QVALIS, ac quantus vir fuerit Ioannes Damaſcenus, ex Tomo noſtro ſecundo de Vitis Sanctorum, vbi eius ex omni parte geſta narrantur, ſatis diſcere potuiſti. Is in inſigni illo ſuo de Orthodoxa fide libro, tam per Orientalem, quàm Occidentalem Eccleſiam decantato, quædam inter cætera de ſacratiſsima Dei Genitrice, De Virginitatis excellentia, Dominica Cruce, ſacratiſsima Euchariſtia, ac Sanctorum reliquijs, & imaginibus narrat, quæ tibi minimè ſupprimenda eſſe duximus. Ea autem ſunt, quæ tibi mox ſubijcientur. Lege ergo ſyncero animo, candide lector, quæ ſanctus hic pater verè Orthodoxus affert; & ex eius lectione quanta ſit hæreticorum noſtri temporis, non dicam inſania, ſed perfidia, malignitasq́ue cognoſces, qui tanto ſupercilio contra ſanctæ matris Eccleſiæ traditiones, & inſtituta, ſe attollere præſumunt. Verùm tu, his prorſus eliminatis, & abiectis, à piæ matris tuæ vberibus non patiaris auelli. Apud hanc enim ſolùm lux, & vita reperitur; extra eam tenebræ, & interitus. Vale.

DE SANCTA VIRGINE MARIA DEI GENITRICE SERMO BEATI IOANNIS DAMASCENI.

Habetur libro iij de Ortodoxa fide cap. xij.

DEIPARAM, Dei genitricem, Deiq́; parentem & propriè, & verè, ſanctam Virginem celebramus. Nã vt verus Deus eſt, qui ex ipſa natus eſt, ita vera Dei genitrix 1 verum Deum ex ipſa incarnatum genuit. Deum enim dicimus ex ipſa natum eſſe, non vt diuinitate principium Verbi, vt Verbum eſſet, ex ea accipiente, ſed vt ipſo Dei Verbo ante ſecula ſine initio ex Patre genito, & ſine initio, & ſempiternè exiſtente cum Patre, & Spiritu ſancto, in nouiſsimis temporibus propter noſtram ſalutem in vtero ejus inhabitante, & ex ipſa incommutabiliter incarnato, & genito. Non enim hominem 2 nudum genuit ſancta Virgo, ſed Deum verum; non nudum, ſed incarnatum; non ex cœlo corpus traducentem, & vt per canalem per ipſam tranſeuntem, ſed conſubſtantialem nobis carnem ſuſcipientem, in ſeipſo ſuſtentatam. Si enim cœlitus corpus acceptum eſt, & non ex ea natura, quæ ſecundùm nos, ſumptum eſt, quę vtilitas humanationis? Humanatio enim Dei verbi propter hoc facta eſt, vt ipſa, quæ peccauit, & cecidit, & corrupta eſt, natura vinceret eum, qui ſeduxerat, tyrannum; & ſic à corruptione liberaretur; quemadmodum diuinus inquit Apoſtolus: Quoniam per hominem mors, & per hominem reſurrectio ex mortuis. Si primum verum, & ſecundum; ſiquidem dicit: Primus Adam ex terra terrenus, ſecundus Dominus ex cœlo. Non corpus dicit ex cœlo, ſed oſtendit, quòd non nudus homo eſt. Ecce enim & Adam ipſum nominauit, & Dominum, & vtrunq; ſimul ſignificauit. Adam enim interpretatur terrigena. Terrigena autem inſinuat, quòd hominis natura ex terra plaſmata eſt; Dominus verò diuinæ ſubſtantiæ eſt inſinuatiuum.

1 Beata Virgo, vera Dei Genitrix, verum Deum ex ſe incarnatum genuit.

2 Nõ hominẽ nudum tantùm genuit ſancta Virgo, ſed etiã Deum verũ.

Rurſus autem inquit Apoſtolus: Miſit Deus filium ſuum vnigenitum natum ex muliere. Non dixit, per mulierem, ſed ex muliere. Significauit igitur diuinus Apoſtolus, quòd ipſe eſt 3 vnigenitus filius Dei, & Deus, qui ex Virgine natus eſt homo. Et ipſe qui ex Virginé natus eſt, filius Dei & Deus eſt. Natus quidem corporaliter, ſecundùm quòd homo factus eſt, non in præplaſmato homine inhabitans, quemadmodum in Prophetis, ſed ipſe ſubſtantialiter, & veraciter factus homo, id eſt in ſua hypoſtaſi animatam carnem anima rationali, & intellectuali ſuſtentans, & ipſe factus eſt illi hypoſtaſis. Hoc enim deſignat natum ex muliere. Quomodo enim ipſum Dei Verbum ſub lege factum eſt, ſi non homo nobis conſubſtantialis factum eſt? Vnde iure optimo, & pro veritate, Deiparam incontaminatã nominamus Mariã. Hoc enim nomen omne diſpenſationis myſterium commendat. Nam ſi 4 Deipara eſt quæ genuit, reuera Deus eſt

3 Vnigenitus filius Dei & Deus, ex beata Virgine natus eſt homo.

4 Si Deipara eſt quæ genuit, & Deus & homo eſt qui ex ipſa genitus eſt.

qui ex ipſa genitus eſt, reuera etiam & homo. Quomodo enim ex muliere genitus, natusq; Deus eſt, ante ſecula hypoſtaſim habens, niſi homo factus eſt? Si autem ipſe, qui ex muliere natus eſt, Deus eſt; vnus profecto eſt & qui ex Deo Patre natus eſt ſecundùm diuinam, & ſine initio ſubſtantiam, & qui in nouiſsimis temporibus ex Virgine natus eſt, ſecundùm initium habentem & temporalem ſubſtantiam, id eſt humanam. Hoc autem vnam hypoſtaſim, & duas naturas, & duas natiuitates Domini noſtri Ieſu Chriſti ſignificat.

ſ Vides quòd nec vocabula habere cō munia cum hæreticis debemus?

Chriſtiparam autem nequaquam dicimus ſanctam Virginem, quia ad renuendum ſ vocabulum Theotocos, id eſt, Deiparæ, & Dei genitricis, ſcelestus, & odibilis, & cum Iudæis ſapiens Neſtorius id adinuenit, vt vas contumeliæ in contumeliam ſolius verè honoratæ ſuper omnem creaturam, tametſi ipſe cum patre ſuo diabolo diſrumpatur. Nam & Dauid Rex, Chriſtus dicitur, & Aaron princeps ſacerdotum. Vngebatur enim & regnum, & ſacerdotium. Et omnis Deifer homo, Chriſtus, ideſt vnctus, dici poteſt, ſed non natura Deus. Vnde & Deo odibilis Neſtorius, natum ex Virgine, Deiferum dicere anhelauit. Nobis autem abſit, Deiferum ipſum aut dicere, aut cogitare, ſed Deum incarnatum. Ipſum enim Verbum caro factum eſt, conceptum ex Virgine, præueniens quidem ipſam carnem & in aſſumptione Deus, & ipſa iam ab ipſo Deificata, quaſi tribus ſimul factis vnà cum deductione eius ad eſſe, aſſumptione, exiſtentia, & Deificatione eius à Verbo. Et ſic intelligenda, & dicenda 6 Deipara Virgo, non ſolùm propter naturam Verbi, ſed etiam propter Deificationem humanæ carnis. Quorum ſimul conceptio, & exiſtentia miro operata ſunt modo; conceptio quidem Verbi, carnis autem in ipſo Verbo exiſtentia, ipſa Dei matre ineffabiliter ſuppeditante plaſmationem plaſmatori, & humanationem Deo factori vniuerſi, & Deificanti quod aſſumpſit, ſaluante vnione ea, quæ vnita ſunt, talia qualia vniebantur. Non quidem diuinum dico ſolum, ſed & id, quod humanum Chriſti, & quod ſuper nos, & quod ſecundùm nos. Neq; enim factum priùs ſecundùm nos, poſteriùs factum ſupra nos, ſed ſemper ex præcipua hypoſtaſi ambo ſubſtitere, propterea quòd ex ipſo conceptionis articulo in ipſo Verbo exiſtentiam habuit. Quod igitur humanum eſt, ſecundùm propriam naturam tale eſt, Dei verò & diuinum, ineffabiliter, & ſuper naturam. Præterea & carnis animatæ proprietates geſsit; illas autem ſuſcepit, diſpenſationis motus naturalis ratione, ordine ſecundùm veritatem naturaliter obſeruato.

6 Quomodo beata Virgo ſit intelligēda, & dicenda Deipara.

DE NATIVITATE DOMINI, EIVSQVE SANCTAE VIRGINIS DEIPARAE GENEALOGIA, DEQVE HVIVS LAVDIBVS, ET COMMENDATIONE, SERMO BEATI IOANNIS DAMASCENI.

Habetur libro 4 de Orthodoxa fide, cap. 15.

DE ſancta, & ſuperlaudabili ſemper Virgine & Deipara Maria in prætactis mediocriter tractauimus, & quod maximè opportunum viſum eſt, repræſentauimus, quòd propriè 1 Deipara & eſt, & nominatur; nunc reliqua compleamus. Ipſe enim ante ſecula præcognitiuo Dei conſilio prædiffinita eſt, & diuerſis ſimilitudinibus, & oraculis prophetarum per Spiritumſanctum figurata, & prædicata, in prædiffinito tempore ex Dauidica radice pullulauit, propter factas ad ipſum promiſsiones. Iurauit enim, inquit, Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Et rurſus: Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar, ſemen eius in æternum manebit; & thronus eius vt ſol in conſpectu meo, & vt luna perfecta in æternum, & teſtis in cœlo fidelis. Et Eſaias: Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Enimuero quod Ioſeph ex Dauidica tribu deſcenderit, Matthæus, & Lucas ſacratiſsimi Euangeliſtæ dilucidè monſtrarunt. Sed Matthæus quidem ex Dauid per Salomonem deduxit Ioſeph, Lucas autem per Nathan. Sanctæ verò Virginis generationē ambo ſiluerunt. Decet autem ſcire, non fuiſſe morem Hebræis, neq; diuinæ ſcripturæ, genealogias texere mulierum. Nam lex fuit, tribum non deſponſare ex alia tribu. At qui Ioſeph ex Dauidica deſcendit tribu, & iuſtus erat. Hoc enim de ipſo diuinum teſtatur Euangelium. Non igitur præter legem, ſanctam Virginem ad deſponſationem duxiſſet, niſi ex eius ſceptro deſcendiſſet. Cùm igitur oſtenderit Euangeliſta deſcenſum Ioſeph, ſatiſfactum eſſe putandum eſt.

1 Sācta & ſēp Virgo Maria propriè Deipara eſt, & nominatur.

Præterea id nequaquam latere par eſt, quòd lex erat, viro moriente ſine

prole, fratrem eius, defuncti coniugem ſibi nuptiiſs copulare, & ſuſcitare ſemen fratri. Quod igitur partu ædebatur, ſecundùm naturam, ſecundi, id eſt illius, qui genuit, erat; ſecundùm verò legem, eius qui obierat diem. Ex ſerie igitur Nathan filij Dauid, Leui genuit Melchi, & Panthera. Panther genuit Barpanthera, ſic ab eo denominatum. Hic Barpanther genuit Ioachim, Ioachim verò genuit ſanctam Deiparam. Ex ſerie Salomonis filij Dauid, Matthan duxit vxorem, ex qua genuit Iacob. Mortuo autem Matthan, Melchi qui erat ex tribu Nathan, filius Leui, frater verò Pantheris, nupſit vxori Matthan, matri quidem Iacob, & genuit ex ea Heli. Erant igitur fratres vterini Iacob, & Heli, Iacob quidem ex tribu Salomonis, Heli verò ex tribu Nathan. Defuncto autem Heli ex tribu Nathan ſine liberis, accepit Iacob frater eius ex tribu Salomonis, vxorem eius, & ſuſcitauit ſemen fratri ſuo, & genuit Ioſeph. Ioſeph igitur natura quidem eſt filius Iacob ex deſcenſu à Salomone; ſecundùm verò legem, filius Heli ex Nathan. Ioachim ergo venerandam, & dignam laude Annam in matrimonium duxit; ſed quemadmodum vetus Anna ſterilis facta, per votum & repromiſsionem habuit Samuelem, hunc in modum & hæc per ſupplicationem, & repromiſsionem à Deo, Deiparam profert; vt & in hoc nulla illuſtrium, & glorioſarum poſterior habeatur.

Parit ergo gratia (Anna enim hoc interpretatur) Dominum, quod profectò indicat Mariæ nomen. Nam reuera Domina facta eſt omnium creaturarum, cùm conditoris omnium effecta eſt mater. Aeditur partu in domo ouilis Ioachim, & adducitur in templum. Deinde in domo Domini plantata, & impinguata Spiritu, veluti oliua fructifera, omnis virtutis habitaculum facta eſt, ab omni ſeculari vita, & carnali concupiſcentia procul mentem ſequeſtrans, & ſic virgineam animam cum corpore conſeruans, vt decebat eam, quæ in ſinu Deum ſuſceptura eſſet. Sanctus enim exiſtens, in ſanctis requieſcit. Sic igitur ſanctificationem omnem exercet, & templum ſanctum, & admirabile altiſsimi Dei dignè demonſtratur. Quia ergo obſeruabat virgines noſtræ ſalutis inimicus, propter Eſaiæ prædictionem dicentis: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod eſt interpretatum, Nobiſcum Deus: vt deciperet eum, qui ſemper in ſapientia gloriatur, ipſe qui deprehendit ſapientes in aſtutia eorum, in deſponſatione puella Ioſeph à ſacerdotibus traditur, vt nouus liber literas ſcienti. Nam deſponſatio, cuſtodia Virginis erat, & virgines obſeruanti depulſio.

2 Beatiſsima Virgo cōcepit filiū Dei, non ex congreſſu, & ſemine viri, ſed ex cooperatione Spiritus ſancti.

Quando autem venit plenitudo temporis, miſſus eſt Angelus Domini ad ipſam, annuncians Domini conceptionem, & ſic 2 concepit filium Dei, conſubſtantialem Patris virtutem, non ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, id eſt ex congreſſu, & ſemine, ſed ex Patris bona voluntate, & cooperatione Spiritus ſancti, ſuppeditauit creatori creari, & plaſmatori plaſmari, & filio Dei, & Deo incarnari, & humanari ex puris, & illibatis carnibus eius, & ſanguinibus, primæ matris abſoluens debitum. Nam quemadmodum illa ſine commixtione ex Adam plaſmata eſt, ſic iſta nouum Adam legē partus in vtero tulit, quem peperit ſuper natiuitatis naturam. Natus eſt enim ex muliere ſine patre, & ex patre ſine matre. Et quoniam ex muliere, lege partus, quoniam ſine patre, ſuper naturam eſt natiuitatis. Et quoniam conſueto in tempore (nam nouem menſes complens, & decimum attingens naſcitur) illud fit lege partus; quòd autē ſine dolore matris, ſupra legē partus eſt. Citius enim voluptas non præceſsit, neq; pariendi dolor ſubſecutus eſt, ſecundùm Prophetam dicentem: Priuſquam dolorem partus ſenſerit, peperit. Et rurſus, Priuſquam adueniret tempus dolorum partus, effugit, & peperit maſculum.

3 Natus eſt ex beata Virgine filius Dei, & Deus incarnatus.

Natus eſt igitur ex ea filius 3 Dei, & Deus incarnatus, non Deifer homo,

ſed Deus incarnatus, non vt Propheta actione vnctus, ſed totius vngentis præſentia, vt homo quidem fiat, quòd vngit, & Deus quòd vngitur, non tranſmutatione naturæ, ſed vnione ſecundùm hypoſtaſim. Idem enim erat vngens, & qui vngebatur; vt Deus vngens ſeipſum vt hominem. Quomodo igitur non eſt Deipara, quæ Deum incarnatum ex ſe genuit? Sic propriè, & verè Dei 4 genitrix, & Domina, quæ omnium creaturarum dominatrix, ancilla, & mater omnium conditoris effecta eſt. Quemadmodum verò qui conceptus eſt, Virginem concipientem ſeruauit; ſic & natus, ipſius virginitatem 5 ſeruauit illæſam; ſolus tranſiuit per eam, & clauſam ſeruauit ipſam. Per auditum quidem conceptio, ſed natiuitas per conſuetum parientium egreſſum, tametſi nonnulli fabulantur, per latus diuinæ matris ipſum æditum fuiſſe. Non enim impoſsibile illi erat per clauſam portam tranſire, & illius non lædere ſignacula. Manet igitur & poſt partum virgo, & 6 ſemper virgo. Nullo modo enim vſq; ad mortem, viri admiſit contactum, etſi ſcriptum eſt: Et non cognouit eam, donec peperit filium ſuum primogenitum,

4 Beata Virgo propriè & verè Dei genitrix eſt, & omnium creaturarum dominatrix.

5 Filius Dei naſcēs ex Virgine, ipſius virginitatem ſeruauit illæſam.

6 Beata Maria & poſt partum, & ſemper manſit virgo.

Sciendum autem quòd primogenitus eſt, qui primus genitus eſt, etſi etiam vnigenitus fuerit. Hoc enim primogenitum, primum natum eſſe oſtendit, non omnino autem commanifeſtat & aliorum generationem. Hoc autem vocabulum, Donec, determinati temporis præfinitionem ſignificat, non autem nunciat quod poſtea. Dicit enim Dominus: Ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſeculi: non quòd poſt ſeculi conſummationem ſeparandus ſit; nam ait diuinus Apoſtolus: Et ſic ſemper cum Domino erimus, poſt communem reſurrectionem intelligens. Quomodo enim quæ genuit 7 Deum, & ex conſequentium experientia miraculum agnouit, viri conſortium admiſit? Abſit hoc. Non modeſtæ cogitationis eſt talia cogitare, ne dicam agere. Sed ipſa beata, & supèr naturam donorum digna effecta, dolores partus, quos effugit pariens, illos tempore paſsionis ſuſtinuit, ex materna compaſsione viſcerum, lacerum reparturiens. Et quem Deum per natiuitatem agnouit, illum vt maleficum interfectum videns, tanquam gladio, cogitationibus diſcerpitur. Et hoc eſt: Tuam ipſius animam pertranſibit gladius: quemadmodum illi prædixerat Dei expectator Symeon Dominum geſtans in vlnis. Sed commutat triſtitiam gaudium reſurrectionis, Dominum carne mortuum rediuiuum prædicans.

7 Nota, beata Virgo genuit Deum.

DE VIRGINITATIS SVPRA MATRIMONIVM EXCELLENTIA, SERMO BEATI IOANNIS DAMASCENI.

Habetur in libro quarto cap. 25 de Orthodoxa fide.

DETRECTANT carnales virginitati, & teſtimonium citant voluptatis adamatores, quòd maledictus omnis homo, qui non ſuſcitat ſemen in Iſraël. Nos autem reſpondebimus Deo 1 Verbo ex Virgine incarnato freti, quòd virginitas deſuper eſt, & à principio inſita naturæ hominũ. Ex virgine enim terra homo plaſmatus eſt; ex ſolo Adam Eua creata eſt; in paradiſo virginitas conuerſabatur. Dicit enim diuina ſcriptura, quòd nudi erant tunc Adam, & Eua, & non erubeſcebant. Quando autem transgreſsi ſunt, cognouerunt quòd nudi eſſent; & erubeſcentes fecerunt ſibi ipſis perizomata. Et poſt trangreſsionem, quando audiuit: Terra es, & in terram reuerteris, quando per præuaricationem mors introiuit in mundum, tunc cognouit Adam Euam coniugem ſuam, & concepit, & peperit. Quare propterea ne exterminaretur, & conſumeretur hoc genus à morte, nuptiæ conſtitutæ ſunt, vt per prolis procreationem genus hominum conſeruaretur.

1 Nota Deum Verbum ex Virgine fuiſſe incarnatum.

At dicent fortè: Quid igitur hoc vult, maſculus, & fœmina? Quid hoc, Creſcite, & multiplicamini? Ad quod dicemus, quòd hoc, Creſcite, & multiplicamini, non omnino multiplicationem per nuptialem conſociationem ſignificat. Poterat enim Deus hoc genus & alio multiplicare modo, ſi mandatum vſque in finem ſeruaſſent intemeratum. Sed ſciens Deus, præſcientia ſua omnia ſciens priuſquam fiant, quòd futuri erant trangreſſores, & morte condemnandi, anticipans fecit maſculum & fœminam, & augeri, & multiplicari præcepit.

Verùm vltra pergamus, & videamus virginitatis commendationes. Idem autem eſt & de caſtitate dicere. Noë in arcam ingredi iuſſus, & mundi ſemen cuſtodire ne periret, ſic præceptum accepit: Ingredere, inquit Deus, tu, & filij tui, & uxor tua, & vxores filiorum tuorum. Et ſeparauit eos ab vxoribus, vt cum caſtitate pelagus, & illud totius mundi naufragium euitarent. Poſt diluuij autem ceſſationem; Egredere, inquit, tu, & vxor tua, & filij tui, & vxores filiorum tuorum. Ecce rurſus propter multiplicationem nuptiæ conceſſæ ſunt. Deinde Elias, qui igneo curru in cœlum ſublatus eſt, non'ne 2 nuptias valere permiſit, & in ſublimatione ſuper homines teſtimonium accepit? Quis cœlos clauſit? Quis mortuos ſuſcitauit? Quis Iordanem diuiſit? Non'ne virgo Elias? Eliſæus verò huius affectator, æqualem virtutem præferens, non'ne

2 Vide virginitatē etiam in ſanctis veteris teſtamenti.

cùm ſuper ſe duplari gratiam Spiritus ſancti petiſſet, hæreditauit? Quid autem? Non'ne tres pueri virginitatem colentes igne ſuperiores euaſere, per virginitatem corporibus ab igni inexpugnabilibus factis? Non'ne Danielis corpori virginitate ſolidato ferarum dentes infigi non potuerunt? Non'ne cùm videndus eſſet Deus ab Iſraëliticis, caſtum corpus eſſe præcepit? Non'ne etiam ſacerdotes ſeipſos caſtos ſeruabant, & ita adyta intrabant, offerebant'que hoſtias? Non'ne lex magnum votum caſtitatem appellauit? Oportet igitur ſpiritualiùs accipere legis præceptum. Nam eſt ſemen ſpirituale, per charitatem, & timorem Dei, in mentis vtero parturienti & parienti ſpiritum ſalutis. Sic autem accipiendum eſt hoc: Beatus eſt, qui habet ſemen in Sion, & domeſticos in Hieruſalem. Quid enim ſi fornicator, ſi ebrioſus, ſi idololatra. Beatus'ne eſt, ſi ſolum habet in Sion, & familiares in Hieruſalem? Nullus qui rectè ſapit, hoc dicit.

Virginitas 3 Angelorum conuerſatio eſt. Hæc omnia incorporeæ naturæ proprietas. Hæc autem dicimus, non nuptijs derogantes. Abſit. Nam ſcimus Dominum præſentia ſua nuptias benedixiſſe; & Paulum dixiſſe: Honorabiles nuptiæ, & torus immaculatus. Sed bonis 4 nuptijs meliorem virginitatem agnoſcimus. In virtutibus enim & intenſionem, & remiſſiones ſunt; ſimiliter & in virijs. Non ignoramus, quoniam nuptiarum filij ſunt omnes homines, præter generis authores, atque duces. Nam illi ſunt virginitatis, & non nuptiarum plaſmatio. Sed cœlibatus Angelorum eſt (vt diximus) imitatio. Quantò igitur Angelus hominibus ſuperior, tantò 5 virginitas nuptijs honorabilior. Quid autem dico Angelus? Ipſe Chriſtus virginitatis gloria, non modò ex Patre ſine initio, & ſine duorum concurſu genitus, ſed & homo ſecundùm nos factus, ſuper nos ex Virgine ſine alieno conſortio incarnatus eſt. Et 6 ipſe virginitatem veram, & perfectam eſſe, in ſeipſo demonſtrauit. Hanc autem nobis legem non ſtatuit; non enim omnes capiunt verbum hoc, vt ipſe dixit; ſed opere nos erudiuit, & ad illam nos confirmauit. Cui igitur non euaſit perſpicuum, quòd virginitas in hominibus nunc principatum tenet? Bona quidem liberorum procreatio, quam nuptiæ conſtituunt, & bonæ nuptiæ ob fornicationes, quas præſcindunt, rabiem concupiſcentiæ per legitimam commixtionem non ſinentes ad iniquos furere actus. Bonæ nuptiæ, quibus non adeſt continendi gratia. At 7 melior virginitas, animæ potiùs fœcunditatem, quàm prolis adaugens, & Deo fructum temporaneum orationem afferens. Honorabiles nuptiæ, & torus immaculatus. Fornicatores autem, & adulteros iudicabit Deus.

3 Nota, Virginitas Angelorũ conuerſatio eſt.

4 Sed bonis nuptijs meliorem virginitatem agnoſcimus.

5 Virginitas nuptijs honorabilior.

6 Dominus Ieſus Chriſtus virginitatem veram, & perfectã eſſe in ſeipſo demõſtrauit.

7 Bonæ nuptiæ, ſed melior Virginitas.

IN LAVDEM SANCTAE, ET VIVIFICAE CRVCIS SERMO BEATI IOANNIS DAMASCENI.

Habetur libro quarto cap. xij de Orthodoxa fide.

SERMO Crucis iis qui pereunt, ſultitia eſt, nobis autem, qui ſalute reſpiramus, virtus Dei eſt. Nam ſpiritualis omnia dijudicat, animalis verò homo non ſuſcipit ea, quæ ſpiritus ſunt. Stultitia enim iis, qui fidem non ſuſcipiunt, & bonitatem, & omnipotentiam Dei non exiſtimant, ſed humanis, & naturalibus cogitationibus diuina ſcrutantur. Omnia nanque Dei ſunt ſuper naturam, adhuc & ſuper ſermonem, & mentem. Quis enim cogitauerit, quo pacto ex nihilo ad eſſe, & cuius gratia deduxerit Deus vniuerſa? Si naturalibus cogitationibus inuenire voluerit, non apprehendet. Animalis enim eſt hæc indagatio, & dæmoniaca. Si quis verò fide manuductus bonitatem, omnipotentiam, veritatem, ſapientiam, iuſtitiam, & diuinitatem cogitet, inueniet omnia leuia, & plana, & viam rectam. Sine enim fide impoſsibile eſt ſaluari; nam fide omnia, & humana, & ſpiritualia conſtant. Neque enim agricola ſine fide incidit terræ ſulcum, neque mercator paruo ligno ſuam ipſius animam inſano maris pelago committit; non nuptiæ fiunt, non aliud quicquam in vita ſine fide. Fide intelligimus, ex nihilo ad eſſe omnia Dei virtute deducta eſſe. Omnia, & diuina, & humana, fide dirigimus. Fides autem eſt inſcrutabilis conſenſus.

Omnis igitur actio, & miraculifera operatio Chriſti, maxima, diuina, & ſummè admiranda; omnium tamen admirabiliſsimum eſt pretioſa ipſius Crux. Per nullum enim aliud mors primi parentis deſtructa eſt, primi parentis peccatum ſolutum, infernus ſpoliatus, reſurrectio donata, virtus nobis contemnendi præſentia, mortemque ipſam, elargita, ad antiquam beatitudinem regreſsio reparata, portæ paradiſi patefactæ, natura noſtra in dexteris Dei ſedens, filij Dei & hæredes nos facti, niſi per Crucem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Per ipſam enim hæc omnia mirificè ſunt impleta. Nam quicunque baptizati ſumus in Chriſto, vt inquit Apoſtolus, in morte eius baptizati ſumus, & quicunque in Chriſto baptizati ſumus, Chriſtum induimus. Chriſtus autem eſt Dei virtus, & ſapientia. Ecce mors Chriſti, id eſt Crux, hypoſtatica Dei virtute, & ſapientia circundedit nos. Virtus ſiquidem Dei eſt verbum Crucis, aut quia potentia Dei, id eſt contra mortem victoria, per ipſam nobis manifeſtata eſt, aut quia quemadmodum quatuor extrema Crucis per medium centrum continentur, & conſtringuntur, ſic per Dei virtutem altitudo, & profunditas, longitudo, & latitudo, id eſt omnis viſibilis, & inuiſibilis creatura continetur.

Hæc nobis ſignum data eſt ſuper 1 frontem, quemadmodum Iſraëli circunciſio. Per ipſam enim fideles ab infidelibus & aliis, & diſcernuntur. Ipſa eſt ſcutum, & arma, & trophæum aduerſus diabolum. Ipſa ſignaculum, vt non tangat nos exterminator, vt inquit ſcriptura. Ipſa iacentium erectio, ſtantium firmamentum, baculus debilium, paſtorum virga, conuertentium manuductio, proficientium perfectio, animæ ſalus, & corporis, omnium malorum auerſio, omnium bonorum cauſa, peccati deſtructio, arbor reſurrectionis, lignum vitæ æternæ, ipſum vniuſum pretioſum lignum, & perquàm verè venerandum, in quo ſemetipſum in hoſtiam pro nobis Chriſtus obtulit, atque vt ſanctificatum tactu ſancti corporis, & ſanguinis, decenter 2 adorandum. Claui'q; & lancea, & indumenta, & ſacra ipſius tabernacula adorãda, quæ ſunt præſepe, ſpelunca, golgotha Saluatoris, viuificũ ſepulchrum, Sion Eccleſiarum propugnaculum, & ſimilia; vt Deiparens ait Dauid: Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius. Quod autem Crucem dicat, oſtendit quod ſequitur: Reſurge Domine in requiem tuam: ſequitur enim Crucem reſurrectio. Si enim amatorum deſiderabilis domus, & lectus, & amictus, multò magis Domini, & Saluatoris noſtri, per quæ & ſaluati ſumus.

Adoramus etiam 3 figuram pretioſæ, & viuificæ Crucis, tametſi ex alia materia facta eſt, non materiam venerantes (abſit enim) ſed figuram, tanquam Chriſti ſignum. Dixit enim Diſcipulis ſuis conteſtans: Tunc apparebit ſignum filij hominis in cœlo, Crucem dicens. Et idcirco mulieribus dixit reſurrectionis Angelus: Ieſum quæritis Nazarenum crucifixum. Et Apoſtolus: Nos autem prædicamus Ieſum Chriſtum, & ipſum Crucifixum. Multi enim Chriſti, & ſaluatores, ſed vnus crucifixus. Non dixit, lancea perfoſſum, ſed crucifixum. Adorandum eſt igitur ſignum Chriſti; vbi enim fuerit ſignum eius, illic & ipſe erit. Materia autem, ex qua figura Crucis exprimitur, ſiue ſit aurum, ſiue lapides pretioſi, aut alia quæuis materia, poſt figurationem, ſi contingat diſſolui, non adoranda. Omnia igitur, quæ Deo adiacuerunt, adoramus, ipſi reuerentiam, pietatisq; cultum exhibentes.

Hanc pretioſam Crucem præfigurauit vitæ lignum, quod in paradiſo plantatum eſt à Deo. Nam poſteaquam per lignum mors allata eſt, oportebat per lignum donari vitam, & reſurrectionem. Iacob adorans ſummitatem virgæ, alternatis, cancellatisq; manibus filios Ioſeph benedicens, ſignum Crucis manifeſtiſsimè deſcripſit. Virga Moſaica in ſimilitudine Crucis mare percuſsit, & ſaluauit Iſraël, Pharaonem autem ſubmerſit. Manus cruciformiter extenſæ Amalech repulerunt. Ligno amara aqua dulcis facta eſt, & petra rupta, & profundens fluenta. Virga Aaron ſacri Pontificatus inſigne fuit. Serpens in ligno triumphatus, qui mortuus eſt, ligno mortuum videntes inimicum ſaluante, & credentes quòd Chriſtus in carne peccati, peccatum non ſciente, in Cruce peccata affixit. Magnus Moſes clamat: Videbitis vitam veſtram pendentem in ligno ante oculos veſtros. Et Eſaias: Tota die expandi manus meas ad populum diſcredentem, & contradicentem. Qui hanc igitur 4 adorant, participes fiunt Chriſti Crucifixi. Amen.

1 Nota quòd Crux Chriſti nobis ſignũ data eſt ſuper frontem, quemadmodũ Iſraëli circuncisio.

2 Vide lignum viuificæ Crucis pretioſi corporis, & ſanguinis Domini tactu ſanctificatã decenter adorandum eſſe, ſicq; & cætera, quæ ibi ponuntur, ad eũdem Dominum pertinentia.

3 Adoramus etiã figuram pretioſæ, & viuificæ Crucis ex quacunq; materia factæ, & vide ratiõe.

4 Qui Crucẽ adorant, participes fiunt Chriſti Crucifixi.

IN SACRATISSIMVM CORPVS CHRISTI DE SANCTIS SCILICET, ET INCONTAMINATIS EIVS MYSTERIIS SERMO BEATI IOANNIS DAMASCENI.

Habetur libro quarto cap. 14 de Orthodoxa fide.

BONVS, & omnibonus, & ſuperbonus Deus totus exiſtẽs bonitas, propter ſuperabundantes diuitias bonitatis ſuæ, non paſſus eſt ſolum eſſe bonum (id eſt ſuam ipſius naturam) à nullo participatum. Huius gratia fecit primùm quidem intellectuales, & cœleſtes virtutes, deinde viſibilem, & ſenſibilem mundum, mox ex intellectuali, & ſenſibili natura hominem. Cuncta igitur, quæ ab ipſo facta ſunt, participant eius bonitatem ſecundùm eſſe, quia ab ipſo, & in ipſo ſunt omnia; non modò quia ipſe ex nihilo illa ad eſſe deduxit, ſed quia ſunt ipſius actio, & quæ ab ipſo facta ſunt, conſeruat, & continet. Ex abundanti autem animalia, nam ſecundùm eſſe, & vitam participando, communicant bono. Rationalia verò, & ſecundùm prædicta; ſed non ſolùm, verùm & ſecundùm rationem. Et hæc magis familiaria quoquo pacto ſunt ad ipſum, quanquam omnibus improportionaliter ſupereminet.

Cæterùm homo rationalis, & arbitrio liber factus, poteſtatem accepit indeſinenter per propriam electionem vniri Deo, ſi permanſiſſet in bono, hoc eſt, in creantis obedientia. Poſteaquam verò eius, qui illum fecit, transgreſſus eſt præceptum, & morti, & corruptioni ſuccubuit, factor, & opifex generis noſtri, propter viſcera miſericordiæ ſuæ, ſimilis factus nobis ſecundùm omnia, factus homo 1 eſt ſine peccato, & noſtræ naturæ vnitus eſt. At verò qui tradiderat nobis propriam imaginem, & proprium ſpiritum, quem non cuſtodiuimus, ipſe pauperem noſtram, & imbecillem aſſumpſit naturam, vt nos purgaret, & incorruptibiles faceret, rurſusq́ deitatis ſuæ participes reſtitueret. Atqui oportebat non ſolùm primitias noſtræ naturæ in participationem venire melioris, ſed & totum volentem hominem & ſecunda natiuitate naſci, & nutriri cibo nouo, & natiuitati conuenienti, atq; ita præuenire menſuram perfectionis. Per ſuam itaq; natiuitatem, id eſt, incarnationem, & baptiſma, & paſſionem, & reſurrectionem, liberauit naturam à peccato primi parentis, à morte, & corruptione. Et reſurrectionis primitiæ factus, viam, & formam, & exemplum ſeipſum

1
Deus omniũ creator, propter viſcera miſericordiæ ſuæ, factus eſt homo per omnia nobis ſimilis, abſq; peccato tamen.

conſtituit, vt & nos veſtigia eius ſequentes efficiamur adoptione, quod ipſe eſt natura, filij, & hæredes Dei, & ſui cohæredes. Dedit igitur nobis (ceu iam dixi) ſecundam natiuitatem, vt quemadmodum nati ex Adam aſsimilabamur ipſi, hæreditantes maledictionem, & corruptionem, ita & ex eo nati, aſsimilemur ei, & hæreditate adipiſcamur incorruptionem, & benedictionem, & gloriam eius.

Et quia ipſe ſpiritualis eſt Adam, decuit & natiuitatem ſpiritualem fore, ſimiliter autem & cibum. Atqui verò quia duplices ſumus, & compoſiti, par etiam fuit natiuitatem duplicem fore, identidem & cibum compoſitum. Natiuitas igitur, per aquam nobis & ſpiritum donata, per ſanctum, dico, baptiſma. Cibus verò, ipſe panis vitæ Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ex cœlo deſcendit. Nam ſuſcepturus voluntariam pro nobis mortem, in nocte, in qua ſeipſum obtulit, teſtamentum nouum diſpoſuit ſanctis Diſcipulis, & Apoſtolis, & per ipſos omnibus alijs in ſeipſum credentibus. In cœnaculo igitur ſanctæ, & glorioſæ Sion, antiquum Paſcha cum Diſcipulis ſuis manducans, & implēs antiquum teſtamentum, lauit diſcipulorum pedes, ſignum ſancti baptiſmatis præbens. Deinde frangens panem dedit illis, dicens: Accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur in remiſsionem peccatorum. Similiter accipiens calicem ex vino, & 2 aqua, tradidit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic meus eſt ſanguis noui teſtamenti, qui pro vobis effundetur in remiſsionem peccatorum; hoc facite in meam commemorationem. Quotieſcunq; enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem filij hominis annunciabitis, & reſurrectionem eius confitebimini, donec veniat.

2 Nota quòd Dominus noſter in nocte cœnæ calicē ex vino & aqua benedixit.

Si igitur Verbum Dei viuens eſt, & efficax, & omnia quæcunq; voluit Dominus fecit; ſi dixit: Fiat lux: & facta eſt: Fiat firmamentum; & factum eſt; ſi Verbo Dei cœli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum; ſi cœlum & terra, aqua, ignis, & aër, & omnis ornatus eorum, Verbo Domini perfecta ſunt, & homo ipſe vbiq; diuulgatum animal; ſi volens ipſe Deus Verbum factus eſt 3 homo, & ex ſanctæ Virginis puriſsimis, & illibatiſsimis ſanguinibus, in ſeipſo ſine ſemine carnem ſuſtentauit; non poteſt panem ſui ipſius corpus facere, & vinum & aquam, ſanguinem? Dixit in principio: Producat terra herbam virentem: & vſq; nunc pluuia facta producit germina, diuino coadiuta, & vigorata præcepto. Dixit Deus: Hoc eſt corpus meum; & hic meus eſt ſanguis: &, Hoc facite in meam commemorationem; & omnipotenti eius præcepto, donec veniat, efficitur. Sic enim dixit, Donec veniat, & fit pluuia nouæ huic agriculturæ, per inuocationem Spiritusſancti obumbrans virtus. Nam quemadmodum omnia quæcunq; fecit Deus, Spiritusſancto cooperante fecit; ſic & nunc Spiritusſancti operatione hæc ſuper naturam operatur, quæ non poteſt capere niſi ſola fides. Quomodo fiet mihi iſtud, dicit ſancta Virgo, quoniam virum non cognoſco? Reſpondet Gabriel Archangelus: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſsimi obumbrabit tibi. Et nunc interrogas, quomodo panis fit corpus Chriſti, & vinum & aqua ſanguis Chriſti? 4 Reſpondeo tibi & ego: Spiritus ſanctus obumbrat, & hæc operatur ſuper ſermonem, & intelligentiam: panis autem & vinum tranſumuntur. Nouit enim Deus humanam infirmitatem complura vſu non trita auerſari, & moleſtè ferre. Aſſueto igitur condeſcenſu vſus, per conſueta naturæ ea facit, quæ ſunt ſuper naturam. Et quemadmodum in baptiſmate (quia conſuetudo hominibus eſt, aqua lauari, & oleo vngi) coniunxit oleo, & aquæ gratiam Spiritus ſancti, & fecit illud lauachrum regenerationis. Hunc in modum, quia mos hominibus eſt panem manducare, & vinum, & aquam bibere, coniunxit his ipſis ſuam diuinitatem, & fecit hæc ſuum corpus, & ſanguinem, vt per aſſueta, & quæ ſunt

3 Deus Verbū factus eſt homo, ex ſanctæ Virginis puriſsimis ſanguinibus ſine humano ſemine.

4 Probat ſanctus Pater p verba conſecrationis, ex pane verum corpus, & ex vino & aqua verum ſanguinem dñi noſtri Ieſu Chriſti effici.

ſecundùm naturam, in ijs, quæ ſunt ſuper naturam, collocemur. Corpus enim, quod ex ſancta Virgine corpus eſt, ſecundùm veritatem coniunctum eſt diuinitati, non quòd ipſum corpus aſſumptum ex cœlo deſcenderit, ſed quòd ipſe panis, & vinum tranſmutatur in corpus, & ſanguinem Dei.

Si autem modò requiris, quo'nam pacto id fiat, ſat ſit tibi audire, quoniam per Spiritum ſanctum, quemadmodũ ex ſancta Deipara, ſeipſo & in ſeipſo Dñs carnem ſuſtentauit. Et nihil ampliùs cognoſcimus, quàm quòd Verbum Dei verum eſt, & efficax, & omnipotens; modus autem inſcrutabilis. Neq; & hoc etiam dictu promptum, quomodo naturaliter per comeſtionem panis, & vinum, & aqua per potionem in corpus, & ſanguinem comedentis, & bibentis tranſmutatur, & non fit aliud corpus præter id, quod prius erat ipſius. Sic & propoſitionis panis, vinum'q;, & aqua, per inuocationem, & aduentum Spiritus ſancti ſupernaturaliter tranſmutatur in corpus, & ſanguinem Chriſti; & non ſunt duo, ſed vnum & idem. Fit igitur ijs, qui fide dignè aſſumunt, in remiſsionem peccatorum, & in vitam æternam, & in cuſtodiam animæ, & corporis; ijs autem, qui in infidelitate indignè participant, in punitionem, & ſupplicium. Quemadmodum & Chriſti mors credentibus facta eſt vita, & incorruptibilitas in fruitionem ſempiternæ beatitudinis; infidelibus autem, & Domini interfectoribus, in ſupplicium, & pœnam ſempiternam.

5 In Euchariſtia rite conſecrata non eſſe figuram, ſed verum corpus, & ſanguinem Domini, cõtra quoſdam hæreticos noſtri tẽporis.

Non eſt 5 figura, panis, & vinum, corporis, & ſanguinis Chriſti (Abſit enim hoc) ſed eſt ipſum corpus Domini deificatum, ipſo Domino dicente: Hoc eſt meum, non figura corporis, ſed corpus, & non figura ſanguinis, ſed ſanguis. Et ante hoc ipſis Iudæis: Quoniam niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam æternam. Caro mea verus eſt cibus, & ſanguis meus verus eſt potus. Et rurſus: Qui manducat me, viuet. Proinde cum 6 omni timore, & conſcientia pura, & indubitabili fide accedamus, & omnino fiet nobis, quemadmodum credimus non dubitantes; & veneremur ipſum omni puritate animi, & corporis. Accedamus cum deſiderio ardenti, & manus in Crucis modum formantes, Crucifixi corpus ſuſcipiamus. Et apponentes oculos, & labia, & frontem, diuinum carbonem concipiamus, , vt ignis in nobis deſiderij aſsumens eo ex carbone ignitionem, comburat peccata noſtra, & illuminet corda noſtra, & participatione diuini ignis igniamur, & deificemur. Carbonem vidit Eſaias. Carbo autem ſimplex non eſt, ſed vnitus igni. Sic panis communionis, non panis ſimplex eſt, ſed vnitus diuinitati. Et corpori vnito diuinitati non vna, ac eadem illi natura eſt, ſed vna corporis, & vnitæ diuinitatis altera. Quare amborum ſimul non vna natura eſt, ſed duæ.

6 Nota modũ dignæ ſumptionis ſanctiſsimæ Euchariſtiæ, nec ſufficere ad id ſolam fidem.

Pane & vino ſuſcepit Melchiſedech Abraham ex cæde alienigenarum reuertentem, qui erat ſacerdos Dei altiſsimi. Illa menſa hanc myſticam præfigurauit menſam, velut & ſacerdos ille Chriſti veri ſacerdotis figuram præſeferebat, & imaginem, Tu es, inquit, ſacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech. Hunc panem panes figurabant propoſitionis. Hæc eſt pura ſcilicet hoſtia, & incruenta, quam ab ortu vſq; ad occaſum ipſi offerri per Prophetam Dominus loquitur, corpus videlicet, & ſanguis Chriſti, in ſtabilimentum animæ noſtræ, & corporis, inconſumptum, & incorruptum, non in ſeceſſum iens (abſit enim) ſed in noſtram ſubſtantiam, & conſeruationem, omnimodi nocumenti reparatio, ſordisq; omnis purgatio. Siquidem aurum offendit adulteratum, per iudicialem, correptoriamq; ignitionem purgat, vt non in futuro cum mundo condemnemur. Curat enim morbos, & omnimoda damna, quemadmodum dicit Apoſtolus: Si nos iudicaremus, non vtiq; iudicaremur. Cùm iudicamur autem, à Deo corripimur, vt non cũ mundo cõdemnemur.

Et hoc

Et hoc eſt, quod dicit: Quare qui participat corpus, & ſanguinem Chriſti indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit. Per illud purgati, vnimur corpori Domini, & ſpiritui eius, & efficimur corpus Chriſti. Iſte panis eſt primitiæ futuri panis, qui eſt ſuperſubſtantialis: Superſubſtantiale enim oſtendit, aut eum qui futurus eſt, id eſt, venturi ſeculi, aut eum, qui ad conſeruationem noſtræ ſumitur ſubſtantiæ. Siue igitur hoc, ſiue illo modo, Chriſti corpus accommodatè dicitur. Nam Spiritus viuificans eſt caro Domini, quia ex viuificante Spiritu concepta eſt. Quod enim natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt. Hoc autem dico non auferens corporis naturam, ſed viuificationem, & diuinitatem eius oſtendere volens. Si verò quidam 7 exemplaria corporis, & ſanguinis Domini, panem, & vinum vocauerunt, vt Deifer vocauit Baſilius; non tamen poſt ſanctificationem, ſed priuſquam ſanctificaretur ipſa oblatio, ita vocabant. Participatio etiam dicitur, nam per ipſam, Ieſu diuinitatem participamus. Dicitur & communio, & eſt reuera, quia communicamus per ipſam Chriſto, & participamus eius carnē, & diuinitatē, & quia communicamus, & vnimur inuicē per illam. Nam quia ex vno pane participamus omnes, vnum corpus Chriſti, & vnus ſanguis, & inuicem membra efficimur, concorporati Chriſto exiſtentes.

7 Quo ſenſu quidam ſancti Euchariſtiam Exemplaria corporis, & ſanguinis Domini vocauerint.

Omni igitur virtute obſeruemus, ne participemus participatione hæreticorum, neq; tribuamus (Nolite enim ſancta dare canibus, inquit Dominus noſter, neq; ſeminare margaritas veſtras ante porcos) vt participes efficiamur erroris, & malæ fidei, atq; condemnationis eorum. Si enim omnino vnio eſt ad Chriſtum, & adinuicem omnino, & omnibus comparticipantibus nobis ſecundum electionem vnimur. Nam ex electione vnio ipſa fit, non ſine noſtra ſententia, ac deliberatione. Omnes enim vnum corpus ſumus, quoniam ex vno pane participamus, quemadmodum diuinus inquit Apoſtolus. Exemplaria autem futurorum dicuntur, non vt exiſtentia verè corpus, & ſanguis Chriſti, ſed quoniam nunc quidem per ipſa participamus Chriſti diuinitatem, tunc autem intellectualiter per ſolam viſionem. Amen.

DE SANCTORVM ET RELIQVIARVM HONORE SERMO BEATI IOANNIS DAMASCENI.

Habetur libro quarto cap. 16 de Orthodoxa fide.

1 Cur honorare deceat ſanctos.

2 Vide quia ſancti, Dij, Domini, & Reges dicuntur, & quæ ſit huius rei ratio.

HONORARE 1 decet ſanctos, & amicos Chriſti, vt filios, & hæredes Dei, quemadmodum ait Deiloquus Ioannes Euangeliſta: Quicunque autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Quare non amplius ſunt ſerui, ſed filij; ſi autem filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Et Dominus in ſacris Euangelijs Apoſtolis dicit: Vos amici mei eſtis: item, Non vos vocaui ſeruos; nam ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius. Si autem Rex regnantium, & Dominus dominantium, & Deus Deorum, conditor omnium, & Dominus dicitur, omnino & ſancti, 2 Dij, & Domini, & Reges. Nam horum Deus, & Deus, & Dominus, & Rex eſt, & dicitur. Ego enim ſum, inquit Moſi, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob. Et Deum Pharaonis fecit Deus Moſen. Deos autem dico, & Reges, & Dominos, non natura, ſed vt affectus regentes, illorum dominantes, & diuinæ imaginis ſimilitudinem, ſecundum quam geniti fuerunt, inobliteratam cuſtodientes (nam & dicitur Rex, Regis imago) qui vniti ſunt Deo ſecundum voluntatem, quique illum ſuſcipiunt inhabitatorem, & qui id participatione ſunt effecti gratia, quod ipſe eſt natura.

3 Ecce quomodo ſancti magis dormientes, quam mortui dici debent.

4 Vide quid dicat ſanctus pater de ſanctorum reliquijs. Nam fontes ſalutares eas appellat, Dei indulto multimoda beneficia ſcaturiẽtes, & ſuauitatis vnguentum emanantes.

Quomodo igitur non honorandi ſunt, qui cultores, & amici, & filij Dei exiſtunt? Nam honor erga gratos, & benignos conſeruos, beneuolentiæ erga communem Dominum indicium eſt. Hi promptuarium Dei & pura habitacula facta ſunt. Inhabitabo enim in eis, dicit Dominus, & inambulabo, & ero eorum Deus. Et quòd iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos mors, dicit diuina ſcriptura. Nam 3 mors ſanctorum, dormitio magis eſt, quàm mors. Laborauerunt enim in præſenti ſeculo, & viuunt in æternum. Et Precioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. At quid precioſius, quàm in manu Dei eſſe? Vita enim Deus eſt, & lux, & qui in manu Dei ſunt, in vita, & luce exiſtunt. Quòd autem per mentem corpora eorum inhabitauerit Deus, dicit Apoſtolus: Neſcitis quia corpora veſtra Spiritus ſancti habitantis in vobis templum ſunt? Dominus autem Spiritus eſt. Et, Si quis templum Dei corruperit, corrumpet & illum Deus. Quomodo igitur non honoranda ſunt animata templa Dei, & animata tabernacula? Hi viuentes in fiducia Deo aſsiſtunt.

Fontes nobis 4 ſalutares Dñator Chriſtus præbuit ſanctorum reliquias, multimoda beneficia ſcaturientes, vnguentum ſuauitatis emanantes; & nullus diſcredat. Si enim ex rupe, & firmo ſaxo aqua in eremo proſiluit, volente Deo,

& ex maxilla aſini Sampſoni ſitienti, ex martyrum reliquijs vnguentum ſuaue olens emanare incredibile eſt? Nullo pacto profectò ijs, qui ſciunt Dei virtutem, & ab ipſo ſanctorum honorem. In lege omnis, qui tangebat mortuum, immundus efficiebatur, verùm ij non mortui. Nam ex quo ipſa vita, is ſcilicet, qui vitæ cauſa eſt, inter mortuos computatus eſt, eos, qui in ſpe reſurrectionis, & fide, quæ in ipſo eſt, dormierunt, non 5 mortuos appellamus. Mortuum enim corpus quomodò miracula operari poteſt? Quomodo igitur per 6 eos dæmones abiguntur, infirmi curantur, cæci vident, leproſi mundantur, tentationes, & triſtitiæ ſoluuntur, deniq; omne donum bonum à Patre luminum per eos ijs, qui inhæſitabili fide petunt, deſcendit? Quantum ſanè laborares, vt inuenires adiutorem, qui ad mortalem Regem te adduceret, & pro te ad ipſum ſermones faceret? Adiutores 7 ergo totius generis, Deo pro nobis ſupplicationes porrigentes, non honorandi ſunt? Certè honorandi. Templa 8 à nobis Deo erigenda ſunt in ipſorum nomine. Fructus afferendi illorum memoriam venerantibus, & in ipſis lætantibus ſpiritu, vt propria inuocantium lætitia fiat, ne nos non colere tentati, è conuerſo ipſos irritemus. Nam ijs, à quibus Deus colitur, & eius ſerui delectantur; & quos deſpicit Deus, & eius deſpiciunt clientes. In pſalmis, & hymnis, & odis ſpiritualibus, cùm compunctione & miſericordia indigeamus, ſanctos fide veneremur; à quibus maximè Deus colitur. Statuas illis erigamus, & viſibiles imagines, & nos ipſi animatæ ſtatuæ, & imagines ipſorum, virtutum imitatione efficiamur.

Deiparam, vt propriè, & verè Dei matrem honoremus. Præcurſorem Ioannem, vt prophetam, & baptiſtam, & miſſum, & martyrem. Neque enim inter natos mulierum maior ſurrexit Ioanne, vt Dominus dixit; & regni eius primus præco factus eſt. Apoſtolos vt fratres Domini, & inſpectores, & miniſtros in paſsionibus eius. Quos præſciens prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui Deus, & Pater, primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Paſtores, & Doctores. Martyres verò Domini ex omni ordine delectos, vt milites Christi, & qui eius biberunt calicem, tunc viuificæ eius mortis baptiſmate baptizati, vt communicantes paſsionibus eius, & gloriæ. Quorum exercitus dux eſt protodiaconus Chriſti, & miſſus, & protomartyr Stephanus. Et ſanctos patres noſtros exercitatores, qui diuturniore martyrio conſcientiæ certauerunt; qui circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egeni, tribulati, afflicti, in ſolitudinibus errantes, & montibus, & ſpeluncis, & cauernis terræ, quibus non erat dignus mundus. Prophetas ante gratiæ tempus. Patriarchas iuſtos, qui prænunciauerant Chriſti aduentum. Horum omnium attendentes conuerſationem, æmulamur fidem, bonitatem, ſpem, zelum, vitam, tolerantiam paſsionum, & ſuſtinentiam vſq; ad ſanguinem, vt & corona gloriæ cum ipſis participemus.

5 Sanctos cur appellemus dormientes, non autem mortuos.

6 Nota p ſanctos, dæmones abigi, infirmos curari, cæcos videre, leproſos mundari, tentationes, & triſtitias ſolui.

7 Vidè ſanctos adiutores dici totius generis humani, & pro nobis Deo porrigere ſupplicationes.

8 Ecce quàm multa dicit de ſanctis contra nouorum hæreticorum inſanias. Templa à nobis Deo erigenda in ipſorum nomine. Inuocandos, & colendos, ne non colere tētati ipſos irritemus. In pſalmis, hymnis & odis ſpiritualibus venerandos. Statuas illis erigendas, & viſibiles imagines; & nos virtutis illorum imitatores efficiendos.

DE ADORATIONE IMAGINVM SERMO BEATI IOANNIS DAMASCENI.

Habetur libro quarto cap. 17 de Orthodoxa fide.

1 Audiant veteres & noui hæretici, nã contra eos loquitur hic ſãctus pater.

QVIA nonnulli nobis exprobrant, quòd 1 adoramus, & veneramur Saluatoris noſtri, & Reginæ noſtræ Deiparæ imaginem, inſuper & reliquorum ſanctorum famulorũ Chriſti; audiant, quòd à principio Deus hominem ad ſuam imaginem fecerit. Cuius igitur gratia inuicem adoramus, niſi quatenus ad imaginem Dei facti ſumus? Nam, vt inquit Deifer & magnus in diuinis Baſilius, imaginis honor ad exemplaris 2 transfertur honorem. Exemplar autem eſt, quod imaginem efformat, & ex quo, quod deducitur, fit. Cuius gratia Moſaicus populus tabernaculum in circuitu adorabat, imaginem & formam gerens cœleſtium, magis autem & totius creaturæ. Dixit igitur Deus Moſi: Vide feceris omnia ſecundùm formam tibi oſtenſam in monte. Et Cherubin obumbrantia propitiatorium non'ne opera ſunt manuum hominum? Quid autem in Hieroſolymis celebratiſsimum templum, non'ne manufactum eſt, & hominum arte conſtructum?

2 Imaginis honor ad exemplaris transfertur honorem.

3 Diuinã ſcripturam non eſſe cõtra colentes imagines.

Diuina autem ſcriptura accuſat 3 adorantes ſculptilia, ac etiam ſacrificantes dæmonibus. Sacrificabant autem Græci, ſacrificabant & Iudæi. Sed Græci dæmonibus, Iudæi verò Deo. Et deteſtabile erat Græcorum ſacrificium, & damnabile; Iudæorum autem Deo benè acceptabile. Sacrificauit enim Noë, & odoratus eſt Deus odorem ſuauitatis, bonæ voluntatis, & beneuolentiæ erga ſe ſuauitatem ſuſcipiens. Sic Græcorum ſculptilia, quia dæmoniorum erant ſimulachra, deteſtabilia, & interdicta ſunt.

Ad hæc inuiſibilis, & incorporei, incircunſcriptibilis, & infigurabilis Dei quis poteſt facere repræſentationem? Inſipientiæ igitur, & extremæ impietatis eſt, figurare diuinitatem. Hinc in antiquo teſtamento tritus non fuit 4 imaginum vſus. At verò poſteaquam Deus per viſcera miſericordiæ ſuæ, ſecundùm veritatem factus eſt homo propter noſtram ſalutem, non vt Abrahæ viſus eſt in ſpecie hominis, non vt Prophetis, ſed ſecundùm ſubſtantiam veraciter factus homo eſt, diuerſatus in terra, & cum hominibus conuerſatus eſt, miracula operatus eſt, paſſus eſt, crucifixus eſt, ſepultus eſt, reſurrexit, aſſumptus eſt. Et hæc omnia ſecundùm veritatem geſta ſunt, & viſa ab hominibus, & ſcripta nobis ob memoriam, & doctrinam ſunt, cùm præſentes non eſſemus: vt, cùm non viderimus, audientes, & credentes adipiſcamur beatitudinem Dei.

4 Cur in veteri teſtamẽto tritus non fuerit imaginum vſus, ſed tãtùm in nõ

Et quia

Et quia non omnes literas norunt, neq; lectioni incumbunt, patres noſtri conſenſerunt, veluti quædam trophæa, hæc in imaginibus repræſentare ad promptam 5 memoriam. Siquidem ob negligentiam frequenter cogitatione non tenentes paſsionem Chriſti, imaginem transfixionis Chriſti videntes, in Saluatoris paſsionis memoriam redimus, & procidentes adoramus non materiam, ſed imagine repræſentatum; vt neq; materiam, ex qua ſcriptum eſt Euangelium, neq; Crucis materiam adoramus, ſed quod typo, figuráq; exprimitur. Nam quid refert Crux à materia, ſi non habet Chriſti repræſentationem? Idemidem & de Dei matris imagine. Nam honor ad ipſam, in illum, qui ex ea incarnatus eſt, reuocatur. Similiter autem & ſanctorum fortia facta præparant nos ad fortitudinem, & zelum, & imitationem virtutis illorum, & gloriam Dei. Vt enim diximus, honorem, qui exhibetur benignis, gratisq; conſeruis, beneuolentiæ ad communem Dominum præſeferre indicium; ſic & imaginis honor ad prototypon exemplar, imaginis'que veritatem transfertur. Eſt autem hæc traditio non ſcripta, perinde ac adorationis ad Orientem adorare, 6 ſcilicet Crucem, & alia plurima ijs, quæ dicta ſunt, ſimilia.

Fertur autem & quædam hiſtoria, quòd cùm Abagarus Edeſſenorum ciuitatis Rex, pictorem miſiſſet, vt Domini ſimilem pingeret imaginem; non valente pictore id præſtare ob reſplendentem faciei Domini claritatem, ipſe Dominus veſtimentum ſuæ faciei diuinæ, & viuificæ applicans, in veſtimento ſui ipſius 7 imaginem impreſsit, & ſic deſideranti miſit Abagaro. Quòd autem plurima ſancti Apoſtoli 8 tradiderint ſine ſcripto, ſcribit Paulus Gentium Apoſtolus ita dicens: Ergo, fratres, ſtate, & tenete traditiones noſtras, quas edocti eſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Et ad Corinthios: Laudo autem vos, fratres, quia per omnia mei meminiſtis, & ſicut tradidi vobis, traditiones tenetis.

5 Inuectæ ſunt imagines ad promptitudinem memoriæ, & procidẽtes adoramus non materiã, ſed imagine repræſentatũ.

6 Adorare Crucem, & alia plurima, eſt traditio non ſcripta.

7 Vides quòd ipſe Dñs Ieſus Chriſtus miſit imaginẽ ſuã Regi Abagaro? Qua frõte ergo poteſt quis imagines traducere?

8 Nota ſãctos Apoſtolos plurima tradidiſſe ſine ſcripto, & hæc vocãtur Traditiones Apoſtolicæ, quæ non minus, quã ea, quæ ſcripta ſunt, ſemper in obſeruantia fuerunt.

NONNVLLA ET DICTA, ET FACTA EGREGIA SANCTORVM MONACHORVM EX IOANNE CLIMACO EXCERPTA.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS BERGOMENSIS

CANDIDO, SYNCEROQVE LECTORI.

MIRATVS ſæpè ſum, optime lector, cur noſtro hoc infelici tempore eam in clericatu, & monachiſmo morum, diſciplinæq; iacturam patiamur, vt niſi ex hoc, atq; illo ordine præſtantes quidam viri, quaſi virtutum quædam ſemina, lucernæq; ardentes in hac temporum caligine, ſumma Dei benignitate relicti eſſent, magno vterq; ordo contemptui, ne dicam deritui, pateret. Idq; cùm multis ex cauſis euenire poſsit, earum vnam vel potiſsimam eſſe reor, quòd ſanctorum præcedentim patrum exercitationes, certamina, atq; labores, quos illi pro adipiſcendis virtutibus ſuſceperunt, non conſiderant, neq; eos ante mentis oculos, tanquam in tabella depictos, ſibi proponunt, vt ad eorum exempla alacriter ſe ſe exerceant. Quòd ſi facerent, non dubitarem ego, quin patres illi de Chriſtiana Republica optimè meriti longè plures virtutum ſuarum ſucceſſores, nedum æmulos, haberent.

Vt verò quales fuerint priſci illi monachi, qui nobis tam amplos reddiтus, tam præclara monaſteria ſuis optimæ vitæ inſtitutis parta reliquerũt, quilibet facilè cognoſcere poſsit, nec vllum quòd non ſanctè vitam inſtituerit ſuam, excuſationis velamen prætendat, ſequentem libellum ex Ioannis Climaci diuino volumine excerptum proferimus, qui dum hac mortali carne circundatus fuit, non minus præclara operum magnitudine, quàm ipſo etiam ſilentio, & taciturnitate commiſſos ſibi monachos edocuit. Percurre ergo quæ pater iſte tibi nunc proponit, videbisq́;, Angelos potiùs, quàm homines in carne degentes effingere, ac delineare. O ſi tales haberemus hodie cœnobitas, & anachoretas, quàm feliciter nobiſcum ageretur; & quàm maiori veneratione hunc ipſum ordinem, qui olim mundo, tanquam præcipuus Eccleſiæ catholicæ ſplendor illuxit, nunc etiam omnes & ſuſciperent, & admirarentur. Vale.

EX GRADV PRIMO IOANNIS CLIMACI DE INANIS VITAE FVGA.

QVOD EX OMNIBVS RATIONALIBVS CREATVRIS ALII SINT AMICI DEI, ALII SERVI FIDELES, ALII INVTILES, ALII AB IPSO ALIENI, ALII VERO ADVERSARII.

CAP. I.

CVM ſummæ, incomprehenſibilis, atque incircunſcriptæ bonitatis Deus noſter & Rex ſit, (Eſt enim conuenientiſsimum, vt ad Dei ſeruos loqui inſtituentes, à Deo ipſo ſumamus orationis exordium) & cunctas ab ſe conditas rationales creaturas, liberi arbitrij dignitate honorauerit, alij quidem amici illius ſunt; alij verò fideles, ac legitimi ſerui; quidam penitus inutiles; alij ab ipſo prorſus alieni; nonnulli autem quamuis imbecilles, tamen aduerſarij. Et amicos quidem Dei propriè nos ruſticiores eſſe arbitramur eas, quæ circa illum ſunt, intellectuales, incorporeasque ſubſtantias. Fideles autem ſeruos eos, qui ſanctiſsimæ illius voluntati obtemperauerunt, & impigrè, ac infatigabiliter obtemperant. Porrò inutiles ſeruos, quotquot diuino baptiſmate dignati, pacta, & conuenta cum illo legitimè non obſeruauerunt. Alienos verò à Deo, atque inimicos intelligimus quoſcunque à recta fide deuiaſſe cernimus. Hoſtes autem ſunt ij, qui præcepta Dei non ſolùm repulerunt, atque à ſemetipſis abiecerunt, verùm eos quoque validiſsimè oppugnant, qui ea perficere contendunt.

Vides quòd Dñs Deus omnes rationales creaturas liberi arbitrij dignitate donauit?

OMNIBVS PROPONI DEVM VITAM, ET SALVTEM. ET QVI SINT IMPII, INIQVI, CHRISTIANI, DEI AMATORES, ET CAETERA.

CAP. II.

OMNIBVS, qui voluntate, & libero arbitrio vtuntur, Deus communiter proponitur vita, omnibus ſalus, fidelibus, & infidelibus, iuſtis, iniquis, pijs, impijs, vitioſis, vitijs carentibus, ſecularibus, monachis, ſapientibus, rudibus, ſanis, imbecillibus, iuuenibus, prouectioribus, non aliter quàm infuſio lucis, & Solis aſpectus, temporum'que viciſsitudines. Neque enim eſt perſonarum acceptio apud Deum. Impius eſt homo rationalis, mortalis'que naturæ, ſponte vitam fugiens, creatorem'que ſuum, qui ſemper eſt, veluti non eſſe exiſtimans. Iniquus eſt, qui legem Dei ob intellectum ſuum malum violenter intorquet, & cùm ſint contrariæ hæreſes Deo, ſe credere putat. Chriſtianus eſt, qui Chriſtum, quantum homini poſsibile eſt, imitari nititur, verbis, & operibus, & tota intentione animi in ſanctam Trinitatem rectè, atque incomprehenſibiliter credens. Dei amator eſt, qui naturalium omnium rerum, & earum, quæ per leges ſine peccato permittuntur, particeps, bona, quæ poteſt, operari non negligit. Continens eſt, qui in medio tentationum, & laqueorum verſatur, mores'que tranquillos, & turbis, ac tumultibus liberos, viribus omnibus imitari, & aſſequi contendit. Monachus eſt ordo, & ſtatus Angelicus, in corpore materiali, & ſordido conſummatus. Monachus eſt, qui ſolum ad Deum aciem mentis intentus, illum ſemper orat in omni tempore, & loco, & re. Monachus eſt perpetua naturæ violentia, ſenſuum'que vigilantiſsima, & indefeſſa cuſtodia. Monachus eſt caſtificatum corpus, expiatum os, animus'que ſemper diuino lumine irradiatus. Monachus eſt afflictus, & mœrens animus, qui iugi mortis memoriæ, ſiue vigilans, ſiue obdormiens, ſeipſum ſemper exercet. Mundi derelictio eſt ſpontaneum odium, abnegatio'que naturæ ex deſiderio fruendi eis rebus, quæ ſupra naturam ſunt, tanquam ex ſua ſtirpe progenita. Quicunque præſentis vitæ commoda ſponte, alacriter'que relinquunt, prorſus aut futuri regni gratia, aut ex peccatorum multitudinis memoria, aut ſola diuinæ charitatis cauſa iſtud faciunt. Porrò ſi quis nulla ex prædictis intentionibus ducę id faciat, huius irrationabilis eſt renunciatio. Veruntamen finem curſus, qualemcunq; inuenerit, Agonotheta noſter optimus probat.

Ecce quid ſit monachiſm⁹ contra modernorũ hæreticorũ oblatrationes.

QVID FACIENTES SECVLARES CONIVGATI AD REGNVM COELORVM PERVENIRE POSSINT.

CAP. III.

IS quidem, qui ſine vxore in mundo degit, ſolis negocijs obligatus, ei ſimilis eſt, cui ferreis nexibus manus circunligatæ ſunt. Ideoq; ſi ad ſolitariam, vel monaſticam vitam currere voluerit, non prohibetur. Qui verò vxori coniunctus eſt, ei, qui vinctas habet manus, & pedes, ſimilis videtur. Audiui ego quoſdam in mundo negligenter permanentes dicere ad me: Quomodo poſſumus cum coniugibus vna cohabitantes, curiſque Reipublicæ circumuallati, vitam monaſticam arripere? Ad quos ego: Omnia, inquam, bona quæ facere poteſtis, facite, maledicta in nullum iaciatis, nemini mentiamini, à furto abſtinete, contra nullum eleuemini, neminem oderitis, Eccleſias, & collectas frequentate, indigentibus miſericordiam præſtate, neminem ſcandalizetis, alienis parietibus ne appropinquetis, contenti eſtote vxorum veſtrarum ſtipendijs. Iſta ſi feceritis, non longè eritis à regno coelorum.

DEO IN IVVENTVTE ESSE SERVIENDVM. ET QVIS EX TRIBVS MONACHORVM STATIBVS SIT CONVENIENTIOR.

CAP. IIII.

DA labores iuuentutis tuæ Chriſto, & in ſenectute gaudebis ſuper pacatiſsimæ quietis opibus. Ea quæ in iuuentute congregauerimus, cùm in ſenectute poſtea debiles fuerimus, nos nutriunt, & conſolantur. Laboremus iuuenes ardenter, curramus ſobriè, & vigilanter, mors enim incerta horis omnibus imminet. Hoſtes reuera nequiſsimos habemus, acerrimos, verſutos, callidos, validiſsimos, nunquam dormientes, inuiſibiles, omni materiæ impedimento liberos, ignem in manibus tenentes, templumque Dei per flammam, quæ in eis eſt, incendere omni ſtudio deſiderantes. Nemo cùm iuuenis eſt, inimicos ſuos dæmones audiat dicentes: Noli carnem tuam ita atterere, ne morbos, & ægritudines incurras, vix enim reperietur hac præcipuè ætate, qui hanc mortificare delegerit, etiam ſi ſe multis, & lautioribus cibis priuauerit. Hæc profectò eſt dæmonis aſtutia, idque niſibus

omnibus contendit, vt ingreſſum certaminis noſtri mollem, & negligentiæ pleniſsimum faciat, finem'que & medium principio conſentientem. Ante omnia iſtud inquirent, qui Chriſto fideliter ſeruire cupiunt; vt loca, mores, seſſiones, ac ſtudia, quæ ſibi ex patrum ſpiritalium ſententia, & ex cognitione propria competere præuiderint, eligant. Neque enim omnium eſt in cœnobijs degere, atque eorum maximè, qui gulæ illecebris pulſantur. Neque rurſus omnium eſt vitæ ſolitariæ quietem ſequi, & eorum in primis, qui ad iracundiam procliuiores ſunt. Vnuſquiſque diligenter inſpiciat, cui ſtatus aptior ſit. In tribus maximè principalibus ſtatibus monaſtica continetur vita. In anachoreſeos. In vnius, vel duorum contubernio. In cœnobijs cum tolerantia commoratione. De anachoreſeos, vel ſeceſsionis certamine, & ſolitudine; Ne declines, inquit Eccleſiaſtes, ad dexteram, vel ad ſiniſtram, ſed via regia ingredere. Medius autem prædictorum ſtatuum aptiſsimus plurimis fuit. Væ enim ſoli, inquit, quoniam ſi in accediam ceciderit, aut ſomnum, aut deſidiam, aut deſperationem, non eſt in hominibus qui illum erigat. Vbi verò ſunt congregati duo, vel tres in nomine meo, ibi ſum in medio eorum, ait dominus. Quis ergo eſt fidelis, & prudens monachus? Qui feruorem ſuum ſeruauit inextinguibilem, & indies vſque ad finem vitæ ſuæ ignem igni adijcere, feruorem feruori, deſiderium deſiderio, ac ſtudium ſtudio nunquam deſijt.

EX GRADV SECVNDO IOANNIS CLIMACI DE VACVITATE AFFECTIONVM.

MONACHVM CARERE DEBERE OMNIBVS MVNDANIS AFFECTIBVS, QVIBVS IAM RENVNCIAVIT. ET DE TENTATIONIBVS DAEMONVM CIRCA HOC, ET QVAE ESSE DEBENT CONTRA EAS REMEDIA.

CAP. I.

QVI Deum in veritate diligit, qui futuro regno perfrui diligenter quærit, qui pro peccatis ſuis veraciter dolet, qui reuera ſupplicij, futuriq; iudicij memoria tangitur, qui metum mortis aſſumpſit, nihil iam 3 in præſenti ſeculo diliget, nullius rei curis angetur, non pecuniarum, non prædiorum, non parentum, non mundanæ gloriæ, non amicorum, non fratrum, non vllius omnino terrenæ, ac mortalis rei. Sed omnem huiuſmodi affectum, omnem harum rerum curam ab ſe excutiens, & execrans, præterea & carnem ſuam odio habens, nudus, ſecurus, impiger Chriſtum ſequitur, in cœlum ſemper aſpiciens, atque inde adiutorium expectans, ſecundùm Dauid verba dicentis: Adhæſit anima mea poſt te: alterius'que memorabilis viri ſententiam, qui dixit: Ego autem non laboraui te ſequens, & diem, aut requiem hominis non deſideraui, domine. Confuſio ſanè maxima eſt, his omnibus, quæ prædicta ſunt, omiſsis, poſt vocationem, qua nō homo, ſed Deus vocauit nos, alicuius alterius rei curam gerere, quæ nobis in hora vltimæ neceſsitatis, videlicet obitus noſtri, prodeſſe non poſsit. Hoc enim eſt, quod dixit Dominus, conuerti retro, nec inueniri aptum regno cœlorum.

3 Vide verorum monachorum ſtudia, & num ea ſint quæ hæretici fingunt.

cœlorum. Non ignorans Dominus lubricum noſtri tyrocinij, quòd que facilè, ſi ſecularium contubernio, & familiari congreſſu vtamur, rurſus ad ſeculum conuertimur, ad quendam, qui ſibi dixerat: Permitte mihi vt abeam, & ſepeliam patrem meum: ait: Sine mortuos, vt ſepeliant mortuos ſuos. Solent dæmones cùm iam ſeculo abrenunciauerimus, nobis miſericordes, ac pios ex ſecularibus proponere, atq; vt illos beatos, nos contra miſeros exiſtimemus ingerere, qui omni eiuſmodi virtute deſtituti ſumus: Ea vtique intentione inimici nobis iſta ingerunt, vt per adulterinam humilitatem nos aut ad ſeculum reuocent, aut ſi permanſerimus monachi, in deſperationem præcipitent. Sed ſufficiat nobis, vt gloriam profeſsionis noſtræ certiùs noſcamus, huiuſcemodi teſtimonium.

Qui in mundo degunt, vigilijs que, & ieiunijs, & laboribus, alijs que afflictionibus ſeipſos conterunt, cùm ad vitam monachorum veluti ad quandam probationis officinam, vel ſtadium ſeceſſerint, priorem exercitationem ſuam, vt adulterinam, & fictam, non vlteriùs arripiant. Vidi plurima, variaq; virtutum germina ab his, qui degunt in ſeculo, plantari, & ex inani gloria, tanquam ex cloaca, & cœno irrigari, & ex oſtentatione circunfodi, atque ex laudibus humanis ſtercorari; quæ tamen tranſlata poſtmodum in deſertum ſolum, atq; ſeculi hominibus inuium, omnisq; inanis gloriæ cœnulenta aqua vacuum, confeſtim exſiccata ſunt. Neque enim ſolent aquis proximæ arbores, in duris & inaquoſis exercitationum locis fructum afferre. Si quis mundum omnino odit, hic triſtitiam effugit. Porrò ſi quis qualibet viſibilium rerum affectione mordetur, triſtitia nondum liberatus eſt. Quomodo enim non contriſtabitur, ſi eo, quod diligit, priuetur? In omnibus quidem grandi vigilantia nobis, & ſobrietate opus eſt, ſed hoc ante omnia vigilantiſsimè attendere, & cauere debemus. Plurimos in ſeculo aſpexi, præ ſolicitudinibus, & curis, occupationibusq;, & vigilijs mundanis, proprij corporis inſanos motus effugiſſe, eos ipſos tamen cùm exuti curis omnibus, vigilijsq; ad monaſticam vitam conuolaſſent, turpiter, ac miſerabiliter corporis commotione ſordidatos.

MONACHI QVOMODO COGNOSCANTVR PER ANGVSTAM VIAM INCEDERE. ET QVOMODO REGENDI IVVENES DELITIOSI, QVI E' SECVLO AD MONASTERIVM VENIVNT.

CAP. II.

ATTENDAMVS nobis ipſis, ne fortè dum per anguſtam, & arduam viam nos pergere aſſerimus, latam, & ſpatioſam teneamus, noſq; ipſos ſeducamus. Anguſtam 4 viam tibi indicabit ventris afflictio, pernoctatio ſtabilis, aquæ menſura, panis inedia, ignominiæ ſalubre & purgatiuum poculum, ſubſannationes, irriſiones, ludibria, abſciſsiones

4 Aſpice anguſtam viã monachorum.

Propriarum voluntatum, offenſionum tolerantia, contemptus noſtri ſine murmuratione toleratio, vim ſibi in tolerando contumelias inferre, iniurias fortiter perpeti, detrahentibus non indignari, contemnentibus non ſuccenſere, condemnantibus humilitatem exhibere. Beati qui prædictam viam tenent, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Nemo in cœleſtem thalamum coronatus ingreditur, niſi qui primam, & ſecundam, & tertiam abrenunciationem impleuerit; vt ſcilicet ſ primò abrenunciet rebus omnibus, & hominibus, & parentibus; ſecundò voluntati propriæ; tertiò inani gloriæ, quæ ſolet obedientiam ſubſequi. Exite de medio eorum, & ſeparamini, & immunditiam ſeculi nolite tangere, dicit Dominus. Quis enim apud illos miracula vnquam fecit? Quis mortuos ſuſcitauit? Quis dæmones expulit? Profectò nullus. Hæc enim ſunt monachorum inſignia, quæ mundus capere non poteſt. Nam ſi poſſet, ſuperflua eſſet exercitatio, videlicet ſeceſsio. Quotiens poſt abrenunciationem noſtram dæmones parentum, aut fratrum memoria corda noſtra importunè accendere cœperint, tunc maximè aduerſus eos orationis arma capiamus; atque ſempiterni ignis memoria nos ipſos incendamus, & huius conſideratione improbum, & importunum cordis ignem extinguamus. Si quis eius rei nulla ſe affectione tangi putat, cuius priuatione triſtatur, hic perfectè decipitur. Quicunque iuuenes corporum amoribus, & delicijs inſanè addicti, poſtmodum vitam monaſticam adire cupiunt, tota intentione animi, omnique vigilantia ſeipſos exercere ſtudeant, ſibique delicijs omnibus, & vitijs abſtinendum perſuadeant, ne fortè fiant illorum nouiſsima deteriora prioribus. Portus enim & ſalutis, ſimul & periculorum cauſa eſt. Atque hoc nouere, qui intellectuale iſtud mare nauigant. Miſerabile ſanè ſpectaculum, eos in portu naufragium paſſos aſpicere, qui in mari ſeruati fuerint.

ſ Nota veram paupertatem Euangelicã requiri in monachis.

EX GRADV TERTIO IOANNIS CLIMACI DE PEREGRINATIONE, ET SOMNIIS.

QVI MVNDVM DESERIT, ET AD RELIGIONEM CONFVGIT, NON DEBET VLTERIVS EÒ REVERTI, ESTÒ À PARENTIBVS, ET AMICIS CVM LACHRYMIS REVOCETVR.

CAP. I.

QVI à ſeculo peregrinatur, mundum iam nullatenus attingat. Solent enim diu ſopita vitia facillimè reuiuiſcere. Eua à paradiſo inuita exulat, monachus patria ſua ſponte ſe abdicat. Illa enim rurſus ad concupiſcendum inobedientiæ lignum pertracta fuiſſet; hic autem periculum profectò à carnalibus propinquis ſuſtinuiſſet. Fuge non ſegnius quàm infeſtiſsimum flagellum, ruinæ proxima loca. Eius enim fructus, qui non adeſt, non vſq; adeò deſiderio mouemur. Neque hic fallaciæ furum modus te velim lateat. Suggerunt plerunque nobis, vt à ſecularibus non ſeparemur; mercedem inde maximam nos conſecuturos aſſerentes, ſi videntes fœminas noſipſos contineamus, ac reluctando concupiſcentiam ſuperemus. Cùm annos aliquot remoti à patria egerimus, parum'que religionis aliquid, vel compunctionis, vel continentiæ nobis ipſis acquiſierimus, tunc iam cogitationes vanitatis acrius incumbunt; vt'que iam reuertamur in patriam, importunè ſuggerunt, ad ædificationem, formam'que, & vtilitatem plurimorum, qui actus noſtros, & opera illicita nouerunt. Quòd ſi quam docendi facultatem, aut tenuem ſcientiam fuerimus adepti, tunc iam vt animarum ſeruatores, &

magiſtros ad ſeculum redire perſuadent, vt quæ in portu benè congregata ſunt, peſsimè in pelago diſpergant. Non vxorem Loth, ſed ipſum imitantes ſtudeamus. Anima quippe quæ illuc, vnde exierat, conuerſa fuerit, vt ſal infatuabitur, iam'que immobilis manebit. Fuge Aegyptum, atque ita fuge, vt nunquam illuc reuertaris. Corda enim, quæ illuc reuerſa ſunt, pacatiſsimam, quietiſsimam'que terram Hieruſalem non aſpexerunt. Illicitum tamen non eſt, vt hi, qui in initio conuerſionis ob tuendam ſpiritalem infantiam ſuam, omnia, patriam'que reliquerunt, cùm perfectè purgati fuerint, ad eam vtiliter redeant, ea ſcilicet intentione, vt cùm ipſi ſalute potiti fuerint, nonnullis etiam cauſa ſalutis fiant; ſiquidem & Moyſes ille, qui Deum viderat, ad ſalutem gentis ſuæ ab ipſo Deo miſſus, plurima in Aegypto pericula, videlicet in mundo tenebras pertulit. Vtilius eſt parentes mœrore afficere, quàm Deum. Ille enim nos formauit, ſimul & redemit; illi verò quos dilexerunt, nonnunquam perdiderunt. Peregrinus ille eſt, qui veluti alterius linguæ, inter ignotæ ſibi linguæ homines, in ſui agnitione ſecum habitat. Non quò propinquos noſtros, & patrios agros oderimus, idcirco ab illis ſecedimus. Abſit id penitus. Sed vt detrimentum, quod ab illis in nos manare ſolet, fugiamus. Qua in re, ſicut ferè in omnibus alijs, Dominus noſter nobis magiſter, & documentum eſt, qui & ipſe ſæpenumero parentes reliquiſſe deprehenditur. Et cùm à quibuſdam audiſſet: Ecce mater tua, & fratres tui quærunt te: mox Præceptor noſter optimus impaſsibile nobis odium ſubinſinuauit, dicens: Mater mea, & fratres mei ſunt hi, qui faciunt voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt. Ibi tibi pater ſit, qui ad deponendam peccatorum ſarcinam collaborare tibi & poteſt, & vult. Mater verò compunctio ſacra, quæ te poſsit à ſordibus abluere. Frater aūt is, qui tecū ad cœleſtem curſum perficiendum laborat, & certat. Sociam tibi, & vxorem quære, quæ nunquam à te ſeparetur, memoriam mortis. Porrò filij tibi amantiſsimi ſint, gemitus cordis. Seruum poſside, corpus tuum. Amicas verò, ſanctas virtutes Angelicas, quæ tibi exitus tui tempore auxiliari poterunt, ſi eas modò tibi amicas familiarius feceris. Hæc eſt ſanè generatio quærentium Dominum. Affectus Dei parentum excludit affectum. Qui verò vtrunque ſe habere dicit, ipſe ſe decipit, cùm audit Dominum dicentem: Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ. Et, Non veni, inquit Dominus, pacem mittere in terram, & charitatem parentum ad filios, & fratres, qui mihi ſeruire delegerunt, ſed gladium, & pugnam. Separare enim veni amatores Dei ab amatoribus ſeculi; terrenos, & materiales ab his, qui terrena omnia, omnem'que materiam ſuperauerunt; gloriæ auidos ab humilibus. Lætatur enim Dominus in hac contentione, & ſeparatione, dum fit propter illius charitatem. Caue, obſecro, ne fortè cuncta aquarum tibi plena reddantur, ſi propinquorum affectu, & amore tenearis, atque diluuio amoris ſeculi cum eis vnà pereas. Noli miſereri parentum, & amicorum lachrymis, alioqui in æternum lachrymaberis. Quotiens te, vt apes, circundederint, immò verò vt veſpæ, ac ſuper te lamentari cœperint propinqui tui, conſtanter, ac celerrimè ad mortis, atque operum tuorum conſiderationem conuertere, vt dolore dolorem poſsis excludere.

Qui poſt abrenunciationem cum ſecularibus verſatur, ſiue iuxta illos commanet, prorſus aut in eoſdem laqueos incidet, aut cor in eiuſmodi cogitatione inquinabit, aut certè, ſi non inquinatus fuerit, eos, qui inquinantur, iudicans, atque condemnans, & ipſe inquinabitur.

SOMNIIS NON ESSE CREDENDVM, ET QVANDO DAEMON SIT PROPHETA, ET QVANDO NON.

CAP. II.

CVM relictis domibus, & propinquis noſtris, diuinæ charitatis cauſa noſipſos peregrinationi expoluimus, tunc iam dæmones in ſomnijs nos perturbare moliuntur. Propinquos nobis ſubinſinuant, aut plorantes, aut morientes, aut noſtri cauſa languore aliquo, vel etiam detrimento fatigatos. Qui igitur ſomnijs credit, ſimilis eſt ei, qui poſt vmbram ſuam currit, & eam apprehendere nititur. Dæmones inanis gloriæ in ſomnijs prophetice quæ futura ſunt, vt aſtutiſsimi, nobis inijciunt, atque ea nobis per ſomnium prænunciant; vt cùm impleta fuerint quæ per quietem vidimus, ſtupore maximo detineamur, & quaſi iam propheticæ gratiæ proximi, cogitatione tumeſcere incipiamus. In his qui ſibi credunt, dæmon ſæpè propheta fit. Porrò iis, qui eum ſpernunt, ſemper mentitus eſt. Spiritus enim cùm ſit, quæ intra hunc aërem ſunt, videt omnia, & cùm intellexerit moriturum aliquem, id per viſum leuioribus prædicit; quemadmodum & venefici mortem nobis prædicere poſſent. Nihil nanque futurorum ex præſcientia nouerunt. In Angelos lucis, & martyrum ſpeciem ſæpius ſe transfigurant, accedentesque, ſeipſos nobis per ſomnium oſtendunt, elationeque & ſubito quodam gaudio afficiunt. Hoc autem tibi erit deceptionis ſignum. Cruciatus, & iudicia, & deliria poſtremò in nobis impreſſa relinquunt, atque experrectos, trementes, mœſtosque relinquunt. Cùm in ſomno dæmonibus credere cœperimus, tunc iam & vigilantes ab ipſis illudemur. Qui ſomnijs credit, per omnia reprobus eſt, & ſtultus. Qui verò eis nulla ratione credit, hic reuera philoſophus eſt habendus. Solis eis crede, qui tibi cruciatum, & iudicium denunciant. Quod ſi te deſperatio conturbat, & iſtud eſt à dæmonibus.

EX GRADV QVARTO IOANNIS CLIMACI DE OBEDIENTIA.

QVI RELIGIONIS VIAM INGREDI DESIDERAT, ANTE OMNIA DE PROVIDO SIBI GVBERNATORE PROVIDEAT, QVEM CVM ELEGERIT, PROMPTE EI DEBET OBEDIRE, ET IN NVLLO EVM IVDICARE.

CAP. I.

QVICVNQVE ad intellectualis congreſsionis ſtadium exire conamini, quicunq; iugum Chriſti tollere ſuper ceruices veſtras cupitis, & ſarcinam veſtræ ſimilem alterius collo imponere ſatagitis, quicunque venditiones veſtras ſponte ſcribere curatis, vt pro illis in æternam libertatem conſcribamini, quicunque aliorum manibus ſublati, & natantes mare hoc magnum traijcitis, ſcitote quòd breuem quandam, & aſperam viam pergere conamini, in qua vnus & ſolus latet error, quem Græci ἰδιορυθμίαν, propriam complacentiam dicere poſſumus, cùm ſcilicet quiſque ſibi idoneus ad ſe regendum, & moderandum videtur. Quem qui effugerit, ad ea, quæ honeſta, & ſpiritalia ſunt, ac diuinæ maieſtatis oculis gratiſsima, ferè ante veniet, quàm ire cœperit. Obedientia eſt enim, nunquam ſibi, ne in his quidem, quæ videntur optima, vſque ad conſummationem vitæ credere. Cùm igitur ceruicem noſtram in Domino inclinare, atque alteri credere, deſiderio acquirendæ humilitatis, ac propriæ ſalutis inſiſtimus, ante huius militiæ ingreſſum, ſi qua in nobis eſt calliditas, & prudentia, gubernatorem cautiſsime examinemus, & diſcernamus, atque (vt ita dixerim) tentemus, ne fortè

nautam pro gubernatore, languentem pro medico, vitioſum pro vitijs caren‑te, poſtremò infeſtum pelagus pro placidiſsimo portu ignari deligamus, no‑bis'que ipſis paratum, promptum'que naufragium conſtituamus. Cùm verò pietatis, & obedientiæ ſtadium fuerimus ingreſsi, minimè iam optimum inſti‑tutorem noſtrum in aliquo penitus dijudicare licebit, etiam ſi in illo (homo e‑nim eſt) modica aliqua delicta animaduertamus. Si verò aliter fecerimus, ni‑hil nobis obedientia prodeſſe poterit. Neceſſe omnino eſt, vt qui fidem certam, & immobilem ad magiſtros ſuos habere cupiunt, eorum rectè facta profundo corde hauriant, ea'que indelebiliter memoriæ commendent, vt cùm dæmones infidelitatem aduerſus eos vllam noſtris cordibus inſerere conati fuerint, ex his quæ memoria tenemus, illorum ora obſtruamus. Quanto enim fuerit in corde viridior fides, tantò corpus ad officia omnia, & miniſteria promptius occurrit. Qui verò per infidelitatem offenderit, lapſus eſt. Omne enim, quod fidei ca‑ret fundamento, peccatum eſt. Cùm tibi cogitatio ſuggeſſerit, vt Prælatum aut dijudices, aut damnes, ab ea non ſecus quàm à fornicatione caue. Neque prorſus huic ſerpenti requiem præſtes, non locum, non ingreſſum, non initium; ſed loquere ad huiuſmodi draconem, atque eum his verbis inceſſe: O' mali‑gniſsime ſeductor, non ego ducem meum iudicandum ſuſcepi; ſed ille me, non ego illius, ſed ille mei iudex eſt. Arma quidem iuuenum, pſalmorum can‑tus; murum verò orationem; lauachrum autem, mundiſsimas lachrymas eſ‑ſe patres diffiniunt; beatam verò obedientiam, confeſsionem, qua ſine vitio ſorum nemo Deum videre merebitur.

DE CONFESSIONE PEC‑CATORVM PVRE FACIENDA, ET DE POENITENTIA LATRONIS, QVI MONASTERIVM INGRES‑SVS EST, AC MIRABI‑BILI EIVS CON‑FESSIONE PVBLICA.

CAP. II.

ANTE omnia verò culpas noſtras præclaro iudici noſtro ſoli confitea‑mur, omnibus'que, ſi ita ille iuſſerit, confiteri ſimus parati. Nam in lucem educta vulnera nunquam in deterius proficient, ſed ſanabuntur. Cùm in cœnobium quoddam deueniſſem aliquando, animaduerti iu‑dicis, paſtoris'que optimi terribile iudicium. Nam dum illic moram traherem, contigit quendam ex latronum ordine ad monaſticæ conuerſationis gratiam ve‑nire. Quem optimus ille paſtor, peritiſsimus'que medicus, per dies ſeptē quie‑te omni perfrui iuſsit, vt monaſterij ſtatum, normam'que omnem perſpiceret. Poſt diem verò ſeptimum ſeorſum accitum paſtor interrogat, num ſibi cenſeret opti‑mum, cum illis vnà habitare. Cùm verò illum ſibi cum omni ſynceritate

animmentis voce reſpondiſſe cerneret, rurſum, quid in ſeculo iniquum operatus eſſet, interrogat. Poſtquam ergo illum ſibi promptè & rationabiliter omnia confeſſum vidit, iterum ad illum tentandi gratia dicebat: Volo vt hæc, omni cœtu fratrum aſtante, confitearis, & detegas. Ille autem reuera ſua deteſtans ſcelera, omni'que confuſione calcata, indubitanter id ſe facturum pollicitus eſt. Et ſi vis; inquit, etiam in Alexandriæ ciuitatis medio id faciam. Deinde collectis in Eccleſia paſtor omnibus ouibus ſuis (erant autem numero CCXXX) cùm conſummarentur diuina myſteria (erat enim dies Dominicus) lecto Euangelio, inferri iam reum illum nihil contra querentem iubet, quibuſdam il-

6
Ecce quomodo cinis, & cilicium ſigna ſunt, & habitus pœnitentium.

lum ex fratribus trahentibus, modicèq; verberantibus vinctum poſt terga manus, & aſperrimo 6 cilicio amictum, conſperſum'que cinere caput præferentem, adeò vt ex ipſo aſpectu omnes ſtupefacti, protinus exorto gemitu ingenti, proclamarent, ac mugitum redderent. Neque enim quiſquam illorum quid fieret ſciebat. Cùm verò iam Eccleſiæ ianuis appropinquaret, magna illum, & terribili voce compeſcuit ſacrum illud caput clementiſſimi iudicis; Sta, inquiens; es enim indignus, vt huius loci limen attingas. Tum ille paſtoris voce percuſſus, quæ ad illū ex intima veri medici, ſapientiſſima'que ratione ſonuerat (videbatur enim ſibi, vt nobis poſtea ſub iureiurando firmabat, non vocātis hominis, ſed terribilis tonitrui vocem audiuiſſe) tremebundus, & omnino pauore turbatus, in faciem protinus corruit. Cùm verò iaceret humi, & pauimentum madefaceret lachrymis, permittitur ab admirabili medico, qui cuncta ad illius ſalutem moliebatur, formam'que ſalutis, ac certiſſimæ humilitatis omnibus dari cupiebat, cuncta quæ geſſerat, ſingulatim, & per ſpecies dicere. Ille verò cum horrore ingenti omnia ſingulatim confeſſus eſt, quæ audiens omnis cœtus penitus exhorreret. Non tantum enim quæ per corpus præter naturam, ac ſecundùm naturam in irrationabilibus, & mutis animantibus deliquerat, verumetiam veneficia, & homicidia, & cætera, quæ audire, aut

7
Sēper quādo quis monachus fiebat, tondebatur.

ſcripturæ tradere fas non eſt, omnino nihil reticens. Confeſſum igitur ſtatim 7 tonderi, fratribus'q; aggregari permiſit. Ego verò ſancti illius admiratus ſapientiam, ſeorſum interrogaui illum ſecretiùs, cuius rei gratia tam peregrinam iudicij formam exhibuiſſet. Ille autem vt verus medicus; Duarum, inquit, rerum gratia. Primùm quidem, vt confitentem per præſentem, temporalem'q; confuſionem æterna confuſione liberarem; quod & factum eſt. Neq; enim ex pauimento ſurrexit, ò Ioannes, quin peccatorum omnium remiſsione potitus ſit. Nolim autē vllo huius rei ſcrupulo mouearis. Nam vnus ex fratribus, qui illic aderant, mihi procerum quendam, ac terribilem ſe vidiſſe aſſeuerauit, conſcriptam chartam, & calamum tenentem, & cùm frater ille humi proſtratus peccatum confitens pronunciaret, hoc ille calamo delebat, & meritò ſanè; Dixi enim, inquit, pronunciabo aduerſum me iniquitatem meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei. Secundò autē, quia habeo nonnullos, qui peccata quidem necdum confeſſi ſunt. Quocirca iam & illos ad confeſsionem hoc exemplo prouoco, qua ſine nullus remiſsione potietur.

DE CHARITATE NONNVLLORVM MONACHORVM, CONVERSATIONE SANCTA EORVNDEM, AC SALVBERRIMIS COLLOCVTIONIBVS, RELATIO IOANNIS CLIMACI.

CAP. III.

ET alia igitur plurima admiranda, & memorabilia in illo digniſsimo, ſemper'que memorando, & grege, & paſtore perſpexi, ex quibus plurima nobis reſerare animus eſt. Permanſi enim apud illos tempus non modicum, illorum aſsiduè conuerſationem, ac viuendi genus explorans, ſtupens'que quomodo terreſtres illi, cœleſtes Angelos imitarentur. Charitatis quidem omnes ſibi inuicem inſolubili vinculo conſtringebantur, & quod eſt omnino mirabilius, nulla apud illos inepta confidentia, nullus ocioſus ſermo deprehendi poterat. Obſeruabant verò id cautiſsimè, vt in nullo fratris vulneraretur conſcientia. Quòd ſi quis inter eos quenquam odiſſe inueniretur, hunc paſtor vt damnatitium ad ſeparatum huiuſmodi reis monaſterium, veluti in exilium mittebat. Maledixerat aliquando vnus ex illis proximo ſuo, quem protinus pater ſanctus eliminari iuſsit, æquum non eſſe aſſerens, in monaſterio viſibilem, atq; inuiſibilem diabolum perpeti. Vidi ego apud ſanctos illos res maximè ſanè vtiles, atq; admiratione digniſsimas, fratrum cœtum in vnum collectum, Chriſti'que charitate deuinctum, in vtraq; vita, actiua ſcilicet, & contemplatiua mirabilem. Adeò enim ſeipſos ſinguli diuinis rebus exercebant, vt ferè nihil opus haberent à patre admoneri ſed ſe inuicem vltro ad diuinam euigilationem excitarent. Nam erant 8 ſtatutæ illis, & meditatæ, & ſolidatæ ſanctæ quædam, & diuinæ exercitationes. Porò ſi quando contingeret, vt eorum aliquis, abſente Abbate, quicquam maledici, aut aliter noxij, vel ocioſi ſermonis loqui cœpiſſet, occulto nutu latenter eum frater alius grauitatis admonens, illum à cœpto ſermone retrahebat. Quod ſi ille fortaſsis minus animaduerteret, iam qui admonuerat, proſternebat ſe ante illum toto corpore. Si quid verò neceſſariò loquendum erat, omnis illorum ſermo, iugis erat mortis collocutio, vel admonitio, æterni'que iudicij conſideratio.

8 Ex his, quæ hîc & deinceps ponuntur, vides quales fuerint ſanctorũ horum monachorum exercitationes, & num hi tales ſint, quales modò effingunt hæretici.

EX IOANNE

DE COCO MONASTERII EORVNDEM, DE SPIRITALI DICTORVM MONACHORVM OPERE, ET DE MODO CORRECTIONIS DELICTORVM.

CAP. IIII.

NON præteribo ſilentio coci monaſterij illius admirabilem, ſingularemq́; virtutem. Cùm enim illum animaduerterem in tam frequenti, perpetuoq́; miniſterio, iugiter ſecum habitare, gratiamq́; poſsidere lachrymarum, oraui ſupplex, vt mihi quonam modo meruiſſet iſtiuſmodi gratiam, reuelare dignaretur. Qui tandem precibus fatigatus meis, ita reſpondit: Nunquam me hominibus ſeruire arbitratus ſum, ſed Deo, & indignum meipſum quiete omni iudicans, ex huius ignis contemplatione, ſempiterni incendij iugi memoria compungor. Aliud iterum ſingulare virtutis illorum genus referre placet. Nam ne ad menſam quidem ſedentes, à ſpiritali opere ceſſabant. Cæterùm ſigno quodam, nutuq́; incognito, occultæ in animo orationis ſemetipſos beati illi viri àdmonebant. Neq; verò ad menſam ſolùm reſidentes, hoc eos facere animaduerteres, verùm & cùm ſibi obuiarent, & cùm ſimul conuenirent, id faciebant. Portò ſi quis ipſorum in aliquo vnquam deliquiſſet, videres fratres alios modis omnibus ab illo flagitare, vt ſibi curam reddendæ patri rationis relinqueret, atque debitam increpationis vehementiam perpeti ſineret. Quod quidem diſcipulorũ opus maximus ille vir cùm exploraſſet, leuiore iam increpationis genere vtebatur, ſciens eum, qui corripiebatur, inſontem eſſe. Neq; tamen quis propriè deliquiſſet inquirebat. Quando verò apud illos locum inueniret aut ocioſi ſermonis, aut ſcurrilitatis memoria? Si quis autem ex illorum numero aduerſus fratrem contendere vnquam cœpiſſet, præteriens alter aduoluebatur illorum genibus, ſicq́ue iracundiæ motum mitigabat. Quòd ſi ſeruare illos iniuriæ memoriam ſenſiſſet, rem protinus ad eum referebat, qui poſt Abbatem ſecundus in monaſterij regimine præerat, eosq́; ante occaſum Solis in gratiam reuocare nitebatur. Sin verò illi obdurati ampliùs exaſperarentur, aut cibum ſumere vſq; ad reconciliationem non permittebantur, aut certè monaſterio expellebantur. Laudabilis ſanè, memorabilisq́; diligentia, ex qua fructus vberrimus gignebatur, atque naſcebatur.

DE HVMILITATE, OBEDIENTIA, GRAVITATE, ATQVE SANCTITATE SENVM EIVSDEM MONASTERII.

CAP. V.

PLVRIMI apud ſanctos illos viros deprehenſi ſunt actu, & ſpeculatione, diſtrictioneq́; , & humilitate mirabiles. Videres in eis terribile quoddam, Angelicumq́; ſpectaculum, ſenes 9 canicie verendos, auguſtiore facie, infantium in morem ad obediendum ſemper paratos, huc illucq́; diſcurrere, gloriamq́; ſibi maximam per humilitatem comparare. Vidi hîc viros, quinquaginta ferè annos in obedientiæ certamine egiſſe, à quibus cùm addiſcere orarem, quam ex labore iſto conſolationem, quem profectum inueniſſent; alij quidem in abyſſum humilitatis iam ſe perueniſſe dicebant, per quam bellum omne ſemper excluderent, ac ſuperarent; alij ſenſum omnem laboris, & doloris in maledictis, & contumelijs ſe perfectè exuiſſe dicebant. Vidi alios ex illis æternè memorandis viris, Angelico aſpectu, venerandaq́; canicie, ad profundiſsimam innocentiam, ſimplicitatemq́; ſapientiæ pleniſsimam, ſumma alacritate propoſiti, Deiq́; adiutorio quæſitam, non irrationabilem quandam, & inſipidam (vt in ſeculi ſenibus contingit, quales deliros vocare ſolemus) perueniſſe, extrinſecus quidem mites totos, blandos, placidos, lætos, nihil fictum, nihil negligens, nihil adulterinum in ſuis verbis, aut moribus habentes (res quidem, quæ in paucis inuenitur) interius verò in anima, Deum ipſum, ac Prælatum infantum in morem ambientes, mentiſque aciem aduerſus dæmones, & vitia audacem, firmiſsimamq́; intendentes. Deficiet me vitæ meæ tempus, ſi voluero beatorum illorum virtutes, & ad cœlum vſque pertingentem vitæ ſanctitatem enarrare. Sed tamen exiſtimamus ſatius illorum ſudoribus, ac laboribus ſermonem hunc noſtrum exornare, quo acrius ad huiuſmodi gratam Deo imitationem excitemini, quàm proprijs, vilibuſq́; monitis. Nam abſque vlla controuerſia id, quod deterius eſt, à præſtantiore adornatur. Illud autem in primis rogo, vt nihil nos fictum ſcribere exiſtimeris. Solet quippe infidelitas corrumpere vtilitatem. Igitur ad ea, quæ cœpimus, rurſus accingamur.

9 Nota ſanctorum patrum humilitatē, & obedientiam.

DE ISIDORO ALEXANDRINO, EIVSQVE POENITENTIA.

CAP. VI.

VIR quidam, Iſidorus nomine, Alexandriæ ciuitatis primarius, in ipſo cœnobio ante hos annos ſeculo abrenunciauit, quem & ipſe illic videre merui. Hunc paſtor ille mirabilis ſuſcipiens, aſpectuq́ ex ipſo aſperum quendam, & intractabilem, ſuperbumq́, ac ſeculi dignitate tumidũ conijciens, humana arte dæmonum faſtum ſapientiſsimè deiecit, aitq́ ad Iſidorum: Si reuera Chriſti iugum tollere decreuiſti, volo vt ante omnia te obedientiæ laboribus exerceas. Cui ille; Sicut, inquit, fabro ferrum ſubiectum eſt, ita & ego, ô ſanctiſsime, meipſum obedientiæ expono. Quo ille reſponſo, gratiſsimoq́ exemplo recreatus, continuò Iſidoro exercitij manus admouit, vt ferro; Volo, inquiens, frater, vt ante monaſterij ianuam maneas, omniumq́ ingredientium, & egredientium prouolutus genibus dicas: Ora pro me, pater, quoniam peccator ſum. Sic autem illi obediuit, ſicut Angelus Domino. Itaq; cùm 10 ſeptem annos peregiſſet, atq; ad profundiſsimam humilitatem, compunctionemq́ perueniſſet, voluit pater poſt incomparabilem viri tolerantiam, cuius ſuperiori tempore aptum documentum dederat, hunc fratribus connumerare, & vt reuera digniſsimum etiam ordinatione honorare. Verùm ille plurimis multorum, & mei ipſius precibus apud patrem egit, vt ibidem illum ſineret, ſicuti haſtenus fecerat degere, curſumq́ ſuum perficere, intelligens, neq; obſcurè verbis ſignificans, finem ſuum iam, ac vocationis diem imminere. Quod & factum eſt. Nam cùm in ipſo ordine illum permanere magiſter permiſiſſet, poſt decimum diem per abiectionem, & ignominiam glorioſiſsimè migrauit ad Chriſtum. Poſtq́; ſeptimum dormitionis ſuæ diem, ianitorem quoq; monaſterij aſſumpſit. Dixerat enim ei beatus ille, pollicitusq́ fuerat, quòd ſi poſt exceſſum ſuum confidentia ad Dominum frui mereretur, inſeparabilis ille ſibi comes fieret, idq́ celeriter. Quod & factum eſt, vt certiſsimum nobis meritorum eius, & perfectæ obedientiæ, ſacræq́, ac diuinæ humilitatis eſſet indicium. Interrogaui ego, cùm adhuc ſupereſſet, magnum hunc, & præclarum virum, quam exercitationem mens eius habuiſſet, cùm ad portam moraretur. Neq; abſcondit à me, cùm prodeſſe mihi cuperet memorabilis ille, ac dulciſsimus pater. Initio, inquit, hoc exiſtimabam, quòd pro peccatis meis eſſem venditus. Vnde cùm amaritudine ſumma, & violentia, & ſanguine, prouoluebar omnium pedibus. Impleueram autem vix annum, cùm ſine mœrore iam, ac triſtitia id faciebam, mercedem à Deo tolerantiæ expectans. Impleto autem rurſus anno alio, toto affectu cordis indignum meipſum exiſtimare cœpi conuerſatione monaſterij, patrumq́ aſpectu, & contubernio, diuinorumque participatione ſacramentorum, indignum item, qui in alicuius faciem intenderem. Quocirca defixis in terram luminibus, nec ab oculis diſcrepante animo, intrantes, atque exeuntes, vt pro me orarent, deprecabar.

10 Vide miram Iſidori humilitatem, & obediẽtiam.

DE LAVRENTIO MONACHO SENE, EIVSQVE PATIENTIA.

CAP. VII.

CV'M ad menſam aliquando conſediſſemus, ſummus ille magiſter inclinans ſuum ſanctum os ad aurem meam; Vis, inquit, tibi oſtendam in extrema, profunda'que canicie diuinum ſenſum, atq; prudentiam? Cùmq; id ſummis precibus orarem, aduocat ex proxima menſa quendam, Laurentium nomine, qui quadraginta ferè & octo annos in monaſterio degerat, ſedens'que erat ſacrarij Presbyter. Qui cùm veniſſet, atq; Abbati genibus flexis aſtaret, ab illo quidem benedicitur. Sed cùm ſurrexiſſet, nihil illi penitus dixit, ſed ſic ante menſam ſine cibo ſtare permiſit. Erat autem tunc prandij initium. Itaq; prolixam horam, atq; fortaſſe duas immobilis ſtetit, adeò vt ipſe quoq; erubeſcerem. Neq; enim in illius faciem intueri præ verecundia poteram. Erat enim canus totus, octogeſimum'q; iam agebat ætatis annum. Manſit autem ſine reſponſo vllo vſq; ad refectionis finem. A' qua cùm ſurgeremus, mittitur iā à ſancto illo, vt memorato Iſidoro diceret Trigeſiminoni pſalmi initium. Non omiſi ego, vt ſum verſutiſsimus, quin ſenem illum tentarem. Itaq; cùm eum poſtea interrogarem, quid aſtans cogitaſſet; Chriſti, inquit, imaginem paſtori impoſui; neq; enim ab illo hoc penitus præceptum exiſſe, ſed à Deo exiſtimaui. Quare, ò pater Ioannes, non coram menſa hominum, ſed coram altari diuino aſtare me putans orabam, nullam'que penitus malignam cogitationem aduerſum paſtorem admittebam, pro ſyncera in illum fide mea, & charitate; dictum eſt enim: Charitas non cogitat malum. Sed & illud ſcito, pater, quòd cùm quis innocentiæ, ac ſimplicitati ſe omnino dediderit, nullum iam maligno contra ſe, aut tempus, aut locum dabit.

DE DISPENSATORE MONASTERII, EIVSQVE EJECTIONE EX ECCLESIA, AC MIRABILI TOLERANTIA.

CAP. VIII.

REVERA autem qualis erat ille iuſtus rationabilium ouium pater, ac per Deum paſtor, talem etiam habebat à Deo ſibi traditum monaſterij Diſpenſatorem, pudicum, & moderatum, vt quiuis alius,

mitem verò, vt admodum pauci. In hunc aliquando ad cæterorum vtilitatem magnus ille inuectus eſt abſque vlla cauſa, iuſsitq́; de Eccleſia proijci, intempeſtiuè ſanè. Ego autem cùm ſcirem eum eius criminis, quod ſibi pater obiecerat, inſontem, ſeorſum magno illi Diſpenſatoris commendabam innocentiam. Ad quem & ille ſapientiſsimè: Scio, inquit; pater; ſed ſicut crudele eſt ex ore famelici infantis panem rapere, ita & ſeipſum, & operarium lædit, qui animas ſuſcipit regendas, niſi illi coronas, quantas illum ſuſtinere poſſe nouit, horis ſingulis prouidere ſatagit, ſiue per contumelias, ſiue per ignominias, ſiue per obiectiones, ſiue per ludibria. Tria enim maximè cauenda committit. Primum quòd ipſe increpationis mercede priuatur. Secundum, quòd cùm alijs ex alterius virtute prodeſſe poſſet, id agere omiſit. Tertium verò, quod eſt grauiſsimum, quòd ij nonnunquam, qui videntur eſſe probatiſsimi, & laboris patientiſsimi, ſi ad tempus negligantur, atque iam vt virtutibus præditi à Prælato non corripiantur, ſiue probris, atq; iniurijs non afficiantur, ea; quæ in eis inerant, modeſtia, & tolerantia deſtituentur. Nam etſi bona, & frugifera, pinguisq́; terra eſt, conſueuit tamen aquæ, ideſt ignominiæ defectus, illam infructuoſam, ac ſylueſtrem efficere, ſpinasq́; fornicationis, & noxiæ ſecuritatis in ea germinare. Hoc non ignorans magnus ille Apoſtolus Timotheo ſcribit: Inſta, increpa, argue illos opportunè, importunè. Ego cùm illi ſpectatiſsimo Duci adhuc reſiſterem, infirmitatemq́; ætatis huius allegarem, vtq́; plurimi ferè fruſtra increpiti, immò & fortaſſe non fruſtra à grege abrumperentur, ita rurſum obiectioni meæ, ſapientiæ domicilium occurrit; Anima, inquiens, quæ propter Deum Paſtori fide, & charitate deuincta eſt, vſq; ad ſanguinem ſuſtinens, nunquam recedet, & maximè ſi antea ab ipſo in ſuis vulneribus fuerit adiuta, ſolatioq́;, & beneficijs affecta, memor illius, qui dixit: Neque Angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; creatura vlla à charitate Chriſti nos ſeparare poterit. Quæ autem ita colligata, & ſolidata, agglutinataq́; non fuerit, mirum valde ſi non fruſtra in loco moram facit. Non enim veræ, ſed fictæ obedientiæ annexa eſt. Nec ſanè magnus ille vir ſpe ſua fruſtratus eſt; ſed direxit, & perfecit, atq; obtulit Chriſto immaculatas hoſtias.

DE VITA, ET CONVERSATIONE ABBACYRI, EIVSQVE OBITV.

CAP. IX.

AVDIRE libet ſapientiam Dei, admirariq́; in vaſis fictilibus inuentam. Admirabar ego illic præſens nouiter ex ſeculo venientium fidem, & tolerantiam, atq; in ignominijs, & contumelijs, & aliquando etiam perſecutionibus inſuperabilem patientiam, quas non tantùm ab Abbate, ſed ab ijs quoq;, qui longè inferiores erant, perpetiebantur. Itaq; ædificationis gratia quendam ex fratribus ſciſcitatus ſum, qui annós quindecim in monaſterio egerat, Abbacyrum nomine, quem maximè affici iniurijs ferè ab omnibus videbam, nonnunquam etiam à miniſtris ex menſa fugari; erat enim

frater ille naturaliter linguæ aliquantulum incontinens. Dicebam itaq; ad illum: Quid eſt, frater Abbacyre, quòd te quotidie à menſa expelli video, ac nonnunquam dormire incœnatum? Qui ad hæc ita reſpondit. Crede mihi, pater, probant me patres mei, vtrum monachus eſſe cupiam, non autem verè id faciunt. Q uam ego patris, aliorumq; intentionem non ignorans, leuiſsimè, ac ſine vlla moleſtia omnia tolero. Et ecce quintumdecimum iam annum ago iſtud cogitans; ipſi enim, quando monaſterium intraui, dixerunt mihi, quòd vſq; ad trigeſimum annum renunciantes probare ſolerent. Et rectè quidem, pater Ioannes. Sine probatione enim aurum non perficitur. Hic igitur egregius Abbacyrus, ſecundo anno poſtquam aduéneram, migrauit ad Dominum in monaſterio hoc, patribus, cùm deficeret, dicens: Gratias ago Domino, & vobis, patres, quòd me ad ſalutem meam tentaſtis iugiter, hac enim ex cauſa immunis à tentatione dæmonum hactenus manſi. Q uem etiam tanquam confeſſorem, cum his, qui illic obierant, ſanctis digniſsimè æquiſsimus paſtor ſepeliri iuſsit.

DE MACEDONIO DIACONO MONASTERII, EIVS'QVE POENITENTIA.

CAP. X.

DETRIMENTO non minimo afficio probitatis æmulos, ſi virtutem, certamen'q; Macedonij, qui primus erat monaſterij Diaconus, monumento ſilentij ſepeliam. Hic dilectus Domini aliquando, imminente 11 Epiphaniæ ſanctæ ſolennitate, Abbatem ante duos dies obſecrat, vt ſe propriæ neceſsitatis gratia ad Alexandriam proficiſci fineret, citiùs tamen ſe ob diei feſti miniſterium, & præparationem, rediturum ſpōdens. Igitur infeſtus bonis omnibus diabolus, Diacono impedimento fuit, vt dimiſſus ab Abbate, ad monaſterium die ſacroſanctæ ſolennitatis non rediret. Igitur poſt diem vnum peractæ feſtiuitatis, reuertentem Abbas amouit à monaſterio, atque in vltimo incipientium conſtituit ordine. Suſcepit bonus patientiæ Diaconus, fortiſsimus'q; tolerantiæ Archidiaconus patris verbum, ac ſententiam adeò abſq; mœrore, vt quaſi non ipſe, ſed alius videretur increpatus. Igitur cùm in tali ordine dies quadraginta peregiſſet, rurſus illum ad priſtinum gradum reduxit ſapientiſsimus pater. Q uem item poſt vnum diem Archidiaconus obſecrat, vt ſe in eadem ignominiæ humilitate reſtituat, deliquiſſe ſe graue quoddam, atq; nefandum in ciuitate afferens. Sciens autem ſanctus hunc non vera profequi, ſed humilitatis gratia hoc requirere, ceſsit parere honeſto deſiderio. Vidiſſes caniciem venerandam degere in incipientium ordine, ſyncerè omnes, vt pro ſe orarent, deprecantem. Cecidi enim, aiebat, in fornicationem inobedientiæ. Mihi tamen humili reſeranit hic magnus Macedonius, cuius rei gratia ad hanc propoſiti humilitatē ita ſponte accurriſſet. Nunquam enim, inquit, ita me bello omni leuigatum ſenſi, diuiniq; luminis dulcedinem in meipſo vidi. Atqui naturæ Angelorum eſt, non cadere, vt aiunt quidam, quia non poſſunt; hominum autem, cadere, rurſum'q;, cùm hoc cōtigerit, ſurgere; dæmonum verò (cùm tamen ſemel ceciderint) nunquam penitus reſurgere.

11 Nota ſolennitatē Epiphaniæ ſanctæ.

EX IOANNE

DE CELLERARIO MONASTERII, CELERI'QVE EIVS SPIRITVALIS MORBI SANATIONE. ET QVOMODO CVRARET ABBAS VITIO OSTENTATIONIS LABORANTES.

CAP. XI.

IS autem, cui monaſterij diſpenſatio tradita erat, hoc mihi enarrauit. Iuuenis, inquit, cùm eſſem, atque in cura animalium degerem, contigit vt in grauiſsimam animæ ruinam præcipitarer, mihi'que conſuetudo erat, nihil vnquam in cordis fouea tectum ſeruare. Igitur apprehenſa cauda, quam finem operis appello, medico mox facinus meum denudaui. Qui ſerena facie ſubridens, leuiter'que maxillam meam feriens; Abi, inquit, fili, miniſterium'que tuum, vt prius exequere, nil penitus metuens. Ego itaq; fide firmiſsima roboratus, paucis'que diebus ſanitatis meæ certior factus, viam meam gaudio, ſimul & tremore plenus currebam. Habet omnis creaturæ ordo, vt aiunt quidam, differentias plurimas. Itaq; quoniam & in illo fratrum cœtu erant profectuum, ſententiarum'que differentiæ, ſi quos fortè pater ſanctus oſtentationi ſtudere denotaſſet, cùm ſeculares ad monaſterium veniebant, hac eos arte curabat. Contumelijs illos in conſpectu aduentantium afficiebat, miniſteria'que illis ignobiliora iniungebat. Quo illi increpationis genere ita ſanabantur, vt iam ſi qui ex ſeculo ad monaſterium veniſſent, aſpectum eorum curſu fugerent. Erat'q; iucundum ſpectaculum, videre ipſam inanem gloriam ſeipſam perſequentem, homines nēpe fugientem.

DE MENNA MONACHO SERVO DEI, DE MORTE EIVS, ATQVE VIRTVTIBVS.

CAP. XII.

12 Ecce quomodo priſci quoq; patres pro dormitione mortuorum conſuetum officium celebrabant.

NOLVIT me Dominus ex eo monaſterio abſque viatico orationum ſancti cuiuſdam viri demigrare, aſſumpſit'que inde ſeptimo die antequam proficiſcerer, virum per cuncta mirabilem, Mennam nomine, ſecundum poſt Abbatem in monaſterij regimine, qui annos iam quinquaginta & nouem egerat in monaſterio, omnem'q; cœnobij adminiſtrationem executus fuerat. Tertia igitur die celebrantibus nobis pro 12 dormitione

tanti patris officium conſuetum, ſubitò locus ille, vbi ſancti viri corpus iacebat, miri odoris fragrantia impletus eſt. Permiſit igitur magnus ille loculum, in quo repoſitum erat corpus, detegi. Quod cùm factum eſſet, vidimus omnes ex illius pretioſiſsimis plantis, veluti ex duobus fontibus, 13 vnguenti manare ſuauitatem. Tunc ad omnes monaſterij magiſter conuerſus; Videtis, inquit, vt fatigationem eius, ac laborum ſudores, quaſi reuera vnguentum pretioſiſsimum, oblatum, ſuſcepitque Deo ſuo? Multas quidem & alias huius beatiſsimi Mennæ virtutes nobis loci eiuſdem patres referebant. Dicebant verò & iſtud, quòd volens aliquando inſignem illius pater monaſterij probare patientiam, reuerſum ad monaſterium, proſtratum'que illi, & benedictionem ſecundùm conſuetudinem ſuſcipere orantem, à veſpera vſq; ad collectæ horam ita illum humi iacere proſtratum permiſit. Tunc verò iam illum benedicens, & veluti oſtentationis gratia cuncta facientem, ac impatientiſsimum obiurgans, erexit tandem. Sciebat enim ſanctus quàm id fortiter ferret, quocirca & iſtud ad cunctorum ædificationem ſpectaculum ædidit. Huius verò ſancti Mennæ diſcipulus, qui magiſtri omnia pleniſsimè nouerat, & de his certiores nos reddere ſolebat, cùm illum curioſius interrogarem, an ante Abbatem ita proſtratus ſomno depreſſus fuiſſet, aſſeuerabat, illum ſic humi iacentem, pſalterium totum ceciniſſe.

13 Hoc miraculũ ædidit Dominus in teſtimoniũ ſanctitatis vitæ iſtius patris.

RESPONSIO SANCTORVM MONACHORVM, QVID DE SOLITARIAE VITAE QVIETE SENTIRENT.

CAP. XIII.

NON omittam ſermonis noſtri coronam & præſenti illuſtrare ſmaragdo. Moui ego aliquando quibuſdam ex illis fortiſsimis ſenibus de ſolitariæ vitæ quiete quæſtionem. Hi verò ſerena, ac ſubridenti facie, lætoq;, ac placidiſsimo geſtu dixerunt mihi: Nos, ò pater Ioannes, terreni cùm ſimus, terræ etiam propius vitæ inſtitutum cœpimus, illud conuenire iudicantes, vt pro menſura infirmitatis noſtræ etiam bella ſubiremus, ſatiusq; eſſe exiſtimantes cum hominibus luctari, qui aliquando quidem efferantur, aliquando verò manſueſcunt, & reſipiſcunt, quàm cum dæmonibus, qui aduerſum nos ſemper armantur, & ſæuiunt.

CONSILIVM DATVM IOANNI CLIMACO ABBATI A QVODAM SANCTO SENE EIVSDEM MONASTERII, IN QVO TOTA MONACHI CONVERSATIO CONTINETVR.

CAP. XIIII.

ALIVS verò ex illis ſempiternè memorandis viris, cùm me in Domino plurimum diligeret, me'que familiariſsimè vteretur, mihi ſemel placidiſsimè dixit: Si 14 tenera, ſapientiſsimus cùm ſis, effectum tenes; virtutem'que verborum eius, qui dixit: Omnia poſſum in eo, qui me confortat: ſi Chriſtum tota animi intentione complexus es; ſi Spiritus ſanctus caſtitatis fote, vt olim in Virgine, ita ſuperuenit in te; ſi virtus patientiæ obumbrauit tibi, accinge ſicut vir lumbos tuos obedientiæ linteo, & à quietis cœna conſurgens, in ſpiritu contrito fratrum pedes laua, immò verò abiecta mente fratrum pedibus aduoluere, Statue in cordis tui ianua ſeueros ianitores, & vigiles. Tene inſuperabilem, atque immobilem mentem in corpore huc illuc'que diſtracto. Exerce in membris agilibus, ac mobilibus intellectualem quietem. Atque id, quod miracula excedit omnia, eſto in medio tumultuum impauidus animo. Reſtringe inſanam linguam, ne ad contradicendum facilè deſiliat. Pugna aduerſus hanc rabidam dominam dies ſeptuagies ſepties. Affige in animæ ligno (quam crucem dicimus) incudem, videlicet mentem, vt per alternos malleorum ictus, & crepitus percuſſa, ludibrijs, & maledictis, irriſionibus'que laceſſita, iniurijs affecta, infracta, & in nullo læſa, ſeu diſſoluta perſeuerans, tota lenis, & plana, immobilis'que perſiſtat. Exue te voluntatibus tuis, & confuſionibus amictus, ſtadium pietatis ingredere. Indue quod rarum & difficile inueniri poteſt ad certaminis magiſterium, immobilem, vel inuiolabilem fidei loricam, quam nulla iam infidelitas diſſoluere, & violare poſsit. Contine freno pudicitiæ tactum impudenter proſilientem. Reprime perpetua meditatione mortis oculum, ne horis ſingulis magnitudines, ac pulchritudines corporum curioſiùs intueri velit. Refrena iugi tui ipſius cura curioſum animum, qui dum ſui negligens eſt, fratrem ſemper condemnare vult, omnem'que dilectionem, & miſericordiæ affectum ad proximum ſyncerè ſemper oſtende. In hoc enim, chariſsime pater, verè cognoſcent homines, quòd Chriſti diſcipuli ſimus, ſi in vnum congregati, dilectionem habuerimus ad inuicem. Irriſiones horis ſingulis, vt aquam viuam bibe. Huc huc, rurſus aiebat amicus optimus, accede, hîc nobiſcum vnà morare. Nam cùm iucundiſsimum quippiam ſub cœlo ſanctus Dauid pronunciare vellet, non tam hæſitans, quàm exultans aiebat: Ecce nunc quid bonũ, aut iucundum? Nihil ſanè aliud, quàm habitare fratres in vnũ. Quòd ſi nondum huiuſmodi patientiæ, & obedientiæ tam præclaro bono digni

14 Vide in quo ſita ſit totius monachalis vitæ sũma, & plẽitudo.

ſimus, reliquum eſt, vt infirmitatem agnoſcentes noſtram, procul à certaminis ſtadio in ſolitudine ſedentes, atque huiuſmodi athletas beatos confiteamur, eiſq; patientiam imprecemur. Victus ſum, fateor, verbis optimi patris, ac præſtantiſsimi magiſtri, qui mihi euangelica, & prophetica auctoritate, ac longè amplius ſyncerisſimi amoris iure repugnauerat. Ex quo factum eſt, vt ſanctæ obedientiæ abſque vlla controuerſia iam palmam non iniuſtus darem.

DE POENA COLLOQVENTIVM MONACHORVM ORATIONIS TEMPORE, ET DE DESCRIPTIONE COGITATIONVM IN LIBELLIS, AC REVELANDIS ILLIS PASTORI.

CAP. XV.

VNAM adhuc perutilem illorum beatorum virtutem memorabo, ac veluti ex paradiſo exiens, ad ineptam rurſus, & inutilem, ac ſpinoſam orationem noſtram remeabo. Ad orationem plerunq; ſtantibus nobis, animaduertit pater ſanctus quoſdam inuicem colloquentes; quos ante fores Eccleſiæ ſtatuens, iuſsit, vt per ſeptem dies cunctis intrantibus, & exeuntibus proſternerentur, ſiue clerici, ſiue presbyteri fuiſſent. Conſiderans ego quendam ex fratribus ad pſallendum attentiùs aſtantem, atque in principio maximè hymnorum, veluti ad quoſdam nutibus ſuis, & facie loquentem, rogabam vt mihi, quid ſibi mos, & nutus ille vellet, aperiret: Qui prodeſſe mihi cupiens, nihil que abſcondere decernens; Ego, inquit, pater Ioannes, cogitationes meas, & mentem, atque animum colligere à principio collectæ conſueui, & coram conuocatis eis acclamare: Venite adoremus, & procidamus Chriſto Regi, ac Deo noſtro. Eum verò, qui parandæ fratribus refectioni præerat, cùm curioſiùs inquirerem, hoc facere animaduerti. Ad eius latus cùm appenſum cingulo breuem libellum conſpicerem, didici, eum quotidie cogitationes ſuas in eo notare, has'que omnes nunciare paſtori ſolitum. Non ſolum autem illum, ſed & alios quàmplures id facere ibidem proſpexi. Erat enim, vt comperi, patris ſancti mandatum.

DE FRATRE IN POENITENTIVM ORDINE RELATO, ET QVALIS ESSET LOCVS ILLE POENITENTVM.

CAP. XVI.

EXPVLSVS eſt aliquando à patre vnus ex fratribus, qui apud illum proximum ſuum, vt nugis, & loquacitati deditum criminatus fuerat. Qui ad monaſterij ianuam ſeptem dies preſeuerans orabat, vt ingreſſu, ſimul & venia potiri mereretur. Quod cùm didiciſſet ſtudioſus animarum cuſtos, nihil'que omnino ſex illis diebus illum comediſſe exploraſſet, hoc illi denunciat, vt ſi habitare omnino vellet in monaſterio, ſtatuendum ſe sciret in pœnitentium ordine. Cùm igitur hoc libenter amplecteretur pœnitens, iubet eum paſtor ad ſeparatum peccata lugentibus monaſterium deduci. Quod & factum eſt. Quoniam verò ſe obtulit occaſio, vt dicti monaſterij mentionem faceremus, pauca de illo neceſſariò dicenda ſunt. Locus erat vno tantùm lapide à magno monaſterio diſtans, carcer appellatus, omni mortali conſolatione deſtitutus. Non illic vnquam vapor fumi apparebat, non vinum, non oleum ad cibum, non aliud quicquam, præter panem, & minuta olera. In hoc, ſi qui poſt ſupernam vocationem deliquiſſent, ita eos claudebat pater, vt procedere inde nuſquam valerent, non quidem omnes ſimul, ſed ſeorſum ſingulos, aut certè duos ſimul; ibi'que tam diu morabantur, quoad eum Dominus de ſingulorum remiſsione certiorem faceret. Conſtituerat autem illis, qui præeſſet loco, magnum, & ſingularem quendam virum, Iſaac nomine, qui perpetuam ferè orationem ab his, qui ſibi ſeruandi tradebantur, exigebat. Erant illis etiam ad accediam vitandam plurima palmarum folia. Hæc vita, hic ſtatus, hoc propoſitum eſt faciem Dei Iacob reuera inquirentium. Eſt quidem præclarum labores ſanctorum admirari, imitari verò iuſtitia ſalutem præſtat. Porrò illorum conuerſationem velle quempiam repente totam imitari, irrationabile eſt, ſimul & impoſsibile.

DE SENIORE, ET IVNIORE ACHATIO, ET DE MIRO OBEDIENTIAE POSTERIORIS EXEMPLO.

CAP. XVII.

NON ero occultator iniquus, nec fraudator inhumanus, vt ea apud vos ſileam, quæ ſilere omnino nefas eſt. Ioannes Opatij Oſabaitis vir mihi chariſsimus, res mihi retulit auditu mirabiles, & memoratu digniſsimas.

digniſsimas. Quòd autem is vir perturbationibus, & paſsionibus ſit liber, atque à mendacio procul, verboq́; & opere mundus, cùm eius experimentum cœperim, noui, pater optime. Hic itaq; mihi iſta narrauit. Erat, inquit, in monaſterio meo, quod eſt in Aſia (inde enim iuſtus ille aduenerat) ſenex quidam negligentiſsimus, ac parum moderatus; quod non iudicandi cauſa, ſed veritati ſtudens dico. Huic erat diſcipulus minor, Achatius nomine, quem neſcio quo pacto ſibi acquiſierat, ſimplex quidem animo, ac voluntate, ſed ſenſu, ac cogitatione prudentiſsimus. Qui tanta ab huiuſmodi ſene paſſus eſt, quanta ſi referre voluero, plurimis fortè videbuntur incredibilia. Non enim iniurijs ſolùm, atq; contumelijs, & ignominijs, verumetiam verberibus eum quotidie afficiebat. Erat autem hæc illius tolerantia non ſanè irrationabilis. Ego igitur cùm illum quotidie vt emptitium ſeruum ſuprema in ærumna degere aſpicerem; obuians illi ſæpiſsimè dicebam: Quid eſt, frater Achati? Quomodo tibi eſt hodie? Ille verò continuò, nunc quidem liuentem, tumidumq́; oculum, aliquando verò faciem fractam, & ceruicem, ſæpè percuſſum caput oſtendebat. Ego itaq; ſciens eum patientiæ operarium, aiebam illi: Bone, ſuſtine viriliter, & proderit tibi. Cùm igitur egiſſet annos nouem ſub immiti, & acerbo ſene, migrauit ad Dominum, ſepultusq́; eſt in patrum 15 cœmeterio. Poſt quinq; autem dies abijt ad magnum quendam illic ſenem Achatij magiſter, dixitq́; illi: Pater, Achatius mortuus eſt. Quod cùm audiſſet ſenior, reſpondit: Vere ſenex non id mihi perſuades. Qui ait: Veni, & vide. Continuò ſurrexit ſenex, venitq́; cum beati pugilis magiſtro ad cœmeterium. Tunc clamauit, tanquam viueret, ad eum, qui verè in beata requie viuebat, dicens: Frater Achati, Putas'ne mortuus es? Tum verò patiens ille, ac obediens, & etiam poſt mortem obedientiam oſtendens, magno illi ita de ſepulchro reſpondit: Et fieri quomodo poteſt, pater, vt moriatur homo obedientiæ deditus? Tunc ſenex ille, qui pridie illius magiſter appellatus fuerat, territus in faciem cum lachrymis cecidit, atq; à monaſterij Abbate petijt, vt ſibi iuxta tumulum eius cellulam conſtruere liceret. Illicq́; deinceps ſobriè vixit, dicens patribus ſemper: Homicidium feci. Tunc ego ſeni, qui mihi iſta retulerat, dixi: Mihi quidem, pater Ioannes, videtur hunc ſenem, qui cum mortuo locutus ſit, eſſe magnum Ioannem.

15 Ecce quomodo etiam antiqui patres habebãt cœmeteria pro ſepeliẽdis fidelium corporibus.

DE OBEDIENTIA SAPIENTISSIMI IOANNIS OPATII, QVI SIBI NOMEN ANTIOCHI EFFINXERAT.

CAP. XVIII.

ALIVD quoddam veluti de alio mihi enarrauit beata eius anima; fuit autem ipſe, vt poſtea certior factus ſum, cùm id exploraſſem diligentiùs. Alius quidam, aiebat, in eodem Aſiæ monaſterio cuidam monacho miti, atq; manſueto in diſcipulum eſt datus. Hic cùm videret ſe à ſene quaſi honorari, ac præſtari ſibi requiẽ, quod plurimis periculoſum

eſſe ſolet, benè, & prudenter excogitat. Obſecrat ſenem, vt illum ab ſe dimittat. Quod idcirco non valde moleſtum fore videbatur, quia habebat ſenior alium diſcipulum. Profectus igitur ab illo eſt, literis'que commendatitijs magiſtri ſiſtitur in quodam Ponti cœnobio. Prima autem noſte, qua cœnobium ingreſſus eſt, vidit quoſdam per ſomnium ab ſe rationem exigere. Tandem poſt terribile illud, horrendum'que examen, debere ſe reperit centum auri libras. Experrectus itaque, viſum'que diju dicans, ait: Humilis Antioche (hoc enim erat ipſi nomen) verè graui ære oppreſſi ſumus alieno, plurima'que perſoluenda reſtant. Sic igitur in cœnobio, diſcipulus ille aiebat, permanſi annos tres, obediens omnibus, nihil'que ægreferens, cùm me omnes ſpernerent, atq; vt peregrinum iniurijs afficerent. Neque enim erat ibi præter me peregrinus alius monachus. Poſt triennium verò rurſus in ſomnis aſpicio quendam, qui decem debiti mei libras abolitas oſtendit. Expergefactus itaque, intellexi viſionem, & dixi: Decem ſolummodo libras perſolui, & quando impleturus ſum reliquum debitum? Tunc ad me ipſum dixi: Humilis Antioche, ampliore labore, & ignominia opus habes. Ex tunc itaque me amentem & fatuum ſimulare cœpi, nihil tamen miniſterij mei penitus omittens. Quocirca in tali me ordine, atq; alacritate cernentes immites patres cuncta mihi monaſterij grauia opera iniungebant. Cùm verò in hoc inſtituto vitæ treſdecim annis perduraſſem, vidi eos, qui mihi antea apparuerant, rurſus ad me venire, totius'que debiti ſolutionem impletam ex integro oſtendere. Cùm igitur in aliquo me vexabant monaſterij monachi, debiti mei ſtatim reminiſcebar, atq; ita fortiter ferebam. Iſta mihi ſapientiſsimus Ioannes, veluti ex alterius perſona enarrauit, ideo'que ſeſe Antiochum cognominauit. Hic autem fuit reuera, qui chirographum ſuum per patientiam fortiter conſcidit.

DE GRATIA DISCRETIONIS EIVSDEM IOANNIS OPATII.

CAP. XIX.

QVALEM verò diſcretionis gratiam ſanctus iſte pro ſuprema obedientiæ virtute adeptus ſit, referre libet. Cùm aliquando ſederet in monaſterio ſancti Sabbæ, acceſſerunt ad eum tres adoleſcentes, diſcipuli illius fieri volentes. Quos continuè hoſpitio lætiſsimè ſuſcepit, omnibus'que humanitatis officijs proſecutus eſt, volens illos ex itineris labore recreari. Poſt diem ergo tertium dicit eis ſenex: Ignoſcite mihi, fratres, quia homo malignus ſum, nec poſſum ex vobis quempiam ſuſcipere. Illi verò ob hæc verba ſcandalizati non ſunt, ſciebant enim ſenis opera. Sed cùm maximis precibus, vt ſe ſuſciperet, obtinere non poſſent, proſtrati iam ante pedes eius obſecrabant, vt vel viuendi normam eis traderet, quo in loco, & quomodo habitare debuiſſent. Tunc ſenior ſciens quòd cum humilitate ad obtemperandum parati id peterent, ait vni eorum: Vult Dominus te, ò fili, in ſolitarijs

locis cum patre in ſubiectione perſiſtere. Secundo autem dixit: Abi, vende voluntates tuas, & Domino da eas, & tollens crucem tuam, perſiſte in conuentu, & cœnobio fratrum, & omnino theſaurum habebis in cœlo. Deinde dixit & tertio: Aſſume in animo tuo inſeparabiliter, & tota intentione verbum illud: Qui perſeuerauerit vſq; in finem, hic ſaluus erit. Hoc in intimis viſceribus reconde, abiensq; ſi fieri poteſt, eum exercitationis tuæ in Domino ducem, ac magiſtrum quære, quo in omnium mortalium natura nullus ſit aſperior, aut grauior, ſub eoque perſeuerans iugiter, obiurgationes, & irriſiones quotidie, vt mel, & lac bibe. Ad quem frater ille; Si huiuſmodi, inquit, negligens fuerit, quid facio, pater? Et ſi fornicari, inquit, illum videris, noli diſcedere, ſed ad te ipſum conuerſus dic: Amice, ad quid veniſti? Tunc aſpicies tumorem tuæ mentis diſsipari, excandeſcentiamque interire.

CONTRA QVAE PRAECIPVA VITIA PVGNARE DEBEANT MONACHI. ET QVOMODO SOLITARIOS, QVOMODOQVE IN OBEDIENTIA DEGENTES TENTET DIABOLVS.

CAP. XX.

QVICVNQVE in congregationibus degimus, aduerſus 16 omnia quidem, ſed contra hæc duo præcipuè vitia horis ſingulis pugnare debemus, aduerſus inſaniam ventris, atque iracundiam. Hæc enim in turba fratrum proprijs materijs abundant. Solet diabolus eis, qui in ſubiectionis humilitate viuunt, virtutum, quas ſequi non poſſint, deſiderium immittere, ſimiliter & in ſolitudine viuentibus aliena, & ad ſe nihil pertinentia ſuggerere. Euolue diligenter, & explica cœnobitarum imperfectorum mentem; inuenies illic multiplicem, & variam intentionem, ſolitudinis deſiderium, ieiunij præſtantiam, orationis inſuperabilis affectum, ſummum gloriæ contemptum, memoriam mortis indelebilem, perpetuæ compunctionis imaginem, iracundiæ omnimodam ſedationem, altiſsimi ſilentij, caſtitatisque excellentiſsimæ ſtudium. Quibus rebus cùm ex diſpenſatione Dei initio careant, nonnulli decepti, fruſtra à cœptis ſtudijs deſilierunt. Iſta enim idcirco ante tempus inimicus eos

16 Exercitium monachorũ eſſe debet pugnare contra omnia vitia, præcipuè autẽ contra gulam, & iram.

inquirere fecit, ne perſeuerantes, cùm tempeſtiuum eſſet; eis fruerentur. Contra, his qui ſolitariam vitam delegerunt, ſeductor aſtutus obedientium gloriam ingerit, hoſpitum, ac peregrinorum curam, miniſtrationem'que, fraternitatis ſtudium, contubernij familiaris dulcedinem, infirmantium obſequia, & cætera, quæ ſui ſtudij non ſunt, vt iſtos quoque, ſicut & priores, verſutus ille inſtabiles faciat. Paucorum reuera eſt ſolitudinem, vt dignum eſt, proſequi, eorum'q; ſolummodò, qui ad laborum toleran-tiam, atq; ad ſuſceptionem bellorum diuina conſolatione recreantur.

EX GRADV QVINTO IOANNIS CLIMACI DE ACCVRATA POENITENTIA.

DE MONASTERIO CARCER APPELLATO, DE'QVE ADMIRABILI EORVM POENITENTIA, QVI IN EO DEGEBANT.

CAP. I.

CV'M audiſſem ego imbecillis, magnum quendam eſſe, & peregrinum ſtatum, atq; humilitatem eorum præcipuam, qui ſeparatum illud monaſterium, quod carcer appellatur, incolebant, quod'que illi luminari luminarium, de quo ante mentionem fecimus, adiacebat, obſecraui iuſtum illum, vt me illuc viſendi gratia perduci faceret. Ceſsit precibus meis ſummus vir, nolens animam meam in vllo contriſtari omnino. Cùm igitur perueniſſem ad pœnitentium monaſterium, immò verò ad religionem fugiẽtium, vidi reuera (ſi dicere id audeam) quæ negligentis oculus non vidit, auris'q; deſidioſi non audiuit, & in cor pigri hominis non aſcenderunt, res, & verba, quæ Deo vim inferre poſſent, habitus, & ſtudia, quæ ipſius clementiam celerrimè flecterent. 17 Quoſdam enim ex reis illis vidi noctibus totis vſq; mane ſub dio ſtare peruigiles, pedes'que immobiles tenere, cùm'que ſomno miſerabiliter depreſsi agitarentur, vim naturæ inferre, nullam'que ſibiipſis requiem omnino indulgere, ſed ſeipſos increpare, ignominijs'que, & contumelijs afficere, atq; excitare. Alios miſerabiliter in cœlum intuentes, & illinc adiutorium cum gemitu, & ſuſpirijs, & vocibus inuocantes. Alios in oratione exiſtentes, ac reorum in morem poſt terga manibus vinctis, humi luridas facies ſuas inclinantes, ſe'que indignos, qui in cœlum aſpicerent, vociferantes, nec quicquam ad Deum dicere orando præ cogitationum, & conſcientiæ hæſitatione præſumentes, neque quomodo, vel vnde orationem facerent præſumentes, ſolam'que animam tacitam, ac mutam mentem Deo offerentes, tenebris, &

17 Pie lector, vide ex omnibus hîc ſequẽtibus, nũ vera pœnitentia ſit nouа vita duntaxat, vt fingunt hæretici, & non etiam cum illa eſſe debeat dolor de peccatis commiſsis, & operum competens ſatiſfactio.

confuſione plenam. Nonnullos in pauimento ſtrato cilicio, & cinere ſedentes, ac faciem genibus operientes, frontem'q; in terram collidentes. Alios iugiter pectora tundentes, animam'q; ſuam, ac vitam ſuſpirio ingenti reuocantes. Ex his alij quidem pauimentum madefaciebant lachrymis, alij verò, quia lachrymarum imbres non haberent, ſeipſos miſerabiliter lamentabantur. Plurimi, vt fieri in mortibus ſolet, ſuper animabus ſuis vlulatum diræ vocis emittebant, anguſtiam cordis ferre non valentes. Alij ex intimo cordè rugiebant, atq; intra os gemitus ſonum cohibebant. Interdum verò cùm ſe continere non poſſent, repente exclamabant.

Vidi ego illic nonnullos habitu, & cogitatione, & actu, quaſi à ſemetipſis exceſsiſſent, ac ſtuporem mentis incurriſſent, veluti æneos quoſdam, ſummo mœrore affectos, totos tenebris obſitos, & ad omnia vitæ huius veluti inſenſibiles factos. Mentem quippe iam in humilitatis abyſſum demerſerant, ac mœroris igne oculorum lachrymas exſiccarant. Alios item mœſtos ſedere, atque in terram fixis obtutibus ſtare perſpexi, caput'que aſsiduè mouere, & leonum in morem ex imo corde rugitum, ac gemitum emittere. Ex his alij pleni ſpe, remiſsionem omnimodam inquirentes, orabant. Alij ex ineffabili humilitate indignos ſe remiſsione iudicabant, nec omnino poſſe Deo rationem reddere clamabant. Quidam hîc excruciari, vt illic miſericordiam conſequerentur, à Domino ſupplices poſcebant. Plerique ex conſcientiæ onere attriti, ac depreſsi, ſatis ſibi eſſe ex intimis dicebant, ſi vel ſupplicijs eximerentur, regno'que non potirentur.

Vidi illic animas humiles contritas, & præ graui pondere incuruatas, ac deiectas, quæ vocibus illis ſuis ad Deum emiſsis lapides quoq; ipſos ad compunctionis ſenſum emollire potuiſſent. Ita enim defixis in terram luminibus aiebant: Nouimus ſanè, nouimus, omnibus iam pœnis, atque cruciatibus nos eſſe digniſsimos; neq; enim idonei iam ſumus, qui pro debitorum noſtrorum multitudine ſatisfacere poſsimus, etiam ſi orbem vniuerſum, vt pro nobis lugeat, conuocauerimus. Illud ſolùm oramus, iſtud deprecamur, id tota animi intentione ſupplicamus, ne in ira tua arguas nos, neq; in furore tuo corripias nos, neque iuſtiſsimi iudicij tui legibus excrucies nos, ſed parcius, & miſericordiùs. Satis enim nobis eſt, ingenti illa tua, ac terribili comminatione, ſupplicijs'q; illis occultis, ignotis, atq; inauditis liberari. Neq; enim, vt pœnis omnino liberemur, petere audemus. Qua enim facie, quo animo id audeamus, qui profeſsionem noſtram violauimus, eam'q; poſt priorem, clementiſsimam'q; remiſsionem ſordidauimus?

Illic profectò, ô dulciſsimi amici, illic verba Dauid rebus ipſis cerneretis impleta, ærumnis affectos homines, atq; vſq; in finem vitæ incuruatos, totis'q; diebus mœſtos incedentes, & ex putrefactis corporis partibus fœtorem exhalantes, qui quaſi ſine vlla carnis cura degerent, obliuiſcebantur comedere panem ſuum, potum'que aquæ cum gemitu miſcebant, & cinerem cum pane manducabant. Adhæſerant illorum oſſa carni, ipſi'q; vt fœnum exaruerant, nec quicquam apud illos audiuiſſes, niſi hæc verba: Væ, væ, me miſerum, me miſerum: Iuſtè, iuſtè, parce, parce, Domine. Nonnulli, Miſerere, dicebant. Alij vero rurſus miſerabiliùs clamabant: Ignoſce, ignoſce, Domine, ſi poſsibile eſt. Vidiſſes in illis æſtuantes linguas inſtar canum ex ore procedentes. Ex his alij ſub ardentiſsimo Solis æſtu ſeipſos cruciabant. Alij contra, acerrimo frigore ſe affligebant. Nonnulli cùm panis exiguum quid accepiſſent, reliquum manu longiùs proijciebant, indignos ſe qui rationali cibo veſcerentur aſſerentes, quippe qui irrationabiliter egiſſent. Quem apud illos locum riſus habere poterat? Quem ocioſus ſermo? Quem iracundia? Quem furor? Nec

enim quòd in hominibus iracundia eſſet, ſciebant, adeò luctus furorem omnem penitus extinxerat. Vbi apud illos contradictio? Vbi feſtiuitas? Vbi confidentia? Vbi corporis obſequium, & cura? Vbi vel veſtigium inanis gloriæ? Vbi deliciarum expectatio? Vbi tenuis vini cogitatio? Vbi pomorum degustatio? Vbi feruentis ollæ ſolatium? Vbi gulæ vlla illecebra? Horum enim omnium apud illos ſpes nulla erat.

Non terrenæ cuiuſdam rei cura angebantur. Non iudicare vllum omnino hominum didicerant. Nihil horum penitus in illis inueniſſes. Cæterùm iugiter ad Dominum clamabant, ſolaq; orationis vox audiebatur. Alij enim pectus validè 18 manibus cædentes, quaſi iam ad ipſam aſtarent cœli ianuam, ad Dñm dicebāt: Aperi nobis, Iudex, ianuam, aperi nobis, qui illā nobis ipſis per peccatū clauſimus. Clamabat alius: Oſtende faciē tuam tantùm, & ſalui erimus. Alius ſimiliter: Appare his, qui in tenebris, & vmbra mortis ſedent humilibus tuis. Alius rurſus: Citò anticipet nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes ſacti ſumus, quia deſperauimus, quia nimium defecimus. Nonnulli autem aiebant: Putas'ne apparebit Dominus vltra ſuper nos? Alij verò: Num pertranſijt anima noſtra aquam intolerabilem? Alij: Putas'ne adijciet Dominus vltra conſolari in nobis? Putas illum audiemus dicentem nobis, qui ſumus in vinculis inſolubilibus: Exite: & qui in inferno pœnitentiæ ſedemus: Laxamini? Putas'ne clamor noſter ad aures Domini ingreſſurus eſt?

18 Nota orationem cum pectoris tunſione.

Cuncti verò ſedebant, ſemper ante oculos ſuos mortem attendentes, ac dicentes: Quid putatis continget? Quæ'nam erit illa ſententia? Quis finis noſter? Putas erit reuocatio? Num ſupereſt vlla ſpes veniæ mœſtis humilibus reis? Num valuit oratio noſtra ingredi ante conſpectum Domini? Aut meritò repudiata eſt, abiecta, atq; confuſa? Aut ſi fortè intrauit, quantum peregit? quantum placauit Deum? quantum profecit? quantum operata eſt? Emiſſa quippe ex immundis corporibus, & labijs, parum virium habere potuit. Putas omnino reconciliauit Iudicem? An ex parte? An vulnerum vel medietas deleta eſt? Quippe maxima cùm ſint, plurimis & laboribus, & ſudoribus, & doloribus indigent. Putas appropinquauerunt nobis Angeli cuſtodes noſtri? An adhuc longius à nobis ſtant? Niſi enim illi appropient nobis, inutilis, & infructuoſus eſt omnis labor noſter. Neq; enim habet vim confidentiæ oratio noſtra, neque munditiæ pennas, vt ingredi ad Deum poſsit, niſi hanc è proximo aſſumant Angeli, qui nobis præſunt, eam q; offerant Domino. Nonnunquam verò hæſitantes huiuſmodi ad inuicem dicebant: Num, fratres, aliquid proficimus? Num petitione noſtra potiemur? Num iterum ſuſcipit? Num aperit? Alij verò ad iſta reſpondebant: Quis nouit, vt dixerunt Niniuitæ fratres noſtri, ſi fortè pœniteat Deus, atq; ab ingenti illa pœnitentia nos liberet? Tamen quod noſtri muneris eſt non negligamus. Et ſi quidem ille aperuerit, benè eſt. Si verò aliter, benedictus Dominus, iuſtè excluſit nos. Veruntamen perſeueremus pulſantes vſq; ad finem vitæ noſtræ. Forſitan improbitati noſtræ, ac perſeuerantiæ cædens aperiet; benignus quippe, & miſericors eſt. His atq; huiuſmodi ſeipſos exhortantes, atque excitantes, aiebant: Curramus, fratres, curramus; curſu enim opus eſt, & vehementi curſu, quoniam à cœtu noſtro decoro, atque optimo excidimus. Curramus, neq; huic carni noſtræ fordidæ, atq; nequam parcamus, fratres, ſed occidamus illam, ſicut priùs occidit nos. Sic beati illi rei faciebant, & dicebant.

Genua illis ex perpetuo orationis vſu obcalluerant. Oculi defecti, atq; defatigati, intus profundè receſſerant, pilis omnibus ciliorum amiſsis. Genæ ardentium feruore lachrymarum aduſtæ videbantur. Facies marceſcentes, ac pallidæ ſqualebant, nihil q; à mortuis in comparatione differebant. Pectora

tunſionum ictibus dolebant, guttas'que ſanguinis ex crebris illiſionibus emittebant. Vbi lecti vſus? Vbi indumenti munditia, & firmitas? Omnia ibi diſciſſa erant, & ſordida, ac pediculis operta. Quid autem eſt eorum, qui à dæmonibus arripiuntur, ſi illis conferatur, afflictio? Quid mortuos plangentium amaritudo? Quid mœror in exilio degentium? Quid parricidij reorum pœna? Nihil ſanè eſt illorum pœna, ſupplicium'que, quo inuiti afficiuntur, ſi voluntariæ iſtorum pœnæ conferantur. Sed quæſo, fratres, ne ea, quæ dicta ſunt, fabulas exiſtimemus.

Rogabant nonnunquam iſti magnum illum iudicem, paſtorem dico, inter homines Angelum, vt ferrum, ac torques collo, & manibus imponeret, pedes'que patientium conſtringeret ligno, nec eos priùs inde ſolueret, quàm ſepulchrum ſuccederet. Immò verò nec ſepulchrum quidem. Neque enim profectò hanc quoque beatorum illorum reuera mirabilem ad Deum charitatem, atque pœnitentiam abſcondam. Quoties ad Dominum profecturi, & incorrupto tribunali Iudicis ſiſtendi erant, felices illi regionis pœnitentium ciues, hoc per eum, qui ſibi præerat, adiurantes à magno illo ſummis precibus petebant, ne ſepultura humana dignarentur, ſed brutorum inſtar, aut fluuialibus vndis traderentur, aut in campum proiecti beſtijs deuorandi permitterentur. Quod etiam nonnunquam fecit illorum precibus obtemperans diſcretionis lucerna, iubens illos omni pſalmodia, omni'que honore priuatos proijci.

Cùm vero extrema illorum hora adueniſſet, terribile omnino, miſerandum'que ſpectaculum cerneres. Nam cùm eum, qui ſe præcedebat, efflare iam animam ſenſiſſent, ſocij adhuc ſenſu integro vigente, circunſtabant illum, ſiti'que æſtuantes, & lugentes, ac deſiderio pleni, miſerabili omnino habitu, mœſtiore'que ſermone capita ſua commouentes, efflantem iam animam interrogabant, miſericordia'que flagrantes aiebant ad illum: Quid eſt, frater? Quo'nam modo tecum agitur? Quid dicis? Quid ſperas? Quid ſuſpicaris? Percepiſti'ne ex labore tuo quod quærebas, aut non valuiſti? Perueniſti ad portum, aut nondum potitus es ſpe tua? Accepiſti certam aliquam fiduciam, an adhuc incerta ſpe fluctuas? Conſecutus es libertatem, an agitatur, ambigit'que cogitatio? Senſiſti aliquam in corde tuo lucem, an tenebris adhuc, & ignominiæ confuſione plenum eſt? Vlla'ne tibi vox intrinſecus facta eſt, dicens: Ecce ſanus effectus es, aut dimittuntur tibi peccata tua, aut fides tua te ſaluum fecit? Illam'ne tibi adhuc vocem audire videris, qua dicitur: Conuertantur peccatores in infernum: &, Ligatis manibus, & pedibus, mittite illum in tenebras: &, Tollatur impius, ne videat gloriam Dei? Quid ais, frater? Dic nobis, oramus, vt & ſcire poſsimus, quid'nam illic maneat nos. Tuum quippe tempus iam clauſum eſt, aliud'que de cætero in æternum non inuenies. Ac quidem alij dormientium; Benedictus aiebant, Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Alii verò illud gementes dicebant: Forſitan pertranſibit anima noſtra aquam intolerabilem. Quod nondum confidentes aiebant, ſed conſiderantes quàm ſit pauendum illud terribile, incertum'que iudicium. Alij verò etiam mœſtius quiddam reſpondebant, ac dicebant: Væ animæ illi, quæ non ſeruauit 19 profeſsionem ſuam integram, & immaculatam, hæc enim hora ſciet, quid illi præparatum ſit. Quæ ego omnia cùm apud illos audiſſem, & vidiſſem, parum abfuit, quin deſperatione abſorberer, cùm meam intuerer malitiam, & negligentiam, eam'que ſanctorum illorum afflictioni compararem.

19 Nota contra eos, qui profeſsionē ſuā integram, & immaculatā non ſeruant.

Quæ'nam verò, qualis'ue erat eius loci facies, & habitatio? Tota tenebroſa erat, informis, fœtida, ſordida, ſqualida. Carcer enim, & condemnatio rectiſsimè appellabatur. Ipſa denique vel ſola loci contemplatio, perfectæ pœnitentæ, ac luctus magiſtra erat. Sed ea, quæ aliis difficilia, atque impoſsibilia videntur, eis, qui virtute, ac ſpiritalibus diuitiis ſe excidiſſe meminerunt, grata ſunt, & amabilia, fit'que eorum perfacilis aſſumptio. Anima enim, quæ priori confidentia priuata, ſpe conſequendæ beatæ tranquillitatis excidit, ſigillum'que caſtitatis aperuit, ac diuitiis gratiarum ſpoliata, & diuina conſolatione deſtituta eſt, pactum'que, & placitum Domini violauit, ac extinxit iam in ſe decorum lachrymarum ignem, quoties horum memoria tangitur, quæ ſua negligentia ſe amiſiſſe retinet, acerrimo 20 dolore compuncta, & vulnerata, non ſolùm quos prædiximus labores, cum omni ſtudio, & alacritate ſuſcipit, verùm etiam ſeipſam mactare per exercitationis magnitudinem contendit, ſi tamen in illa charitatis, ac timoris Domini fauilla vlla derelicta eſt.

20 Verus pœnitens & acerrimo dolore pro cõmiſsis peccatis cõpungitur, & magna pro eiſdem ſatiſfactione gratuatur.

Huiuſmodi profectò erant beati illi. Hoc enim ſecum in animo voluentes, virtutis'que, qua exciderant, altitudinem conſiderantes; Memorati ſumus (aiebant) dierum antiquorum, igniti'que illius ſtudii noſtri. Alii ad Dominum clamabant: Vbi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ, quas oſtendiſti animæ noſtræ in fortitudine tua? Memor eſto opprobrii, & laboris ſeruorum tuorum. Alius autem; Quis me ponat, aiebat, ſecundum menſem dierum meorum priorum, in quibus me cuſtodiebas Deus, quando lucebat lucerna lucis eius ſuper caput cordis mei? Sic'que priores omnes virtutes ſuas memorabant, atque pro iſtis infantium more plorabant, dicentes: Vbi eſt orationis puritas, vbi huius certiſsima fiducia? Vbi dulces lachrymæ in amaritudine? Ecce, vbi ſunt? Vbi intimæ munditiæ, & caſtitatis ſpes? Vbi beatiſsimæ, ac placidiſsimæ quietis expectatio? Vbi ſyncera ad paſtorem fides? Vbi orationis illius in nobis efficacia, & virtus? Perierunt iſta omnia, & quaſi nunquam viſa ſint, defecerunt, vt'que nunquam fuerint, ita deleta ſunt, & perdita. Iſta cum gemitu, & lamentatione alii proſequebantur, alij verò vt à 21 dæmonio arriperentur, orabant. Alij vt in morbum inciderent, precibus à Domino poſcebant. Plurimi oculos amittere, miſerandum'que omnibus ſpectaculum fieri optabant. Nonnulli paralytici fieri, & languorem corporis contrahere, ſolùm ne futura ſupplicia experiri cogerentur, cupiebant. Ego autem, ò amici, neſcio quo pacto diutius inter lugentes verſatus, toto'que animo in illorum admirabili compunctione ſuſpenſus, meipſum quoque à lachrymis continere non potui.

21 Non credas hos patres ex deſperatione hæc dicere, aut quòd animas ſuas à dæmonibus auferri vellent, & ad perpetuam damnationẽ detrudi, ſed ex deſiderio energuminos, & arreptitios euadendi, vt hanc pœnam in hoc mũdo potiùs paterẽtur, quàm in futuro æterna ſupplicia.

Sed vt ad id, vnde aberrarat, redeat oratio, cùm triginta dies in cuſtodia illa perſeueraſſem, impatiens in magnum illud cœnobium, ad magnum patrem reuerſus ſum, qui vt me aſpexit immutata facie, totum'que veluti attonitum, agnouit ſapientiſsimus immutationis cauſam, & ait ad me: Quid eſt, pater Ioannes? Vidiſti'ne laborantium certamina? Ad quem ego: Vidi, inquam, pater, vidi & admiratus ſum, feliciores'que exiſtimaui, qui poſt lapſum ita lugent, quàm qui nunquam lapſi ſunt, & ſeipſos non ſic deflent. Illis enim ruina ſua, cauſa fuit beatiſsimæ, ac tutiſsimæ reſurrectionis. Tum ille; Sic (inquit) eſt; ac protinus adiecit veraciſsima illius lingua: Erat hîc ante decem annos frater quidam nimium ſolicitus,

atq; ſtudioſus, talis'q; operationis, vt cùm ego illum cernerem ita ſpiritu feruentem, tremere cœperim, illi'que à diaboli inuidia nimium metuere, ne fortè dum vehementiùs currebat, offenderet ad lapidem pedem ſuum, quod ferè eis euenire ſolet, qui celeriùs vadunt. Quod & factum eſt. Cùm verò profundo veſpere egrederetur ad me, nudat vulnus, quærit emplaſtrum, petit cauterium, perturbatur vehementiùs. At cùm medicum aſpiceret, ſe vti duriùs nolentem (erat enim miſeratione dignus) proiecit ſe in pauimentum, apprehendit pedes, multis'q; illos lachrymis vbertim rigans, petijt ſe ad eam, quam vidiſti, cuſtodiam damnari, impoſsibile eſſe clamans illuc non proficiſci. Quid multa? Egit vi ſua, vt clementia medici in duritiam verteretur. Quod in languentibus petrarum eſt, atq; omnino mirabile. Aduolat ocyus ad pœnitentes, additur'q; illis ſocius ad luctum promptus, atq; mœroris particeps. Igitur doloris gladio percuſſus in corde, quem diuina charitas acuerat, octauo, poſtquam eò peruenerat, die migrat ad Dominum, id petens, ne ſepultura frueretur. Quem ego vt ſanè digniſsimum & huc retuli, & in patrum ſepulchro ſepeliui. Nam & poſt ſeruitutis ſeptimum, octauo die liber euaſit. Nec defuit qui id certiſsimè cognoſceret, non illum ante à ſordidis, & vilibus pedibus meis reſurrexiſſe, quàm ſibi Deus propitius ignoſceret. Nec mirum ſanè, ſumpta enim in corde illius meretricis fide, eadem & ipſe ſpe & confidentia lachrymis pedes meos inutiles rigauit. Omnia verò poſsibilia eſſe credenti Dominus prædixit. Vidi impuras animas corporum amoribus ad inſaniam vſq; ſeruientes, quæ ex amoris experimento, ſumpta occaſione pœnitentiæ, eundem amorem tranſtulerunt ad Dominum, omni'q; protinus timore reiecto, in Dei charitatem inexplicabiliter amplectendam incitatæ ſunt. Quocirca pudicæ illi meretrici non dixit, quia timuit, ſed quia dilexit multum, potuit'q; facilè amore amorem repellere.

Non autem ignoro, admirabiles viri, fore, vt iſta quibuſdam videantur incredibilia, alijs verò ad credendum difficilia, nonnullis etiam deſperationem ſapientia quæ modò enarraui beatiſsimorum illorum certamina. Porrò vir fortis ex his ſtimulum magis, igneum'q; iaculum ſumpſit, zeli'q; conceptum feruorem in corde ferens abijt. At qui illo alacritate minor eſt, cognita imbecillitate ſua, atque ex hac cognitione, & reprehenſione ſui facilè humilitatem poſsidens, poſt primum cucurrit, neſcio an apprehenderit. Vir autem negligens, iſta quæ dicta ſunt, ne audiat quidem, ne fortè id modicum, quod interim operatur, omnino deſperans diſsipet, compleatur'q; in illo, quod Dominus dicit: Ab eo autem, qui non habet, alacritatem ſcilicet, & ipſum quod habet, auferetur ab eo. Fieri non poteſt, vt qui in lacum cecidimus iniquitatum, inde vnquam emergamus, niſi nos in abyſſum humilitatis pœnitentium deijciamus. Alia adhuc peccantium in conſcientia reprehenſio, & alia quæ perfectis per Dei operationem prouenit diues, ac lætifica humilitas. Alia eſt triſtis mœrentium humilitas. Ne, quæſo, hanc tertiam verbis inuenire ſtudeamus, alioquin inaniter errabimus.

EX GRADVS SEXTO IOANNIS CLIMACI DE MEMORIA MORTIS.

QVEM FRVCTVM IN NOBIS PARIAT ASSIDVA MORTIS MEDITATIO. ET DE QVIBVSDAM MONACHIS, QVI HVIC STVDIO ASSIDVE' INCVMBEBANT.

CAP. I.

PROBATVS ille eſt, qui mortem diebus ſingulis expectat, ſed ille ſanè ſanctus, qui hanc horis ſingulis deſiderat. Monachus quidam Aegyptius mihi aliquando narrauit, quòd cùm in intimo corde memoriam mortis penitus fixiſſet, velletq́; aliquando neceſsitate vrgente, carnis huius luto ſolatij quiddam indulgere, ab huiuſmodi memoria velutià quodam iudice prohibitus ſit; quòdq́; mirabilius eſt, cùm vehementer vellet hanc memoriam expellere à ſe, non potuerit. Alius quidam hîc iuxta commanens loco, qui Cellas dicitur, ex huiuſmodi ſæpè cogitatione repente obſtupeſcebat, ac animo deficiens, veluti inſenſibilis fiebat, repertusq́; à fratribus, nonnunquam ab eis, vt qui ferè efflaſſet animam, baiulabatur. Non omittam etiam ſolitarij illius, qui in Choreb habitabat, referre hiſtoriam. Hic cùm diutiùs negligentiſsimè vixiſſet, nullamq́; animæ ſuæ curam penitus haberet, morbo tandem comprehenſus, ad extrema deductus eſt. Cùmq́; iam corpore perfectè migraſſet, poſt vnam horam in ſeipſum redijt, orauitque nos omnes, vt inde protinus abſcederemus. Itaq; cellæ aditu lapidibus obſtructo, permanſit

intus annis duodecim, nulli omnino quicquam loquens, nec aliud quicquam præter panem, & aquam deguſtans. Sedens autem ea tantùm, quæ in exceſſu viderat, attonitus voluebat, atq; in his adeò fixo ſemper erat cogitatu, vt nunquam iam vultum immutaret, ſed ſemper ſic attonitus perdurans, vim lachrymarum feruentium tacitus profunderet. Cùm verò iam morti eſſet proximus, rupto, ac patefacto aditu, ingreſsi ſumus. Cùm'q; ab illo doctrinæ verbum ſupplices inquireremus, hoc ab illo tantummodo audiuimus: Ignoſcite mihi. Nemo, qui reuera mortis memoriam agnouerit, peccare vnquam poterit. Nos verò nimium mirati ſumus, intuentes eum, qui priùs ita negligens

22 fuiſſet, repente mutatum, ac beatiſsima transformatione alterum effectum. Illo igitur in proximo cœmeterio ſepulto, cùm poſt dies aliquot 22 ſacras illius reliquias requireremus, non inuenimus, Domino in hoc quoq; nos certiores faciente ſolicitæ illius, & accuratæ, laudabilisq; pœnitentiæ, atq; omnibus fiduciam præſtante, qui etiam poſt ſummam vitæ negligentiam ſeipſos emendare norunt. Sicuti enim abyſſum quiddam infinitum eſſe diffiniunt (locum enim ſine fundo eam vocant) ita & mortis intenta cogitatio, ineffabilem, & incorruptam caſtitatem, atq; operationem parit. Quod firmatur facto huius, quem modo memorauimus, Iuſti.

Cùm ſacras illius reliquias requireremus, non inuenimus.

EX

EX GRADV SEPTIMO IOANNIS CLIMACI DE LVCTV GAVDII ORIFICE.

QVOMODO LVCTVS, ET COMPVNCTIO LAETITIAM IN ANIMO PARIAT, ET DE TERRIBILI DISCVSSIONE STEPHANI MONACHI, DVM IN ANGVSTIA MORTIS VERSARETVR.

CAP. I.

EQVIDEM ipſam compunctionis vim conſiderans ſtupeo, quo'nam modo ea, quæ luctus, & mœror dicitur, gaudium intrinſecus, & lætitiam, veluti mel, & fauum, comeſta poſsideat. Quid igitur ex hoc nobis innuitur? Id profectò, quod propriè Dei donum huiuſmodi compunctio eſſe pro confeſſo habeatur. Eſt tunc in anima iucunda voluptas, Deo latenter mœſtos, & contritos corde conſolante. Verùm vt occaſio efficaciſsimi luctus, dolorisq; perutilis non deſit, hiſtoriam omnino miſerabilem ad ædificationem animarum referre libet. Stephanus quidam hoc in loco habitans, ſolitariam, & quietam vitam adamauerat. Hic cùm annos plurimos in monaſtico certamine egiſſet, ieiunijs'que maximè, & lachrymis eſſet ornatus, alijsq; præterea virtutum priuilegijs floreret, cellulam ad radicem montis, in quo ſacram illam, diuinam'q; viſionem ſpeculatus olim fuerat Elias, ſibi conſtruxerat. Hic igitur tam venerandus moribus, intentione maioris, laborioſiorisq; pœnitentiæ, profectus eſt ad Anachoretarum locum, cui Fides nomen erat. Quo in loco cùm annos aliquot arctiſsimo vitæ inſtituto peregiſſet (erat enim hic locus ab omni conſolatione mortali penitus remotus,

omnibusq́ penè hominibus inuius, nam ſeptuaginta ferè millibus paſſuum ab omni humana habitatione diſiunctus erat) rurſus extremo vitæ tempore redije, cupiens in cellula ſua priore ſancti illius montis habitare. Erant autem ibi duo ex Palæſtina diſcipuli, admodum religioſi, qui etiam prius obſeruabant cellulam ſenis. In qua cùm paucos egiſſet dies, languorem incurrit, ex quo & mortuus eſt. Igitur ante vnum exitus ſui diem repente animo obſtupuit, apertisq́ oculis ad dexteram, atq; ad ſiniſtram partem lectuli circunſpiciebat, & quaſi rationem quidam à ſe exigerent, cunctis, qui aſtabant, audientibus aiebat, aliquando quidem: Ita ſanè; Sic reuera eſt; ſed pro hoc tot annis ieiunaui. Aliquando verò: Non certè, ſed mentimini; hoc non feci. Deinde rurſus: Ita verè eſt; hoc ita eſt; ſed fleui, ſed miniſtraui. Ac rurſus: Verè me accuſatis. In quibuſdam etiam aliquando aiebat: Ita ſanè, & quidem ad hæc quid dicam non habeo, ideo miſericordia opus eſt. Et erat profectò ſpectaculum horrendum, ac terrificum, inuiſibile illud, ſæuiſsimumq́; iudicium, in quo etiam (quod terribilius eſt) & quod non fecerat illi obijciebant (me miſerum) quietis, ac ſolitudinis ſectatori. In nonnullis verò peccatorum ſuorum quid ad ea reſpondere poſſet ſe non habere dicebat, qui iam ferè quadraginta annos monachus fuerat, & lachrymarum gratiam habuerat. Væ, væ, vbi'nam erat Ezechielis vox, quam illis obijceret: In quacunque hora ingemuerit peccator, ſaluus erit? Et illud: Quia in quo te inueniam, in eo te iudicabo; dicit Dominus? Verè nihil huiuſmodi reſpondere potuit. Cuius rei gratia illi gloria, qui ſolus agnouit. Quidam verò mihi veraciter affirmauerunt, quòd hic, dum eſſet in eremo, leopardum quoque ex manu ſua nutriebat. Hic ipſe tamen, cùm adeò infeſtè ratio à ſe exigeretur, carne ſolutus eſt, quod iudicium, quis terminus, quæ ſententia, quis rationis eius finis fuerit, incertum penitus relinquens.

EX GRADV VNDECIMO IOANNIS CLIMACI DE LOQVACITATE.

DE TACITVRNITATE DOMINI IESV, ET LOQVACITATE PETRI, ET VNDE ORIATVR LOQVACITATIS VITIVM.

CAP. I.

QVI peccata ſua cognoſcit, continet linguam ſuam; qui verò loquax eſt, nondum ſeipſum, vt oportet, agnouit. Studioſus ſilentij appropiat Deo, ipſiq́; iugiter in abdito cordis aſsiſtens, illuſtratur ab eo. Ieſu ſilentium admirationi, & reuerentiæ Pilato fuit, illiusq́; quieta, & ſilens vox profligauit inanem gloriam. Verbum dixit Petrus, & fleuit amarè, quia illius immemor fuit, qui ait: Dixi cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea: alteriusq́; dicentis: Melius eſt è ſublimi cadere in terram, quàm ex lingua cadere. Audiui autem aliquando virum quendam, cuius apud me plurimum valebat auctoritas, cùm de ſolitudinis quiete loqueretur, aſſerentem, loquacitatem ex vno horum penitus gigni, aut ſcilicet ex peruerſa, & iniqua, intemperantiæq́; conſuetudine (Lingua enim membrum corporis cùm ſit, à quo iam erudita fuerit, eius conſuetudinem requirit) aut rurſus in his, qui in certamine ſunt, maximè ex inani gloria, nonnunquam verò ex ingluuie ventris. Quocirca plurimi ſæpè cùm frenarent ventrem, violentia iam, ac debilitate quadam, & linguam, & eius verboſitatem concluſerunt. Qui curam ſui exitus gerit, circuncidit verba; & qui poſsidet animi luctum, vt ab igne, ita fugit à loquacitate.

EX GRADV DECIMOQVINTO IOANNIS CLIMACI, DE INCORRVPTIBILI CASTITATE.

QVOD IN ALIQVO CARNALIS FORNICATIO, HAERESIS CRIMINE MAIOR APPAREAT.

CAP. I.

VIR quidam ſcientiſsimus problema terribile quæſiuit ex me; Quod, inquiens, peccatum omnibus grauius eſt, homicidio, Chriſtiq; abnegatione, exceptis? Cumq; illi reſpondiſſem: In hæreſim labi: Et quonam, inquit, modo catholica Eccleſia hæreticos quidem, cum hæreſim priorem toto animo repudiauerint, atque anathematizauerint, ſuſcipit ad ſanctorum myſteriorum communionem, & ut idoneos admittit, cum verò, qui in fornicationem lapſus fuerit, confitentem, atq; peccatum ipſum omnino deſerentem, introrſus ſuſcipiens, per annos aliquot à 23 venerandis, immaculatisq; myſterijs ex traditione Apoſtolica ſeparari iubet? Hac ego ambiguitate percuſſus ſtupui, ambiguumq; illud permanſit ambiguum.

23 Nota veneranda, immaculataq; myſteria, ſanctiſſimam appellari Euchariſtiã. Nota etiã fornicario pœnitẽti ex Apoſtolica traditione per aliquot annos interdici ſacram cõmunionẽ.

QVAE SINT CAVSAE NOCTVRNARVM ILLVSIONVM, ET POLLVTIONVM.

CAP. II.

SVNT nonnulli, qui ſola ciborum cauſa huiuſmodi bella aduerſum nos excitari, atq; obſcœni humoris profluuium fieri putant, & aſſeuerant;

ego autem extrema fatigatos ægritudine, & ad ſummum ieiunantes, validè huiuſmodi aſpergine fœdari cognoui. Interrogaui ergo aliquando probatiſsimum quendam hac diſcretionis gratia ornatum monachum, quid de ijs ſentiendum eſſet; mihiq; admodum lucidè beatus ille reſpondit. Eſt, inquit, in ſomnis quædam ſeminis emiſsio, quæ ex ciborum multitudine, & requie eſt. Eſt alia, quæ ex ſuperbia contingit, cùm ſcilicet diutius mundi à fœda hac aſperſione perſtiterimus, & per hoc in ſuperbiam efferimur. Fit rurſus plerunque, cùm iudicamus, atq; condemnamus proximum. Horum, inquit, generum duo contingere etiam infirmis poſſunt, fortaſsis & omnia. Porrò ſi quis ſeipſum prædictis omnibus cauſis mundum eſſe conſpicit, hic ex huiuſmodi tranquillitate beatus eſt. Qui verò ex dæmonum inuidia id patitur, Deo id fieri ad tempus permittente, fit, vt per hanc calamitatem, quæ ſine peccato eſt, altiſsimam tutò poſsideat humilitatem. Nemo nocturna phantaſmata, quæ in ſomnis viderit, per diem ſecum voluere, ac retractare velit. Id enim dæmones idcirco moliuntur, vt ex huiuſmodi ſomnijs vigilantes inquinent.

QVOD EX PVLCHRITVDINE CORPORVM ASCENDERE DEBEAMVS COGITATIONE AD CONSIDERANDAM PVLCHRITVDINEM OPIFICIS DEI.

CAP. III.

MIRABILE mihi quidam, ſupremumq; caſtitatis inſinuauit culmen. Quidam, aiebat, cùm pulchritudinem, atq; venuſtatem intueretur corporum, ex ea admonitus, magnificè glorificabat opificem, atq; ex ſolo huiuſmodi ſpectaculo in amorem Dei, fontemq; lachrymarum excitabatur. Eratq; ſtupor ingens, videre quod alteri fouea ruinæ fuiſſet, id alteri coronarum cauſam præter naturam fieri. Huiuſmodi verò ſi ſemper hoc ſenſu, atq; actione perdurat, ante communem reſurrectionem iam in incorruptionem tranſijt. Eadem regula & in melodijs, & canticis vtemur. Nam hi quidem, qui Deum diligunt, in hilaritatem, diuinamq; dilectionem, atq; in lachrymas, & ex mundanis, & ex ſpiritualibus canticis excitari ſolent; contra autem qui voluptatibus addicti ſunt, vndique ſibi perditionis materiam colligunt.

EX IOANNE

DE FRATRE, QVI APVD LOCA NECESSARIA NATVRAE ORATIONIBVS PVGNABAT CONTRA IMMVNDAS COGITATIONES.

CAP. IIII.

CVM aliquando in congregatione quadam eſſem, notaui ſolicitum, atque ſtudioſum fratrem, dum à malis cogitationibus moleſtiam pateretur, nec inueniret illic locum idoneum orationi, ad naturæ neceſſaria, ſimulata neceſsitate, exiſſe, atque illic aduerſus hoſtes validiſsima oratione conflixiſſe. Cum verò loci indignitate ego permouerer; Cur, inquit ille, loci huius, quaſi minus idonei, te facies mouet? Perſequebantur me immundæ cogitationes, ego in loco immundo, vt ſordibus mundarer, oraui.

EX GRADV VICESIMOPRIMO IOANNIS CLIMACI DE CENODOXIA.

DE TENTATIONE SVPERBIAE ET INANIS GLORIAE A QVODAM SVPERATA, ET QVOMODO INANIS GLORIA SIT SVPERBIAE MATER DECLARATIO.

CAP. I.

NOTAVIT quidam ex his, qui videre acutiùs poterant, narrauitq́; quod viderat. Cùm ſederem, inquit, in cœtu quodam, aduenientes ad me cenodoxiæ, & ſuperbiæ dæmones, iuxta me ex vtraq; parte ſederunt, & vnus ex his quidem digito ſuo leuiter pulſauit latus meum, hortans vt aliquid, quod ad contemplationem pertinet, ſiue opus quodlibet in deſerto à me geſtum loquerer. Quem cùm à me expuliſſem, dicens: Conuertantur retrorſum, & erubeſcant, qui mala cogitant mihi: protinus is, qui à ſiniſtris erat, ad aurem mihi dixit: Eia benè feciſti, magnusq́; effectus es, quippe qui impudentiſsimam matrem meam viceris. Ad quem ego ritè ſequentes verſus aſſumens, dixi: Auertantur ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi, Eia benè feciſti. Eundem ego cùm interrogaſſem, quomodo inanis gloria ſit ſuperbiæ mater, ita reſpondit: Laudes animam eleuant, & inflant. Porrò cùm anima ad elationem venerit, iam tunc illam ſuperbia aſſumens, in cœlum vſque attollit, & vſq; ad abyſſos deijcit.

EX GRADV VICESIMOTERTIO IOANNIS CLIMACI DE INEFFABILIBVS COGITATIONIBVS BLASPHEMIAE.

QVOMODO BLASPHEMIAE TENTATIONEM MONACHVS QVIDAM A SE EXPVLERIT.

CAP. I.

MONACHVS quidam ſtudioſus cùm à blaſphemiæ tentatione perturbaretur, ad viginti annos carnem ſuam ieiunijs, & vigilijs macerare non deſtitit. Cùm verò nullam vtilitatem ſe inde cœpiſſe ſentiret, profectus conſcriptam in charta perturbationem, ac tentationem ſuam ſancto cuidam, ac probatiſsimo ſeni obtulit, in faciem proſtratus, nec illum intueri valens. Vt autem legit ſenior, ſubriſit, fratremq́ erigens dixit: Pone, fili, manũ tuam ſuper oculum meũ. Quod cùm feciſſet, ait illi ſenior. Super collum meum ſit, frater, hoc peccatum, quotquot annis te oppugnauerit, vel oppugnaturum ſit. Tu autem id obſerua, vt hoc iam floccipendas, & nihil æſtimes. Quibus verbis ita roboratus eſt frater, vt non ante è cella ſenis excederet, quàm huiuſmodi morbus euaneſceret. Hoc autem is, qui expertus eſt, mihi poſtea enarrauit, Deo gratias referens.

EX GRADV VICESIMOQVINTO IOANNIS CLIMACI DE HVMILITATE.

QVOMODO QVIDAM PATER SANCTVS ARGVTO QVODAM RESPONSO DAEMONES ILLVM TENTANTES EXPVLIT.

CAP. I.

QVENDAM probatiſsimum, & diſcretione maximè ornatum fratrem aſtantes dæmones, ita vt oculis eius apparerent viſibiliter, beatum illum prædicabant. Ad quos ille ſapientiſsimè: Si quidem me in mentis, ac animæ cogitationibus laudare deſtiteritis, ex diſceſſu veſtro magnum me exiſtimabo; ſin verò me laudare non deſinitis, ex laudibus veſtris fœditatem meam conijcio. Immundus quippe eſt apud Deum omnis ſublimis corde. Aut igitur abite, & magnus factus ſum, aut, ſi placet, laudate, & ampliorem veſtri cauſa acquiram humilitatem. Mox'que illi ancipiti verbo ſtupefacti euanuerunt.

DE ALTERO, QVI PIO COMPENDIO DAEMONES EVM TENTANTES VICIT.

CAP. II.

QVIDAM fortiſsimo athletæ Chriſti, qui ad hanc beatiſsimam virtutem feſtinabat, impuri dæmones laudem in corde ſubſeminabant. At ille diuina inſpiratione, malignorum ſpirituum nequitiam pio, & religioſo compendio vincere aggreditur. Deſcribit in cellulæ pariete altiſsimarum virtutum appellationes, puta perfectæ charitatis, Angelicæ

humilitatis, mundiſsimæ orationis, incorruptibilis caſtitatis, & huiuſmodi virtutum reliquarum. Cùm ergo illum cogitationes extollere cœpiſſent, dicebat illis: Eamus ad arguentem. Aduenienſq́ relegebat appellationes illas, ſibiq́ ipſi clamabat: Cùm has omnes poſſederis, tunc ſcies quàm longè adhuc à Deo ſis. Cùm enim eas poſſederis, ſeruus eris inutilis, feciſti enim quod facere debuiſti.

QVIS SIT HVMILITATIS GENITOR.

CAP. III.

CVM quidam huius aliquando virtutis pulchritudinem in corde ſuo fuiſſet intuitus, ſtupore comprehenſus, orabat, vt eius, qui illam genuerat, appellationem mereretur addiſcere. Ad quem illa clara, ac nitenti facie ſerenè ſubridens; Quoniam, inquit, genitoris mei nomen addiſcere feſtinas, cùm ſit ipſe ſine nomine non tibi id dicam, donec poſsideas Deum.

OCTAVI TOMI PARS SECVNDA.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS BERGOMENSIS

SYNCERO LECTORI.

ANCEPS diu fui, benigne lector, huic'ne operi inſerere deberem, quæ Ioannes Caſsianus monachus Galliarum de nonnullorum ſanctorum vitis obiter in ſuis operibus, & cultiori quidem ſcripſit ſtylo. Hinc enim ſolicitabant pulcherrima admirabilium virorum exempla, quæ præterire nefas putabam (Si tamen virorum, & non potius Angelorum nomine hi digni habendi ſunt, qui carnem ſuam cum vitijs, & concupiſcentijs crucifixerunt, & perfectam in ſeipſis mundi abdicationem oſtenderunt) illinc verò me retrahebat ſeuera ſanctæ matris Eccleſiæ cenſura, quæ huius patris opuſcula inter apocrypha adnotauit, ac (quod longè deterius eſt) inter ea fortè, quæ ab hæreticis ſunt conſcripta. Noſti probè ſanctum Canonem inter Patrum decreta inſertum. Cùmq; incertus, & dubius animi mecum ipſe conflictarem, ſumpſi in manus diui Proſperi Aquitanici Regienſis Epiſcopi libellum contra Collatorem inſcriptum, in quo hominem hunc notat, de gratia Dei, & libero arbitrio quædam temerariè, ac contra ſanctæ Eccleſiæ diffinitiones ſentientem, locum adducens, & illum diligēter examinans ex Collatione Abbatis Cheremonis tertia de protectione Dei. Ob quam rem, iudicio meo, & nullam fortè aliam ob cauſam factum reor, vt Eccleſia Catholica eum de bonorum auctorum catalogo eiecerit. Et hæc non ſolùm mea, ſed & Ioannis Tritthemij Abbatis Spanheimenſis viri doctiſsimi eſt ſententia. Quod vt ita credere adducar, compellit me tot præclarorum virorum auctoritas, miræ cum eruditionis, tum ſanctitatis, qui Caſsiani opera & legerunt intrepidè, & ad ſuorum ſcriptorum fidem confirmandam adduxerunt in medium, atq; ſuis etiam diſcipulis legenda mandarunt. Hi cùm viri fuerint Chriſtianiſsimi, & ſanctæ Apoſtolicæ ſedis obſeruantiſsimi, haud credo illos hoc facere auſos, niſi nullum piaculum eſſe duxiſſent, ſcriptoris huius operibus vti, modò à prædicta damnata Collatione, in qua erraſſe conuincitur, abſtinerent, & nulla inde teſtimonia deſumerent. Dices forſitan: Et qui ſunt viri illi celebres, qui eius ſcriptis vtuntur? Qui? Caſsiodorus in primis, inſignis ille ex ſenatore monachus, qui ſuper Pſalterio egregium volumen ædidit. Is enim ad fratres cœnobij ſui ſcribens, & ad huius

ſcripta perlegenda eos exhortans, ſic inquit: Caſsianum Presbyterum, qui conſcripſit de inſtitutione fidelium monachorum, ſedulò legite, frequenter au dite; qui inter ipſa ſancti propoſiti initia, octo principalia vitia dicit eſſe fugien da. Hic noxios motus animarũ ita competenter inſinuat, vt exceſſus proprios ho minem penè videre faciat, & vitare compellat, quos antea confuſione caligi nis ignorabat. Beatus item Dominicus prædicatorũ ordinis fundator egregius, & Romanæ Eccleſiæ obedientiſsimus filius, librum, qui Collationes patrum à Caſsiano inſcribitur, adeò ſtudioſè, ac vigilanter legiſſe fertur, vt eius lectio ne ad magnum perfectionis apicem peruenerit. Quis etiam diuo Thoma A quinate Romanis Pontificibus magis obediens? Quis eorum auctoritatem tam verbis, qu m ſcriptis magis tutatus eſt, ac defendit? Et tamen is in ſua illa verè aurea cathena ſuper quatuor Euangelia conſcripta, non'ne expoſitiones ex Collationibus patrum accitas toties in illa intertexuit? Vſi'ne eſſent viri iſti ſan ctiſsimi hoc libro, ſi hæreticus totus, vel reprobus haberetur? Minimè gen tium. Sed in qua parte is bonus eſt, admiſſus fuit; in qua malus (ea autem eſt ſupradicta Collatio de protectione Dei) reiectus eſt. Sic & de Origenis libris fe ciſſe videtur ſancta mater Eccleſia. Nam exploſis Periarchon, & alijs non nullis eiuſdem opuſculis, cætera ſine offenſione legi videmus, & audimus, & (quod magis mirere) contra hæreticorum inſanias adducere non veremur. O mitto Ioannem Climacum, diuum Benedictum tot monachorum parentem, beatum Bernardum Clareuallenſem Abbatem, & alios laudatiſsimos patres, qui huius viri ſcriptis vſi ſunt. Cùm ergo in his noſtris de ſanctorum vitis To mis, non de Eccleſiaſticis dogmatibus fiat diſputatio, ſed de iuſtorum moribus, conuerſatione, & exemplis tantùm agatur, pia quadam vſus confidentia, ex huius operibus, quæ ad inſtitutum tantummodo hoc facere viſa ſunt, excerpi, & huc aduexi, nihil penitus de prædicta Collatione tangens, in qua auctor à recto aliquantiſper deuiaſſe conuincitur; propter quod forſan & ſanctæ Eccle ſiæ, quæ tota pulchra eſt, & candida, atq; ſponſa Domini ſine macula, vel ruga, reprobatione eius opuſcula digna viſa ſunt. Hæc te præmonere ante libri ipſius lectionem operæpretium viſum eſt, nam à ſancta matre Eccleſia Romana, catholica, atq; Apoſtolica, cuius filius ſum, & pro cuius honore vſq; ad hanc ſenectutem pugnaui, & pro cuius tutanda maieſtate, atq; ampli tudine in maximis periculis, laboribus, & anguſtijs ſæpè verſatus ſum, ne tranſuerſum quidem (vt dicitur) vnguem di uertere mihi iam fixum eſt, atq; ſtatu tum. Lector, vale, & ſtu dium hoc noſtrum boni conſule.

EX LIBRO QVARTO IOANNIS CASSIANI DE INSTITVTIS RENVNCIANTIVM.

DE OBEDIENTIA ABBATIS IOANNIS, PER QVAM VSQVE AD PROPHETIAE PROFECTVS EST GRATIAM.

CAP. XXIII.

QVONIAM hic liber de inſtitutione eſt eius, qui renunciat huic mundo, per quam ſcilicet introductus ad humilitatem veram, & obediētiam perfectam, cæterarum quoq; virtutum culmina poſsit aſcendere, neceſſarium reor quædam ſeniorum geſta, quibus per hanc enituere virtutem, exempli gratia, ſicut promiſimus, explicare, de multis ad modūm pauca carpentes, vt ſtudentibus ſublimiora ſectari, non ſolūm incitamentum ex his vitæ perfectæ, ſed etiam propoſiti forma euidenter procedat. Quamobrem duos, vel tres pro libelli huius compendio de tam innumera patrum multitudine proferentes ponimus. Primum verò Abbatē Ioannem, qui commoratus eſt iuxta Lico, quod eſt oppidum Thebaidis, quiq; propter obedientiæ virtutem vſq; ad prophetiæ gratiam ſublimatus, ſic vniuerſo claruit orbi, vt etiam Regibus mundi huius merito ſuo redderetur illuſtris. Nam cūm in extremis (vt diximus) Thebaidæ partibus commaneret, non ante præſumebat Theodoſius Imperator ad præpotentium bella Tyrannorum properare, quàm oraculis illius animaretur, atq; reſponſis. Quibus confidens, velut cœlitus ſibi delatis, trophæa de bellis deſperatus, atque hoſtibus deportabat.

DE LIGNO ARIDO, QVOD IDEM ABBAS IOANNES AD ARBITRIVM SENIORIS SVI QVASI REVIRESCENDVM RIGARE NON DESTITIT.

CAP. XXIIII.

HIC itaq; beatus Ioannes ab adoleſcentia ſua vſq; ad perfectam, & virilem ætatem ſeniori deſeruiens, donec ille in huius vitæ conuerſatione durauit, tanta humilitate inhæſit eius obſequijs, vt ipſi quoq; ſeni ſtuporem ſummum obedientia eius incuteret. Cuius hanc virtutem vtrum de vera fide, ac profunda cordis ſimplicitate deſcenderet, an affectitia eſſet, & quodammodo coactitia, atq; ad imperantis faciem præberetur, volens manifeſtius explorare, quamplura ei etiám ſuperflua, minusq́ue neceſſaria, vel impoſsibilia frequentius iniungebat. Ex quibus tria ponam, per quæ manifeſtari poſsit volentibus ſcire, vel mentis eius, vel ſubiectionis integritas. Sumpſit itaq; de lignario ſuo ſenex virgultum, quod olim exciſum vſibus foci fuerat præparatum, dumq́; coctionis retardaret occaſio, non modò aridum, ſed propè putre iacebat temporis vetuſtate. Cùmq́; hoc coram ipſo fixiſſet in terram, præcepit aduecta aqua quotidie bis rigari, vt ſcilicet, & diurnis humoribus radicatum, atq; per aquam in arborem diffuſis ramis reuiuiſcens, amœnitatem oculis, atque vmbraculum in æſtu feruenti ſubter reſidentibus exhiberet. Quod [1] præceptum veneratione ſolita ſine vlla impoſsibilitatis conſideratione ſuſcipiens adoleſcens, ita quotidianis diebus expleuit vt aquam per duo fermè millia indeſinenter apportans, nullatenus lignum rigare ceſſaret, atq; per totum anni ſpatium non infirmitas corporis, non feſtiuitas ſolennis, non occupatio neceſsitatis vllius, quæ illum etiam honeſtè excuſaret ab executione mandati, non deniq; hyemis aſperitas intercedens ab huius obſeruatione præcepti potuerit impedire. Cùmq́; eius hanc ſedulitatem tacitus ſenex latenter diebus ſingulis exploraret, & videret eum ſimplicis cordis affectu mandatum ſuum, velut diuinitus emiſſum, ſine vlla permutatione vultus, vel rationis diſcuſsione ſeruare, ſynceram humilitatis eius obedientiam comprobans, pariter etiam miſerans tam longum laborem, quem per totum anni ſpatium ſtudio deuotionis impenderat, ad virgultum aridum accedens; Ò, inquit, Ioannes, miſitńe radices hæc arbor, an nòn? Cùmq́; ille ſe neſcire dixiſſet, ſenex velut inquirens rei veritatem, & tanquam tentans vtrum iam ſuis radicibus niteretur, euulſit coram ipſo leui commotione virgultum; ſicq́; proijciens illud, præcepit, vt deinceps rigare deſineret.

1 Vide miram iuuenis monachi obedientiam maximæ ſimplicitati adiunctam.

DE PROIECTO AB ABBATE IOANNE VASE VNICO OLEI AD SENIORIS IMPERIVM.

CAP. XXV.

ITAQVE cùm huiuſmodi exercitijs eruditus quotidie iuuenis in hac parendi virtute ſuccreſceret, & humilitatis eius eniteſceret gratia, atq; obedientiæ ſuæ ſuauis odor per monaſteria vniuerſa fragraret, quidam fratrum probationis, immò ædificationis obtentu venientes ad ſenem, cùm ſubiectionem eius, quam audierant, mirarentur, vocans eum repentè ſenex; Aſcende, ait, & ſumens lenticulam olei (quæ ſola in eremo ſuis, vel aduenientium vſibus liquorem pinguedinis tenuiſsimum miniſtrabat) 2
deorſum proijce per feneſtram. 2 Quam ille cùm ad ſuperiora concitus per- Ecce aliud
uolaſſet, per feneſtram proferens, comminuendam dimiſit ad terram, parum veræ obediē-
cogitans, vel retractans præcepti ineptiam, diurnam neceſsitatem, infirmita- tiæ exem-
tem corporis, penuriam ſumptuum, eremi ſqualentis anguſtias, ac difficulta- plum.
tes, in qua etiam ſi pecunia ſuppeditaret, nihilominus perdita ſpecies inueniri, reparariq; non poſſet.

QVEMADMODVM ABBAS IOANNES SVO OBEDIERIT SENIORI AD ADVOLVENDVM SAXVM, QVOD NE A MVLTIS QVIDEM POSSIBILE ERAT MOVERI.

CAP. XXVI.

ALIIS rurſum ædificari cupientibus obedientiæ huius exemplo, vocans eum ſenior; Curre, inquit, Ioannes, ſaxum illud huc aduolue 3
quantocyus. 3 Qui confeſtim ſaxum immane, quod turbæ multæ ho- Magnam, &
minum vel mouere non poſſent, applicita nunc ceruice, nunc toto pe- admirabilem
ctore, tanto niſu, atq; conatu prouoluere contendebat, vt ſudore omnium mem- hîc quoque
brorum ſuorum non ſolùm infunderet veſtimentum, ſed etiam ſaxum ipſum ſuis aduerte obe-
ceruicibus humectaret, in hoc quoq; parum metiens impoſsibilitatem præcepti, dientiam.
vel facti, pro reuerentia ſenioris, & obſequij ſimplicitate ſyncera, qua credebat tota fide ſenem nihil poſſe incaſſum, ac ſine ratione præcipere.

DE HVMILITATE, ET OBEDIENTIA ABBATIS MVTII, QVAM IN PROIICIENDO IN FLVVIVM PARVVLO FILIO EX PRAECEPTO SENIORIS NON HAESITAVIT IMPLERE.

CAP. XXVII.

HVCVSQVE Abbatis Ioannis pauca dixiſſe de multis ſufficiat. Nunc Abbatis Mutij factum memoria dignum comprehendam. Hic nanq; abrenunciare deſiderans huic mundo, tam diu pro foribus monaſterij excubans perdurauit, donec immobili perſeuerãtia ſua obtineret, vt cum filio ſuo paruulo, qui octo circiter erat annorũ, cõtra omnẽ conſuetudinẽ cœnobiorũ, ſuſciperetur. Cùm q; tandẽ recepti fuiſſent, confeſtim non ſolùm diuerſis præpoſitis traditi, verumetiã cellæ habitatione ſeiuncti ſunt, ne ſcilicet iugi viſione paruuli reminiſceret pater, ex omni ſua, quã renuncians abiecerat, facultate, & affectione carnali, ſaltem ſibi filium ſupereſſe; ſed quemadmodum ſe iam diuitem non eſſe ſciebat, ita etiam patrem ſe eſſe neſciret. Quod vt plenius probaretur, vtrum videlicet plus faceret affectionem ſanguinis, ac ſuorum viſcerum charitatem, an obedientiam, & mortificationem Chriſti, quam renuncians quiſq; pro eius debet amore præferre, de induſtria negligebatur paruulus; pannis potiùs, quàm veſtimentis indutus, ſordibus quoq; ita obſitus, ac fœdatus, vt offendere potiùs, quàm delectare paternos oculos poſſet, quotiens ab eo fuiſſet aſpectus; ſed etiam colaphis, atque alapis expoſitus diuerſorum, quas plerunq; ſub obtutibus ſuis innocenti paruulo cernebat inferri, ita vt nunquam genas eius niſi lachrymarum ſordentibus veſtigijs videret infectas. Cùm igitur taliter infans ſub oculis eius per dies ſingulos ageretur, pro amore nihilominus Chriſti, & obedientiæ virtute, rigida ſemper, atq; immobilia patris viſcera permanſerunt. Non enim iam reputabat ſuum filium, quem ſecum pariter obtulerat Chriſto, nec curabat de præſentibus eius iniurijs, ſed potiùs exultabat, quòd eas nequaquam infructuosè cernebat tolerari, parum cogitans de lachrymis eius, ſed de propria humilitate, ac perfectione ſolicitus. Hanc diſtrictionem mentis illius, atq; immobilem rigorem peruidens cœnobij ſenior, ad comprobandam penitus animi eius conſtantiam, cùm plorare quadam die vidiſſet infantem, ſimulans ſe aduerſus eum commotum, præcepit patri, vt tollens eum iactaret in flumen. Tum ille, velut à Domino ſibi hoc præceptum eſſet, cõfeſtim celeri curſu [1] rapiens filium, vlnis proprijs vſq; ad oram fluminis aduexit iactaturus. Quod profectò feruore fidei, & obedientiæ eius fuiſſet opere conſummatum, niſi procurati fuiſſent

[1] O stupendã, & inauditam ſancti patris obediẽtiam.

de induſtria fratres, qui ſolicitè ripam fluminis obſiderent, proiectum'que iam, & quodammodo de fluminis alueo paruulum rapuiſſent, & conſummationem præcepti obſequio patris, ac deuotione completam, ab effectu operis, atque ab ipſo fine reuocaſſent.

QVEMADMODVM REVELATVM SIT ABBATI DE PATRE MVTIO, OPVS EVM ABRAHAE FECISSE. ET QVOD DEFVNCTO EIDEM ABBATI IDEM PATER MVTIVS IN MONASTERII ADMINISTRATIONE SVCCESSERIT. CAP. XXVIII.

CVIVS fides,atq; deuotio in tantum Deo fuit accepta, vt diuino ſtatim teſtimonio comprobata ſit. Reuelatum nanq; eſt continuò ſeniori, hac eum obedientia Abrahæ Patriarchæ opus impleſſe. Cùm'q; breui tempore tranſacto idem Abbas cœnobij, de mundi huius commoratione migraret ad Dominum, hunc præponens cunctis fratribus,ſucceſſorem ſibi,atq; Abbatem monaſterio dereliquit.

DE OBEDIENTIA FRATRIS, QVI DECEM SPORTAS CIRCVNFERENS PVBLICE DISTRAXIT AD ABBATIS IMPERIVM. CAP. XXIX.

NON tacebimus etiam nobis cognitum fratrem, ſecundùm ſeculi huius ordinem, ſummæ familiæ. Nam patre Comite, ac ditiſsimo oriundus fuit, ſtudijs quoq; liberalibus non mediocriter inſtitutus. Qui relictis parentibus, cùm ad monaſterium peruolaſſet, ad comprobandam mentis humilitatem, vel fidei eius ardorem, confeſtim ei à ſeniore præceptū eſt, vt decem ſportas,quas neceſſe non erat publicè venundari, ceruicibus

ſuis onerans, diſtrahendas per plateas circunferret, adiecta conditione, qua diutiùs in hoc officio retineretur, vt ſi fortè vnus pariter omnes coëmere voluiſſet, non cederet, ſed ſingillatim eas quærentibus venundaret. 1 Quod ille tota deuotione compleuit, & omnis confuſionis verecundia, pro nomine, ac deſiderio Chriſti calcata, ſportas humeris ſuis imponens diſtraxit, pretioq; ac modo ſtatuto vendidit, ac pecuniam ad monaſterium reportauit, nequaquam perterritus tam vilis, & inſueti officij nouitate; nec conſiderans indignitatem rei, natalium'que ſplendorem, ac venditionis iniuriam, dum illam Chriſti humilitatem, quæ eſt vera nobilitas, per obedientiæ gratiam deſiderat obtinere.

1 Et hîc habes magnam obedientiam miræ humilitati adiũctam.

DE ABBATIS PYNVFII HVMILITATE, QVI RELICTO COENOBIO CELEBERRIMO, CVI PRESBYTER PRAEERAT, LONGINQVVM MONASTERIVM, IN QVO VELVT INCIPIENS SVSCIPERETVR, DESIDERIO SVBIECTIONIS EXPETIIT.

CAP. XXX.

COARCTAT nos libelli modus ad finem tendere, ſed obedientiæ bonum, quæ inter cæteras virtutes primatum tenet, non patitur nos eorum geſta, qui per hanc claruerunt, penitus ſilentio præterire. Propter quod vtrunq; congruè temperantes, id eſt, tam breuitati, quàm ſtudioſorum deſiderijs, atq; vtilitatibus ſeruientes, vnum adhuc ponemus humilitatis exemplum, quod non ab incipiente, ſed à perfecto, atq; Abbate completum, non ſolùm iuniores inſtruere, ſed etiam ſeniores ad perfectam humilitatis virtutem lectione ſua poterit incitare. Vidimus itaq; Abbatem Pynufium, qui cùm eſſet maximi cœnobij Presbyter, quod eſt in Aegypto non longe à Paneſiſi ciuitate, & pro ipſa reuerentia vel vitæ ſuæ, vel ætatis, vel ſacerdotij, cunctis honorabilis, ac venerandus exiſteret, videns ſe pro hoc ipſo humilitatem illam, quam ſecundùm ſuæ mentis ardorem concupierat, exercere non poſſe, nec habere quò virtutem deſideratæ ſubiectionis extenderet, clam fugiens de cœnobio, ſeceſsit ſolus in Thebaidos vltimas partes, ibiq; depoſito habitu monachorum, & aſſumpta ſeculari veſte, cœnobium Tabenenſiotarum expetijt, quod ſciebat cunctis eſſe diſtrictius, & in quo ſe, vel pro longitudine regionis credidit ignorandum, vel pro magnitudine monaſterij, ac multitudine fratrum facilè poſſe celari: Vbi diutiſsimè pro foribus perſeuerans, cunctorum fratrum genibus prouolutus, vt ſuſciperetur, ſummis precibus exorabat. Cùmq; multo deſpectu tandem fuiſſet admiſſus; quòd ſcilicet decrepitus ſenex, & qui

omnem

omnem ſuam peruixiſſet ætatem, ingredi cœnobium poſtularet, quo tempore iam ne deſeruire quidem ſuis voluptatibus præualeret, ac ne hoc quidem ipſum cauſa religionis expetere eum aſſereret, ſed famis & inopiæ neceſsitate conſtrictum; vt ſeni, nulli'que operi apto horti cura, diligentia'que mandatur, quam ſub alio fratre iuniore, qui eum ſibi creditum retinebat, exercens, ſic eidem ſubdebatur, tanta'que eius obedientia deſideratam humilitatis excolebat virtutem, vt non ſolùm ea, quæ ad horti curam, diligentiam'que pertinebant, verumetiam vniuerſa officia, quæ cunctis erant aſpera, vel indigna, atq; ab omnibus ducebantur horrori, tota quotidie ſedulitate compleret. Quamplura etiam nocte conſurgens, ita furtim nullo teſte, vel conſcio, tenebris occulentibus efficiebat, vt penitus auctorem operis nemo deprehenderet. Cùmq; ibidem triennio deliteſcens, diſperſis per vniuerſam Ægyptum vbiq; fratribus, quæreretur, à quodam tandem viſus, qui de Aegypti partibus commearat, vix potuit pro humilitate habitus ſui, ac vilitate officij, quod gerebat, agnoſci. Nam ſarculo deorſum incuruus laxabat oleribus terram, deindè ſtercus humeris ſuis aduectans, eorum radicibus ingerebat. Cùm'que hoc intuens frater, ſuper agnitione eius diutiſsima fuiſſet hæſitatione detentus, propiùs tandem accedens, & non ſolùm vultum, ſed etiam ſonum vocis diligenter explorans, ad pedes eius cominus procidens, primo quidem ſuper hoc ſtuporem ſummum vidētibus cūctis incuſsit, cur videlicet iſtud faceret ei, qui apud ipſos velut nouitius, ac de ſeculo nup egreſſus, habebatur extremus. Poſt verò miraculo ſunt maiore percuſsi, cùm eius nomen, quod apud ipſos quoq; magna fuerat opinione vulgatum, protinus prodidiſſet. A' quo vniuerſi fratres prioris ignorantiæ veniam poſtulantes, quòd eum videlicet tanto tempore inter iuniores, ac paruulos deputaſſent, inuitum, ac flentem, quòd inuidia diaboli digna ſibi fuiſſet conuerſatione, atq; humilitate fraudatus, quam diutiſsimè exquiſitam tandem aliquando ſe inueniſſe gaudebat, nec meruiſſet vitam ſuam in illa, quam arripuerat, ſubiectione finire, ad proprium cœnobium reduxerunt, cuſtodientes cum ſumma diligentia, ne ab eis quoq; ſimiliter quoquam dilapſus aufugeret.

O' miram tãti patris humilitatem, & obedientiam.

QVEMADMODVM ABBAS PYNVFIVS REDVCTVS IN MONASTERIVM SVVM, MODICO TEMPORE IBI COMMORATVS, ITERVM FVGERIT IN PARTES SYRIAE.

CAP. XXXI.

VBI cùm fuiſſet modico tempore demoratus, eodem rurſus humilitatis deſiderio, atque ardore ſuccenſus, captans nocturna ſilentia, ita diffugit, vt iam prouinciam non vicinam, ſed ignotas, & alienas, longe'que diuiſas regiones expeteret. Nam conſcendens nauem, in Palæſtinæ partes feſtinauit commeare, credens ſe tutiùs latitaturum, ſi ad

illa ſemetipſum aſportaret loca, in quibus ne nomen quidem ſuum fuiſſet auditum. Quò cùm aduenisſet, noſtrum monaſterium protinus expetiuit, quod nõ longè fuit à ſpelæo, in quo Dñs noſter Ieſus Chriſtus ex Virgine naſci dignatus eſt. In eo autem permodico tempore delitéſcens, ſecundùm ſententiam Domini, tanquam ciuitas ſuper montem poſita, diutius abſcondi non potuit. Nam continuò quidam fratrum, qui ad 2 loca ſancta de Aegypti partibus orationis cauſa conuenerant, agnitum eum ſumma vi precum ad cœnobium ſuum reuocarunt.

2 Ecce peregrinationem ad loca ſancta etiam antiquis patribus fuiſſe in vſu.

QVAE PRAECEPTA DEDIT IDEM ABBAS PYNVFIVS FRATRI, QVEM IN SVO MONASTERIO SVB NOSTRA RECIPIEBAT PRAESENTIA.

CAP. XXXII.

HVNC igitur ſenem pro illa, quæ nobis fuerat apud ipſum in monaſterio noſtro familiaritas, cùm poſt hæc in Aegypto ſtudioſisſimè requiſiſſemus, exhortationem, quam dedit fratri, quem ſub noſtra præſentia in cœnobio recipiebat, quia puto ex hac poſſe aliquid inſtructionis accidere, animus eſt opuſculo huic intexere. Noſti, ait, cur tot diebus pro foribus excubans, hodie ſis receptus? Huius difficultatis cauſam primitus debes agnoſcere; poterit enim tibi in hac via, quam ingredi concupiſcis, multùm conferre, ſi ratione eius agnita, ad Chriſti ſeruitium conſequenter, ac, ſicut oportet, acceſſeris.

QVOD SICVT MAGNA REMVNERATIO MONACHO DEBETVR SECVNDVM INSTITVTIONEM PATRVM LABORANTI, ITA ET POENA E CONTRARIO TRIBVATVR, ET IDCIRCO NON DEBEAT QVIS FACILE ADMITTI IN MONASTERIO.

CAP. XXXIII.

SICVT nanq; immenſa gloria fideliter ſeruientibus Deo, ac ſecundùm regulæ inſtitutionèm ei cohærentibus repromittitur in futurum, ita pœnæ grauisſimæ præparantur his, qui tepidè eam, negligenter'que

fuerint executi, & ſecundùm id, quod profeſsi ſunt, vel quod ab hominibus eſſe creduntur, fructus etiam congruos ſanctitatis Domino exhibere neglexerint. Melius eſt enim, ſecundùm ſcripturæ ſententiam, non vouere quenquam, quàm vouere, & non reddere. Et maledictus qui facit opus Dei negligenter. Ideò à nobis diutiſsimè refutatus es, non quia tuam, vel omnium ſalutem non toto deſiderio cupiamus amplecti, & his, qui ad Chriſtum cupiunt peruenire, etiam procul occurrere non optemus; ſed ne temere recipientes, & nos apud Deum leuitatis, & temetipſum reum grauioris ſupplicij faceremus, ſi ad præſens facile ſuſceptus, nec pondus profeſsionis huius intelligens, vel deſtitutor poſt hæc, vel tepidus extitiſſes. Quamobrem ipſam cauſam abrenunciationis debes inprimis agnoſcere; qua perſpecta, quid te conueniat agere eius ratione manifeſtius intueamur.

QVOD ABRENVNCIATIO NOSTRA NIHIL SIT ALIVD, QVAM MORTIFICATIO, ET IMAGO CRVCIFIXI.

CAP. XXXIIII.

ABRENVNCIATIO nihil eſt aliud, quàm Crucis & mortificationis iudicium. Ideo que noueris hodiſmo die te huic mundo & actibus eius, ac deſiderijs eſſe defunctum, te'q́; ſecundùm Apoſtolum, mundo huic eſſe crucifixum, tibi'q́; hunc mundum. Conſidera ergo conditiones Crucis, ſub cuius te deinceps ſacramento oportet in hac luce verſari, quia iam tu non viuis, ſed ille viuit in te, qui eſt crucifixus pro te. Eo ergo habitu, ac figura, qua pro nobis in patibulo fuit ille ſuſpenſus, nos quoque neceſſe eſt in hac vita degere, vt ſcilicet, ſecundùm Dauid, affligentes timore Domini carnes noſtras, vniuerſas voluntates noſtras, ac deſideria, non noſtræ concupiſcentiæ ſeruientia, ſed mortificationi eius habeamus affixa. Sic enim Domini præceptum implebimus dicentis: Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Sed fortè dicas: Quomodo poteſt homo crucem ſuam iugiter portare? Vel quemadmodum viuens quis poteſt eſſe crucifixus? Audi rationem breuiter.

Verum monachi propoſitũ eſſe debet modis omnibus ſeipsũ mundo crucifigere, & vitiorum concupiſcentias ex animo tollere.

QVOD CRVX NOSTRA TIMOR DOMINI SIT.

CAP. XXXV.

CRVX noſtra timor Domini eſt. Sicut ergo crucifixus quis iam non pro animi ſui motu membra ſua quoquam mouendi, vel conuertendi habet poteſtatem, ita & nos voluntates noſtras, ac deſideria, non ſecundùm id quod nobis ſuaue eſt, ac delectat ad præſens, ſed ſecundùm legem Domini, quò nos illa conſtrinxerit, applicare debemus. Et ſicut is, qui patibulo crucis affigitur, non iam præſentia contemplatur, nec de ſuis affectibus cogitat, non pro die craſtino ſolicitudine, curaq́; diſtenditur, nulla poſſidendi concupiſcentiâ permouetur, nulla ſuperbia, nulla contentione, nulla æmulatione ſuccenditur, non de præſentibus dolet iniurijs, non præteritarum iam recordatur, ſeq́; cùm adhuc ſpirat in corpore, cunctis elementis credit eſſe defunctum, illuc præmittens ſui cordis intuitum, quò ſe non dubitat illicò tranſiturum; ita nos quoque timore Domini crucifixos, oportet his omnibus, id eſt non ſolùm carnalibus vitijs, verumetiam ipſis elementis mortuos eſſe, illuc habentes oculos animæ noſtræ defixos, quò nos ſperare debemus momentis ſingulis migraturos. Hoc enim modo mortificatas habere poterimus vniuerſas concupiſcentias noſtras, & affectus carnales.

QVOD RENVNCIATIO NOSTRA NIHIL PROSIT, SI IISDEM, QVIBVS RENVNCIAVIMVS, IMPLICEMVR.

CAP. XXXVI.

4 Vides nõ debere monachum à religione deficere, & inſtitutum ſuũ deſerere?

CAVE ergo ne quid aliquando eorum reſumas, quæ renuncians abiecisti, & contra Domini interdictũ de agro Euangelicæ operationis 4 reuerſus, inueniaris tunica tua, qua te expoliaueras, reueſtiri; neque ad humiles, terrenasq́ue mundi huius concupiſcentias, ac ſtudia reuolutaris, & contra Euangelij mandatum, de perfectionis tecto deſcendens, tollere aliquid præſumas, quibus abrenuncians te abdicaſti. Caue ne parentum, ne affectionis priſtinæ recorderis, & ad curas huius ſeculi, ſolicitudinesq́; reuocatus, ſecundùm Saluatoris ſententiam, ponens manum tuam ſuper aratrum, & aſpiciens retro, regno cœlorum aptus eſſe non poſsis. Caue ne quando ſuperbiam, quam nunc incipiens ardore fidei, ac pia humilitate calcaſti, cùm cœperis pſalmorum, vel profeſsionis huius quandam notitiam degiſtare, paulatim elatus reſuſcitare mediteris, ac ſecundùm Apoſtoli ſententiam, quæ deſtruxiſti iterum ædificans, præuaricatorem conſtituas temetipſum;

ipſum; ſed potius cura vt in hac nuditate, quam coram Deo, & Angelis eius profeſſus es, ad finem vſq; perdures. In hac quoq; humilitate, ac patientia, qua vt ſuſciperetis in monaſterio, decem diebus pro foribus perſeuerans multis la-chrymis implorasti; non ſolummodo perſiſtas, verumetiam proficias, atq; ſuc-creſcas. Satis enim miſerum eſt, vt cum debeas à rudimentis, ac primordijs tuis prouehi, & ad perfectionem tendere, etiam ab ipſis incipias ad inferiora decidere. Non enim qui cœperit hæc, ſed qui perſeuerauerit in his vſque in finem, hic ſaluus erit.

QVOD DIABOLVS NOSTRO FINI SEMPER INSIDIETVR, ET NOS EIVS CAPVT IVGITER OBSERVARE DEBEAMVS.

CAP. XXXVII.

VERSVTVS enim ſerpens calcanea noſtra ſemper obſeruat, id eſt, inſidiatur exitui noſtro, & vſq; in finem vitæ nos ſupplantare conatur. Idcircò bene cœpiſſe nihil proderit, nec pleno feruore renunciationis arripuiſſe principia, ſi hæc congruus etiam finis ſimiliter non commendauerit, atque concluſerit, Chriſtiq; humilitas, atq; paupertas, quam nunc coram ipſo profeſſus es, vſq; ad extremum vitæ, quemadmodum arrepta eſt, à te non fuerit cuſtodita. Quod vt poſsis implere, tu ipſius ſerpentis capita, id eſt, cogitationum principia ſemper obſerua, ad ſeniorem ſcilicet mox ea deferens. Ita enim diſces pernicioſa eius initia conterere, ſi nihil ex eis ſeniori tuo erubueris reuelare.

DE RENVNCIANTIS PRAEPARATIONE ADVERSVM TENTATIONES, ET DE PAVCIS IMITANDIS.

CAP. XXXVIII.

QVAPROPTER, ſecundùm ſcripturæ ſententiã, egreſſus ad ſeruiendum Dño, ſta in timore Dei, & præpara animã tuam non ad requiẽ, non ad ſecuritatẽ, non ad delicias, ſed ad tẽtationes, & anguſtias. Per ſ multas enim tribulationes oportet nos introire in regnũ Dei; anguſta nanque eſt porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui

ſ Hæretici noſtri nullas pati volunt tribulationes pro regni cœlorum acquiſitione.

inueniunt eam. Conſidera ergo te de paucis, & electis effectum, & ne exemplo, & tepore multitudinis refrigeſcas, ſed viue vt pauci, vt cum paucis inueniri merearis in regno Dei. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi, & puſillus eſt grex, cui hæreditatem dare complacuit Patri. Itaq; non leue noueris eſſe peccatum, perfectionem profeſſum quempiam ea quæ ſunt imperfecta ſectari. Ad quem perfectionis ſtatum his gradibus, atq; hoc ordine peruenitur.

QVO ORDINE QVIS AD PERFECTIONEM VALEAT PERVENIRE, PER QVAM DE TIMORE DEI AD CHARITATEM CONSEQVENTER ASCENDAT. CAP. XXXIX.

PRINCIPIVM noſtræ ſalutis, eiuſdemq; cuſtodia (ſicut dixi) timor Domini eſt; per hunc enim & initium conuerſionis, & vitiorum purgatio, & virtutum cuſtodia his, qui imbuuntur ad viam perfectionis, acquiritur. Qui cùm penetrauerit hominis mentem, contemptum ei rerum omnium parit, obliuionem parentum, mundiq; ipſius gignit horrorem. Contemptu autem, ac priuatione facultatum omnium, humilitas acquiritur. Humilitas verò his indicijs comprobatur. Primò, ſi mortificatas in ſeſe habeat omnes voluntates. Secundò, ſi non ſolùm actuum ſuorum, verumetiam cogitationum nihil ſuum celauerit ſeniorem. Tertiò, ſi nihil ſuæ diſcretioni, ſed iudicio eius vniuerſa committat, ac monita eius ſitiens, ac libenter auſcultet. Quartò, ſi in omnibus ſeruet obedientiem, manſuetudinem, & patientiæ conſtantiam. Quintò, ſi non ſolùm iniuriam inferat nulli, ſed ne ab alio quidem ſibimet irrogatam doleat, atq; triſtetur. Sextò, ſi nihil agat, nihil præſumat, quod non vel communis 6 regula, vel maiorum cohortantur exempla. Septimò, ſi omni vilitate contentus ſit, & ſe ad omnia, quæ ſibi præcipiuntur, velut operarium malum iudicauerit, & indignum. Octauò, ſi ſemetipſum cunctis inferiorem non ſuperficie pronunciet labiorum, ſed intimo cordis credat affectu. Nonò, ſi linguam cohibeat, vel non ſit clamoſus in voce. Decimò, ſi non ſit facilis, ac promptus in riſu. Talibus namq; indicijs, & his ſimilibus humilitas vera dinoſcitur. Quæ cùm fuerit in veritate poſſeſſa, confeſtim te ad charitatem, quæ timorem non habet, gradu excellentiore perducet, per quam vniuerſa, quæ prius non ſine pœna formidinis obſeruabas, abſque vllo labore, velut naturaliter incipies cuſtodire, non iam contemplatione ſupplicij, vel timoris vllius, ſed amore ipſius boni, & delectatione virtutum.

6 Vides quòd antiqui monachi regulas habebāt, quæ eos in vitæ ratione dirigebant?

QVOD NON DEBEAT MONACHVS EXEMPLA PERFECTIONIS A' MVLTIS EXPETERE, SED AB VNO, VEL PAVCIS.

CAP. XL.

AD quod vt valeas faciliùs peruenire, exempla imitationis, ac vitæ perfectæ tibi ſunt in congregatione commoranti à paucis, immò ab vno, vel à duobus, non à pluribus expetenda. Nam præter id quòd examinata vita, atque ad purum excocta reperitur in paucis, etiam iſtud ex hoc vtilitatis accidit, quòd ad perfectionem propoſiti huius, id eſt, cœnobialis vitæ, diligentiùs quis vnius imbuitur, ac formatur exemplo.

QVARVM DEBILITATVM SIMILITVDINEM SVSCIPERE DEBEAT QVI IN COENOBIO COMMORATVR.

CAP. XLI.

QVAE omnia vt poſsis conſequi, & ſub hac regula ſpiritali perpetuò perdurare, tria hîc in congregatione neceſſariò cuſtodienda ſunt tibi, vt ſcilicet, ſecundùm Pſalmiſtæ ſententiam: Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus qui non aperit os ſuum. Et factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo increpationem: tu quoq; velut ſurdus, ac mutus, & cæcus incedas, vt abſq; illius contemplatione, qui tibi fuerit ad imitandum merito perfectionis electus, vniuerſa quæcunq; videris minus ædificationis habentia, velut cæcus pertranſeas, ne animatus eorum, qui hoc agunt, auctoritate, vel forma, ad id, quod deterius eſt, & quod ante damnaueras, traducaris. Si inobedientem, ſi contumacem, ſi detrahentem audieris, vel ſecus quàm tibi traditum eſt aliquid admittentem, non offendaris, nec ad imitandum cum tali ſubuertaris exemplo; ſed vt ſurdus, qui hæc penitus non audieris, vniuerſa transmittas. Si tibi, vel cuiquam conuicia, ſi irrogantur iniuriæ, eſto immobilis, & ad reſponſionem talionis vt mutus auſculta, ſemper hunc Pſalmiſtæ verſiculum in corde tuo decantans: Dixi cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Poſui ori meo cuſtodiam, cùm conſiſteret peccator aduerſum me. Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis. Veruntamen & quartum hoc præ omnibus excole, quòd hæc quæ ſupra diximus tria ornet, atq; commendet, id eſt, vt ſtultum te, ſecundùm

Apoſtoli ſententiam, facias in hoc mundo, vt ſis ſapiens, nihil ſcilicet diſcernens, nihil dijudicans ex his, quæ tibi fuerint imperata, ſed cum omni ſimplicitate, ac fide, obedientiam ſemper exhibeas, illud tantummodo ſanctum, illud vtile, illud ſapiens eſſe iudicans, quicquid tibi vel lex Dei, vel ſenioris examen indixerit. Tali enim inſtitutione fundatus, ſub hac diſciplina poteris durare ꝑpetuò, & de cœnobio nullis tẽtationibus inimici, nullis factionibus deuolueris.

QVO'D BONVM PATIENTIAE SVAE NON DEBEAT MONACHVS DE ALIORVM SPERARE VIRTVTE, SED DE SVA LONGANIMITATE.

CAP. XLII.

ERGO patientiam tuam non debes de aliorum ſperare virtute, id eſt vt tunc eam tantummodo poſsideas, cùm à nemine fueris irritatus; quod ne poſsit non euenire, tuæ non ſubiacet poteſtati; ſed potiùs de humilitate tua, & longanimitate, quæ in tuo pendet arbitrio.

RECAPITVLATIO EXPOSITIONIS, PER QVAM MONACHVS POSSIT AD PERFECTIONEM ASCENDERE.

CAP. XLIII.

ET vt hæc omnia, quæ latiori ſermone digeſta ſunt, cordi tuo faciliùs inculcentur, ac tenaciſsimè tuis ſenſibus valeát inhærere, quoddam ex his breuiarium colligam, per quod poſsis breuitate, & compendio mandatorum memoriter vniuerſa complecti. Audi ergo paucis ordinẽ, per quem aſcendere ad perfectionem ſummam ſine vllo labore, ac difficultate valeas. Principium noſtræ ſalutis, ſapientiæq́, ſecundùm ſcripturas, timor Domini eſt. De timore Domini naſcitur compunctio ſalutaris. De compunctione cordis procedit abrenunciatio, id eſt nuditas, & contemptus omnium facultatum. De nuditate humilitas procreatur. De humilitate mortificatio voluntatum generatur. Mortificatione voluntatum extirpantur, atq; marceſcunt vniuerſa vitia. Expulſione vitiorum virtutes fructificant, atq; ſucceſcunt. Pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur. Puritate cordis Apoſtolicæ charitatis perfectio poſsidetur.

EX LIBRO QVINTO IOANNIS CASSIANI DE SPIRITV GASTRIMARGIAE.

QVOD IN AEGYPTO INDIFFERENTER VIDIMVS SVB ADVENTV NOSTRO SOLVI QVOTIDIANA IEIVNIA.

CAP. XXIIII.

CVM de Syriæ partibus ſeniorum ſcita diſcere cupientes, Aegypti prouinciam petiſſemus, ibi'que tanta cordis alacritate nos ſuſcipi miraremur, vt nulla prorſus, ſicut fueramus in Palæſtinæ monaſterijs inſtituti, vſq; ad præſtitutam ieiunij horam refectionis regula ſeruaretur, ſed abſque legitimis quartæ, ſextæ'q; feriæ, quocunq; pergebamus, quotidiana ſtatio ſolueretur, quidam ſeniorum, percunctantibus nobis, cur ita indifferenter apud eos præterirentur quotidiana ieiunia, reſpondit: Ieiunium ſemper eſt mecum; vos autem continuò dimiſſurus, mecum iugiter tenere non poſſum. Et 1 ieiunium quidem licet vtile ſit, ac iugiter neceſſarium, tamen voluntarij muneris eſt oblatio. Opus autem charitatis impleri exigit præcepti neceſsitas. Itaq; ſuſcipiens in vobis Chriſtum, reficere eum debeo; deducens autem vos, humanitatem eius obtentu præbitam diſtrictiore ieiunio in memetipſo potero compenſare. Non enim poſſunt filij ſponſi ieiunare, donec cum illis eſt ſponſus; cùm autem diſceſſerit, tunc illi ieiunabunt.

1 Nota ieiunium vtile, ac iugiter neceſſarium.

DE CONTINENTIA SENIS, QVI ITA SEXIES CIBVM SVMPSIT, VT SERVARET ESVRIEM.

CAP. XXV.

QVIDAM ſeniorum cùm reficientem me, vt adhuc paululum quid ederem, hortaretur, iamq; me dixiſſem non poſſe, reſpondit: Ego iam ſexies diuerſis aduenientibus fratribus menſam poſui, hortanſq; ſingulos cum omnibus cibum ſumpſi, & adhuc eſurio; & tu primitus nunc comedens, iam te dicis non poſſe?

DE EO SENE, QVI IN CELLA SVA ESCAM NVNQVAM SOLVS ACCEPIT.

CAP. XXVI.

VIDIMVS alium in ſolitudine commorantem, qui nunquam ſibi ſoli indulſiſſe cibum teſtatus eſt, ſed etiam, ſi per totos quinq; dies ad eius cellulam nullus è fratribus aduenisſet, refectionem iugiter distuliſſe, donec ſabbatorum, vel Dominico die deuotæ congregationis obtentu procedens ad Eccleſiam, peregrinorum quempiam reperiſſet, quem exinde reducens ad cellulam, conſorte eo, refectionem corporis non tam ſuæ neceſsitatis obtentu, quàm humanitatis gratia, cauſaq; fratris aſſumeret. Itaq; vt nouimus tales in aduẽtu fratrũ indifferẽter ſoluere quotidiana ieiunia, ita diſcedentibus eis, refectionem ob illos indultam, continentia maiore compenſant, perceptionem cibi paruiſsimi acriore caſtigatione, non ſola panis, ſed etiam ſomni ipſius diminutione duriùs exigentes.

QVID DE FRVCTV STVDII PROFESSI SINT ABBAS PESIVS, ET IOANNES. CAP. XXVII.

APVD ſenem Peſium in eremo vaſtiſsima commorantem cùm ſenex Ioannes magno cœnobio, & multitudini fratrum præpoſitus aduenisſet, & ab eo velut antiquiſsimo ſodale perquireret, quid'nam per omnes quadraginta annos, quibus ab eodem ſeparatus in ſolitudine, ac minimè à fratribus interpellatus egiſſet; Nunquam me, ait, ſol reficientem vidit. Tum ille; Nec me, inquit, iratum.

QVAM EXEMPLI SVI PROFESSIONEM ABBAS IOANNES DISCIPVLIS RELIQVERIT MORITVRVS. CAP. XXVIII.

EVNDEM ſenem cùm alacrem, tanquam ad propria tranſinigrantem, in extremo iam anhelitu poſitum anxij fratres circumuallantes ſuppliciter precarentur, vt aliquod eis memoriale mandatum, velut hæreditarium quoddam legatum relinqueret, per quod poſſent ad perfectionis culmen præcepti compendio faciliùs peruenire, ingemiſcens ille; Nunquam (ait) meam feci voluntatem, nec quenquam docui, quod priùs ipſe non feci.

DE ABBATE MACHETE INTER COLLATIONES SPIRITALES NVNQVAM DORMITANTE, ET SEMPER INTER TERRENAS FABVLAS OBDORMIENTE.

CAP. XXIX.

VIDIMVS ſenem, Machetem nomine, à turbis fratrum eminus commorantem, hanc à Domino gratiam diuturnis precibus impetraſſe, vt quotquot diebus, ac noctibus agitaretur collatio ſpiritalis, nunquam ſomni torpore penitus laxaretur. Si quis verò detractionis verbum, ſeu otioſum tentaſſet inferre, in ſomnum protinus concidebat, ac ſic ne vſque ad aurium quidem eius pollutionem virus obloquij poterat peruenire.

EIVSDEM SENIS DE NEMINE IVDICANDO,

CAP. XXX.

HIC idem ſenex cùm inſtitueret nos neminem dijudicare debere, intulit tria fuiſſe, in quibus diſcuſſerit, vel reprehenderit fratres, quòd ſcilicet vuam ſibi nonnulli paterentur abſcidi, quòd haberent in cellula ſagum, quòd oleum benedicentes expoſcentibus ſecularibus darent. Et hæc omnia ſe incurriſſe dicebat. Nam ægritudinem vuæ contrahens, tandiu, inquit, eius languore diſtabui, donec tam doloris neceſsitate, quàm ſeniorum omnium adhortatione compulſus abſcidi eam permitterem. Cuius etiam infirmitatis obtentu, ſagum quoq; habere coactus ſum. Oleum etiam benedicere, ac ſupplicantibus dare, quod præ omnibus execrabar, vtpote iudicans illud ex magna cordis præſumptione deſcendere. Nam circundantibus me repente ſecularibus multis, ita conſtrictus ſum, vt aliter eos nullatenus euadere poſſem, niſi à me ſumma ui, & obteſtationibus extorſiſſent, vt oblato ab eis vaſculo manum meam impreſſo Crucis ſignaculo ſuperponerem. Itaq; ſe credentes benedictionis oleum conſecutos, tandem me aliquando relaxarunt. Quibus manifeſtè compertum eſt, iiſdem cauſis, ac vitijs monachum obligari, in quibus de alijs iudicare præſumpſerit. Oportet ergo vnumquenq; ſemetipſum iudicare tãtummodo, & circumſpectè, cautè q; cuſtodire in omnibus, non aliorũ conuerſationem, vitam q; diſcutere, ſecundùm illud Apoſtoli præceptum: Tu autem quid iudicas fratrem tuum? Suo Domino ſtat, aut cadit. Et, Nolite iudicare ante

ante tempus. Et illud, Nolite iudicare, vt non iudicemini; in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Præter hanc enim, quam diximus cauſam, etiam ob hoc iudicium de alijs periculoſum eſt, quòd ignorantes vel neceſsitatem, vel rationem, qua illi hæc, in quibus offendimur, aut rectè coram Deo, aut venialiter agunt, inuenimur eos temerè iudicaſſe, & per hoc admittimus non leue peccatum, ſecus quàm oportet de fratribus noſtris aliquid ſentientes.

INCREPATIO EIVSDEM SENIS CVM FRATRES INTER SPIRITALES COLLATIONES DORMITANTES, AD NARRATIONEM OTIOSAE FABVLAE VIDISSET EXPERGEFACTOS.

CAP. XXXI.

HIC idem ſenex, otioſarum fabularum diabolum eſſe fautorem, ac ſpiritualium collationum impugnatorem ſemper exiſtere, his declarauit indicijs. Nam cùm fratres quibuſdam de rebus neceſſarijs, ac ſpiritalibus inſtrueret, eos'que videret lethęo quodam ſopore demergi, nec poſſe ab oculis ſuis pondus ſomni depellere, otioſam repentè fabulam intro duxit; ad cuius oblectationem eos cùm euigilaſſe confeſtim, atque erectas aures ſuas habere vidiſſet, ingemiſcens, ait: Nunc vſque, dum de ſpiritalibus loquebamur, omnium veſtrum oculi lethali dormitione deprimebantur; at cùm ocioſa fabula intromiſſa eſt, omnes expergefacti torporem ſomni dominantis excuſsimus. Vel ex hoc ergo perpendite, quis'nam collationis illius ſpiritalis fuerit impugnator, aut quis huius infructuoſæ, atque carnalis inſinuator exiſtat. Ille etenim eſſe manifeſtiſsimè deprehenditur, qui malis adgaudens, vel iſtam fouere, vel illam impugnare non deſinit.

DE EPISTOLIS, PRIVSQVAM LEGERENTVR, A' FRATRE INCENSIS.

CAP. XXXII.

NEC minus quoque hoc opus fratris erga puritatem ſui cordis intenti, & erga contemplationem diuinam valde ſoliciti, commemorari neceſſarium reor. Qui cùm ei poſt annos quindecim, patris, ac matris, amicorum'que multorum de prouincia Ponti, complures epiſtolæ delatæ fuiſſent, accipiens grandem faſciculum literarum, diu'que apud ſemetipſum voluens; Quantarum, inquit, cogitationum cauſa erit mihi harum lectio, quæ me vel ad inane gaudium, vel ad triſtitias infructuoſas impellent? Quot diebus horum recordatione, qui ſcripſerunt, intentionem pectoris mei à propoſita contemplatione reuocabunt? Poſt quantum temporis digerenda eſt hæc mentis concepta confuſio, quanto'que labore rurſus iſte tranquillitatis reparandus eſt ſtatus, ſi ſemel animus literarum permotus affectu, eorum'que recenſendo ſermones, ac vultus, quos tanto tempore dereliquit, iterum eos reuiſere, ipſiſque cohabitare, & animo, ac mente cœperit intereſſe? Quos profectò corporaliter deſeruiſſe nihil proderit, ſi corde eos incipiat intueri, ac memoriam, quam ſeculo huic renuncians quiſque, velut mortuus abdicauit, reuiuiſcens eandem rurſus admiſerit. Hæc voluens in corde ſuo, non ſolùm nullam reſoluere epiſtolam definiuit, ſed ne ipſius quidem faſciculi ſigillum frangere, ne ſcilicet eorum, qui ſcripſerant, nomina recenſendo, vel vultus recordando, à ſpiritus ſui intentione ceſſaret. Itaque vt eum conſtrictum ſuſceperat, igni tradidit comburendum; Ite, inquiens, cogitationes patriæ, pariter concremamini, ne me vlteriùs ad illa quæ fugi, reuocare tentetis.

DE ABSOLVTIONE QVAESTIONIS, QVAM ABBAS THEODORVS ORANDO PROMERVIT.

CAP. XXXIII.

VIDIMVS etiam Abbatem Theodorum ſumma ſanctitate, ac perfecta ſcientia præditum non ſolùm in actuali vita, ſed etiam notitia ſcripturarum, quam ei non tam ſtudium lectionis, vel literatura mundi contulerat, quàm puritas cordis. Siquidem vix ipſius quoque Grææ linguæ perpauca verba vel intelligere poterat, vel proloqui. Hic cùm explanationem cuiuſdã obſcuriſsimæ quæſtionis inquireret, ſeptem diebus, ac noctibus in oratione infatigabilis perſtitit, donec ſolutionem, Dño reuelante, cognoſceret.

INCREPATIO EIVSDEM SENIS CVM AD MEAM CELLVLAM MEDIA NOCTE VENISSET.

CAP. XXXV.

HIC idem Theodorus cùm inopinatus ad meam cellulam intempeſta nocte veniſſet, quid'nam rudis adhuc anachoreta ſolus agerem paterna curioſitate latenter explorans, me'que illico finita veſpertina ſolennitate incipientem feſſum corpus iam reficere, & incubantem pſiathio reperiſſet, protrahens imo corde ſuſpiria, meo'q; me vocitans nomine; Quanti, inquit, ò Ioannes, hora hac Deo colloquuntur, eum'q; in ſemetipſis amplectuntur, ac retinent. Et tu fraudaris tanto lumine, inerti ſopore reſolutus? Et quoniam nos ad huiuſcemodi narrationem diuertere patrum virtutes, & gratia prouocarunt, neceſſarium reor memorabile opus charitatis, quam ſummi viri Archebij humanitate ſumus experti, in hoc volumine commendare, quò puritas continentiæ operi charitatis inſerta, propenſiùs eniteſcat pulchra varietate diſtincta. Etenim tunc gratum Deo ieiunij munus efficitur, cùm fructibus charitatis fuerit conſummatum.

DESCRIPTIO EREMI, QVAE EST IN DIOLCO, IN QVA ANACHORETAE COMMORANTVR.

CAP. XXXVI.

ITAQVE cùm de Palæſtinæ monaſterijs ad oppidum Aegypti, quod Diolcos appellatur, rudes adhuc veniſſemus, ibi'q; plurimam turbam cœnobij diſciplina conſtrictam; & optimo ordine monachorum inſtitutam mirificè videremus, alium quoq; ordinem, qui excellentior habetur, id eſt anachoretarum, cunctorum præconijs inſtigati ſagaciſsimo corde videre properauimus. Hi nanq; in cœnobijs primum diutiſsimè commorantes, omni patientiæ, ac diſcretionis regula diligenter edocti, & humilitatis pariter, ac nuditatis virtute poſſeſſa, atq; ad purum vitiorum vniuerſitate conſumpta, diriſsimis dæmonum prælijs congreſſuri penetrant eremi profunda ſecreta. Huius igitur propoſiti viros comperientes citra Nili fluminis alueum commorari in loco, qui vno latere eodem flumine, àlio maris vaſtitate circundatus inſulam reddit, nullis alijs, quàm monachis ſecreta expetentibus habitabilem (nec enim cuiquam culturæ aptā eſſe eam ſalſitas ſoli, ac ſterilitas patitur arenarū) ad hos, inquam,

ſummo deſiderio feſtinantes, vltra modum ſumus labores eorum, quos contemplatione virtutum, & amore ſolitudinis tolerant, admirati. Nam ipſius aquæ tanta penuria conſtringuntur, vt tali eam diligentia, ſcrupuloq́ꝫ diſpenſent, quali nemo frugaliſsimorum ſpeciem pretioſiſsimi vini conſeruat, & retinet. Tribus nanqꝫ millibus, vel cò ampliùs eam de prædicti fluminis alueo neceſſarijs vſibus aduehunt. Quod etiam interuallum arenoſis diuiſum montibus, laboris difficultate grauiſsima duplicatur.

DE TRADITIS NOBIS AB ABBATE ARCHEBIO CVM INSTRVCTV SVO CELLIS. CAP. XXXVII.

HIS igitur viſis, cùm imitationis eorum nos ardor accenderet, prædictusq́ꝫ Archebius probatiſsimus inter eos, humanitatis gratia nos ad ſuam cellulam pertraxiſſet, explorato deſiderio noſtro, confinxit ſe de eodem loco velle diſcedere, ac nobis cellulam ſuam, velut exinde migraturus obtulit, ſeſe id facturum etiam ſi minimè affuiſſemus affirmans. Quam rem nos, & deſiderio commorationis accenſi, & aſſertionibus tanti viri indubitatam accommodantes fidem, libenter amplexi, cellulam cum omni ſupellectili, vtenſilibusq́ꝫ ſuſcepimus. Itaqꝫ religioſa potitus circunuentione, paucis diebus, quibus conſtruendæ cellæ pararet impendia, de loco diſcedens, reuerſus poſt hæc aliam ſibi ſummo labore conſtruxit. Quam rurſum non longo poſt tempore alijs superuenientibus fratribus, eodemq́ꝫ deſiderio cupientibus ibidem commorari, ſimili charitatis mendacio circunuentis, cum vniuerſo tradidit inſtrumento. Ipſe verò erga opus charitatis infatigabilis perſeuerans, tertiam ſibi cellulam, in qua commaneret, extruxit.

DE DEBITO, QVOD ABBAS ARCHEBIVS MANVVM SVARVM LABORE PRO MATRE DISSOLVIT. CAP. XXXVIII.

OPERAEPRETIVM mihi videtur, aliud eiuſdem viri charitatis opus memoriæ tradere, quo noſtrarum partium monachi non ſolùm continentiæ rigorem, verumetiam ſyncerißimum retinere dilectionis affectum, vnius, eiuſdemq́ꝫ viri inſtituantur exemplo. Hic nanqꝫ

non

non ignobili oriundus familia, ad monaſterium, quod à prædicto oppido fermè quatuor millibus diſtat, mũdi huius, ac parentũ affectione contempta, à puerilibus annis aufugit; vbi ita vitæ ſuæ omnẽ exegit ætatẽ, vt nunquã prorſus per totos quinquaginta annos nõ ſolùm vicũ, ex quo egreſſus eſt, nec fuerit ingreſſus, nec viderit, ſed ne cuiuſquam quidem fœminæ, vel ipſius matris ſuæ conſpexerit vultum. Interea pater morte præuentus, centum ſolidorum debitum reliquit. Cùmq; hic eſſet ab omni inquietudine penitus alienus, vtpote qui vniuerſis paternis facultatibus eſſet extorris, à creditoribus inquietari vehementer comperit matrẽ. Tum hic ab Euangelico illo rigore, quo antehac, in ſtatu proſpero parentibus conſtitutis, nec patrẽ in terra ſe notat habuiſſe, nec matrem, pietatis conſideratione mollitus, ita ſe habere credidit matrẽ, eiq; ſubuenire feſtinauit oppreſſæ, vt nihil ſe à propoſita diſtrictione laxaret. Intra monaſterij nanq; clauſtra perdurãs, ſolito operis penſum ſibimet triplicari popoſcit, & ibi per totũ anni ſpatiũ diebus pariter noctibusq; deſudãs, debiti modũ, operis ſudore creditoribus ſoluens, matrem omni inquietudinis iniuria liberauit, ita eruens eam debiti ſarcina, vt nihil de propoſito rigore, piæ neceſsitatis gratia, pateretur imminui. Ita verò diſtrictionem ſolitam cuſtodiuit, vt nequaquam pietatis opus maternis viſceribus denegaret, & quam pro Chriſti charitate prius deſpexerat, pro eius rurſus pietate cognouit.

Non reliquit ſanctus vir monaſterium, vt matri inopi ſubueniret, quemadmodũ faciũt nunc ex monachis non nulli, ſed inſtitutum ſuũ non deſerẽs, modum inuenit, quo manens in monaſterio, illius pauperi tati ſubueniret.

QVA SIMVLATIONE CVIVSDAM SENIS ABBATI SYMEONI, CVM OTIOSVS ESSET, OPVS MANVVM SIT PROVISVM.

CAP. XXXIX.

CVM frater nobis optimè charus, nomine Symeon, penitus Græci ſermonis ignarus, è partibus Italiæ commeaſſet, quidam ſeniorum erga eũ, vtpote peregrinũ, charitatis opus quodã redibitionis colore cupiens exhibere, quæſiuit ab eo, cur ocioſus ſederet in cella, p hoc conijciens eũ tam otij peruagatiõe, quàm penuria neceſſariarũ rerũ diutius in ea durare nõ poſſe, certusq; neminẽ poſſe impugnationes ſolitudinis tolerare, niſi eũ qui propriis manibus victum ſibimet fuerit parare contentus. Quo reſpondente, nihil ſe nec noſſe, nec præualere ex his, quæ illic exercebãtur à fratribus, operari, præter librariam artẽ, ſi tamen vllus in Aegypti regione Latinũ codicẽ vſui eſſet habiturus; tunc ille tandẽ nactus occaſionẽ, qua poſſet deſideratũ pietatis opus, velut debiti colore mercari; Ex Deo hæc inuẽta eſt, inquit, occaſio, nam olim quærebã, qui Apoſtolũ Latina mihi manu pſcriberet. Etenim habeo fratrẽ militiæ laqueis obligatũ, & apprime Latinis inſtructũ, cui de ſcripturis ſanctis aliqd ad legendũ ædificationis eius gratia trãſmittere cupio. Itaq; Symeone hãc occaſionẽ, velut à Deo oblatã, ſibi gratanter ſuſcipiente, ſenex colorem, ſub cuius prætextu pietatis opus liberè poſſet implere, libentiùs amplexus, confeſtim non ſolùm vniuerſas ei neceſsitates ſub prætextu mercedum totius anni conuexit, verumetiam membranas, & vtenſilia, quæ ad ſcribendum neceſſaria erant, comportauit. Recepit poſt codicem ſcriptum nullis vſibus, vel commodis profuturum,

Apud hos monachos opus manuũ valde erat in vſu.

vniuerſis in illa regione notitia linguæ huius penitus ignaris, præter id, quod hac ſubtilitate, ſumptuq́; prolixiore mercatus eſt, vt ſcilicet & ille ſine confuſionis verecundia, merito laboris, & operis ſui, neceſſaria victus alimenta perciperet, & ipſe munificentiæ ſuæ pietatem, tanquam debiti neceſsitate compleret, eò abundantiùs mercedem ſibi conquirens, quò ambitu maiore peregrino fratri non ſolùm victus neceſſaria, verumetiam operis inſtrumenta, & operandi occaſionem pariter contuliſſet.

DE PVERIS, QVI DEFERENTES AD AEGROTANTEM FICVS, NON DEGVSTATIS EISDEM, FAME IN EREMO DEFECERVNT.

CAP. XL.

SED quoniam in loco, vbi de ieiuniorum, & continentiæ rigore dicere aliquid propoſuimus, affectio, & opera charitatis videntur admixta, rurſum ad propoſitum reuertentes, quoddam puerorum ætate, non ſenſu, factum memorabile opuſculo huic inſeremus. Nam cùm quidam vltra omnem admirationem ficus de Amareotæ Libyæ partibus, velut rem ante in loco non viſam, Abbati Ioanni Oeconomo in eremo Scythij detuliſſet, qui diſpenſationem ipſius Eccleſiæ temporibus beati Paphnutij Presbyteri ab eodem ſibi creditam gubernabat, hic confeſtim eas ad ſenem quendam, qui in interioribus deſerti mala valetudine laborabat, per duos adoleſcentulos miſit, ſiquidem decem & octo millibus longè ab Eccleſia commanebat. Qui, pomis acceptis, cùm ad prædicti ſenis tenderent cellam, infuſa repente denſiſsima nebula, tramitem (quod ibi perfacilè ſolet etiam ſenioribus euenire) recti itineris perdiderunt. Cùmq́; tota die & nocte diſcurrentes per auiam eremi vaſtitatem, nequaquam potuiſſent ægrotantis cellulam reperire, tam itineris laſsitudine, quàm inedia, ſitiq́; confecti, 1 fixis genibus in orationis officio ſpiritum Domino reddiderunt. Qui poſt hæc veſtigiorum ſuorum indicijs diutiſsimè perquiſiti, quæ in locis illis arenoſis, tanquam niuibus impreſſa ſignantur, donec ea vel leui ventorum flatu tenuis arena diſcurrens rurſus operiat, inuenti ſunt ficus intactas, vt acceperant, reſeruaſſe, eligentes ſcilicet, animam magis, quàm fidem depoſiti prodere, vitamq́ue potius amittere temporalem, quàm ſenioris violare mandatum.

1 Vide orationem cum genuflexione.

SENTENTIA ABBATIS MACHARII DE OBSERVANTIA MONACHI, VEL TANQVAM DIVTISSIME VICTVRI, VEL TANQVAM QVOTIDIE MORITVRI.

CAP. XLI.

ADHVC vnum beati Macharij profertur nobis ſalutare mandatum, vt libellum ieiuniorum, & continentiæ, tanti viri claudat ſententia. Ita, inquit, debet monachus ieiunijs operam dare, vt centum annis in corpore commoraturus; ita motus animi refrenare, & iniuriarum obliuiſci, triſtitiasq́ reſpuere, dolores quoq;, ac detrimenta contemnere, tanquam quotidie moriturus. In illo nanq; vtilis eſt, prudensq́ diſcretio, æquali monachum diſtrictione faciens ſemper incedere, nec permittens monachum ſub occaſione debilitati corporis, de arduis ad pernicioſiſsima prærupta deuolui. In hoc verò magnanimitas ſalutaris, quæ valeat non ſolùm quæ videntur proſpera mundi præſentis deſpicere, verumetiam aduerſis, triſtibusque non frangi, & ea velut parua, nullaq́ contemnere, illic habens iugiter fixum ſuæ mentis intuitum, quò quotidie, ſingulisq́ momentis accerſendum eſſe ſe credit.

Longa ieiunia antiquis monachis erant in vſu.

EX LIBRO DECIMO EIVSDEM IOANNIS CASSIANI, DE SPIRITV ACCIDIAE.

DE ABBATE PAVLO, QVI SINGVLIS ANNIS OMNE OPVS MANVVM SVARVM IGNE SVPPOSITO CONCREMABAT. CAP. XXIIII.

DENIQVE Abbas Paulus probatiſsimus patrum cùm in eremo vaſtiore conſiſtens, quæ Porphyrio nuncupatur, palmarum fructibus, & horto modico ſecurus haberet ſufficientem alimoniæ ſuæ, victusq́ ſubſtantiam, nec poſſet aliquid aliud, vnde ſuſtentaretur, operis exercere, eò quòd ab oppidis, & habitabili terra ſeptem manſionibus, vel eò amplius deſerti illius ſepararetur habitatio, plusq́ expeteretur pro mercede vecturæ, quàm valere poſſet pretium operis deſudati, collectis palmarum folijs, 1 quotidianum penſum, velut exinde ſuſtentandus, à ſemetipſo iugiter exigebat. Cùmq́ opere totius anni antrum eius fuiſſet impletum, id quod ſolicita cura laborauerat, ſingulis annis ſuppoſito igne concremabat, hoc facto probans ſine opere manuum nec in loco poſſe monachum perdurare, nec ad perfectionis culmen aliquando conſcendere; immò cùm hoc fieri nequaquam neceſsitas victus exigeret, pro ſola purgatione cordis, & cogitationum ſolidate, ac perſeuerantia cellæ, vel accidiæ ipſius, demonumq́ue victoria, & expugnatione, id eum perficere debere.

1 Vide in ſancto viro opus manuum, & ad quid inductum.

VERBA

VERBA ABBATIS MOYSI, QVAE DIXIT MIHI DE REMEDIO ACCIDIAE.

CAP. XXV.

CVM incipiens in eremo commorari Abbati Moyſi omnium ſancto-rum ſummo dixiſſem, me ægritudine accidiæ externo die grauiſsimè fuiſſe confectum, nec ab ea potuiſſe aliàs liberari, niſi ad Abbatem Paulum protinus accurriſſem, ille; Non, te ait, ab ea liberaſti, ſed magis ei te deditum, ac ſubditum præbuiſti; grauius enim te vt deſertorem, ac fugitiuum deinceps aduerſarius impugnabit, quem de conflictu ſuperatum pro-tinus aufugiſſe conſpexit, niſi de cætero commiſſa congreſsione, non deſertio-ne cellæ, vel ſomni torpore ingruentes æſtus eius ad horam euaporare malue-ris, ſed tolerantia potiùs, & conflictu didiceris triumphare. Vnde experimento probatum eſt, accidiæ impugnatio-nem non declinando fugiendam, ſed reſiſtendo ſu-perandam.

EX LIBRO PRIMO COLLATIONVM PATRVM EIVSDEM IOANNIS CASSIANI, COLLATIONE SECVNDA DE DISCRETIONE.

CAP. I.

DEGVSTATO matutino ſopore, cùm ortum lucis tandem nobis claruiſſe gaudentes, repromiſſam narrationem repoſcere cœpiſſemus, beatus Moyſes ita exorſus eſt. Cùm videam vos tanti deſiderij ardore inflammatos, vt ne ipſum quidem paruiſsimum quietis momentum, quod ſpiritali collationi ſubtrahens, refectioni carnis malueram deputare, ad requiem credam veſtri corporis profeciſſe, mihi quoq; hunc veſtrum conſideranti feruorem ſolicitudo maior inuehitur. Neceſſe eſt enim etiam me in perſoluendo debito, tantò maiorem deuotionis curam gerere, quantò vos attentiùs video illud expetere, ſecundùm illam ſententiam: Si ſederis cœnare ad menſam potentis, ſapienter intellige quæ appnountur tibi, & immitte manum tuam, ſciens quia talia te oportet præparare. Quamobrem de bono diſcretionis, eiuſq; virtute dicturi, in quam ſermo nocturnæ collationis ingreſſus finem noſtræ diſputationi dedit, cupio vobis eius excellentiam patrum primò conſignare ſententijs, vt cùm patuerit quid de illa ſenſerint, vel pronunciauerint maiores noſtri, tum prolatis tam antiquis multorum, quàm recentibus ruinis, & caſibus, qui pro eo quòd minus eam fuerant aſſecuti, pernicioſo deiecti ſunt lapſu, in quantum poſſumus vtilitates eius, & commoda retractemus; quibus diſcuſsis, quemadmodum excolere eam, atq; expetere debeamus, conſiderantes meriti eius, & gratiæ pondus, efficaciùs inſtruamur. Eſt enim non mediocris quædam virtus, nec quæ humana paſsim valeat induſtria comprehendi, niſi diuino fuerit munere, gratiaq́; collata; ſi quidem inter nobiliſsima Spiritus ſancti dona, hanc quoq; ita legimus ab Apoſtolo numerari: Alij datur per Spiritum ſermo ſapientiæ. Alij ſcientiæ ſecundùm eundem Spiritum. Alij fides in eodem ſpiritu. Alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu. Et poſt pauca: Alij diſcretio ſpirituum. Deindè completo omni catalogo ſpiritalium chariſmatum, infert: Omnia autem hæc operatur vnus atq;

idem Spiritus diuidens ſingulis prout vult. Videtis ergo non terrenum, nec paruum eſſe diſcretionis munus, ſecundùm diuinæ gratiæ largitatem; quam niſi monachus omni intentione fuerit aſſecutus, & aſcendentium in ſeſe ſpirituum diſcretionem certa ratione poſſederit, neceſſe eſt eum velut in nocte cæca, cæteris'q; tenebris oberrantem, non ſolùm in pernicioſis foueis, prærupτisq; concidere, ſed etiam in planis, ac directis itineribus frequenter offendere.

QVO'D DISCRETIO IN PRIMIS CONGRVAT MONACHO. ET DISPVTATIO SVPER HOC ABBATIS ANTONII.

CAP. II.

MEMINI igitur quondam in annis adhuc pueritiæ conſtitutus in partibus Thebaidos, vbi beatus Antonius morabatur, ſeniores ad eum perfectionis inquirendæ, & collationis huius gratia conueniſſe. Cúmq; veſpertinis horis vſq; ad lucem fuiſſet protracta collatio, quæſtio hæc maximum noctis ſpatium conſumpſit. Nam diutiſsimè quærebatur, quæ'nam virtus, vel obſeruantia monachum poſsit à laqueis diaboli, ac deceptionibus cuſtodire ſemper illæſum, vel certè recto tramite, firmoq; greſſu, ad perfectionis culmen perducere. Cùm'q; pro captu mentis ſuæ vnuſquisq; ſententiam ſuam proferret in medium, & alij quidem hoc in ieiuniorum, vigiliarum'q; ſtudio collocarent, quòd his videlicet extenuata mens, ac puritatem cordis, & corporis aſſecuta, Deo faciliùs vniretur; alij in nuditate, & contemptu vniuerſarum rerum, quibus mens ſi penitus exueretur, tanquam nullis deinceps retinentibus laqueis, ad Deum expeditior perueniret; alij anachoreſim neceſſariam, id eſt, remotionem, & eremi ſecreta cenſerent, in qua commanens quis familiariùs interpellare Deum, eíq; poſsit peculiarius inhærere; nonnulli in primis ſectanda charitatis, id eſt humanitatis officia diffinirent, quæ pio erga fratres, & peregrinos ſtudio ſuſceptionis impenditur, quòd his duntaxat officijs regna cœlorum daturum ſe Dominus in Euangelio, velut ſpecialiùs repromittat, dicens: Venite, benedicti patris mei, poſsidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi; eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare, ſitiui, & dediſtis mihi bibere, &c: cùm, inquam, in hunc modum diuerſis virtutibus aditum certiorem ad Deum parari poſſe decernerent, eſſet'que noctis maximum tempus hac inquiſitione conſumptum, intulit demum beatus Antonius: Omnia quidem hæc, quæ dixiſtis, neceſſaria ſunt, & vtilia ſitientibus Deum, atque ad Deum cupientibus peruenire, ſed his principalem tribuere gratiam nequaquam nos innumeri multorum caſus, & experimenta permittunt. Nam quoſdā ſæpenumero acerrimè ieiunijs, ſeu vigilijs incubantes, ac mirificè in ſolitudinē ſecedētes, priuationē quoq; omniū facultatum ita ſectantes, vt ex ipſis ne vnius quidē diei victum ſibimet, vnumq; denariū ſupereſſe paterentur, humanitatis etiam ſtudia tota deuotione complentes, ita vidimus repentè deceptos, vt arreptum opus non potuerint congruo exitu terminare, ſummum'que feruorem, & conuerſationem laudabilem deteſtabili fine

clauſerint. Quamobrem quid principaliter ducat ad Deum, manifeſtè poterimus agnoſcere, ſi ruinæ, ac deceptionis illorum cauſa diligentiùs fuerit indagata. Illis nanque cùm exuberarent prædictarum opera virtutum, diſcretio ſola deficiens vſque ad finem durare non ſiuit. Nec enim alia lapſus eorum cauſa deprehenditur, niſi quòd minùs à ſenioribus inſtituti, nequaquam potuerunt rationem diſcretionis huius adipiſci, quæ prætermittens vtranque nimietatem, via regia quenque docet ſemper incedere, & nec dextera virtutum permittit extolli, id eſt feruoris exceſſu, continentiæ iuſtæ modum tranſcendere, nec oblectatum remiſsione, deflectere ad vitia ſiniſtra concedit, hoc eſt, ſub prætextu gubernandi corporis, contrario ſpiritus torpore lenteſcere. Hæc nanque eſt diſcretio, quæ oculus, & lucerna corporis in Euangelio nuncupatur, ſecundùm illam ſententiam Saluatoris: Lucerna corporis tui eſt oculus tuus; quòd ſi oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit; ſi autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit: eò quòd ipſas cogitationes hominis vniuerſas, actusque diſcernens, cuncta, quæ gerenda ſunt, peruideat, atque perluſtret. Quæ ſi in homine nequam fuerit, id eſt non vero iudicio, & ſcientia communita, ſeu quolibet errore, ac præſumptione decepta, totum corpus noſtrum faciet tenebroſum, hoc eſt omnem aciem mentis, actusque noſtros reddet obſcuros, cæcitate ſcilicet vitiorum, & perturbationum tenebris inuolutos. Si enim inquit, lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt, tenebræ ipſæ quantæ erunt? Nulli nanque dubium eſt, errante iudicio mentis, & ignorationis nocte poſſeſſo, cogitationes quoque, & opera noſtra, quæ ex diſcretionis deliberatione deſcendunt, maioribus peccatorum tenebris implicari.

DE ERRORE SAVLIS, ET ACHAB, QVO PER DISCRETIONIS IMPERITIAM SVNT DECEPTI.

CAP. III.

DENIQVE ille, qui primus ad regnandum populo Iſraël iudicio Dei prælectus eſt, quia hunc diſcretionis oculum nequaquam habuit, velut toto corpore tenebroſus effectus, etiam ipſo regno tradito ſibi meruit ſpoliari, dum lucernæ huius tenebris, atque errore deceptus, acceptabiliora Deo ſacrificia ſua, quàm erga præceptum Samuelis obedientiam credidit iudicanda, quæ eum ex illa magis parte offenſionē incurrere fecerunt, ex qua repropitiandam ſibi diuinam ſperauerat maieſtatem. Huius, inquam, diſcretionis ignoratio Achab Regem Iſraël poſt illius ſublimiſsimi triumphi victoriam, qui ei fuerat Dei fauore conceſſus, credere perſuaſit, meliorem eſſe miſericordiam ſuam, quàm executionem ſeueriſsimi præcepti, & quemadmodum ſibi videbatur, crudelis imperij. Qua conſideratione mollitus, dum mauult cruentam victoriam clementia temperare, ob indiſcretam miſericordiam, velut toto corpore redditus tenebroſus, irreuocabili morte damnatur.

QVID DE BONO DISCRETIONIS IN SCRIPTVRIS SANCTIS REFERATVR.

CAP. IIII.

HAEC eſt diſcretio, quæ non ſolùm lucerna corporis, ſed etiam ſol ab Apoſtolo nuncupatur, ſecundùm illud: Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Hæc vitæ noſtræ gubernatio dicitur, ſecundùm illud: Quibus non eſt gubernatio, cadunt vt folia. Hæc conſilium rectiſsimè nominatur, ſine quo nihil agere omnino ſcripturæ auctoritate permittimur, ita vt ne ipſum quidem ſpiritale vinum, id eſt, gaudium, quod lætificat cor hominis, ſine ipſius ſinamur moderatione percipere, ſecundùm illud: Cum conſilio omnia fac, cum conſilio vinum bibe. Et iterum: Sicut ciuitas muris diruta, & non circundata, ſic eſt vir, qui non cum conſilio aliquid agit: Cuius priuatio quàm pernicioſa ſit monacho, teſtimonij huius exemplum, ac figura declarat, dirutæ eum, ac ſine muris comparans ciuitati. In hac ſapientia, in hac intellectus, ſenſus'q; conſiſtit, ſine quibus nec interior noſtra ædificari domus, nec ſpiritales poterunt diuitiæ congregari, ſecundùm illud: Cum ſapientia ædificatur domus, & cum intellectu iterum erigitur. Cum ſenſu implentur cellaria omnibus diuitijs pretioſis, & bonis. Hæc, inquam, eſt ſolidus cibus, qui niſi à perfectis tantùm, ac robuſtis, aſſumi non poterit, ſecundùm illud: Perfectorum autem eſt ſolidus cibus, eorum, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni, ac mali. Quæ in tantum vtilis nobis, ac neceſſaria comprobatur, vt etiam verbo Dei, eius'q; virtutibus coaptetur, ſecundùm illud: Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſq; ad diuiſionem animæ, ac ſpiritus, compagum quoq;, ac medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis. Quibus manifeſtiſsimè declaratur, nullam ſine diſcretionis gratia perfectè poſſe vel perfici, vel ſtare virtutem. Et ita tam beati Antonij, quàm vniuerſorum ſententia diffinitum eſt, diſcretionem eſſe, quæ fixo gradu intrepidum monachum perducat ad Deum, prædictas'q; virtutes iugiter conſeruet illæſas, cum qua ad conſummationis excelſa faſtigia minore poſsit fatigatione conſcendi, & ſine qua multi etiam propenſius laborantes, perfectionis nequiuerint culmen attingere. Omnium namq; virtutum generatrix, cuſtos, moderatrix'q; diſcretio eſt.

DE MORTE HERONIS SENIS.

CAP. V.

ET vt hanc eandem diffinitionem antiquitus à ſancto Antonio, & cæteris patribus promulgatã, recens quoq;, ſicut promiſimus, cõfirmet exemplũ, recolite illud, quod nuper geſtũ oculorum veſtrorum vidiſtis obtutibus, ſenem videlicet Heronẽ ante paucos admodum dies illuſione diabolica

à ſummis ad ima deiectum, quem quinquaginta annis in hac eremo commoratum, ſingulari diſtrictione rigorem continentiæ tenuiſſe cognoſcimus, & ſolitudinis ſecreta vltra omnes hîc commorantes miro feruore ſectatum. Hic igitur quo pacto, qua ratione poſt tantos labores ab inſidiatore deluſus, grauiſsimo corruens lapſu, cunctos in hac eremo conſtitutos luctuoſo dolore percuſsit? Non'ne quia minus diſcretionis virtute poſſeſſa, ſuis diffinitionibus regi, quàm conſilijs, vel collationibus fratrum, atq; inſtitutis maiorum obedire maluit? Siquidem tanto rigore inmutabilem ieiunij continentiam ſemper exercuit, & ſolitudinis, cellæq; ita iugiter ſecreta ſectatus eſt, vt ab eo participationem ineundi cum fraternitate conuiuij, nec veneratio quidem diei paſchalis aliquando potuerit obtinere. In qua fratribus cunctis pro anniuerſaria ſolennitate in Eccleſia retentis, ſolus non potuit aggregari, ne quantulumcunq; perceptionis leguminis parui à ſuo videretur propoſito relaxaſſe. Qua præſumptione deceptus, angelum ſatanæ velut Angelum lucis cum ſumma veneratione ſuſcipiens, eiuſq; præceptis prono obediens famulatu, ſemetipſum in puteum, cuius profunditatem oculorum non attigit intuitus, præcipitem dedit, de angeli videlicet ſui ſponſione non dubitans, qui eum pro merito virtutum, ac laborum ſuorum nequaquam poſſe firmauerat vlli iam diſcrimini ſubiacere. Cuius rei fidem vt experimento ſuæ ſoſpitatis euidentiſsimè comprobaret, ſupradicto ſe puteo nocte intempeſta deluſus iniecit, magnum ſcilicet virtutis ſuæ meritum probaturus, cùm indè exiſſet illæſus. De quo ingenti fratrum labore cum penè iam exanguis fuiſſet extractus, vitam die tertia finiturus, quod his deterius eſt, ita in deceptionis ſuæ obſtinatione permanſit, vt ei ne experimento quidem mortis ſuæ potuerit perſuaderi, quòd fuiſſet dæmonum calliditate deluſus. Quamobrem pro meritis laborum tantorum, & annorum numeroſitate, qua in eremo perdurauit, hoc miſeratione, & humanitate ſumma ab his, qui eius compatiebantur exitio, vix à presbytero Abbate Paphnutio potuit obtineri, vt non inter biothanatos reputatus, etiam memoria, & oblatione pauſantium iudicaretur indignus.

DE RVINA DVORVM FRATRVM OB DISCRETIONIS IMPERITIAM.

CAP. VI.

QVID dicam de illis duobus fratribus, qui habitantes vltra illam eremum Thebaidos, vbi quondam fuerat beatus Antonius commoratus, minus cauta diſcretione permoti, euntes per extentam ſolitudinis vaſtitatem, nullam eſcam penitus ſumere decreuerunt, niſi quam per ſemetipſum Dominus illis præſtitiſſet? Cùm verò errãtes eos per deſerta, & deficientes iam fame conſpexiſſent à longè Mazices quidam (quæ gens cunctis penè nationibus feris immanior, atq; crudelior eſt; non enim eos in effuſionem ſanguinis, vt nonnullas gentes, deſiderium prædæ, ſed ſola ferocitas mentis inſtigat) eiſq; contra naturam feritatis ſuæ cum panibus occurriſſent, vnus ex eis ſubueniente diſcretione, velut à Domino ſibi porrectos, cum gaudio, & gratiarum

aſtione ſuſcepit, reputans eſcam ſibi diuinitus miniſtrari, nec ſine Deo factum, vt hi, qui ſemper hominum cruore gauderent, deficientibus iam, ac tabeſcentibus vitæ ſubſtantiam largirentur; alius verò recuſans cibum, velut ab homine ſibi oblatum, inediæ defectione conſumptus eſt. Quorum licet initia ex reprehenſibili perſuaſione deſcenderint, vnus tamen ſubueniente diſcretione, id quod temerè, incautèq; conceperat, emendaſſe agnoſcitur; alius autem in ſtulta præſumptione perdurans, ac penitus diſcretionis ignarus, mortem, quam Dominus auertere voluit, ſibi ipſi conſciuit, nequaquam credens diuino iuſtinctu factum, quòd immitis populus propriæ feritatis oblitus, panes eis pro gladijs obtuliſſent.

DE ALTERIVS ILLVSIONE, QVAM PER IMPERITIAM DISCRETIONIS INCVRRIT. CAP. VII.

QVID etiam de illo commemorem, cuius nominis, quia adhuc ſupereſt, nolumus facere mentionem, qui dum longo tempore dæmonem in Angeli ſuſcepit claritate, reuelationibus eius innumeris ſæpe deceptus, credidit internuncium eſſe iuſtitiæ? Nam exceptis his etiam, per omnes noctes in cella eius lumen abſq; vllius lucernæ præbebat officio. Ad extremum iubetur ab ipſo, vt Deo filium ſuum, qui cum eodem pariter commanebat, deuotus offerret, vt hoc ſcilicet ſacrificio Abrahæ Patriarchæ meritis in nullo inueniretur inferior. Cuius intantum eſt credulitate ſeductus, vt hoc confeſtim parricidium ópere perfeciſſet, niſi eum videns puer cultrum extra conſuetudinem acuendo præparare, & vincula, quibus eum velut oblaturus ad immolandum conſtringere diſponebat, inquirere, præſagio ſceleris futuri perterritus, è cella concitus aufugiſſet.

DE LAPSV, ET DECEPTIONE MONACHI MESOPOTAMENI. CAP. VIII.

LONGVM eſt deceptionem illius quoq; monachi Meſopotameni percurrere, qui in illa prouincia perpaucis imitabilem exhibens continentiam, quam per annos multos ſingulariter in cella retruſus exegerat, ita

eſt ad extremum diabolicis reuelationibus, ſomnijsq́; deluſus, vt poſt tantos labores, atq; virtutes; quibus omnes monachos ibidem reſidentes exceſſerat, ad Iudaiſmum, & conciſionem carnis lapſu miſerabili fuerit deuolutus, eò quòd illi ſolita viſione, qua volens eum ad credulitatem futuræ deceptionis illicere, veriſſima quæque multo tempore diabolus velut veritatis nuncius reuelarat, oſtenderat demum Chriſtianum populum vnà cum principibus religionis, ac fidei noſtræ, Apoſtolis ſcilicet, atq; martyribus tenebroſum, ac tetrum, omniq́; macie tabidum, atq; deformem, & econtra Iudæorum populum vnà cum Moyſe, Patriarchis, atq; Prophetis ſumma tripudiantem lætitia, & ſplendidiſſimo lumine coruſcantem, proinde ſuadens, ſi mallet meriti, ac beatitudinis illorum particeps fieri, circunciſionem quoq; ſuſcipere feſtinaret. E quibus profectò tam lugubriter nemo fuiſſet illuſus, ſi rationem diſcretionis huius aſſequi laboraſſet. Quamobrem in quantis pernicioſum ſit, diſcretionis gratiam non habere, multorum caſus, & experimenta declarant.

VERBA ABBATIS SERAPIONIS, ET DE MARCORE PATEFACTARVM COGITATIONVM, ET DE PERICVLO PROPRIAE CONFIDENTIAE.

CAP. XI.

CVM adhuc eſſem puerulus, inquit Serapion, & cum Abbate Theone commanerem, hæc mihi fuerat, inimici impugnatione, conſuetudo ſeualis ingeſta, vt poſtquam me refeciſſem hora nona cum ſene, vnum paximatium quotidie in ſinu meo latenter abſconderem; quod veſperi, illo ignorante, occultè edebam. Hoc furtum licet conniuentia cogitationis, & inoliti ſemel deſiderij incontinentia, ſine ceſſatione committerem, expleta tamen concupiſcentia fraudulenta, ad memetipſum reuertens, ſuper admiſſo furti crimine grauius cruciabar, quàm ſuper eſu eius fueram iocundatus. Cumq; illud moleſtiſſimum opus, velut ab exactoribus Pharaonis indictum mihi, vice laterum, ſingulis diebus explere non ſine dolore cordis compellerer, nec tamen eruere me poſſem ab hac eorum ſæuiſſima tyrannide, & clandeſtinum furtum ſeni manifeſtare confunderer, contigit Dei nutu de hoc me captiuitatis iugo volentis eripere, vt quidam fratres cellam ſenis gratia ædificationis expeterent. Cumq; refectione tranſacta, collatio ſpiritalis cœpiſſet agitari, reſpondens que ſenex propoſitis interrogationibus eorum, de gaſtrimargiæ vitio, & occultarum cogitationum dominatione diſſereret, earumq́; naturam, & atrociſſimam vim, quam haberent, donec celarentur, exponeret, compunctus ego collationis huius virtute, & conſcientiæ meæ reatu perterritus, velut qui crederem ob hoc ea fuiſſe prolata, quòd ſeni eſſent ſecreta mei pectoris patefacta, in occultos primùm gemitus excitatus, deinde cordis mei compunctione creſcente,

in-

in apertos ſingultus, lachrymaſq; prorumpens, paximatium, quod conſuetudine vitioſa clanculum parauerara comedendum, de ſinu ſuiti mei conſcio, ac ſuſceptore produxi, ipſum'que in medium proferens, quemadmodum quotidie inuolans ipſum latenter ederem, coram eo in terram ſubmiſſus cum veniæ poſtulatione confeſſus ſum, & vbertim profuſis lachrymis, abſolutionem diriſsimæ captiuitatis huius, interceſsionibus eorum, atque orationibus implorau. Tunc ſenex; Confide, ait, puer, abſoluit te à captiuitate, etiam me tacente, confeſsio tua. De victore nanque aduerſario tuo hodie triumphaſti, validius eum tua confeſsione eliden s, quàm ipſe fueras ab illo tua taciturnitate deiectus, quem nequaquam vel tua, vel alterius reſponſione confutans, in te nunc vſque permiſeras dominari, ſecundùm illam Salomonis ſententiam: Quia cito non fit contradictio ab his, qui faciunt malum, ideo repletum eſt cor filiorum hominum in ipſis vt faciant mala: & idcirco iam te poſt hanc publicationem ſuam, nequiſsimus ſpiritus iſte nullatenus inquietabit vlteriùs, nec in te latibulum ſibi teterrimus ſerpens deinceps vſurpabit, de tenebris tui cordis confeſsione ſalutari protractus ad lucem. Necdum ſenex hæc verba compleuerat, & ecce lampas accenſa de meo ſinu procedens, tanto cellam repleuit odore ſulphureo, vt vehementia fœtoris ipſius vix in ea reſidere poſſemus. Reſumens'que ſenex admonitionem; Ecce, inquit, Dominus tibi veritatem ſermonum meorum experimento probauit, vt paſsionis incentorem de corde tuo confeſsione ſalubri fugatum oculorum fide perciperes, patefactum'que hoſtem nequaquam locum in te vlteriùs habiturum aperta eius expulſione cognoſceres. Itaque ſecundùm ſententiam ſenis, ita eſt, inquit, in me confeſsionis huius virtute dominatio diabolicæ illius tyrannidis extincta, atque in perpetuum conſopita, vt nunquam mihi ne memoriam quidem concupiſcentiæ huius vlteriùs tentauerit inimicus ingerere, nec me poſt hæc aliquando pulſatum furtiui illius deſiderij inſtigatione perſenſerim. Quem ſenſum in Eccleſiaſte quoq; pulcherrimè legimus figuratum. Si momorderit, inquit, ſerpens non in ſibilo, non eſt abundantia incantatori: taciti ſerpentis morſum pernicioſum eſſe deſignans, id eſt, ſi per humilem confeſsionem ſuggeſtio, ſeu cogitatio diabolica incantatori cuiquam, ſpiritali ſcilicet viro, qui carminibus ſcripturarum mederi protinus vulneri, & extrahere de corde viri conſueuit noxia venena ſerpentis, patefacta non fuerit, ſuccurrere pericliranti, perituro'ue non poterit. Hoc igitur modo ad ſcientiam diſcretionis veræ peruenire facillimè poterimus, vt ſeniorum veſtigia ſubſequentes, neque agere quicquam noui, neq; diſcernere noſtro iudicio præſumamus, ſed quemadmodum nos vel traditio illorum, vel vitæ probitas informarit, in omnibus gradiamur. Qua firmatus, non modò ad perfectam diſcretionis rationem quiſq; perueniet, verùm etiam munitus à cunctis inſidijs inimici, & tutiſsimus permanebit. Nullo nanq; alio vitio tam præcipitem diabolus monachum pertrahit, ac perducit ad mortem, quàm cùm eum neglectis conſilijs ſeniorum in ſuo iudicio perſuaſerit, ac diffinitione, doctrina'ue confidere. Etenim cùm omnes artes, ac diſciplinæ humano ingenio repertæ, & quæ nihil amplius quàm vitæ huius temporariæ commodis proſunt, licet manu palpari queant, & oculis peruideri, rectè tamen à quoquam ſine inſtituentis doctrina nequeant comprehendi, quàm ineptum eſt credere, hanc ſolam non egere doctore, quæ inuiſibilis, & occulta eſt, & quæ non ſolùm oculis, ſed ne animo quidem, niſi corde puriſsimo perſpici poteſt? Cuius ignoratio non tẽporale damnũ, nec quod facilè reparetur, ſed animæ perditionem parit, mortemq; perpetuam. Habet enim non aduerſus viſibiles, ſed inuiſibiles, atque immites hoſtes

diurnum, nocturnumq́; conflictum, nec contra vnum, ſeu duos, ſed contra innumerabiles cateruas ſpiritale certamen. Cuius caſus tantò pernicioſior cunctis, quantò & infeſtior inimicus, & congreſſus occultior. Et ideo ſemper ſeniorum ſumma diligentia ſunt ſectanda veſtigia, atq; ad eos cuncta, quæ in noſtris cordibus oriuntur, ſublato confuſionis velamine, deferenda.

DE CONFVSIONE CALCANDA, ET PERICVLO NON CONDOLENTIS.

CAP. XIII.

SICVT non ſunt omnes iuuenes pari modo, vel feruentes ſpiritu, vel diſciplinis, ac moribus optimis inſtituti, ita ne ſenes quidem cuncti vno modo vel perfecti poſſunt, vel probatiſsimi reperiri. Diuitiæ enim ſenum non ſunt caniciæ capitis, ſed induſtria iuuentutis, ac præteritorum laborum ſtipendijs metiendæ. Quæ enim non congregaſti, inquit, in iuuentute, quomodo inuenies in ſenectute tua? Senectus enim venerabilis eſt, non diuturna, neq; numero annorum computata. Cani enim ſunt ſenſus hominis, & ſenectus vita immaculata. Et idcirco non omnium ſeniorum, quorum capita caniciés tegit, quosq́; vitæ longæuitas ſola commendat, nobis ſunt imitanda veſtigia, vel ſectanda, ſeu traditiones, ac monita ſuſcipienda, ſed eorum, quos laudabiliter vitam ſuam, ac probatiſsimè comperimus in ſenectute ſignaſſe, nec præſumptionibus proprijs, ſed maiorum traditionibus inſtitutos. Sunt enim nonnulli, quorum etiam (quod eſt lugubrius) maior pars ſine dubio reperitur, qui in tepore ſuo, quem ab adoleſcentia conceperunt, atq; ignauia ſeneſcentes, auctoritatem ſibi, non maturitate morum, ſed annorum numeroſitate conquirunt. Quibus exprobatio illa Domini per Prophetam ſatis competit: Et comederunt alieni robur eius, & ipſe neſciuit. Sed & cani effuſi ſunt in eo, & ipſe ignorauit. Hos, inquam, in exemplum iunioribus non eorum vitæ probitas, nec vlla propoſiti huius laudabilis, atq; imitanda diſtrictio, ſed annoſitas ſola prouexit. Quorum caniciem callidiſsimus inimicus ad deceptionem iuniorum in præiudicata auctoritate proponens, etiam illos, qui ad viam perfectionis vel ſuis, vel aliorum potuerunt monitis incitari, ſubuertere, ac decipere exemplis eorum fraudulenta ſubtilitate feſtinat, vel in teporem ſcilicet noxium, vel in letalem deſperationem eorum doctrinis, inſtitutisq́; perducens. Cuius rei volens vobis proferre exemplum, auctoris nomine prætermiſſo, ne nos quoq; illius, qui patefacta ſibi fratris vitia publicauit, ſimile aliquid admittamus, rem tantùm geſtam, quæ inſtructionem neceſſariam vobis conferat, paucis exponam. Cùm igitur ad ſenem quendam nobis optimè cognitum quidam non ignauiſsimorum iuuenum profectus ſui, & curationis gratia perrexiſſet, & carnalibus incentiuis, ac fornicationis ſpiritu ſemetipſum inquietari ſimpliciter prodidiſſet, conſolationem credens laboribus ſuis oratione ſenis, & remedia conceptis vulneribus reperturum, ille amariſsimis eum verbis excipiens, ita ſuis èconterario correptionibus exaſperauit, miſerabilem pronuncians, & indignum, nec monachi nomine, ac religione cenſendũ, qui potuerit huiuſmodi vitio, & cõcupiſcẽtia

titillari; atque ita ſuis acerbis increpationibus vulnerauit, vt eum ſumma deſperatione deiectum, triſtem'que admodum, ac letali mœſtitia penitus obrutum è ſua dimitteret cella. Cùm'q; ei in tali mœrore depreſſo, nec iam de remedio paſsionis, ſed de expletione conceptæ concupiſcentiæ profunda cogitatione tractanti, Abbas Apollo protinus occurriſſet, & vim laboris eius, & oppugnationis vehementiam, quæ in corde eius tacitè voluebatur, de contemplatione vultus, & intuitus ipſius deiectione coniectans, cauſam tantæ perturbationis inquireret, atq; ille molliter ſe compellanti ſeni ne reſponſum quidem vllum poſſet referre, magis, ac magis eum ſentiens ſenex non inaniter cauſam tantæ triſtitiæ ſilentio velle contegere, quoniam ne vultu quidem id diſsimulare quiuiſſet, intentiùs ab eo cauſas occulti doloris cœpit inquirere. Quibus ille conſtrictus, pergere ſe ad vicum confitetur, vt quia, ſecundùm ſententiam illius ſenis, monachus eſſe non poſſet, nec refrenare ſtimulos carnis, & impugnationis remedia conſequi præualeret, vxorem duceret, ac relicto monaſterio reuerteretur ad ſeculum. Quem ſenex Apollo blanda conſolatione demulcens, ſeſe'q; aſſerens iiſdem quotidie incentiuorum ſtimulis, atq; æſtibus agitari, & idcirco non debere eum prorſus in deſperationem concidere nec mirari ſuper impugnationis ardore, qui non tam laboris ſtudio, quàm miſericordia Domini, & gratia vinceretur, vnius tantùm diei ſuper dilatione ruinæ diſpoſitæ ab eodem popoſcit inducias, & vt reuerteretur ad ſuam cellulam deprecatur. Deinde ad monaſterium prædicti ſenis illico tota feſtinatione perrexit; cùmq; ei deē appropinquaſſet, expanſis manibus orationē cum lachrymis fundens; Conuerte, ait, Domine, qui occultarum virium, & infirmitatis humanæ ſolus arbiter, piusq;, ac ſecretus es medicus, impugnationem illius iuuenis in ſenem iſtum, vt condeſcendere infirmitatibus laborantium, & compati fragilitati iuniorum, vel in ſenectute doceatur. Cùmq; ille hanc precem cum gemitu concluſiſſet, cernit Aethiopem tetrum contra illius cellulam ſtantem, atq; aduerſus eum ignita iacula dirigentem. Quibus cùm fuiſſet ille protinus ſauciatus, progreſſus è cella, & huc, illuc'q; velut amens, & ebrius curſitaret, atq; egrediens, & ingrediens iam continere ſe in ea non poſſet, eadem via concitus pergere cœpit, qua mœſtus iuuenis ille diſceſſerat. Quem Abbas Apollo velut amentem factum, ac quibuſdam furijs agitari conſpiciens, intellexit ignitum diaboli telum, quod viderat ab illo directum, in eius corde fuiſſe defixum, illamq; in eo confuſionem mentis, ac perturbationem ſenſuum, intolerandis æſtibus operari; accedensq; ad eum; Quò, inquit, properas? Aut quæ'nam te cauſæ ſenilis illius, atq; ſolitæ grauitatis oblitum, ita pueriliter inquietant, ac mobiliter curſitare compellunt? Cùm'q; ille pro conſcientiæ ſuæ reatu, ac turpi exagitatione confuſus, crederet ardorem ſui pectoris deprehenſum, ac retectis ſeni ſui cordis arcanis, nullam reſponſionem percontanti ſe reddere prorſus auderet; Reuertere, inquit Apollo, ad cellam, tandem'q; te intellige, vel ignoratum hactenus à diabolo, vel deſpectum, nec in eorum numero reputatum, cum quibus ille quotidie confligere, & colluctari profectibus eorum, ac ſtudijs inſtigatur, quippe qui vnum eius in te directum iaculum poſt tantam annorum ſeriem, quam in hac profeſsione triuiſti, non dicam reſpuere, ſed ne differre quidem vel vno die, ac tolerare quiuiſti. Hoc te ſauciari Dominus idcirco permiſit, vt ſaltem in ſenecta diſceres compati infirmitatibus alienis, & fragilitati condeſcendere iuniorum, tuis exemplis, atq; experientia docereris, qui ſuſcipiens iuuenem infeſtatione diabolica laborantem, non modò nulla conſolatione fouiſti, ſed etiam pernicioſa deſperatione deiectum, inimici manibus tradidiſti, quantum in te eſt, ab eodem lugubriter deuorandum. Quem ſine dubio nequaquā attentaſſet tam vehementi conflictu, quo te nunc vſq; eſt appetere

dedignatus, niſi fortè profectui eius inuidens inimicus, illam virtutem, quam animo eius ineſſe cernebat, anticipare, ac peruertere ſuis ignitis iaculis feſtinaſſet, proculdubio iudicans fortiorem, cum quo tanta vehementia confligere operæpretium iudicauit. Diſce itaq; tuis exemplis, laborantibus condolere, & periclitantes nequaquam perniciosa deſperatione deterrere, nec duriſsimis ſermonibus aſperare, ſed potiùs leui, blandaq́; conſolatione refouere; &, ſecundùm præceptum ſapientiſsimi Salomonis, eruere eos, qui ducuntur ad mortem, & redimere eos, qui interficiuntur; noſtriq́; Saluatoris exemplo, arundinem quaſſatam non conterere, & lignum fumigans non extinguere; illamq́; à Domino gratiam poſtulare, vt ipſe quoq; fiducialiter valeas opere, ac veritate dicere: Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt ſciam ſuſtentare eum, qui lapſus eſt verbo. Nullus enim poſſet inſidias inimici ſufferre, ſeu carnales æſtus naturali quodammodo igne flagrantes vel extinguere, vel reprimere, niſi gratia Dei vel iuuaret fragilitatem noſtram, vel protegeret, vel ſua miſericordia communiret. Et idcircò ſalutaris huius diſpenſationis ratione finita, quia vel illum iuuenem pernicioſis æſtibus Dominus liberare, vel de impugnationis vehementia, & compatiendi affectu te voluit erudire, communibus eum precibus imploremus, quò flagellum iſtud, quod vtilitatis gratia Dominus inferre dignatus eſt, iubeat temperari (ipſe enim dolorem facit, & rurſum medetur; percutit, & manus eius ſanant; ipſe humiliat, & exaltat; ipſe occidit, & viuificat; deducit ad infernum, & reducit) & ignita diaboli iacula, quæ, me arbitro, tibi permiſit infligi, redundante diuino Spiritus ſui rore reſtinguat. Quam tentationem licet eadem celeritate, qua inferri eam Dominus paſſus eſt, ad vnam ſenis orationem, ſua pietate rurſus abſtulerit, hoc tamen euidenter experimento docuit, non modo non exprobari patefacta cuiusq; vitia debere, ſed ne diſsimulare quidem laborantis dolorem, ſeu leniter præterire. Et idcirco nequaqam nos vnius ſenis, ſiue paucorum vel imperitia, vel leuitas ab illa ſalutari, quam prædiximus, via; & traditione maiorum deterreat, & excludat, quorum canicie ad deceptionem iuniorum calidiſsimus abutitur inimicus. Sed abſque vllo confuſionis operimento omnia debent ſenioribus reuelari, atq; ab eis vel remedia noſtris vulneribus, vel exempla conuerſationis, ac vitæ fiducialiter ſumi, in quibus parem opem, & ſimilem experiemur effectum, ſi nihil penitus affectare noſtro iudicio, ac præſumptione tentemus.

EX LIBRO PRIMO COLLATIONVM PATRVM EIVSDEM IOANNIS CASSIANI, COLLATIONE TERTIA DE TRIBVS ABRENVNCIATIONIBVS.

CAP. I.

IN illo choro ſanctorum, qui velut aſtra puriſsima in nocte mundi iſtius refulgebant, vidimus ſanctum Paphnutium vice luminaris magni claritate ſcientiæ coruſcantem. Hic namq; Presbyter congregationis noſtræ, id eſt illius quæ in eremo Scythiæ morabatur, fuit. In qua ita vſq; ad extremam durauit ætatem, vt nunquam è cella, quam iunior cœperat habitare, quæq; ab Eccleſia millibus quinq; diſtabat, ſaltem ad viciniora migrauerit; nec feſſus annis, tanti itineris ſpatio, die ſabbati, vel Dominico venturus ad eccleſiam vexaretur; ſed nec vacuus quidem reuerti exinde contentus, vas aquæ, quam per totam erat hebdomadam ſumpturus, ceruicibus ſuis onerans, reportabat ad cellam: Cumq; nonagenariam exceſsiſſet ætatem, nunquam paſſus eſt eam iuniorum ſibi labore deferri. Hic itaq; ab adoleſcentia ſua ſcholæ cœnobij tanto ardore ſe tradidit, vt in ea paruo tempore commoratus, tam ſubiectionis bono, quam vniuerſarum virtutum ſcientia pariter ditaretur. Humilitatis 1 namq;, & obedientiæ diſciplina omnes ſuas mortificans voluntates, & per hanc extinctis vniuerſis vitijs, cunctiſq; virtutibus conſummatis, quas monaſteriorum inſtituta, vel antiquiſsimorum patrum doctrina fundauit, ſublimioris profectus ardore ſuccenſus, eremi feſtinauit ſecreta penetrare, vt Domino, cui inter fratrum turbas poſitus ſitiebat inſeparabiliter inhærere, nullo deinceps ab eius contemplatione humano conſortio, vel imagine ſe retrahente, facilius vniretur. Vbi rurſum maximo feruore etiam ipſorum anachoretarum virtutes ſuperans, deſiderio, & intentione iugis ac diuinæ illius theoriæ, cunctorum deuitabat aſpectus, vaſtiora, & innacceſsibilia ſolitudinis penetrans loca, multoq; in eis tempore deliteſcens, vt ab ipſis quoq; anachoretis difficulter, ac rariſsimè deprehenſus, Angelorum quotidiano conſortio delectari, ac perfrui crederetur, atq; ei merito virtutis huius, ab ipſis inditum fuerit bubali cognomentum.

1 Vide ſancti patris humilitatem, & obedientiam, aliaſq; virtutes cum vniuerſorum extinctione vitiorum.

PROPOSITIO ABBATIS PAPHNVTII DE TRIBVS VOCATIONVM GENERIBVS, ET DE TRIBVS ABRENVNCIATIONIBVS.

CAP. III.

PAPHNVTIVS, Tres, inquit, vocationum ſunt ordines; tres quoq; renunciationes monacho in quocunq; vocationis ordine cõſtituto neceſſarias nouerimus. Et primam quidem cauſam, qua tres eſſe vocationum ordines diximus, oportet nos diligenter inquirere, vt cùm agnouerimus nos ad Dei cultum primo gradu vocationis aſcitos, ſecundùm eius ſublimitatem, cõuerſationis quoq; noſtræ congruentiam temperemus. Nihil enim proderit ſublimiter inchoaſſe, ſi ſimilem principijs non exhibuerimus finem. Quòd ſi etiã vltimo ordine nos à conuerſatione ſeculi extractos fuiſſe cognoſcimus, quantò minùs probabili ad religionem principio videmur inniti, tantò acriùs noſmetipſos ad meliorem finem ſpiritali feruore incitare curemus. Secundam quoq; cauſam trinæ abrenunciationis omnimodis noſſe nos conuenit, quia nullo modo perfectionem poterimus attingere, ſi eam vel ignorauerimus, vel ſcientes non contenderimus opere conſummare.

EXPOSITIO TRIVM ABRENVNCIATIONVM

CAP. IIII.

VT igitur tres hi vocationum modi ſpeciali diſtinctione pandantur, primus ex Deo eſt, ſecundus per hominem, tertius ex neceſsitate. Ex Deo quidem eſt, quoties inſpiratio quædam immiſſa in cor noſtrum, nonnunquam etiam dormientes nos ad deſiderium æternæ vitæ, ac ſalutis exſuſcitat, Deum'q; ſequi, & eius inhærere præceptis compunctione ſaluberrima cohortatur, vt in ſcripturis ſanctis Abraham voce Dominica de genitali ſolo, & totius cognationis ſuæ affectibus, patriſq; domo legimus euocatum, dicente Domino: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. Quo etiam modo beatum Antonium accitum eſſe cognouimus, qui occaſionem ſuæ conuerſionis à ſola diuinitate percepit. Ingreſſus namq; Eccleſiam, ibi'q; audiens in Euangelio Dominũ prædicantem: Qui non odit patrem, & matrẽ, & filios, & vxorẽ, & agros, inſuper & animã ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus: &, Si vis perfectus eſſe, vade, & vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me: præceptum hoc Domini, velut ſpecialiter ad ſe directum, cum ſumma cordis compunctione ſuſcepit,

confeſtimq; renuncians cunctis, ſecutus eſt Chriſtum, nulla exhortatione, neq; doctrina hominum prouocatus. Secundus vocationis modus eſt, quem fieri per hominem diximus, cùm vel exemplis quorundam ſanctorum, vel monitis inſtigati, ad deſiderium ſalutis accendimur. Quo nos quoq; gratia Domini aſciti ſumus, qui prædicti viri monitis, ac virtutibus incitati, huic nos ſtudio, profeſsioniq; tradidimus. Quo ordine etiam in ſcripturis ſanctis per Moyſen filios Iſraël de afflictione Aegypti legimus liberatos. Tertius verò vocationis modus eſt, qui ex neceſsitate deſcendit, cùm nos diuitijs mundi huius, vel voluptatibus obligati, ingruentibus repentè tentationibus, quæ vel mortis pericula comminantur, vel amiſsione bonorũ, ac proſcriptione percutiunt, vel charorum morte compungunt, ad Dominũ, quem ſequi in rerum proſperitate contempſimus, ſaltẽ inuiti properare compellimur. Cuius vocationis neceſsitatẽ in ſcripturis quoq; ſæpiſsimè reperimus, & ibi præcipuè cùm filios Iſraël ob merita peccatorum legimus à Domino traditos hoſtibus ſuis, ob eorumq; dominationem ſæuiſsimam, & crudelitatem rurſus conuerſos ad Dominum proclamaſſe. Et miſit eis, inquit, Dominus ſaluatorem Ahod filiũ Gera, filiũ Gemini, qui vtraq; manu vtebatur ꝑ dextera. Et rurſum; Clamauerunt, inquit, ad Dñm, qui ſuſcitauit eis ſaluatorẽ, & liberauit eos Othoniel filiũ Cenez, fratrem Caleph iuniorẽ. Et de talibus in pſalmo dicitur: Cùm occideret eos, quærebant eum, & reuertebãtur, & diluculo veniebant ad eũ. Et recordati ſunt, quia Deus adiutor eorum eſt, & Deus excelſus redemptor eorum eſt. Rurſumq;, Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur, & de neceſsitatibus eorum liberauit eos.

QVO'D ET DESIDIOSO VOCATIO PRIMA NON PROSIT, ET STRENVO POSTREMA NON OBSIT.

CAP. V.

EX his itaq; tribus modis, licet priores duo melioribus inniti principijs videantur, nonnunquam tamen inuenimus etiam de tertio gradu, qui infimus videtur, ac tepidus, perfectos viros, ac ſpiritu feruentiſsimos extitiſſe, illiſq; conſimiles, qui optimo principio aggreſsi Domini famulatum, reliquam quoq; vitam laudabili feruore ſpiritus exegerunt; & iterum de illo ſuperiori gradu plurimos labefactos, ad vituperabilem finem ſæpiſsimè recidiſſe. Ac perinde ſicut illis nihil obfuit, quòd non ſuo viderentur arbitrio, ſed neceſsitatis compulſione cõuerſi, quippè quibus hanc ipſam occaſionem, qua compungerentur, Domini benignitas procurauit; ita etiam iſtis omnino nihil profuit ſublimiora conuerſionis habuiſſe principia, quia nõ ſtuduerunt reliquam vitam fine congruo terminare. Nec enim Abbati Moyſi, qui habitauit in loco iſtius eremi, cui Calamus nuncupatio eſt, quicquam defuit ad perfectæ beatitudinis meritum, quòd metu mortis, quæ ei propter homicidij crimen intentabatur, impulſus ad monaſterium decucurrit; quam neceſsitatem conuerſionis ita arripuit, vt eam in voluntatem prompta animi virtute conuertens, ad perfectionis faſtigia ſumma peruenerit. Sicut etiam è contrario plurimis, quos

nominatim memorare non debeo, nihil profuit Domini ſeruitutem meliore arripuiſſe principio, qui deinceps cordis ignauia, ac duritia ſubſequente, qua ſeniorum traditionibus acquieſcere noluerunt, in teporem noxium, ac in profundum mortis baratrum conciderunt. Quam rem Apoſtolorum quoq; vocatione videmus euidenter expreſſam. Quid enim profuit Iudæ Apoſtolatus ſublimiſſum gradum eodem ordine, quo Petrus, cæteriq; Apoſtoli aſciti ſunt, voluntariè ſuſcepiſſe, qui vocationis ſuæ præclara principia, cupiditatis, ac philargiriæ peſtifero fine conſummans, vſq; ad traditionem Domini crudeliſsimus parricida prorupit? Aut quid obfuit Paulo, quòd repente cæcatus, ad viam ſalutis, velut inuitus, videtur attractus, qui poſtea Dominum tota animi deuotione ſectatus, initium neceſsitatis voluntate conſummans, glorioſam tantis virtutibus vitam immutabili fine concluſit? Totum ergo in fine conſiſtit, in quo poteſt quis & optimæ conuerſionis initijs ſublimatus, inferior per negligentiam reperiri, & neceſsitate attractus ad nomen monachi profitendum, effici per timorem Dei, diligentiamq; perfectus.

QVAE SINT TRES ABRENVNCIATIONES.

CAP. VI.

NVNC de abrenunciationibus differendum eſt, quas tres eſſe & patrum 1 traditio, & ſcripturarum ſanctarum demonſtrat auctoritas, quasq; vnumquenq; noſtrum omni ſtudio oportet implere. Prima eſt, qua corporaliter vniuerſas diuitias mundi, facultatesq; contemnimus. Secunda, qua mores, ac vitia, affectusq; priſtinos animi, carnisq; reſpuimus. Tertia, qua mentem noſtram de præſentibus vniuerſis, ac viſibilibus euocantes, futura tantummodò contemplamur, & ea, quæ inuiſibilia ſunt, concupiſcimus. Quæ tria, vt ſimul perficiantur, ad Abraham legimus à Domino fuiſſe præcepta, cùm dicit ad eum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. Primùm dixit, de terra tua, id eſt de facultatibus mundi huius, opibusq; terrenis. Secundò, de cognatione tua, id eſt de conuerſatione, & moribus, vitijsq; prioribus, quæ nobis à noſtra natiuitate cohærentia, velut affinitate quadam, & conſanguinitate videntur eſſe cognata. Tertiò, de domo patris tui, id eſt, omni memoria mundi huius, quæ oculorum occurrit obtutibus. De duobus enim patribus, id eſt, ſiue de illo, quem deſerere, ſiue de illo, quem debemus expetere, ita per Dauid ex perſona Dei canitur: Audi, filia, & vide, & inclina aurẽ tuã, & obliuiſcere populũ tuũ, & domum patris tui. Nã qui dicit, Audi filia; pater vtiq; eſt; & illũ, cuius domũ, vel populũ iubet obliuioni dari, patrem nihilominus ſuæ filiæ fuiſſe teſtatur. Quod ita fit, cùm mortificati cum Chriſto, ab elementis huius mundi contemplamur, ſecundùm Apoſtolum, iam non ea, quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt, quæ autẽ non videntur, æterna. Itaq; exeũtes corde de hac tẽporali, & viſibili domo, in illã domum, in qua iugiter erimus manſuri, noſtros oculos, mentemq; dirigamus. Quod tunc implebimus, cùm in carne ambulantes, non ſecundùm carnem militare Domino cœperimus, juxta illam beati Apoſtoli

1 Ecce quanti faciat patrũ Traditiones, vt eas ante Scripturarũ auctoritatem nominet, cùm tamen ſecundum poſt eas locum obtineant.

ſententiam

ſententiam opere, ac virtute nos quoque clamantes: Noſter autem municipatus in cœlis eſt. His tribus abrenunciationibus propriè tres libri Salomonis aptantur. Nam Prouerbia primæ abrenunciationi conueniunt, quibus mores emendantur incipientium, aut terrena vitia reſecantur. Secundæ abrenunciationi Eccleſiaſtes, vbi vniuerſa, quæ aguntur ſub ſole, vanitas pronunciantur. Tertiæ Canticum canticorum, in quo mens viſibilia cuncta tranſcendens, verbo iam Dei, & cœleſtium rerum contemplationi coniungitur.

EX LIBRO PRIMO COLLATIONVM PATRVM EIVSDEM IOANNIS CASSIANI COLLATIONE QVARTA DE CONCVPISCENTIA CARNIS, ET SPIRITVS.

DE ABBATIS DANIELIS CONVERSATIONE.

CAP. I.

INTER cæteros Chriſtianæ Philoſophiæ viros, Abbatem quoq; vidimus Danielem, æqualem quidem in omni virtutum genere his, qui in eremo Scythiæ commanebant, ſed pecularius gratia humilitatis ornatum. Qui merito puritatis, ac mãſuetudinis ſuæ à beato Paphnutio ſolitudinis eiuſdem presbytero, & quidem cùm multis iunior eſſet ætate, in Diaconij prææelectus eſt gradu. In tantum autem beatus hic Paphnutius virtutibus ipſius adgaudebat, vt quem vitæ meritis ſibi & gratia parem nouerat, coæquare ſibi etiam ſacerdotij ordine feſtinaret. Siquidem nequaquam ferens in inferiore eum miniſterio diutius immorari, optansq; ſibimet ſucceſſorem digniſsimum prouidere, ſuperſtes eum ad presbyteralis gradus honorem prouexit. Qui tamen prioris humilitatis conſuetudinem non omittens, nihil vnquam ſibi, illo præſente, de 1 ſublimioris ordinis collatione donauit, ſed ſemper Abbate Paphnutio ſpiritales hoſtias offerente, hic velut Diaconus in prioris miniſterij permanſit officio. In quo tamen beatum Paphnutium, cùm talis vir eſſet, ac tantus, vt in multis etiam præſcientiæ gratiam poſsideret, hæc ſpes ſubſtitutionis, & electio valde fefellit. Nam non multo poſt tempore hunc, quem ſibi parauerat ſucceſſorem, deceſſorem præmiſit ad Deum.

1 Ecce quomodo in ordine Eccleſiaſtico diuerſi ſunt gradus alius alio ſublimior, ad quos ordinatè aſcẽdendum eſt.

EX LIBRO PRIMO COLLATIONVM PATRVM EIVSDEM IOANNIS CASSIANI, COLLATIONE QVINTA DE OCTO PRINCIPALIBVS VITIIS.

DE PERSEVERANTIA GASTRIMARGIAE ADVERSVS PHILOSOPHOS DISPVTATA.

CAP. XXI.

VITII Gaſtrimargiæ naturam quidam ſenum cum Philoſophis diſputans, qui eum pro ſimplicitate Chriſtiana, velut ruſticum, credebant fatigandum, ſub hoc problematis figurans colore eleganter expreſsit. Multis, inquit, creditoribus pater meus me dereliquit obnoxium. Cæteris ego omnibus ad integrum ſoluens, ab omni conuentionis eorum moleſtia liberatus ſum; vni tantùm ſatisfacere quotidie ſoluendo non poſſum. Cùmq; illi ignorantes vim propoſitæ quæſtionis, abſolutionem eius precariò poſtularent; Multis, ait, vitijs fui naturali conditione conſtrictus, ſed inſpirante Domino deſiderium libertatis, cunctis illis, tanquam moleſtiſsimis creditoribus, renuncians huic mundo, & omnem ſubſtantiam, quæ mihi ſucceſsione patris obuenerat, à me pariter abijciens, ſatisfeci, atq; ab eis ſum omnimodis abſolutus. Gaſtrimargiæ verò ſtimulis nullo modo carere præualui. Nec enim, quamuis eam in paruum modum, viliſsimamq; redigerem quantitatem, vim quotidianæ compulſionis euado, ſed neceſſe eſt, me perpetuis eius conuentionibus perurgeri, & interminabilem quandam ſolutionem iugi functione dependere, atq; inexplebile indictionibus eius inferre vectigal. Tum illi hunc, quem velut idiotã, ac ruſticum ante deſpexerant, pronunciauerunt primas philoſophiæ partes, id eſt, ethicã diſciplinam apprimè cõprehendiſſe, mirati admodũ potuiſſe illum naturaliter aſſequi, quod nulla ei ſæcularis eruditio contuliſſet, cùm ipſi ſudore multo, longaque doctrina hæc attingere nequiuiſſent.

EX LIBRO PRIMO COLLATIONVM PATRVM EIVSDEM IOANNIS CASSIANI, COLLATIONE SEXTA DE NECE SANCTORVM.

DE DESCRIPTIONE EREMI, ET INQVISITIONE DE NECE SANCTORVM.

CAP. I.

IN Palæſtinæ partibus iuxta Thecue vicum, qui Amos Prophetam meruit procreare, ſolitudo vaſtiſsima eſt vſq; ad Arabiam, ac mare mortuum, quo ingreſſa deficiunt fluenta Iordanis, & aluei ſui faciunt finem, ac cineres Sodomorum ampliſsima ſunt extenſione porrecti. In hac ſummæ vitæ, ac ſanctitatis viri monachi diutiſsimè commorati, repente ſunt à diſcurrentibus Sarracenorum latrunculis interempti. Quorum corpora licet ſciremus tam à Pontificibus regionis illius, quàm ab vniuerſa plebe Arabum tanta t veneratione prærepta, & inter reliquias martyrum condita, vt innumeri populi è duobus oppidis concurrentes, grauiſsimum ſibi certamen indixerint, & vſque ad gladiorum conflictum pro ſancta rapina ſit eorum progreſſa contentio, dum pia inter ſe deuotione decertant, qui nam iuſtius eorum ſepulturam, ac reliquias poſsiderent, alijs ſcilicet de vicinia commorationis ipſorum, alijs de originis propinquitate gloriantibus; nos tñ vel noſtrorum, vel aliorũ quorundã non mediocriter ex hac parte ſcãdalizatorum fratrum offenſione permoti, inquirentesq́; cur tanti meriti, actãtarum virtutum viri ita ſint à latrunculis interfecti, tantumq́; Dominus paſſus fuerit erga ſuos famulos facinus ꝑpetrari, vt viros cũctis mirabiles in manus traderet impiorum, mœſti ad ſanctum Theodorum ſingularẽ in conuerſatione actuali perreximus virum. Hic nanq; morabatur in cellis, qui locus inter Nitriam, ac Scythiam ſitus, & à monaſterijs quidẽ Nitriæ quinq; millibus diſtãs, octoginta milliũ ſolitudine ab eremo Scythiæ, in qua cõmorabamur, interueniente diſcernitur. Cui cùm de prædictorum virorum nece querimoniam fudiſſemus, admirantes tan-

t Vide ſanctorum corpora, & reliquias venerandas eſſe.

tam Dei patientiam, quòd viros ſcilicet illius meriti taliter perimi permiſiſſet, & qui alios quoque ſuæ ſanctitatis pondere de huiuſmodi liberare tentatione debuerint, ne ſeipſos quidem præripuerint de manibus impiorum, aut cur Deus admitti in ſeruos ſuos tantum facinus conſenſiſſet, beatus Theodorus reſpondit.

RESPONSIO ABBATIS THEODORI AD PROPOSITAM QVAESTIONEM.

CAP. II.

HAEC quæſtio illorum ſolet animos permouere, qui parum fidei, vel ſcientiæ poſsidentes, merita ſanctorum, vel præmia, quæ non in præſenti redduntur, ſed repoſita ſunt in futurum, arbitrantur in huius temporalis vitæ breuitate reſtitui. Cæterùm nos, qui non ſumus in hac vita tantùm ſperantes in Chriſto, ne, ſecundùm Apoſtolum, miſerabiliores ſimus omnibus hominibus, ſi videlicet in hoc mundo nihil promiſsionũ recipientes, etiã in futuro eas pro hac incredulitate perdamus, opinionibus eorũ nõ debemus errare, ne ignorata veræ diffinitionis ſentẽtia, titubãtes ac trepidi tentationibus moueamur, cùm eiſdẽ tẽtationibus nos quoque traditos viderimus, vel iniuſtitiã ſcilicet, vel incuriã humanarum rerũ Deo (quod dictu quoque nefas eſt) aſcribentes, quia ſanctos viros, rectèque viuentes, in tentatione nõ protegat, nec bonis ea quæ bona ſunt, nec mala malis retribuat in præſenti, ne'ue cum illis damnari mereamur, quos Sophonias Propheta caſtigat; Qui dicunt, inquiens, in cordibus ſuis, Non faciet Dominus benè, ſed neque faciet malè; vel certè cum illis inueniamur, qui huiuſmodi querimonijs Deum blaſphemare dicuntur: Omnis qui facit malum, bonus eſt in conſpectu Domini, & tales ei placent: aut certè: Vbi eſt Deus iuſtitiæ? illam quoque blaſphemiam, quæ in ſubſequentibus deſcribitur, ſimiliter adiungentes: Vanus eſt, qui ſeruit Deo: aut, Quod emolumentum, quia cuſtodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus triſtes coram Domino? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes, ſi quidem ditati ſunt facientes impietatem, & tentauerunt Deum, & ſalui facti ſunt. Quamobrem vt hanc ignorationem, quæ prauiſsimi huius erroris radix, & cauſa eſt, poſsimus euadere, primùm noſſe debemus, quid verè ſit bonum, quid malum; & ita demum ſuper his non falſam vulgi, ſed verãm ſcripturarum diffinitionem tenentes, nunimè infidelium hominum decipiemur errore.

DE TRIBVS, QVAE IN HOC MVNDO SVNT, IDEST BONO, ET MALO, ET MEDIO.

CAP. III.

TRIA enim ſunt, quæ in hoc mūdo verſantur, id eſt, bonū, malum, medium. Debemus itaq; noſſe, quid propriè bonum, quid malum, quid'ue ſit medium, vt noſtra fides vera ſcientia communita, in cunctis tentationibus inconcuſſa perduret. Nihil igitur in rebus duntaxat humanis principale bonum eſſe credendum eſt, niſi virtus animi ſola, quæ fide ſyncera nos ad diuina perducens, illi immutabili bono facit iugiter inhærere. Et è contrario, nihil malum eſſe dicendum, niſi peccatum ſolum, quod à bono Deo nos ſeparans, malo facit diabolo copulari. Media ſunt, quæ in vtranq; partem pro affectu & arbitrio vtentis dirigi poſſunt, vtpute diuitiæ, poteſtas, honor, robur corporis, ſanitas, pulchritudo, vita ipſa, vel mors, paupertas, infirmitas carnis, iniuriæ, et cætera his ſimilia, quæ pro qualitate, & affectu vtentis, vel ad bonam poſſunt partem proficere, vel ad malam. Nam & diuitiæ proficiunt frequenter ad bonum, ſecundùm Apoſtolum, qui diuitibus huius mundi præcipit, vt facilè tribuant, communicent indigentibus, theſaurizent ſibi fundamentum bonum in futurum, vt per has apprehendant veram vitam; & ſecundùm Euangelium, bonæ ſunt illis, qui faciunt ſibi amicos de iniquo mammóna. Quæ rurſum retorquentur ad malum, cùm ad recondendum tantummodo, vel ad luxuriam congregantur, & non ad vſus indigentium diſpenſantur. Poteſtas quoq;, & honor, corporisq; robur, ac ſanitas, quàm ſint media & vtrobiq; conuenientia, etiam ex hoc facilè comprobatur, quod multi ſanctorum in veteri teſtamento potiti his omnibus, & in ſummis diuitijs, & culmine dignitatum, ac fortitudine corporis conſtituti, Deo quoq; acceptiſsimi fuiſſe noſcuntur. Et è diuerſo, qui his malè abuſi ſunt, & ad miniſterium ſuæ nequitiæ detorſerunt, non immeritò vel puniti ſunt, vel extincti. Quod frequenter Regnorum liber indicat factum. De ipſa etiam morte, ac vita, quòd mediæ ſint, vel ſancti Ioannis, vel Iudæ natiuitas proteſtatur. Vnius nanque in tantum ſibimet vita profuit, vt alijs quoq; gaudium ortus eius contuliſſe dicatur, ſecundùm illud, Et multi ſuper eius natiuitate gaudebunt; de alterius verò dicitur vita: Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. De morte etiam Ioannis, omniumq; ſanctorum dicitur: Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius: de Iudæ autem, ac ſimilium: Mors peccatorum peſsima. Infirmitas etiam carnis interdum quàm ſit commoda, Lazari illius pauperis vlceroſi beatitudo demonſtrat. Cuius cùm nulla alia virtutum merita ſcriptura commemoret, pro hoc ſolo quòd egeſtatem, & infirmitatem corporis patientiſsimè tolerauit, ſinum Abrahæ poſsidere beatiſsima ſorte promeruit. Egeſtas quoq;, ac perſecutiones, & iniuriæ, quæ mala eſſe totius vulgi opinione cenſentur, quàm ſint vtiles, ac neceſſariæ, etiam ex hoc liquidò comprobatur, quòd ſancti viri non ſolùm eas nunquam vitare voluerunt, verumetiam in virtute ſumma vel appetentes, vel fortiter tolerantes, amici Dei effecti, æternæ vitæ ſunt ſtipendia conſecuti, beato Apoſtolo concinente: Propter quod placeo

mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in neceſsitatibus, in perſecutionibus, in anguſtijs pro Chriſto. Cùm enim infirmor tunc potens ſum, quia virtus in infirmitate perficitur. Et idcirco illi, qui ſummis huius ſeculi diuitijs, & honoribus, ac poteſtatibus extolluntur, non ex his principale bonum obtinuiſſe credendi ſunt, quod in ſolis eſſe virtutibus diffinitur, ſed medium quiddam, quia ſicut iuſtis rectè, ac neceſſariè vtentibus vtilia hæc eſſe reperiuntur, & commoda, occaſionem nanque operis boni, fructusque in illius vitæ æternitate parturiunt; ita illis, qui opibus abutuntur, inutiles ſunt, atque incommodæ, & occaſionem peccati, mortisque concinnant.

QVO'D MALVM NVLLI INVITO AB ALIO POSSIT INFERRI.

CAP. IIII.

HAS itaque diuiſiones fixas, atque immobiles retinentes, ſcientesque nihil eſſe bonum, niſi virtutem ſolam, quæ ex timore Dei, ac dilectione deſcendit, nec malum quicquam eſſe, niſi peccatum ſolum, & ſeparationem à Deo, diligenter nunc diſcutiamus, vtrum Deus vnquam ſanctis ſuis, aut per ſe, aut per alium quempiam inferri permiſerit malum, quod ſine dubio nunquam omnino reperies. Nec enim potuit aliquando cuiquam nolenti, ac reſiſtenti malum peccati alter inferre, ſed illi ſoli, qui illud in ſeſe cordis ignauia, & corrupta voluntate ſuſcepit. Denique cùm beato Iob diabolus adhibitis vniuerſis nequitiæ ſuæ machinis, malum hoc peccati voluiſſet inferre, ac non ſolùm cunctis eum facultatibus ſpoliaſſet, verumetiam poſt illum de morte ſeptem filiorum tam atrocem, tamque inſperatum orbitatis dolorem, vulnere eum peſsimo à capitis vertice vſque ad plantam pedum, & intolerandis cruciatibus oneraſſet, nequaquã ei peccati maculam quiuit infligere, quia in cunctis immobilis perſeuerans nullum blaſphemiæ accommodauit aſſenſum.

QVO'D MORS SANCTIS ILLATA, MALVM NON FVIT, SED AVGMENTVM GLORIAE.

CAP. V.

VT ergo ad quæſtionem propoſitam recurramus, vniuerſa dura, atque pœnalia, quæ nobis ab aduerſarijs irrogantur, & mala putantur, non

ſunt ſimpliciter mala, ſed media. Nec talia ſunt, qualia eſſe putantur ab eo, qui intulit ipſa animo furibundo, ſed qualia patiens ſenſerit, & acceperit. Vnde cùm viro ſancto infertur mors, non infertur ei malum, ſed medium quoddam. Quæ cùm malũ ſit peccatori, iuſto requies eſt, & abſolutio culparũ ſuarum. Mors enim requies viro, cuius vita abſcondita eſt. Ideo nullum ſuſtinet iuſtus detrimentum ex morte, quia nil patitur noui; ſed quod paſſurus erat neceſsitate naturæ, paſſus eſt ex inimici malitia, non ſine augmento gloriæ ſuæ æternæ; ſicq; perſoluit debitum mortis humanæ (quod ineuitabili lege reddendum eſt) cum fructu paſsionis vberrimo, ac magnæ remunerationis mercede.

EX

EX LIBRO PRIMO COLLATIONVM PATRVM EIVSDEM IOANNIS CASSIANI, COLLATIONE SEPTIMA DE ANIMAE MOBILITATE, ET SPIRITALIBVS NEQVITIIS.

DE CASTITATE ABBATIS SERENI. CAP. I.

SVMMAE ſanctitatis, & continentiæ virum, nominisq́ ſui ſpeculum, Abbatem Serenum, quem ſingulari ſumus veneratione præ cæteris admirati, ſtudioſorum mentibus inſinuare cupientes, aliter arbitramur deſiderium noſtrum nos explere non poſſe, quàm ſi collationes eius noſtris libellis tentauerimus inſerere. Cui ſupra omnes virtutes, quæ non ſolum in eius actibus, vel moribus, ſed etiam in ipſo vultu per Dei gratiã refulgebant, ita eſt peculiari beneficio donum caſtitatis infuſum, vt etiam ſe ne ipſis quidem naturalibus incentiuis inquietari vel in ſopore ſentiret. Ad quam 1 carnis præcipuam puritatem, quemadmodum gratia Dei adminiculante peruenerit, quoniam ſupra conditionem naturæ videtur eſſe humanæ, neceſſarium reor primitus explicare.

1 Vides quòd Dei mediante gratia ad præcipuam carnis puritatem homo poteſt peruenire?

QVOMODO HIC ABBAS A DEO OBTINVERIT HANC PRAECIPVAM CARNIS PVRITATEM.

CAP. II.

SIC igitur pro interna cordis, atq; animæ caſtitate nocturnis, diurnisq; precibus, ieiunijs quoq;, ac vigilijs 2 infatigabiliter inſiſtens, cùm vidiſſet orationum ſuarum obtinuiſſe ſe vota, cunctosq; æſtus in corde ſuo concupiſcentiæ carnalis extinctos, velut ſuauiſsimo guſtu puritatis accenſus, in maiorem ſitim zelo caſtitatis exarſit, & intentioribus cœpit ieiunijs, atq; obſecrationibus incubare, vt mortificatio paſsionis huius, quæ interiori homini ſuo, dono Dei fuerat attributa, ad exterioris hominis etiam puritatem eatenus perueniret, vt ne ipſe quidem, vel illo ſimplici, ac naturali motu, qui etiam in paruulis, atq; lactentibus excitatur, vlterius pulſaretur, adepti ſcilicet muneris experimento, quod ſe nouerat non laborum 3 merito, ſed Dei gratia conſecutum, ardentius animatus ad hoc quoq; ſimiliter obtinendum, credens multò facilius hos ſtimulos carnis radicitus Deum poſſe conuellere, quos etiam humanæ artis induſtria nonnunquam ſolet quibuſdam poculis, vel medicamentis, ſeu ferri ſectione detrahere, quandoquidem illam ſpiritus puritatem, quæ ſublimior, quamq; impoſsibile eſt humano labore, vel ſtudio comparari, ſuo munere contuliſſet. Cùmq; petitioni cœptæ ſupplicatione iugi, ac lachrymis indefeſſus inſiſteret, adueniens ad eum Angelus in viſione nocturna, eiusq; velut aperiens vterum, quandam ignitam carnis ſtrumam de eius viſceribus euellens, ac proijciens, ſuisq; omnia vt fuerant locis inteſtina reſtituens; Ecce, inquit, incentiua carnis tuæ abſciſſa ſunt, & obtinuiſſe te noueris hodierna die perpetuam corporis puritatem, quam fideliter popoſciſti. Hæc de gratia Dei, quæ memorato viro peculiater attributa eſt, breuiter dixiſſe ſufficiat. Cæterùm de illis virtutibus, quas cum reliquis ſummis viris communiter poſsidebat, aliquid commemorari ſuperfluum puto, ne ſpecialis ſuper hoc viro narratio alijs demere videatur id, quod de ipſo ſingulariter prædicatum fuerit.

2 Si hæretici noſtri hoc modo adniterentur, non quærerentur ſe carnis cōtinentiam ſeruare nō poſſe.

3 Diſce piam, atq; humilē ex hoc loco ſanctorū virorum praxim. Orant, ieiunant, lachrymantur, vt dona Dei mereātur accipere, quæ tamen cum acceperunt, non laborum ſuorum merito, ſed Dei gratia ſe illa accepiſſe profitentur.

DE IMMINVTA DAEMONVM POTESTATE.

CAP. XXIII.

SATIS nobis experientia noſtra, & ſeniorum relatione compertum eſt, non eandem vim habere nunc dæmones, quam anteriore tempore, inter anachoretarum ſcilicet principia, in quibus adhuc raritas monachorum in eremo commanebat. Tanta nanq; erat eorum feritas, vt vix pauci, & admodum ſtabiles, atq; ætate prouecti tolerare habitationem ſolitudinis poſſent. Siquidem in ipſis cœnobijs, in quibus commorabantur octo, vel decem,

ita eorum atrocitas graſſabatur, & frequentes, ac viſibiles ſentiebantur aggreſſus, vt non auderent omnes pariter noctibus obdormire, ſed viciſsim alijs degustantibus ſomnum, alij I vigilias celebrantes, pſalmis, & orationibus, ſeu lectionibus inhærerent. Cùmq; & hos ad ſoporem naturæ neceſsitas inuitaret, expergefactis his, qui dormierant, ſimiliter excubiæ tradebantur. Vnde dubitari non poteſt, è duobus altero hanc nunc ſecuritatem, vel confidentiam non ſolùm nobis, qui videmur pro experientia ſenectutis aliquatenus roborati, ſed etiam iunioribus ætate conferri, aut virtute Crucis etiam deſerta penetrantre, & vbiq; eius gratia coruſcante, retuſa nequitia dæmonum, aur negligentia noſtra illos ab impugnatione noſtra priſtina reddente leniores, dum dedignantur aduerſum nos illa intentione confligere, qua tùnc contra illos probatiſsimos Chriſti milites ſæuiebant, hac ſcilicet fraudulentia ſua ſine ceſſatione dirius nos elidentes, dum viſibiles tentationes à nobis retrahunt. In tantum enim teporem vidimus corruiſſe nonnullos, vt neceſſe ſit eos etiam remiſsioribus monitis palpari, ne deſertis cellulis ſuis ad pernicioſiores inquietudines reuoluantur, & circumeuntes, ac vagi, craſsioribus (vt ita dixerim) vitijs implicentur, magnusq; fructus ab eis obtineri credatur, ſi ſolummodò ſe etiam cum qualibet ignauia valeant in ſolitudine continere, ac pro ingenti remedio ſoleat eis à ſenioribus dici: Sedete in cellulis veſtris, & quantum libitum fuerit, manducate, atq; bibite, & dormite, dummodò in eis iugiter perduret I.

Ecce bonorũ monachorũ exercitia, vigilias, pſalmos, orationes, & lectiones.

INVASIONE DAEMONVM,

AVT INFIRMITATIBVS, INTERDVM SANCTORVM PECCATA PVRGARI.

CAP. XXV.

NOVIMVS etiam ſanctos viros corporaliter traditos ſatanæ, aut infirmitatibus magnis, etiam pro minimis culpis, non ſuſtinente diuina clementia aliquid culpæ, aut maculæ eſſe, aut inueniri in ipſis in die iudicij. Propter quod in præſenti excoquit plenè omnem ſcoriam cordis eorum, iuxta Prophetæ eloquium, vt illos tanquam aurum, vel argentum ignitum perducat ad felicitatem æternam, non indigentes aliqua purgatione pœnali, ſicut ait per Eſaiam: Excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum, & poſthæc vocaberis ciuitas iuſti, vrbs fidelis. Et iterum ſcriptum eſt: Aurum, & argentum probat ignis, vir autem iuſtus probatur in fornace humiliationis: Itemq;: Sicut probatur argentum, vel aurum in camino, ita Dominus probat corda. Et denuò: Quem enim diligit Dominus, corripit, & flagellat filium omnem, quem recipit.

DE NECE PROPHETAE SEDVCTI, ET INFIRMITATE ABBATIS PAVLI, QVAM PRO SVA EMENDATIONE PROMERVIT.

CAP. XXVI.

QVOD in illo Propheta, atq; homine Dei in tertio Regum libro manifeſtè videmus impletum, qui pro culpa vnius Inobedientiæ, quam tamen non de induſtria, nec vitio propriæ voluntatis, ſed alterius circumuentione contraxit, confeſtim à leone occiſus eſt, ita de eo ſcriptura narrante: Vir Dei eſt, qui inobediens fuit ori Domini, & tradidit eum Dominus Leoni, & confregit eum iuxta verbum Domini, quod locutus eſt. In quo facto & ſolutionem delicti præſentis, atq; erroris incauti, pro quibus Prophetam ſuum Dominus temporaliter tradidit vexatori, & iuſtitiæ merita parcitas ipſa, & continentia vexatoris, atq; prædatoris oſtendit, quia nihil penitus audebat voraciſsima beſtia de tradito ſibi cadauere deguſtare. Cuius rei noſtris quoq; temporibus ſatis euidens contigit, & aperta probatio in Abbate Paulo, vel Moyſe, qui habitauit locum huius ſolitudinis, qui Calamus nuncupatur. Nam prior commoratus eſt in eremo, quæ adiacet Panephiſi ciuitati, quam ſolitudinem nunc factam aquæ ſalſiſsimæ inundatione cognouimus, quæ quoties flauerit ſpiritus Aquiſonis, de ſtagnis impulſa, ac ſuperfuſa adiacentibus terris, ita omnem illius ſuperficiem regionis contegit, vt antiquos ibidem vicos, qui iandudum hac ipſa de cauſa omni ſunt habitatione deſerti, faciat velut inſulas apparere. Hic igitur Abbas Paulus in tantam cordis puritatem quiete ſolitudinis, ſilentioq; profecerat, vt non dicam vultum fœmineum, ſed ne veſtimenta quidem ſexus illius conſpectui ſuo pateretur offerri. Nam cùm eidem pergenti ad cuiuſdam ſenioris cellam vnà cum abbate Archebio eius ſolitudinis accola, caſu mulier obuiaſſet, offenſus occurſu eius, tanta fuga ad ſuum rurſus monaſterium, prætermiſſo, quod arripuerat, piæ viſitationis officio recurrit, quanta nullus à facie leonis, immaniſsimi'ue draconis aufugeret, ita vt ne memorati quidem Abbatis Archebij reuocantis eum clamore, ac precibus flecteretur, vt ad requirendum ſenem, quemadmodum propoſuerant, cœpto itinere pertenderent. Quod licet zelo caſtitatis, & puritatis ardore ſit factum, tamen quia non ſecundùm ſcientiam præſumptum eſt, ſed obſeruantia diſciplinæ, iuſtitiæ exceſſus eſt modus. Non enim 1 ſolá familiaritatem, quæ verè eſt noxia, fœminarum, ſed ipſam quoq; figuram ſexus illius credidit execrandam. Tali autem confeſtim correptione percuſſus eſt, vt eius vniuerſum corpus paralyſeos valetudine ſolueretur, nullum'q; in eo membrum penitus explere ſuum præualeret officium. Si quidem non ſolùm pedes, ac manus, ſed etiam linguæ motus, quo elocutio vocis exprimitur, proprio officio eſt priuatus, ipſæq; aures ita auditus proprij amiſerunt ſenſum, vt in eo nihil ampliùs ex homine, quàm immobilis tantum, atq; inſenſibilis figura remaneret. Eò autem redactus eſt, vt infirmitati eius nullo modo virorũ diligentia deſeruire ſufficeret,

1 Nota, hæreticorum ſacerdos, ſolam familiaritatẽ fœminarũ verè eſſe noxiã, tu tamẽ nunquam ab earũ lateribus abeſſe vis.

ſufficeret, ſed ſola ei muliebris ſedulitas miniſtraret. Itaq; delato ad [2] cœnobium ſacrarum virginum, cibus, ac potus, quem ne nutu quidem petere poterat, fœmineo ingerebatur obſequio, explendiſq; omnibus naturæ neceſsitatibus, eadem illi diligentia per annos ferme quatuor, id eſt vſq; ad vitæ ſuæ terminum ſeruiebat. Qui cùm tanta eſſet omnium membrorum debilitate conſtrictus, vt nulli in eo artus viuacem motum, ac ſenſibilem retentarent, nihilominus tanta ex eo virtutum gratia procedebat, vt cùm de [3] oleo, quod cadauer ſuum potiùs quàm corpus contigiſſet, vngerentur infirmi, confeſtim cunctis valetudinibus curarentur; ita vt ſuper hac eius valetudine etiam ipſis infidelibus euidenter, aperteq; clareſceret, & debilitatem membrorum omnium congrua diſpenſatione Domini contributam, & ſanitatum gratiam proteſtimonio puritatis, ac manifeſtatione meritorum eius Spiritus ſancti virtute præſtari.

[2] Vide quã in antiqua fuerint ſacrarũ virginũ cœnobia, cùm quidã noſtro hoc tempore dixerit, non ante diui Hieronymi ætatem extitiſſe.

[3] Oleo, quod eius adiuc viuentis corpus tetigerat, ſanabantur infirmi.

DE TENTATIONE
ABBATIS MOYSI.
CAP. XXVII.

SECVNDVS verò, quem diximus in hac eremo commoratum, cùm ipſe quoq; ſingularis & incomparabilis vir eſſet, ob reprehenſionem vnius ſermonis, quem contra Abbatem Macharium diſputans paulò duriùs protulit, quadam ſcilicet opinione præuentus, tam diro confeſtim eſt traditus dæmoni, vt humanas egeſtiones ori ſuo ab eo ſuppletus ingereret. Quod flagellum purgationis gratia ſe Dominus intuliſſe, ne ſcilicet in eo vel momentanei delicti macula reſideret, velocitate curationis eius, atq; aucto re remedij demonſtrauit. Nam continuò Abbate Machario in oratione ſubmiſſo, dicto citiùs nequam ſpiritus ab eo fugatus abſceſsit.

EX LIBRO PRIMO COLLATIONVM PATRVM EIVSDEM IOANNIS CASSIANI, COLLATIONE OCTAVA DE PRINCIPATIBVS, SEV POTESTATIBVS.

DE HVMANITATE ABBATIS SERENI, CAP. I.

CONSVMMATIS, quæ diei ſolennitas exigebat, & Eccleſiæ congregatione dimiſſa, reuerſi ad cellam ſenis, refecti primum lautiſsimè ſumus. Nam pro muria, quæ ſuperiecta olei gutta quotidianæ refectioni ſolebat apponi, modicum liquaminis miſcuit, & olei quiddam ſolito propenſius ſuperfudit. Porrò illam olei guttam ob hoc vnuſquiſq; quotidianæ refectioni inſtillat, non vt eius ex hoc guttur quandam percipiat ſuauitatem, quippè cuius tam parcus eſt modus, vt vix ipſius gutturis, fauciumq; meatus, non dicam vngere, ſed pertranſire ſufficiat, ſed vt hoc vſu iactantiam cordis, quæ pro abſtinentia diſtrictiore blandè ſolet, ac latenter irrepere, & ſtimulos elationis obtundant, quæ quantò occultiùs exercetur, nulloq; hominum teſte perficitur, tantò ſubtiliùs occultatorem ſuum tentare non deſinit. Deinde appoſuit ſalem frictum, & oliuas ternas, quibus poſthæc ſuperintulit caniſtrum habens cicer frictum, quod illi tragalia vocant, ex quibus quina tantùm ſumpſimus grana, mixtaria bina, & caricas ſingulas. Hunc enim numerum in illa eremo quenquam exceſsiſſe culpabile eſt. Qua refectione tranſacta, repromiſſam quæſtionis abſolutionem cùm repoſcere cœpiſſemus; Proferte, inquit ſenex, interrogationem veſtram, quam tardiùs prolatam ad huius horæ diſtulerams indaginem.

DE SVBIECTIONE DAEMONVM, QVAM SVIS PRINCIPIBVS PRAEBENT, FRATRIS VISIONE PERSPECTA.

CAP. XVI.

REGI immundos ſpiritus à nequioribus poteſtatibus, eisq; ſubditos eſſe, præter illa ſcripturarum teſtimonia, quæ in Euangelijs quoq;, calumniantibus phariſæis, Domini legimus reſponſione deſcripta, dum ait: Si ego in beelzebub principe dæmoniorum eijcio dæmonia &c: etiam perſpicuæ viſiones, & experimenta ſanctorum multa nos edocent. Nam cùm vnus ex fratribus noſtris in hac ſolitudine iter ageret, adueſperaſcente iam die templum quoddam reperiens, ibidem ſubſtitit, veſpertinam volens in eo ſynaxim celebrare; vbi dum 1 pſalmos ex more decantat, tempus mediæ noctis exceſsit. Cùmq; finita ſolennitate, refecturus laſſum corpus paululum reſediſſet, repente cœpit cateruas dæmonum vndiq; in vnum confluentium innumerabiles intueri, quæ infinita conſtipatione, ac delectione longiſsima procedentes, aliæ præibât principē ſuum, aliæ ſuo agmine ſequebantur; qui tandem aliquando, & magnitudine procerior cunctis, & aſpectu terribilior, turrnis infinitis circunſeptus aduenit, ac poſito ſolio, cùm in tribunali quodam ſublimiſsimo conſediſſet, vniuſcuiuſq; actus diligenti cœpit examinatione diſcutere; illosq;, qui necdum ſe circumuenire æmulos ſuos potuiſſe dicebant, velut inertes ignauosq; à conſpectu ſuo cū nota, & iniuria ſumma iubebat expelli, ſpatia temporis tanti, & opus inaniter ab eis expenſum cum fremitu, & indignatione furoris exprobrans. Illos verò, qui ſe nunciabant conſignatos ſibimet decepiſſe, ſummis laudibus cum exultatione, ac fauore cunctorum, velut victores, pſalnus remuneratos, ac redimitos ſertis, vtq; fortiſsimos bellatores, ad exemplum cunctorum, glorioſiſsimos coram omnibus emittebat. In quorum numero cùm quidā nequiſsimus ſpiritus, vtpote quendā triumphum ſublimiſsimū delaturus lætior aduenißet, nomen monachi optimè cogniti deſignauit, aſſerēs ſe poſt quindecim annos, quibus eum iugiter obſediſſet, tandē aliquando præualuiſſe, vt eum eadē ipſa nocte ruina fornicationis eliderct; nam dicebat eum quadā 2 ſacra puella nō ſolùm eū impuliſſe, vt ſtupri crimen incurreret, ſed etiam perſuaſiſſe, vt eā perpetuò ſibimet iure cōiugij retineret. Super cuius hac proſecutione cùm ingens cunctorū gaudiū fuiſſet exortū, ſummis à principe tenebrarū laudibus iſte prælatus, magnisq; præconijs coronatus abſceſsit. Aurora itaq; ſuperueniente cùm omnis hæc ab oculis euaniſſet demonū multitudo, dubitans frater de aſſertione ſpiritus immundi, magisq; id ratus, quòd inolita conſuetudinis ſuæ fallacia ſibi voluiſſet illudere, & innocenti fratri inurere crimen inceſti, memor Euangelicæ ſententiæ, quòd in veritate nō ſtetit, quia non eſt veritas in eo, & quòd cùm loquitur mendacium, de proprijs loquitur, quia mendax eſt, & pater mendacij, Peluſium petijt, vbi illum, quem ſpiritus immundus aſſeruit eſſe deiectum, nouerat commanere, erat ſiquidem illi etiam notiſsimus frater. Quem cùm requiſiſſet, reperit, quòd eadem nocte, qua teterrimus ille dæmon ruinam eius ſuæ cohorti, vel principi nunciauerat, monaſterio priſtino derelicto, vicum petijſſet, & cum deſignata puella fuiſſet lapſu miſerabili deuolutus.

1 Nota, vbi dū Pſalmos de more decantat, tēpus mediæ noctis exceſsit.

2 Si nō fuiſſet, ò hæretice, peccatū maximū, monachum cū ſacra puella ſtuprū cōmiſiſſe, eam'que matrimonij iure ſibi perpetuò copulaſſe, nō fuiſſet hic dæmon à ſuo principe tot laudibus celebratus, & tātis præconijs coronatus.

DE DIFFERENTIA NEQVITIAE, QVAE ADVERSIS SPIRITIBVS INEST, PER DVOS PHILOSOPHOS EXPERTA.

CAP. XVIII.

DE differentijs ſanè dæmonum, etiam per illos duos philoſophos, qui quondam magicis artibus, vel inertiam eorum, vel fortitudinem, ſæuamq; nequitiam fuerant frequenter experti, multum cognitionis accepimus. Hi nanq; deſpicientes beatum Antonium velut Chriſtianũ hominem, & imperitum, ac ſine literis, volentesq; eum (etſi nihil amplius lædere potuiſſent) ſaltem de cella ſua magicis præſtigijs, & circumuentione dæmonum deturbare, ſpiritus ei nequiſsimos immiſerunt ad impugnationem, morſu liuoris adducti, eò quòd maximæ hominum turbæ ad eum quotidiæ conuenirent. Cúmq; illi nunc quidem imprimenti pectori ſuo, frontiq; ſignaculum 1 Crucis, nunc verò ad orationem ſuppliciter incubanti, ne approximare quidem diriſsimi dæmones prorſus auderent, atq; ad eos, qui illos direxerant, abſq; vllo reuerterentur effectu, & alios illi in nequitia vehementiores rurſus immitterent, itidemq; ipſis incaſſum ſuas expendentibus vires, atq; inaniter redeuntibus, potentiores nihilominus aduerſus militem Chriſti victorem iterum deſtinati, nihil penitus præualerent, eò profecerunt tales, tantæq; inſidiæ tota magica arte quæſitæ, vt per hæc euidentiſsimè illi comprobarent, magnam profeſsioni Chriſtianorum ineſſe virtutem, cùm illæ tam ſæuæ, tamque potentes vmbræ, quas æſtimabant, ſolem, lunamq;, ſi ad eos directæ fuiſſent, obducere potuiſſe, hunc non ſolùm nihil lædere, ſed ne ad punctum quidem de monaſterio ſuo valuerint amouere.

1 Nunc ſigno Crucis pectori, frontiq; impreſſo magnus Antonius, nunc oratione dæmones ad ſe miſſos fugauit.

E X

EX LIBRO PRIMO COLLATIONVM PATRVM EIVSDEM IOANNIS CASSIANI, COLLATIONE NONA DE ORATIONE.

DE VISIONE CVIVSDAM SENIS, QVAM SVPER FRATRIS INQVIETA OPERATIONE PROSPEXIT.

CAP. VI.

QVIDAM probatiſsimus ſeniorum cùm tranſiret iuxta cellam fratris cuiuſdam, hac animi ægritudine laborantis, vt qui in extruendis, reparandisq́; ſuperfluis inquietus, quotidianis diſtenſionibus deſudaret, & eminus conſpexiſſet eum graui malleo ſaxum duriſsimum cõterentem, vidiſſetq́; Aethiopem quendam aſtantem illi, & vnà cum eo ictus mallei iunctis, conſertisq́; manibus illidentem, ac eum ad operis illius inſtantiã ignitis facibus inſtigante, diutiſsimè ſubſtitit, vel impreſsionẽ diriſsimi dæmonis, vel fraudẽ tantæ illuſionis admirans. Cùm enim nimia laſsitudine fatigatus frater requieſcere iam, iamq́; finem operi voluiſſet imponere, inſtigatione ſpiritus illius animatus, iterum reſumere malleum, nec deſinere ab intentione cœpti operis vrgebatur, ita vt iiſdem eius incitamentis infatigabiliter ſuſtentatus, tanti laboris nõ ſentiret iniuriam. Tandem igitur ſenex tam dira dæmonis ludificatione permotus, ad cellã fratris diuertit, ſalutansq́; eũ; Quid, inquit, eſt, frater, iſtud opus, quod agis? At ille; Laboramus, ait, contra iſtud duriſsimũ ſaxum, vixq́; illud potuimus aliquando conterere. Ad hæc ſenex: Benè dixiſti, Vix potuimus; non enim ſolus eras cùm illud cæderes, ſed fuit alius tecum, quem non vidiſti, qui tibi in hoc opere non tã adiutor, quàm violentiſsimus impulſor aſtabat; & idcircò morbũ ambitus ſecularis noſtris mentibus nõ ineſſe, non vtiq; eorum tantùm negociorũ abſtinẽtia cõprobabit, quæ etiã ſi velimus expetere, vel explere, nõ poſſumus, neq; illarũ rerũ deſpectus, quas ſi affectauerimus, tã apud ſpiritales viros, quàm apud ſeculi homines, notabiles prima fronte reddemur, ſed cùm

etiam quæ noſtræ ſuppetunt poteſtati, & honeſtate quadam videntur obnubi, nec apud cunctos homines ex aperto reprehenſibiles faciunt, rigida mentis diſtrictione reſpuimus. Et reuera non minus hæc, quæ parua videntur, & minima, quæq; ab his, qui noſtræ profeſsionis ſunt, cernimus indifferenter admitti, pro qualitate ſua aggrauant monachi mentem, quàm illa maiora, quæ ſecundùm ſuum ſtatum, ſeu comparationem, ſecularium ſenſus inebriare conſueuerunt, non ſinentia depoſita fece terrena, ad Deum, in quo ſemper defixa eſſe debet intentio, monachum reſpirare, cui ab illo ſummo bono vel parua ſeparatio, mors præſens, ac pernicioſiſsimus interitus eſt credendus. Cùmq; mens tali fuerit tranquillitate fundata, vel ab omnium carnalium paſsionum nexibus abſoluta, & illi vno, ſummoq; bono tenaciſsima adhæſerit cordis intentio, Apoſtolicum illud implebit: Sine intermiſsione orate: &, In omni loco leuantes puras manus ſine ira, & diſceptatione. Hac enim puritate, ſi dici poteſt, ſenſu mentis abſorpto, ac de terreno ſitu ad ſpiritalem, atq; Angelicam ſimilitudinem reformato, quicquid in ſe receperit, quicquid tractauerit, quicquid egerit, puriſsima, ac ſynceriſsima erit oratio.

SENTENTIA ABBATIS ANTONII DE PERFECTA ORATIONE.

CAP. XXXI.

ET vt orationis veræ percipiatis affectum, non meam vobis, ſed beati Antonij ſententiam proferam. Quem ita nonnunquam in oratione nouimus perſtitiſſe, vt eodem in exceſſu mentis frequenter orante, cùm Solis ortus cœpiſſet infundi, audierimus ipſum in feruore ſpiritus proclamantẽ: Quid me impedis, ſol, qui ad hoc iam oriris, vt me ab huius veri luminis abſtrahas claritate? Cuius etiã hæc quoq; eſt ſuper orationis perfectione cœleſtis, & plus quàm humana ſententia. Non eſt, inquit, perfecta oratio, in qua ſe monachus vel hoc ipſum, quod orat, intelligit.

EX LIBRO PRIMO

COLLATIONVM PATRVM EIVSDEM IOANNIS CASSIANI,

COLLATIONE DECIMA DE ORATIONE.

DE CONSVETVDINE, QVAE SVPER SIGNIFICATIONE PASCHAE INTRA AEGYPTI PROVINCIAM RETINETVR.

CAP. II.

INTRA Aegypti regionẽ mos iſte antiqua traditione ſeruatur, vt peracto Epiphaniorum die, quem prouinciæ illius ſacerdotes, vel Dominici baptiſmi, vel ſecundùm carnem natiuitatis eſſe diffiniunt, & idcircò vtriusq; ſacramenti ſolennitatem, non bifariè, vt in occiduis prouincijs, ſed ſub vna diei huius feſtiuitate concelebrant, Epiſtolæ Pontificis Alexandrini per vniuerſas dirigantur Aegypti Eccleſias, quibus & initium quadrageſimæ, & dies Paſchæ non ſolùm per ciuitates omnes, ſed etiam per vniuerſa monaſteria deſignentur. Secundùm igitur hunc morem, Theophili prædictæ vrbis Epiſcopi ſolennes epiſtolæ cõmearunt, quibus cum denunciatione Paſchali contra ineptam quoq; anthropomorphitarum hæreſim longa diſputatione diſſeruit, eamq; copioſo ſermone deſtruxit. Quod tanta eſt amaritudine ab vniuerſo propemodũ genere monachorum, qui per totam prouinciã Aegypti morabantur, pro ſimplicitatis errore ſuſceptum, vt è contrario memoratum Pontificem velut hæreſi grauiſsima deprauatum pars maxima ſeniorum ab vniuerſo fraternitatis corpore decerneret deteſtandum, quòd ſcilicet impugnare[1] ſcripturæ ſanctæ ſententiam videretur negans omnipotentem Deum humanæ figuræ compoſitione fomatum, cùm ad eius imaginem creatum Adam ſcriptura manifeſtiſsimè teſtaretur. Deniq; & ab his, qui erant in eremo Scythiæ commorantes, quiq; perfectione, ac ſcientia omnibus, qui erant in Aegypti monaſterijs, præminebant, ita eſt hæc epiſtola refutata, vt præter Abbatem Paphnutium noſtræ congregationis Presbyterum, nullus eam cæterorum Presbyterorum, qui in eadem

[1] Vides hic ſcripturas etiam apertas non ex propria nonnullorum temeritate, & præſumptione intelligendas eſſe, ſed ex maiorũ ſcriptis, & authoritate, qui intelligendi regulas ex Apoſtolica ſucceſsione acceperunt?

eremo alijs tribus Eccleſijs præſidebant, nec legi quidem, ac recitari in ſuis conuentibus prorſus admitterent.

DE ABBATE SERAPIONE, ET ANTHROPOMORPHITARVM HAERESI, QVAM SIMPLICITATIS ERRORE CONTRAXIT.

CAP. III.

INTER hos autem, qui hoc detinebantur errore, fuit vir antiquiſsimæ diſtrictionis, atq; in actuali diſciplina per omnia conſummatus, nomine Serapion; cuius imperitia ſuper prædicti dogmatis opinione tantum præiudicabat cunctis veram tenentibus fidem, quantum ipſe vel vitæ merito, vel antiquitate temporis omnes ferè monachos anteibat. Cùmq; hic ſancti Presbyteri Paphnutij multis adhortationibus ad tramitem rectæ fidei non poſſet adduci, eò quòd nouella ei hæc perſuaſio, nec ab anterioribus aliquando comperta, vel tradita videretur, accidit vt quidam Diaconus ſummæ ſcientiæ vir, nomine Photinus, deſiderio videndi fratres, qui in eremo eadem commanebant, de Cappadociæ partibus aduenirет. Quem beatus Paphnutius ſumma gratulatione ſuſcipiens, ad confirmationem fidei, quæ fuerat prædicti Pontificis literis comprehenſa, coram cunctis fratribus ſciſcitatur, quemadmodum illud, quod in Geneſi dicitur: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtrã: catholicæ 2 totius Orientis interpretentur Eccleſiæ. Cùmq; ille non ſecundùm humilem literæ ſonum, ſed ſpiritaliter imaginem Dei, ac ſimilitudinem tradi ab vniuerſis Eccleſiarum principibus explanaret, idq; copioſo ſermone, ac plurimis ſcripturarum teſtimonijs approbaret, nec poſſe in illam immenſam, & incomprehenſibilem, atq; inuiſibilem maieſtatem aliquid huiuſmodi cadere, quod humana compoſitione valeat, ac ſimilitudine circunſcribi, quippe quæ incorporea, & incompoſita, ſimplexq; natura ſit, quæq; ſicut oculis deprehendi, ita mente non valeat æſtimari; tandem ſenex multis, ac validiſsimis doctiſsimi viri aſſertionibus motus, ad fidem catholicæ traditionis attractus eſt. Itaq; hoc eius aſſenſu, infinita & Abbatem Paphnutium, & nos omnes lætitia impleuit, quòd ſcilicet virum tantæ antiquitatis, tantiſq; virtutibus conſummatum, imperitia ſola, & ſimplicitate ruſticitatis errantem, nequaquam vſq; ad finem deuiare Dominus à tramite rectæ fidei permiſiſſet. Sed cùm pro gratiarum actione ſurgentes, preces Domino pariter funderemus, ita eſt in oratione ſenex mente confuſus, eò quòd illam anthropomorphitarum imaginem Deitatis, quam proponere ſibi in oratione conſueuerat, aboleri de ſuo corde ſentiret, vt in amariſsimos fletus, crebroſq; ſingultus repente prorumpens, in terramq; proſtratus cum eiulatu validiſsimo proclamaret: Heu me miſerum, tulerunt à me Deũ meũ, & quem nunc teneam non habeo, vel quem adorem, aut interpellem iã neſcio. Super qua re valde permoti, necnō etiam præteritæ collationis virtute adhuc in noſtris cordibus inſidente, ad Abbatem Iſaac rediuimus. Quem cominus intuentes, his ſermonibus adorſi ſumus.

2 Ecce quomodo in interpretatione ſcripturæ nõ quod priuatus quis; ſed quod tota ſẽtit Eccleſia ſequi debemus.

DE INQVISITIONE ERRORIS, QVEM SENEX PRAEDICTVS INCVRRIT.

CAP. IIII.

LICET nos etiam, citra eius rei, quæ nuper oborta eſt, nouitatem, præteritæ collationis, quæ ſuper orationis ſtatu digeſta eſt, deſiderium recurrere ad tuam beatitudinem, poſtpoſitis omnibus, inuitaret, adiecit tamen aliquid huic cupiditati etiam Abbatis Serapionis tam grauis error, nequiſsimorum (vt arbitramur) dæmonum calliditate conceptus. Non enim parua deſperatione deijcimur, conſiderantes eum labores tantos, quos per quinquaginta annos in hac eremo laudabiliter exegit, ignorantiæ huius vitio non ſolùm penitus perdidiſſe, ſed etiam perpetuæ mortis incurriſſe diſcrimen. Vnde ergo, vel cur ei hic tam grauis error irrepſerit, primùm deſideramus agnoſcere. Deinde quæſumus edoceri, quemadmodum ad illam orationis qualitatem, de qua pridem non ſolum copioſè, ſed etiam magnificè diſputaſti, peruenire poſsimus. In hoc enim profecit in nobis admirabilis illa collatio, vt ſtuporem tantummodo mentis incuteret, non quemadmodum eam perficere, vel apprehendere valeremus oſtenderet.

RESPONSIO DE ORIGINE HAERESEOS SVPERIVS COMPREHENSAE.

CAP. V.

RESPONDIT Iſaac: Non eſt mirandũ, hominẽ ſimpliciſsimũ, & de ſubſtãtia, ac natura Diuinitatis nunquã penitus eruditũ, ruſticitatis vitio, & conſuetudine erroris antiqui vſq; nũc detineri, vel decipi potuiſſe, &, vt verius dicã, in errore priſtino perdurare, qui non recenti, ſicut putatis, dæmonum illuſione, ſed ignorantia priſtinæ gentilitatis infertur, dum ſecundùm conſuetudinem erroris illius, quo dæmones hominum figura compoſitos excolebant antiqui, nunc quoq; illam incomprehenſibilem, atq; ineffabilem veri numinis maieſtatem ſub circunſcriptione alicuius imaginationis quidam exiſtiment adorandam, nihil ſe tenere, vel habere credentes, ſi propoſitam non habuerint imaginem quandam, quam in ſupplicatione poſiti iugiter interpellent, eam'que circunferant mente, ac præ oculis teneant ſemper affixam. Super quorum hoc errore competenter dirigitur illa ſententia: Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis hominis corruptibilis. Hieremias quoq; Populus, inquit, meus mutauit gloriam ſuam in idolum. Qui error licet origine hac, qua diximus, quorundam

ſenſibus ſit inolitus; nihilominus tamen in illorum quoq; animis, qui nunquam gentili ſuperſtitione polluti ſunt, ſub colore teſtimonij huius, quo dicitur: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: imperitia, ſeu ruſticitate id faciente, contractus eſt, ita vt etiam hæreſis, quæ dicitur anthropomorphitarum, ſub occaſione deteſtandæ huius interpretationis emerſerit, quæ immenſam illam, ac ſimplicem Diuinitatis ſubſtantiam, lineamentis noſtris, & humana figuratione compoſitam pertinaci peruerſitate contendit. Quam tamen, ſi quis fuerit catholicis dogmatibus inſtitutus, vt gentilem blaſphemiam, deteſtabitur, & ita ad illam orationis puriſsimam perueniet qualitatem, quæ non ſolùm nullam Diuinitatis effigiem, aut lineamenta corporea (quod dictu quoq; nefas eſt) in ſua ſupplicatione miſcet, ſed nec vllam quidem in ſe memoriam dicti cuiuſquã, vel facti ſpeciem, ſeu formã cuiuslibet charácteris admittit.

DE INSTITVTIONE
ORATIONIS PERPETVAE.
CAP. X.

QVAPROPTER ſecundùm illam inſtitutionem, quam paruulorum eruditioni prudentiſsimè comparaſtis, qui aliter elementorum traditionem primùm percipere non poſſunt, nec eorum vel agnoſcere lineas, vel intrepida manu queunt deſcribere characteres, quàm pro typis quibuſdam, & formulis ceræ diligenter impreſsis, effigies eorum exprimere contemplatione iugi, & quotidiana imitatione conſueſcant; huius quoq; ſpiritalis theoriæ tradenda vobis eſt formula, ad quam ſemper tenaciſsimè veſtrum intuitum defigentes, vel eandem ſalubriter voluere indirupta ingirate diſcatis, vel ſubliniores intuitus ſcandere illius vſu, ac meditatione poſsitis. Hæc igitur vobis huius, quam quæritis, diſciplinæ, atq; orationis formula proponetur, quam vnuſquiſq; monachus ad iugem Dei memoriam tendens, inceſſabili cordis volutatione meditari, expulſa omnium cogitationum varietate, conſueſcat, quia nec aliàs eam vllo modo poterit retentare, niſi ab omnibus fuerit corporalibus curis, ac ſolicitudinibus abſolutus; quæ ſicut nobis à paucis, qui antiquiſsimorum patrum reſidui erant, tradita eſt; ita à nobis quoq; non niſi rariſsimis, ac verè ſitientibus intimatur. Erit nanq; ad perpetuam Dei memoriam poſsidendam hæc inſeparabiliter propoſita vobis formula pietatis: Deus, in adiutorium meum intende; Domine, ad adiuuandum me feſtina. Hic nanq; verſiculus non immeritò de toto ſcripturarum exceptus eſt inſtrumento. Recipit enim omnes affectus, quicunq; inferri humanæ poſſunt naturæ, & ad omnem ſtatum, atq; ad vniuerſos incurſus propriè ſatis, & competenter aptatur. Habet ſiquidem aduerſus vniuerſa diſcrimina inuocationem Dei, habet humilitatem piæ confeſsionis, habet ſolicitudinis, ac timoris perpetui vigilantiam, habet conſiderationem fragilitatis ſuæ, exauditionis fiduciam, confidentiam præſentis, ſemperq; aſtantis præſidij. Qui enim iugiter inuocat ſuum protectorem, certum eſt ei illum eſſe ſemper præſentem. Habet amoris, & charitatis ardorem, habet inſidiarum contemplationem, inimicorumq; formidinem, quibus perſpiciens ſemetipſum die noctuq; vallatum, confitetur ſe non poſſe ſine ſui defenſoris auxilio liberari. Hic verſiculus omnibus infeſtatione dæmonum

laborantibus inexpugnabilis murus eſt, impenetrabilis lorica, ac munitiſsimus clypeus. Iſte in accidia, & anxietate animi collocatos, ſeu triſtitia, vel cogitationibus quibuſcunq; depreſſos, ſalutis remedia deſperare non patitur, oſtendens illum, quem inuocat, inſpicere iugiter noſtra certamina, atq; à ſuis ſupplicibus non abeſſe. Iſte nos in ſpiritalibus ſucceſsibus, cordiſq; lætitia conſtitutos, admonet extolli penitus non debere, nec inflari de proſpero ſtatu, quem ſine protectore Deo retineri non poſſe teſtatur; dum non ſolum eum ſemper, ſed etiam velociter vt ſibi auxilietur implorat. Iſte, inquam, verſiculus vnicuiq; noſtrum in qualibet qualitate degenti, neceſſarius, & vtilis inuenitur. Nam qui ſemper, & in omnibus deſiderat adiuuari, manifeſtat, quòd non tantùm in rebus duris, ac triſtibus, ſed etiam in ſecundis, ac lætis pari modo Deo egeat adiutore, vt quemadmodum ex illis erui, ita in iſtis eum faciat immorari, in neutro ſciens humanam fragilitatem ſine illius opitulatione ſubſiſtere poſſe. Gaſtrimargiæ paſsione perſtringor, cibos, quos eremus ignorat, inquiro, & in ſqualida ſolitudine ingeruntur mihi odores regalium ferculorum, atq; ad illorum deſideria ſentio me inuitiſsimum trahi, dicendum ſubinde mihi eſt: Deus, in adiutorium meum intende; Domine, ad adiuuandum me feſtina. Anticipare horam ſtatutæ refectionis iuſtigor, ſeu modum iuſtæ, ac ſolitæ parcitatis retinere cum magno cordis mei dolore contendo, cum gemitu eſt mihi proclamandum: Deus in adiutorium meum, intende; Domine, ad adiuuandum me feſtina. Ieiunijs me ob impugnationem 1 carnis diſtrictioribus indigentem ſtomachi prohibet laſsitudo, ſeu ventris ariditas, conſtrictioq́; deterret, vt effectus meo deſiderio tribuatur, vel certè vt æſtus carnalis concupiſcentiæ abſq; temperamento diſtrictioris ieiunij conquieſcat, orandum mihi eſt: Deus in adiutorium meum intende; Domine, ad adiuuandum me feſtina. Accedens ad refectionem, hora legitima ſuggerente, perceptionem panis exhorreo, atq; ab omni eſu naturalis neceſsitatis excludor, cum eiulatu proclamandum eſt mihi: Deus, in adiutorium meum intende; Domine, ad adiuuandum me feſtina. Volentem me ob ſtabilitatem cordis inſiſtere lectioni, interpellans capitis prohibet dolor, horaq; tertia faciem meam ad ſacram paginam ſomnus allidit, deputatum quieti tempus, vel tranſgredi, vel præuenire compellor, ipſum deniq; canonicum ſynaxeos, pſalmorumq; modum intercidere me grauiſsima ſomni cogit impreſsiò, ſimiliter proclamandum eſt mihi: Deus, in adiutorium meum intende; Domine, ad adiuuandum me feſtina. Sublato ab oculis meis ſopore, multis me noctibus diabolicis artibus in ſomnis video fatigatum, omnemq; à palpebris meis refectionem nocturnæ quietis excluſam, cum ſuſpirijs orandum eſt mihi: Deus, in adiutorium meum intende; Domine, ad adiuuandum me feſtina. Adhuc me in colluctatione poſitum vitiorum titillatio carnis repente compungit, & ad conſenſum pertrahere dormientem blanda oblectatione conatur, ne ignis alienus exæſtuans vrat ſuauè olentes floſculos caſtitatis, clamandum eſt mihi: Deus, in adiutorium meum intende; Domine, ad adiuuandum me feſtina. Per extincta ſentio libidinis incentiua genitalem membris meis intepuiſſe feruorem, vt parta hæc virtus, immò gratia Dei in me diutius, vel perpetuò perſeueret, intentè dicendum eſt mihi: Deus, in adiutorium meum intende; Domine, ad adiuuandum me feſtina. Iræ, philargiriæ, triſtitiæ ſtimulis inquietor, cogorq; propoſitam, atq; amicam mihi interrumpere lenitatem, ne in amaritudinẽ fellis perturbatione furoris abducar, cum ſummo mihi gemitu proclamandum eſt: Deus, in adiutorium meum intende; Domine, ad adiuuandum me feſtina. Accidiæ, cenodoxiæ, ſuperbiæ elatione pertentor, ac de aliorum negligentia, vel tepore, quiddam ſibi mens ſubtili cogitatione blanditur, ne in me præualeat hæc inimici pernicioſa ſuggeſtio, cũ omni contritione

1 Vide valere ieiunia ad refrenandã carnis concupiſcentiam.

cordis o andum eſt mihi: Deus, in adiutorium meum intende; Domine, ad adiuuandum me feſtina. Humilitatis, & ſimplicitatis gratiam, ſuperbiæ tumore depoſito, iugi compunctione ſpiritus acquiſiui, ne rurſum veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris moueat me, grauiusq; de victoriæ meæ elatione confodiar; totis mihi proclamandum eſt viribus: Deus, in adiutorium meum intende; Domine, ad adiuuandum me feſtina. Euagationibus animæ innumeris, ac diuerſis, & inſtabilitate cordis exæſtuo, nec cogitationum diſperſiones valeo coërcere; ipſamq; orationem meam fundere abſq; interpellatione, atq; phantaſmate inanium figurarum, ſermonumq;, & actuum retractatione non poſſum, tantaq; me ſentio ſterilitatis huius ariditate conſtrictum, vt nullas omnino ſpiritalium ſenſuum generationes parturire me ſentiam, vt de hoc animi ſqualore merear liberari, vnde me gemitibus multis, atq; ſuſpirijs expedire non poſſum, neceſſariè proclamabo: Deus, in adiutorium meum intende; Domine, ad adiuuandum me feſtina. Directionem rurſus animæ, ſtabilitatem cogitationum, alacritatem cordis cum ineffabili gaudio, & mentis exceſſu, viſitatione ſancti Spiritus me ſentio conſecutum, exuberantia quoq; ſpiritalium ſenſuum redundare, reuelationem ſacratiſsimorum intellectuum, & antea penitus mihi occultorum, repentina Domini illuſtratione percepi, vt in his merear diutius immorari, ſolicitè mihi eſt, frequenterq; clamandum: Deus, in adiutorium meum intende; Domine, ad adiuuandum me feſtina. Nocturnis dæmonum terroribus circumuallantibus exagitor, & immundorum ſpirituum phantaſmatibus inquietor, ſpes ipſa mihi ſalutis, ac vitæ, trepidationis horrore ſubtrahitur, ad ſalutarem verſiculi huius portum confugiens, totis viribus exclamabo: Deus, in adiutorium meum intende; Domine, ad adiuuandum me feſtina. Rurſum cùm fuero conſolatione Domini reparatus, & ipſius animatus aduentu, velut innumeris Angelorum millibus me ſenſero circunſeptum, ita vt eorum, quos morte grauius antea tremiſcebam, & quorum tactum, immò viciniam horrore mentis, & corporis ſentiebam, repente congreſſus expetere audeam, ac prouocare conflictus, vt in me conſtantiæ huius vigor per Dei gratiam diutius immoretur, totis eſt mihi viribus proclamandum: Deus, in adiutorium meum intende; Domine, ad adiuuandum me feſtina. Huius igitur verſiculi oratio in aduerſis vt eruamur, in proſperis vt ſeruemur, ne extollamur, inceſſabili iugitate fundenda eſt. Huius, inquam, verſiculi meditatio in tuo pectore indirupta voluatur. Hunc in opere quolibet, ſeu miniſterio, vel in itinere conſtitutus decantare non deſinas. Hunc & dormiens, & reficiens, & in vltimis naturæ neceſsitatibus meditare. Hæc volutatio cordis, velut formula tibi ſalutaris effecta, non ſolùm illæſum ab omni dæmonum incurſione cuſtodiet, ſed etiam cunctis te vitijs terrenæ contagionis expurgans, ad illas inuiſibiles theorias, cæleſteſq; perducet, atq; ad illum ineffabilem, ac perpaucis expertum prouehet orationis ardorem. Hunc verſiculum meditanti tibi ſomnus irrepat, donec inceſſabili eius exercitatione formatus, etiam per ſoporem eundem cantare conſueſcas. Hic tibi expergefacto primus occurrat. Iſte euigilanti cogitationes anticipet vniuerſas. Iſte te de tuo conſurgentem cubili curuationi genuum tradat, atq; illinc deinceps ad omne opus actuſq; deducat. Hic te omni tempore proſequatur. Hunc meditaberis ſecundùm præcepta legislatoris, ſedens in domo, & ambulans in itinere, dormiens, atq; conſurgens. Hūc ſcribes in limine, & ianuis oris tui. Hunc in parietibus domus tuæ, ac penetralibus tui pectoris collocabis, ita vt hæc ad orationem procumbenti ſit tibi acclinis decantatio, & exinde conſurgenti; atq; ad omnes vſus vitæ neceſſarios incedenti fiat erecta, & iugis oratio.

EX LIBRO SECVNDO COLLATIONVM PATRVM EIVSDEM IOANNIS CASSIANI, COLLATIONE VNDECIMA DE PERFECTIONE.

DE DESCRIPTIONE THENNESEOS OPPIDI.

CAP. I.

CV'M in cœnobio Syriæ conſiſtentes, poſt prima fidei rudimena, ſuccedentibus aliquatenus incrementis, maiorem perfectionis deſiderare gratiam cœpiſſemus, ſtatuimus confeſtim Aegyptum petere, ac remotiſsima etiam Thebaidos eremo penetrata, ſanctorum plurimos, quorum gloriam fama per vniuerſa diffuderat, ſi non æmulandi, ſaltem agnoſcendi ſtudio inuiſere. Igitur ad oppidum Aegypti, cui Thenneſus nomen eſt, emenſa nauigatione, peruenimus. Cuius accolæ ita vel mari, vel ſtagnis ſalſis vndiq; circumluuntur, vt ſolis, quia terra deeſt, negociationibus dediti, opes, atq; ſubſtantiam nauali commercio parent; ædificijs autem extruendis terra non ſuppetit, niſi de longinquo nauigijs apportetur.

DE EPISCOPO ARCHEBIO.

CAP. II.

VBI aduenientibus nobis fauẽs deſiderijs noſtris Dominus, beatiſsimi, atq; præcipui viri Archebij Epi præſtitit aduẽtum. Qui raptus de Anachoretarum cœtu, & Eps Panephiſi oppido datus, tanta tñ diſtrictione omni æuo ſuo propoſitũ ſolitudinis cuſtodiuit, vt nihil de præteritæ humilitatis tenore

laxauerit, aut de adiecto ſibi honore blanditus ſit. Non enim tanquam idoneum ſe ad iſtud officium teſtabatur aſcitum, ſed velut indignum ab illa anachoreſeos diſciplina querebatur expulſum, eo quod triginta & ſeptem annis in eadem commoratus ad puritatem tantæ profeſsionis nequaquam peruenire potuiſſet. Hic igitur cum in ſupradicta Thenneſo, quò eum eligendi illic Epiſcopi cauſa perduxerat, piè nos, atque humaniſsimè ſuſcepiſſet, agnito deſiderio noſtro, quo ſanctos patres etiam in vlterioribus Aegypti partibus inquirere cupiebamus; Venite, inquit, & videte interim ſenes haud longè à noſtro monaſterio conſiſtentes, quorum ita & antiquitas in corporibus iam curuatis, & ſanctitas in ipſo etiam fulget aſpectu, vt vel ſola contemplatio eorum magnam intuentibus poſsit conferre doctrinam; à quibus perfectionem, quam me perdidiſſe doleo, quamque tradere iam perditam nequeo, non tam verbis, quàm ipſo ſanctæ vitæ diſcatis exemplo. Credo autem inopiam meam hoc ſtudio aliquatenus ſubleuandam, ſi inquirentibus vobis illam Euangelicam margaritam, quam ipſe non habeo, ſaltem prouidero vbi eam commodiùs comparetis.

DESCRIPTIO EREMI, IN QVA COMMORABANTVR CHEREMON, NESTEROS, ET IOSEPH.

CAP. III.

SVMPTO itaque baculo, & pera, vt illic cunctis viam ingredientibus monachis moris eſt, ad ciuitatem nos ſuam, id eſt Panephiſim, itineris dux ipſe perduxit. Cuius terras, immò etiam contiguæ regionis plurimam partem quondam opulentiſsimam (ſiquidem ex ea cuncta, vt fama eſt, in regios cibos ſubminiſtrabantur) repentino terræmotu excuſſum mare, trangreſsis limitibus, occupauit, atque ita collapſis fermè omnibus vicis, opimas olim terras ſalſis paludibus ſupertexit, vt illud, quod in pſalmo ſpiritualiter decantatur: Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim; terram fructiferam in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea: ſecundùm literam de illa putent regione prædictum. In his igitur locis multa in hunc modum oppida eminentioribus tumulis collocata, fugatis habitatoribus, eluuies illa velut inſulas fecit, quæ deſideratam ſecedentibus ſanctis ſolitudinem præbent, in quibus tres ſenes, id eſt Cheremon, Neſteros, & Ioſeph, anachoretæ antiquiſsimi conſiſtebant.

DE ABBATE CHEREMONE, ET EXCVSATIONE EIVS SVPER POSTVLATA DOCTRINA.

CAP. IIII.

ITAQVE beatus Archebius primùm nos perducere ad Cheremonem maluit, quia & monaſterio eius propior, & duobus alijs prouectior eſſet ætate. Nam cùm centenarium vitæ annum ſpiritu tantum alacer exceſſiſſet, ita dorſum eius temporis fuerat vetuſtate, atq; orationum iugitate curuatum, vt quaſi in primæuam redactus infantiam, ſubmiſsis, ac proiectis terratenus manibus progrederetur. Huius igitur & vultum mirabilem, & inceſſum pariter intuentes, ſiquidem defectis, mortificatisq; iam omnibus membris, nequaquam cenſuram præteritæ diſtrictionis amiſerat, cùm ſermonem, atq; doctrinam ſuppliciter poſceremus, ac deſiderium tantum ſpiritualium inſtitutionum cauſam fuiſſe aduentus noſtri proteſtaremur, grauiter ille ſuſpirans; Quid vobis, ait, poſſum conferre doctrinæ, cùm imbecillitas ſenectutis, vt rigorem priſtinum relaxauit, ita loquendi quoq; fiduciam ademerit. Quemadmodum enim docere præſumam, quod ipſe non facio, aut alium in eo inſtruam, quod me iam vel minùs, vel tepidiùs exercere cognoſco? Ob quam rem nullum iuniorum mihi in hac vſq; ætate cohabitare permiſi, ne exemplo meo alterius diſtrictio laxaretur. Nunquam enim erit efficax [1] inſtituentis auctoritas, niſi eam effectu operis ſui, cordi affixerit audientis.

[1] Optimũ doctrinæ genus, ſi quod alios verbo inſtruis, id effectu operis adimpleas.

DE RESPONSIONE NOSTRA CONTRA EXCVSATIONEM EIVS.

CAP. V.

AD hæc nos non mediocri confuſione compuncti, ita reſpondimus: Licet ſufficere nobis ad omnem inſtructionem debeat vel loci iſtius difficultas, vel ipſa etiam ſolitaria adhuc vita, quam iuuenius quoq; robuſta vix poſſet tolerare, quæ nos etiam, te tacente, ſatis abundeq; inſtruunt, atq; compungunt, rogamus tamen, vt taciturnitate paululum prætermiſſa, ea nobis potiùs dignanter infundas, per quæ hanc, quam videmus in te virtutem, non tam imitatione complecti, quàm admiratione poſsimus. Nam etiam ſi reuelatus tibi tepor noſter impetrare id, quod expetimus, non meretur, debet hoc ſaltem labor tãti itineris obtinere, quòd huc de Bethleemitici cœnobij rudimentis, inſtitutionis veſtræ deſiderio, & profectus noſtri amore properauimus.

PROPOSITIO ABBATIS CHEREMONIS, QVOD TRIBVS MODIS VITIA VINCANTVR.

CAP. VI.

TVNC beatus Cheremon; Tria ſunt, inquit, quæ faciunt homines à vitijs temperare, id eſt aut metus gehennæ, ſiue præſentium legum, aut ſpes, atq; deſiderium regni cœlorum, aut affectus boni ipſius, amorq; virtutum. Nam timor ita mali contagium legitur execrari: Timor Domini odit malitiam. Spes etiam vitiorum excludit incurſum: Non enim delinquent omnes, qui ſperant in eum. Amor quoq; ruinam non metuit vitiorum, quia Charitas nunquam excidit; & iterum, Charitas operit multitudinem peccatorum. Et idcirco beatus Apoſtolus omnem ſalutis ſummam in iſtarum trium virtutum conſummatione concludens; Nunc, inquit, manent fides, ſpes, charitas, tria hæc. Fides namq; eſt, quæ futuri iudicij, ac ſuppliciorum metu, vitiorum facit contagia declinari. Spes, quæ mentem noſtram de præſentibus auocans, vniuerſas corporis voluptates, cœleſtium præmiorum expectatione contemnit. Charitas, quæ nos ad amorem Chriſti, & ſpiritualium virtutum fructum mentis ardore ſuccendens, quicquid illis contrarium eſt, toto facit odio deteſtari. Quæ tria licet ad vnum finem tendere videantur, prouocant enim nos à rebus illicitis abſtinere, magis tamen excellentiæ ſuæ gradibus ab inuicem ſeparantur. Duo namq; ſuperiora propriè hominum ſunt, eorum, qui ad profectum tendentes, necdum affectum concepere virtutum. Tertium ſpecialiter Dei eſt, & eorum, qui in ſe ſe imaginem Dei, ac ſimilitudinem receperunt. Ille namq; ſolus ea, quæ bona ſunt, nullo metu, nulla remunerationis gratia prouocante, ſed ſolo bonitatis affectu operatur. Omnia enim (vt ait Salomon) operatus eſt Dominus propter ſemetipſum; cùm ſuæ bonitatis intuitu omnem bonorum copiam dignis indignisq; largiatur, quia nec fatigari iniurijs poteſt, nec iniquitatibus hominum paſsibiliter permoueri, ſemper ſcilicet manens perfecta bonitas, immutabilisq; natura.

QVIBVS GRADIBVS AD SVBLIMITATEM CHARITATIS POSSIT ASCENDI, ET QVAE SIT IN EA STABILITAS.

CAP. VII.

SI quis igitur ad perfectionem tendit, de illo primo timoris gradu, quem propriè diximus eſſe ſeruilem, de quo dicitur: Cùm omnia feceritis, dicite, quia ſerui inutiles ſumus: ad altiorem ſpei tramitem gradu proficiente conſcendet, qui iam non ſeruo, ſed mercenario comparatur, qui mercedē

retributionis

retributionis expectat, & quaſi de peccatorum abſolutione, & pœnali timore ſecurus, ac bonorum ſibi conſcius, licet placiti boni præmium videatur expetere, tamen ad affectum illum filij, qui de paternæ indulgentiæ liberalitate confidens, omnia quæ patris ſunt ſua eſſe non ambigit, peruenire non potuit. Ad quem etiam ille prodigus, qui cum ſubſtantia patris etiam filij nomen amiſerat, aſpirare non audet, dicens: Iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis. Poſt illas enim porcorum ſiliquas, quarum ei ſatietas negabatur, id eſt vitiorum ſordidos cibos, quia in ſemetipſum reuerſus, & ſalutari timore compunctus, immunditiam porcorum horrere iam cœperat, ac diræ famis ſupplicia formidabat, velut iam ſeruus effectus, etiam mercenarij ſtatum de mercede iam cogitans concupiſcit, ac dicit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, & ego hic fame pereo. Reuertar ergo ad patrem meum, & dicam illi: Pater peccaui in cœlum, & coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis.

QVANTVM EXCELLANT, QVI PER CHARITATIS AFFECTVM DECLINANT A' VITIIS.

CAP. VIII.

SED ad iſtam humilis pœnitentiæ vocem in occurſum eius pater prosiliens, maiore, quàm prius habuerat, pietate ſuſcepit, eum'que non contentus minora concedere, vtroq; gradu ſine dilatione trânſcurſo, priſtinæ filiorum reſtituit dignitati. Feſtinandum proinde etiam nobis eſt, vt ad tertium filiorum gradum, qui omnia, quæ patris ſunt, ſua eſſe credunt, per indiſſolubilem charitatis gratiam conſcendentes, cœleſtis illius Patris imaginem, ac ſimilitudinem recipere mereamur, & ad imitationem veri illius Filij proclamare poſsimus: Omnia, quæ habet Pater, mea ſunt. Quod etiam de nobis beatus Apoſtolus profitetur, dicens: Omnia veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura, omnia veſtra ſunt. Ad quam ſimilitudinem etiam Saluatoris præcepta nos prouocant. Eſtote, inquit, & vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt. In illis enim nonnunquam ſolet interrumpi bonitatis affectus, cùm aliquo vel tepore, vel lætitia, vel oblectatione vigor animi relaxatus, aut metum ad præſens gehennæ, aut deſiderium ſubtrahit futurorum. Et eſt quidem in illis gradus cuiuſdam profectus imbuens nos, vt dum vel pœnarum metu, vel præmiorum ſpe incipimus vitia declinare, ad charitatis gradum tranſire poſsimus; quia Timor, inquit, non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet, qui autem timet, non eſt perfectus in charitate. Proinde nos diligamus, quia prior Deus

dilexit nos. Non enim aliter ad illam veram perfectionem conſcendere poterimus, niſi quemadmodum nullius alterius, niſi noſtræ ſalutis gratia, prior nos ille dilexit, ita cum nos quoque nullius alterius rei, niſi ſui tantum amoris dilexerimus intuitu. Quamobrem nobis ſtudendum eſt, vt de hoc timore ad ſpem, de ſpe ad charitatem Dei, vel ipſarum virtutum amorem, perfecto mentis conſcendamus ardore, vt transmigrantes in affectum boni ipſius immobiliter, quantum humanæ poſsibile eſt naturæ, quod bonum eſt retentemus.

EX LIBRO SECVNDO COLLATIONVM PATRVM EIVSDEM IOANNIS CASSIANI, COLLATIONE DECIMA QVARTA DE SPIRITALI SCIENTIA.

EXEMPLVM CASTITATIS, QVO DOCETVR, NON OMNIA AB OMNIBVS AEMVLANDA.

CAP. VII.

MONACHVS, qui mobilitate mentis ad ſtudia cupit tranſire diuerſa, etiam hinc periculum mortis incurrit, quòd nonnunquam quædam ab alijs rectè geſta, malo ab alijs præſumuntur exemplo, & quæ nonnullis benè ceſſerunt, pernicioſa ab alijs ſentiuntur. Veluti (vt quiddam exempli gratia proferamus) ſi quis illam viri illius imitari virtutem velit, quam ſolet Abbas Ioannes, non ad imitationis formulam, ſed tantummodo pro admiratione proferre. Nam quidam veniens ad prædictum ſenem habitu ſeculari, cùm ei quaſdam frugum ſuarum primitias detuliſſet, ferociſsimo quendam dæmonio arreptum ibidem reperit, qui cùm Abbatis Ioannis obteſtationes, ac præcepta deſpiciens, teſtaretur ſe nunquam ad illius imperium de corpore, quod obſederat, migraturum, huius ſecularis aduentu perterritus, cum reuerendiſsima nominis illius inclamatione diſceſsit. Cuius tam euidentem gratiam ſenex non mediocriter admiratus, eoq́ amplius obſtupeſcens, quòd eum in ſeculari cerneret habitu, cœpit ab eo vitæ, ac profeſsionis eius ordinem diligenter inquirere. Cùmq́ ille ſecularem ſe, atq; vxorio vinculo colligatum eſſe dixiſſet, beatus Ioannes excellentiam virtutis eius, & gratiæ mente pertractans, quæ'nam eſſet illi conuerſatio attentiùs explorabat. Ille, ſe

ruſticum, & quotidiano manuum opere victum quærere, nec vllius boni eſſe ſe conſcium teſtabatur, niſi quòd nunquam ante ad ruris opera manè exercenda procederet, neq; veſpere domum reuerteretur, niſi in Eccleſia pro quotidiano vitæ commeatu largitori eius Deo gratias retuliſſet; neq; ſe vnquam de fructibus ſuis aliquid vſurpaſſe, niſi prius Deo primitias eorum, ac decimas obtuliſſet; & nunquam ſe boues ſuos per alienæ meſsis traduxiſſe confinium, niſi eorum prius ora clauſiſſet, ne vel paruum damni per incuriam eius proximus ſuſtineret. Sed cùm hæc quoq; Abbati Ioanni necdum ad comparationem tantæ gratiæ, qua eum prælatum ſibi eſſe cernebat, idonea viderentur, atque ab eo quid'nam eſſet illud, quòd tantæ gratiæ meritis conferri poſſet ſciſcitans ſcrutaretur, ille reuerentia tam ſollicitæ inquiſitionis aſtrictus, vxorem ſe parentum vi, imperioq; compulſum, cùm profiteri monachum vellet, ante vndecim annos accepiſſe confeſſus eſt, quam nemine etiam nunc conſcio, ſororis loco à ſe virginem cuſtodiri teſtabatur. Quod factum cùm audiſſet ſenex, tanta eſt admiratione permotus, vt coram ipſo publicè proclamaret, non immeritò dæmonem, qui ſe deſpexerat, illius non toleraſſe præſentiam, cuius ipſe virtutem nec in iuuentutis ardore ob caſtitatis præſtantiam auſus fuerat impetere. Quod factum Abbas Ioannes licet ſumma admiratione prætulerit, tamen neminem monachorum vt experiretur hortatus eſt, ſciens multa rectè ab alijs geſta, magnam alijs imitantibus intuliſſe perniciem, nec vſurpari ab omnibus poſſe, quod paucis Dominus ſpeciali munere contuliſſet.

EX

EX LIBRO SECVNDO COLLATIONVM PATRVM EIVSDEM IOANNIS CASSIANI COLLATIONE DECIMA-QVINTA DE CHARISMATIBVS DIVINIS.

DE SVSCITATO MORTVO AB ABBATE MACHARIO.

CAP. III.

AB Abbate Machario, qui habitationem Scythioticæ ſolitudinis primus inuenit, mortuum ſuſcitatum eſſe reminiſcimur. Nam cùm hæreticus quidam, qui Eunomij perfidiam ſectabatur, ſyncèritatem Catholicæ fidei arte dialectica ſubuertere conaretur, magnamq; iam hominum multitudinem decepiſſet, rogatus à catholicis viris, qui ruina tantæ ſubuerſionis grauiſsimè mouebantur, beatus Macharius, vt ſimplicitatē totius Aegypti ab infidelitatis naufragio liberaret, aduenit. Quem cùm hæreticus arte dialectica fuiſſet aggreſſus, & ad Ariſtotelicas ignorantē ſpinas vellet adducere, beatus Macharius Apoſtolica multiloquium eius breuitate concludens; Non eſt, inquit, in verbo regnū Dei, ſed in virtute. Eamus igitur ad ſepulchra, & nomen Dñi ſuper mortuū, qui primus inuētus fuerit, inuocemus, ſic ſicut ſcriptū eſt, oſtendamus ex operibus fidē noſtrā; vt manifeſtiſsimè rectæ fidei documēta eius teſtimonio declarētur, & perſpicuā veritatē nō inani diſputatione verborū, ſed virtute ſignorū, & illo, quod nō poteſt falli, iudicio cōprobemus. Quo audito, hæreticus corā circunſtanti plebe pudore cōſtrictus, cùm ad præſens præbere ſe cōditioni propoſitæ ſimulaſſet aſſensū, ſeq; affuturū in craſtinū promiſiſſet, poſtero die expectātibus vniuerſis, qui ſtudioſiùs ad cōdictū locū ſpectaculi huius cupiditate confluxerant, exterritus conſcientia ſuæ infidelitatis aufugit, ac protinus ab vniuerſa Aegypto transmigrauit. Quē cùm beatus Macharius vſq; ad horam nonam cū populis præſtolatus, pro ſua conſcientia declinaſſe vidiſſet, aſſumens plebem, quæ ab illo fuerat deprauata, ad condicta ſepulchra perrexit. Hunc autem Aegyptijs morem Nili fluminis inuexit alueus,

vt quoniam vniuerſa illius latitudo terræ inſtar immenſi pelagi non paruo anni tempore ſolita aquarum eruptione contegitur, ita vt nulla tunc cuiquam humandi copia humani corporis tribuatur, niſi poſt tranſuectionem decurſam, corpora mortuorum pigmentis condita redolentibus, in æditioribus cellulis recondantur. Nam madens ebrietate nimia terræ ſolum, humandi arcet officium. Si qua enim cadauera defoſſa ſuſceperit, euomere ad ſuperficiem ſuam inundationum nimietate compellitur. Cùm igitur antiquiſſimo cuidam cadaueri beatus Macharius aſtitiſſet; O' homo, inquit, ſi veniſſet huc mecum hæreticus ille filius perditionis, & aſtante ipſo nomen Chriſti Dei mei inuocans exclamaſſem, vtrum'ne coram his, qui penè fuerant eius fraude ſubuerſi, ſurrecturus fuiſſes, edicito. Tum ille conſurgens, annuentis voce reſpondit. Quem denuò cùm interrogaret Abbas Macharius, quiſ'nã fuiſſet aliquãdo, cùm frueretur hac vita, vel qua hominum fuiſſet ætate, aut ſi nomen Chriſti tunc temporis cognouiſſet, ille ſe ſub antiquiſſimis Regibus vixiſſe reſpondit, Chriſtiq; nomen aſſeruit illis ſe nec audiſſe temporibus. Tunc Abbas Macharius; Dormi, inquit, in pace cum cæteris in tuo ordine, à Chriſto in fine temporum ſuſcitandus. Hæc igitur eius virtus, & gratia, quantum in ipſo fuit, ſemper fortaſſe latuiſſet, niſi eum neceſſitas 1 totius prouinciæ periclitantis, & erga Chriſtum plena deuotio, amorq; ſyncerus iſtud exercere miraculum compuliſſet. Quod vtiq; vt ab eo fieret, non oſtentatio gloriæ, ſed charitas Chriſti, & totius plebis extorſit vtilitas; vt beatum quoq; Eliam feciſſe Regnorum lectio manifeſtat, qui ignem de cœlo ſuper hoſtias impoſitas piræ, pie idcirco deſcendere poſtulauit, vt periclitantem pſeudoprophetarum præſtigijs fidem totius populi liberaret.

1 Ecce quomodo miracula vult fieri Dominus in Eccleſia ad cõuincendũ hæreticos, & ad confirmãdũ, dubios.

DE MIRACVLO, QVOD ABBAS ABRAHAM IN MVLIERIS FECIT VBERIBVS.

CAP. IIII.

QVID ſi etiam Abbatis Abrahæ geſta commemorem, qui Pais, id eſt ſimplex, pro ſimplicitate morum, & innocentia cognominatur? Qui cùm metendi gratia ad Aegyptum de eremo diebus quinquageſimæ perrexiſſet, & à muliere quadam paruulum ſuum lactis inopia iam tabidum, atq; feminecem præferente, lachrymoſis precibus fuiſſet obſtrictus, calicem ei aquæ potandum, impreſſo 1 Crucis ſignaculo, dedit. Cuius hauſtu confeſtim mirum in modum arida iam penitus vbera copia lactis redundante confluxerunt.

1 Calicis aquæ Crucis ſignaculo munitæ epotatione, Abbas Abraham lactis abundãtiam ex vberibus mulieri eduxit.

DE CLAVDI CVIVSDAM CVRATIONE, QVAM IDEM EST OPERATVS.

CAP. V.

CVM idem ipſe pergeret ad vicum, circundatus eſt illudentium turbis, qui ſubſannantes oſtendebant ei quendam hominem contracto genu, multis iam annis greſſus officio deſtitutum, & antiqua debilitate repentem; ac tentantes eum; Oſtende, aiebant, Abba Abraham, ſi ſeruus es Dei, & reſtitue hunc priſtinæ ſanitati, vt nomen Chriſti, quem colis, vanum non eſſe credamus. Tunc ille confeſtim, inuocato Chriſti nomine, inclinans ſe, & apprehendens aridum pedem hominis traxit; cuius tactu continuò ſiccum genu, incuruumq; directum eſt, ac ſic recepto vſu greſſuum, quem obliuioni iam tradiderat annoſa debilitas, lætus homo ille abſceſsit.

REVELATIO FACTA ABBATI PAPHNVTIO DE PERFECTAE CASTITATIS EXPERIMENTO.

CAP. X.

QVOD non ſit nobis de miraculorum gratia, ſed de mentis puritate lætandum, vel teſtimonijs veterum, vel diuinis oraculis approbare volentes, quid beatus Paphnutius tam de admiratione ſignorum, quàm de gratia ſenſerit puritatis, immò quid Angeli reuelatione cognouerit, ipſius verbis, atq; experimentis rectiùs proferemus. Hic nanq; multis annis, diſtrictionem præcipuam ita ſeruans, vt crederet ſe etiam carnalis concupiſcentiæ laqueis penitus abſolutum, eò quòd cunctis infeſtationibus dæmonũ, cum quibus diu apertèq; conflixerat, ſuperiorem ſe factum eſſe ſentiret, dum aduenientibus viris ſanctis pulmentum lenticulæ, quod illi atheram nominant, præpararet, manus eius in clibanũ, vt aſſolet, poſita, flamma ſuperuolitante combuſta eſt. Quo facto contriſtatus magnum in modum cœpit ſecum tacitus voluere; Cur ignis (inquiens) mecum non habet pacem, cùm duriora mihi dæmonum ceſſerint prælia? Aut quemadmodum me in illo metuendo examinis die per eum tranſiturum ille ignis inextinguibilis, & inquiſitor meritorum omnium non tenebit, cui nunc extrinſecus hic temporalis, ac paruulus non pepercit? Cùmq; æſtuanti huiuſcemodi cogitationibus, atq; triſtitia ſopor ſubitus obrepiſſet, adueniens Angelus Domini; Cur, inquit, Paphnuti, triſtis es, quòd necdum pacatus tibi ſit ignis iſte terrenus, cùm adhuc reſideat in membris tuis carnalium motuum necdum ad purum excocta commotio? Cuius

radices donec in tuis viuent medullis, ignem iſtum materialem nequaquam tibi pacificum eſſe permittent, quem vtique innoxium aliter ſentire non poteris, niſi omnes internos motus his indicijs in temetipſo experiaris extinctos. Vade, & apprehende nudam, & pulcherrimam virginem, & ſi illam tenens, tranquillitatem tui cordis immobilem, æſtusque carnales pacificos in te ſenſeris perdurasse, huius quoque viſibilis flammæ mitis, atque innoxius, in modum illorum trium in Babylonia puerorum, te allambet attactus. Itaque ſenex ex huiuſmodi reuelatione perculſus, non quidem experimenti diuinitus demonſtrati pericula tentauit, ſed interrogans conſcientiam ſuam, & puritatem ſui cordis examinans, nec adhuc pondus caſtimoniæ ſuæ cum huius probationis pondere compenſare audens; Non mirum eſt, ait, ſi cedentibus mihi immundorum ſpirituum prælijs, aduſtiones ignis, quas dirisſimis congreſsibus dæmonum inferiores eſſe credebam, adhuc aduerſum me ſenſerim ſæuientes. Maior quippe eſt virtus, ac ſublimior gratia, internam libidinem carnis extinguere, quàm nequitias dæmonum extrinſecus irruentes, ſigno Domini, ac virtutis altisſimæ potentia ſubiugare, vel de obſeſsis corporibus nominis diuini inuocatione propellere.

EX LIBRO SECVNDO COLLATIONVM PATRVM EIVSDEM IOANNIS CASSIANI, COLLATIONE DECIMA-SEXTA DE AMICITIA.

DE OPTIMO EXAMINE VERITATIS. CAP. X.

MEMINI cùm me adhuc adhærere conſortio ætas iunior hortaretur, aliquam nobis intelligentiam vel in moralibus diſciplinis, vel in ſcripturis ſacris frequenter occurriſſe, qua nihil verius, nihilque rationabilius crederemus. Sed cùm in vnum conuenientes ſententias noſtras promere cœpiſſemus, quædam communi examinatione diſcuſſa, primùm ab altero falſa ac noxia defendebantur, mox deinde vt pernicioſa communi pronunciata iudicio damnabantur; quæ priùs infuſa à diabolo ita luce clarius fulgebant, vt facilè potuiſſent generare diſcordiam, niſi præceptum ſeniorum, velut diuinum quoddam oraculum cuſtoditum, ab omni nos contentione reuocaſſet, quo ab illis legali quadam ſanctione præſcriptum eſt, vt nullus noſtrum plus iudicio ſuo, quàm fratris crederet, ſi nunquam vellet diaboli calliditate deludi.

QVO'D IMPOSSIBILE SIT, QVENQVAM, QVI PROPRIO FIDIT IVDICIO, DIABOLI ILLVSIONE NON DECIPI.

CAP. XI.

ETENIM ſæpè illud, quod Apoſtolus dicit, probatum eſt euenire: Ipſe enim ſatanas transfigurat ſe in Angelum lucis, vt obſcuram, ac tetram caliginem ſenſuum pro vero lumine ſcientiæ fraudulenter effundat, qui niſi humili, & manſueto corde ſuſcepti, maturiſsimi fratris, vel probatiſsimi ſenioris reſeruentur examini, & eorum iudicio diligenter excuſſi aut abijciantur, aut recipiantur à nobis, ſine dubio venerantes in cogitationibus noſtris pro Angelo lucis Angelum tenebrarum, grauiſsimo feriemur interitu. Quam perniciem impoſsibile eſt euadere quempiam iudicio proprio confidentem, niſi humilitatis veræ amator, & executor effectus illud, quod Apoſtolus magnopere deprecatur, omni contritione cordis impleuerit. Si qua ergo, inquit, conſolatio in Chriſto; ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua viſcera miſerationis, implete gaudium meum, vt idem ſapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes idipſum ſentientes, nihil per contentionem, neq; per inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes: Et illud, Honore alterutrum præuenientes: vt plus vnuſquiſq; conſorti ſuo ſcientiæ, & ſanctitatis aſcribens, ſummam diſcretionis veræ in alterius magis quàm in ſuo credat ſtare iudicio.

QVAM OB CAVSAM NON DEBEANT INFERIORES IN COLLATIONE CONTEMNI.

CAP. XII.

SAEPE autem accidit, ſiue illuſione diaboli, ſiue interceſſu erroris humani, quo nullus eſt in hac carne, qui falli, velut homo, non poſsit, vt & ille interdum, qui acrioris ingenij, ſcientiæq; maioris eſt, aliquid falſum mente concipiat, & ille, qui tardioris ingenij, ac minoris eſt meriti, rectius aliquid, veriusque perſentiat. Et idcirco nullus ſibi, quamuis ſcientia præditus, inani tumore perſuadeat, quòd poſsit collatione alterius non egere. Nam etiam ſi iudicium eius diabolica non fallat illuſio, elationis tamen,

& ſuperbiæ grauiores laqueos non euadet. Quis enim hoc ſibi abſque ingenti poterit vſurpare pernicie, cùm vas electionis, in quo Chriſtus, vt ipſe profeſſus eſt, loquebatur, ob hoc ſolummodo ſe aſſerat Hieroſolymam conſcendiſſe, vt cum ſuis coapoſtolis Euangelium, quod gentibus, reuelante, & cooperante Domino, prædicabat, ſecreta examinatione conferret? Per quod oſtenditur, non ſolùm vnanimitatem, atque concordiam per hæc præcepta ſeruari debere, verumetiam cunctas diaboli aduerſantis inſidias, & illuſionum eius laqueos timeri.

EX LIBRO SECVNDO COLLATIONVM PATRVM EIVSDEM IOANNIS CASSIANI, COLLATIONE DECIMA-OCTAVA DE TRIBVS GENERIBVS MONACHORVM.

QVEMADMODVM DIOLCO VENIENTES AB ABBATE PYAMONE RECEPTI FVERIMVS.

CAP. I.

POST conſpectum, atq; colloquium trium illorum ſenum, quorum collationes, ſancto fratre noſtro Eucherio compellente, vtcunq; digeſsimus, cùm etiam vlterioris Aegypti partes, in quibus amplior, atq; perfectior ſanctorum numerus conſiſtebat, maiore flagrantia deſideraremus expetere, ad vicum, cui nomen eſt Diolcos, vni ex ſeptem Nili fluminis oſtijs imminentem, non tam itineris neceſsitate, quàm deſiderio ſanctorum illic commorantium compellente, peruenimus. Cùm enim velut cupidiſsimi mercatores plurima illic, celeberrimaq; cœnobia ab antiquis audiuiſſemus patribus inſtituta, continuò quaſi nauigationem inquiſitionis incertæ, ſpe maioris lucri perſuadente, ſuſcepimus. Vbi cùm diutiſsimè fluctuantes, ad illos virtutum ſublimitate conſpicuos montes, vndiq; curioſos oculos tenderemus, Abbatem Pyamonem omnium anachoretarum illic inhabitantium ſeniorem, eorundemq; Presbyterum, velut quandam ſublimiſsimum pharum, id eſt ſignum, primus circunſpectantium notauit intuitus. Hic etenim ſicut Euangelica illa ciuitas in excelſi montis vertice conſtituta, noſtro protinus refulſit aſpectui. Cuius virtutes, atq; mirabilia, quæ per eum etiam ſub

conſpectu

conſpectu noſtro, diuina gratia teſtimonium meritis eius reddente, perfecta ſunt, ne vel propoſiti noſtri formam, vel modum huius voluminis excedamus, prætermittenda credimus. Non enim de mirabilibus Dei, ſed de inſtitutis, ſtudijsque ſanctorum quædam, quæ reminiſci poſsibile eſt, nos ſpopondimus memoriæ tradituros, vt neceſſariam iam illis perfectæ vitæ inſtructionem, non inutilem abſque vlla emendatione vitiorum, ac ſuperuacuam admirationem legentibus præberemus. Cùm itaque beatus Pyamon ſumma nos gratulatione ſuſceptos, humanitate etiam congrua refeciſſet, intelligens nos non eiuſdem eſſe regionis, primùm, vnde, vel cur Aegyptum petiſſemus ſolicitè percontatus, ac de cœnobio Syriæ ob deſiderium perfectionis nos illuc aduenisse cognoſcens, ita exorſus eſt.

VERBA ABBATIS PYAMONIS, QVOMODO RVDES MONACHI EXEMPLO SENIORVM DEBEANT ERVDIRI.

CAP. II.

QVISQVIS hominum, ò filij, cuiuslibet artis peritiam aſſequi concupiſcit, niſi omni cura, atque vigilantia ſe, quam noſſe deſiderat, diſciplinæ ſtudijs mancipar it, ac perfectiſsimorum quorumque opificij ipſius, vel ſcientiæ magiſtrorum præcepta, atque inſtituta ſeruauerit, fruſtra & inanibus votis eorum ſimilitudinem exoptat attingere, quorum curam, atque induſtriam detrectat æmulari. Nouimus enim nonnullos ita ad hæc loca de veſtris regionibus aduenisse, vt cognoſcendi tantummodo gratia fratrum monaſteria circumirent, non vt has 1 regulas, ob quas huc commeare debuerant, atque inſtituta ſuſciperent, ſed vt ſecedentes in cellulas, ea quæ vel viſu, vel traditione perceperant, probarent. Qui mores ſuos, ac ſtudia, quibus imbuti fuerant, retentantes, vt eis exprobrari à nonnullis ſolet, non profectus ſui, ſed eius rei, quam diximus, gratia, ſeu vitandæ egeſtatis neceſsitate exiſtimati ſunt prouincias commutaſſe. Non ſolùm enim nihil eruditionis acquirere, ſed ne diutius quidem in his partibus commorari pertinacis animi obſtinatione potuerunt. Cùm enim nec 2 ieiuniorum morem, neque pſalmorum ordinem, nec ipſorum denique indumentorum habitum permutaſſent, quid aliud in hac regione ſectari, quàm ſola victus ſui compendia crederentur?

1 Ecce quomodo etiam antiquiſsimi monachi regulas habebãt.

2 Iidem ipſi ieiunabant, pſallebant, & propriũ habitum habebant.

QVOD IVNIORES SENIORVM PRAECEPTA DISCVTERE NON DEBEANT. CAP. III.

QVAMOBREM ſi vos (quemadmodum credimus) Dei cauſa ad æmulationem noſtræ agnitionis attraxit, omnibus inſtitutis, quibus illic primordia veſtra præuenta ſunt, penitus abdicatis, quæcunq; ſeniores veſtros agere, vel tradere videritis, ſumma humilitate ſectamini. Neq; vos moueat, aut ab imitatione retrahat, ac diuertat, ſi vobis ad præſens alicuius rei, vel facti ratio, aut cauſa non liqueat, quia eos, qui benè de cunctis, ac ſimpliciter ſentiunt, & vniuerſa, quæ à ſenioribus tradi, geri ue perſpexerint, fideliter imitari magis, quàm diſcutere ſtudent, per operis experientiam etiam rerum omnium ſcientia ſubſequetur. Cæterùm nunquam rationē veritatis adipiſcetur, quiſquis à diſcuſsione cœperit erudiri; quia videns eum inimicus ſuo potiùs, quàm patrum iudicio confidentem, facilè in id vſq; propellet, vt etiam illa, quæ maximè vtilia, atq; ſaluberrima ſunt, ſuperflua ei videantur, & noxia. Atq; ita præſumptioni eius callidus hoſtis illudet, vt irrationabilibus diffinitionibus ſuis pertinaciter inhærendo, hoc ſolummodo ſibi ſanctum eſſe perſuadeat, quod rectum, atque iuſtiſsimum ſuæ tantùm obſtinationis errore cenſuerit.

Nota cõtra quoſdam hæreticos noſtri temporis, qui dicunt ſe velle à Catholicis erudiri.

DE TRIBVS GENERIBVS MONACHORVM, QVAE INTRA AEGYPTVM SVNT. CAP. IIII.

QVAMOBREM ordo, atq; principium profeſsionis noſtræ, quemadmodum, vel vnde deſcenderit, primùm debetis agnoſcere. Tūc enim poterit quis deſideratæ artis efficaciùs aſſequi diſciplinam, & ad exercendam eam ardentiùs incitari, cùm auctorum, & fundatorum eius agnouerit dignitatem. Tria ſunt in Aegypto genera monachorum, quorum duo ſunt optima, tertium tepidum, atq; omnino euitandum. Primum eſt cœnobitarum, qui ſcilicet in cogregatione pariter conſiſtentes, vnius ſenioris iudicio gubernantur, cuius generis maximus numerus monachorum per vniuerſam commoratur Aegyptum. Secundum anachoretarum, qui priùs in cœnobijs inſtituti, iam'q; in actuali conuerſatione perfecti, ſolitudinis elegere ſecreta. Cuius profeſsionis nos quoq; optamus eſſe participes. Tertium reprehenſibile, ſarabaitarum eſt. De quibus ſingillatim per ordinē pleniùs differemus. Harum igitur profeſsionum fundatores primùm (vt diximus) debetis

agnoſcere: Nam profectò ex hoc ipſo vel odium profeſsionis illius naſci poterit, quæ vitanda eſt, vel eius deſiderium, quæ ſequenda; quia neceſſe eſt vnamquanq; viam ad illum finem ſuum pertrahere ſectatorem, ad quem auctor ipſius, inuentorq́; peruenerit:

QVIBVS AVCTORIBVS COENOBITARVM INSTITVTA SIT PROFESSIO.

CAP. V.

ITAQVE cœnobitarum diſciplina à tempore prædicationis Apoſtolicæ ſumpſit exordium. Nam talis extitit in Hieroſolymis omnis illa credentium multitudo, quæ in actibus Apoſtolorum ita deſcribitur: Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna; nec quiſquam eorum, quæ poſsidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. Poſſeſsiones, & ſubſtantias vendebant, & diuidebant ea omnibus, prout cuiq; opus erat. Et iterum: Neq; enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Diuidebatur autem ſingulis, prout cuiq; opus erat. Talis, inquam, erat tunc omnis Eccleſia, quales nunc perpaucos in cœnobijs inuenire difficile eſt. Sed cùm poſt Apoſtolorum receſſum tepeſcere cœpiſſet credentium multitudo, ea vel maximè quæ ad fidem Chriſti de alienigenis, ac diuerſis gentibus confluebat, à quibus Apoſtoli pro ipſis fidei rudimentis, ac inueterata gentilitatis conſuetudine nihil ampliùs expetebant, niſi vt ab immolatitijs idolorum, & fornicatione, & ſuffocatis, ac ſanguine temperarent; atq; iſta libertas, quæ gentibus propter infirmitatem primæ credulitatis indulta eſt, etiam illius Eccleſiæ, quæ Hieroſolymis conſiſtebat, perfectionem paulatim contaminare cœpiſſet, & creſcente quotidie vel indigenarum numero, vel aduenarum, primæ illius fidei refrigeſceret feruor, non ſolùm hi, qui ad fidem Chriſti confluxerant, verumetiam illi, qui erant Eccleſiæ principes, ab illa diſtrictione laxati ſunt. Nonnulli enim exiſtimantes id, quod videbant gentibus pro infirmitate conceſſum, ſibi etiam licitum, nihil ſe detrimenti perpeti crediderunt, ſi cum ſubſtantijs, ac facultatibus ſuis fidem Chriſti, confeſsionemq́; ſequerentur. Hi autem, quibus adhuc Apoſtolicus inerat feruor, memores illius priſtinæ perfectionis, deſcendentes à ciuitatibus ſuis, illorumq; conſortio, qui ſibi, vel Eccleſiæ Dei remiſsioris illius vitæ negligentiam licitam eſſe credebant, cœperunt in locis ſuburbanis ſecretioribus commanere, & ea, quæ ab Apoſtolis per vniuerſum corpus Eccleſiæ generaliter meminerant inſtituta, priuatim, ac peculiariter exercere cœperunt, atq; ita coaluit iſta, quam diximus, diſcipulorum, qui ſe ab aliorum i contagio ſequeſtrauerunt, diſciplina. Qui paulatim tempore procedente ſegregati à credentium turbis, ab eo quòd à coniugijs abſtinerent, & à parentum ſe conſortio, mundiq; iſtius conuerſatione ſecernerent, monachi, ſiue μονάζοντες à ſingularis, ac ſolitariæ vitæ diſtrictione nominati ſunt. Vnde

1 Habes hîc Monachiſmum nõ eſſe nouitiũ, ſed antiquiſsimũ inſtitutum, priſcosq́ue Monachos perpetuum ſeruaſſe cœlibarum, ſicut faciunt & noſtri.

conſequens fuit, vt ex communione conſortij etiã cœnobitæ, cellæq́;, ac diuerſoria eorum cœnobia vocarentur. Iſtud ergo ſolum fuit antiquiſsimum monachorum genus, quod non modò tempore, ſed etiam gratia primum eſt, quodq́; per annos plurimos ſolum inuiolabile vſq; ad Abbatis Pauli, vel Antonij durauit ætatem. Cuius etiam nũc in diſtrictis cœnobijs cernimus reſidere veſtigia.

DE ANACHORETARVM ORDINE, AC PRINCIPIO.

CAP. VI.

VNDE profectò de hoc perfectorum numero, &, vt ita dixerim, fœcundiſsima radice, ſanctorum etiam anachoretarum poſthæc flores, fructusq; prolati ſunt. Cuius profeſsionis príncipes, hos, quos paulo ante memorauimus, ſanctum videlicet Paulum, vel Antoninm nouimus extitiſſe. Qui non, vt quidam, puſillanimitatis cauſa, vel impatientiæ morbo, ſed deſiderio ſublimioris profectus, contemplationisq; diuinæ, ſolitudinis ſecreta ſectati ſunt; licet prior eorum neceſsitatis impulſu, dum tempore perſecutionis, affinium ſuorum deuitat inſidias, eremum penetraſſe dicatur. Ita ergo proceſsit ex illa, quam diximus, Apoſtolica 2 diſciplina aliud perfectionis genus, cuius ſectatores anachoretæ, id eſt ſeceſſores, meritò nuncupantur, eo quòd nequaquàm contenti hac victoria, qua inter homines occultas inſidias diaboli calcauerunt, aperto certamine, ac manifeſto conflictu dæmonibus congredi cupientes, vaſtos eremi receſſus penetrare non timeant, ad imitationem ſcilicet Ioannis Baptiſtæ, qui in eremo tota permanſit ætate, Eliæ quoq;, & Eliſæi, atq; illorum, de quibus Apoſtolus ita commemorat: Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus nõ erat mundus, in ſolitudinibus errantes, & in montibus, & in ſpeluncis, & in cauernis terræ. De quibus etiam Dominus figuraliter ad Iob; Quis, ait, eſt, qui dimiſit onagrum liberum, & vincula eius quis ſoluit? Cui dedi in ſolitudine domum, & tabernacula eius in terra ſalſuginis. Contemnit multitudinem ciuitatis, clamorem exactoris non audit. Circumſpicit montes paſcuæ ſuæ, & virentia quæq; perquirit. In pſalmis quoq;: Dicant nunc qui redẽpti ſunt à Domino, quos redemit de manu inimici. Et poſt pauca: Errauerunt in ſolitudine in inaquoſo; viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt, eſurientes, & ſitientes, anima eorum in ipſis defecit. Et clamauerunt ad Dominum, cùm tribularentur, & de neceſsitatibus eorum liberauit eos. Quos etiam Hieremias ita deſcribit: Beatus qui tulit iugum ab adoleſcentia ſua, ſedebit ſolitarius, & tacebit, quia leuauit ſe ſuper ſe. Quiq; illud pſalmiſtæ affectu, & opere concinunt: Similis factus ſum pelicano ſolitudinis, vigilaui, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.

2 Si ab Apoſtolica diſciplina Monachatus deſcẽdit, qua facie audent nõnulli ei derrahere, & quòd de mundo tollatur, hominibus ſuadere?

DE

DE SARABAITARVM PRINCIPIO, ET CONVERSATIONE.

CAP. VII.

CVM his duabus profeſſionibus monachorum religio chriſtiana gauderet, cœpiſſet autem in deterius paulatim hic quoq; ordo recidere, emerſit poſt hæc illud deterrimum, & infidele monachorum genus, vel potiùs noxia illa plantatio rediuiua concreuit, quæ per Ananiam, & Saphiram in exordio Eccleſiæ pullulans, Apoſtoli Petri ſeueritate ſucciſa eſt. Quæ inter monachos tandiu deteſtabilis, execrandaq; iudicata eſt, nec à quoquam vlteriùs vſurpata, quandiu illius tam diſtrictæ formido ſententiæ inmemoriæ fidelium inſerta durauit, qua beatus Apoſtolus prædictos noui facinoris principes, non pœnitentia, non vlla paſſus eſt ſatisfactione curari, ſed pernicioſiſſimum germen celeri morte ſuccidit. Illo igitur exemplo, quod in Anania, & Saphira Apoſtolica diſtrictione punitum eſt, à nonnullorum contemplatione, paulatim longa incuria, & temporis obliteratione ſubtracto, emerſit iſtud Sarabaitarum genus, qui ab eo, quòd ſemetipſos à cœnobiorum congregationibus ſequeſtrarent, ac ſingillatim ſuas curarēt neceſſitates, Aegyptiæ linguæ proprietate, Sarabaitæ nuncupati ſunt, de illorum, quos prædiximus, numero procedentes, qui Euangelicam perfectionem ſimulare potiùs, quàm in veritate arripere maluerunt, æmulatione ſcilicet eorum, vel laudibus prouocati, qui vniuerſis diuitijs mundi perfectam Chriſti præferunt nuditatem. Hi igitur dum imbecillo animo rem ſummæ virtutis affectant, vel neceſſitate ad hanc profeſſionem venire compulſi, dum cenſeri tantummodo nomine monachorum, abſq; vlla ſtudiorum æmulatione feſtinant, cœnobiorum nullatenus expetunt diſciplinam, nec ſeniorum ſubijciuntur arbitrio, vt eorum traditionibus inſtituti, ſuas diſcant vincere voluntates; nec vllam ſanæ diſcretionis regulam legitima eruditione ſuſcipiunt, ſed ad publicam tantummodo, id eſt ad hominum faciem renunciantes, aut in ſuis domicilijs ſub priuilegio huius nominis iiſdem obſtricti occupationibus perſeuerant, aut conſtruentes ſibi cellulas, eaſq; monaſteria nuncupantes, ſuo in eis iure, ac libertate conſiſtunt, nequaquam Euangelicis præceptionibus ſuccumbentes, vt nulla ſcilicet quotidiani victus ſolicitudine, nullis rei familiaris diſtentionibus occupentur. Quod illi ſoli abſq; vlla infideli dubitatione conſummant, qui cunctis mundi huius facultatibus abſoluti, ita ſe cœnobiorum præpoſitis ſubdiderunt, vt ne ſui quidem ipſius fateantur eſſe dominos. Illi autem, qui diſtrictionem (vt diximus) cœnobij declinantes, bini, vel terni in cellulis commorantur, non contenti Abbatis cura, atq; imperio gubernari, ſed hoc præcipuè procurantes, vt abſoluti à ſeniorum iugo exercendi voluntates ſuas, ac procedendi, vel quò placuerit euagandi, agendi'ue quod libitum fuerit, habeant libertatem, etiam ampliùs in operibus diurnis, quàm hi, qui in cœnobijs degunt, diebus, ac noctibus conſumuntur, ſed non ea fide, eodemq; propoſito. Hoc enim iſti faciunt, non vt fructum ſui operis ſubijciant diſpenſatoris arbitrio, ſed vt acquirant pecunias, quas recondant. Inter quos quantū interſit aduertite. Illi nihil de craſtino cogitantes, gratiſſimos Deo ſudoris ſui offerūt fructus; iſti verò non ſolū in craſtinū, ſed etiā in multorum annorū ſpatia infidelē ſolicitudinem prorogantes, aut mendacē Deum, aut inopē credunt, qui promiſſam quotidiani victus, atq; indumentorū ſufficientiā

Vides quòd veri monachi Euangelicam pauper tatem ſeruāt.

præbere eis aut non poſsit, aut nolit. Illi hoc omnibus expetunt votis, vt nuditatem omnium rerum, paupertatem'q; poſsideant; iſti vt omnium copiarum affluentiam conſequantur. Illi ob hoc certatim ſtatutum tranſcendere canonem diurnis operibus elaborant, vt 4 quicquid monaſterij ſanctis vſibus redundarit, vel carceribus, vel xenodochio, vel noſocomio, vel indigentibus pro Abbatis diſpenſetur arbitrio; iſti vt quicquid quotidianæ ſuperfuerit gulæ, aut profuſiori proficiat voluptati, aut certè philargiriæ vitio recondatur. Poſtremò vt concedamus ab iſtis hæc quoq;, quæ non optimo propoſito congeruntur, meliùs quàm diximus poſſe diſtribui, ne ſic quidem ad meritum virtutis illius, ac perfectionis aſpirant. Illi etenim tantos monaſterio redditus conferentes, eis'q; quotidie renunciantes, in tanta ſubiectionis humilitate perdurant, vt quemadmodum ſui, ita etiam eorum, quæ proprio ſudore conquirunt, poteſtate priuentur, abrenunciationis primæ feruorem, dum quotidie ſemetipſos laboris ſui fructibus nudant, iugiter innouantes; iſti autem in eo ipſo, quòd aliquid pauperibus largiuntur, elati, in præceps quotidie collabuntur. Illos patientia, atq; diſtrictio, qua tam deuotè in hac, quam ſemel arripuerunt, profeſsione perdurant, vt 5 nunquam ſuas expleant voluntates, crucifixos huic mundo quotidie, viuos'q; martyres facit; hos ſui arbitrij tepor viuos ad inferna demergit. Hæc igitur duo genera monachorum in hac quidem prouincia æquali propemodum numeroſitate inter ſe contendunt. Cæterùm per alias regiones, quas me neceſsitas catholicæ fidei compulit peragrare, iſtud tertium Sarabaitarum genus abundare, ac propè ſolum eſſe cognouimus. Temporibus ſiquidem Lucij, qui Arrianæ perfidiæ Epiſcopus fuit ſub Valentis imperio, cùm Diaconiam noſtris fratribus deferremus, his videlicet, qui de Aegypto, ac Thebaida fuerant, ob catholicæ fidei perſeuerantiam, metallis Ponti, atq; Armeniæ relegati, licet cœnobiorum diſciplinam in quibuſdam ciuitatibus rariſsimam viderimus, Anachoretarũ tamen apud illos ne ipſum quidem nomen auditum fuiſſe cõperimus.

4 Quid agetur ex superueniente lucro ab operibus monachorum.

5 Ecce verorũ monachorũ ſcopum, nunquam ſuas explere voluntates, & huic mundo crucifixos eſſe.

DE QVARTO GENERE MONACHORVM.

CAP. VIII.

SANE eſt etiam aliud quartum genus, quod nuper cernimus emerſiſſe in his, qui anachoretarum ſibi ſpecie, atq; imagine blandiuntur. Iſti in primordijs ſuis feruore quodam breui cœnobij perfectionẽ videntur expetere, ſed continuò tepefacti, dum priſtinos mores, atq; vitia reſecare contemnunt, nec iugum humilitatis, ac pœnitentiæ diutius ſuſtinere contenti ſunt, ſubdi'q; maiorũ imperio dedignantur, ſeparatas expetunt cellas, ac ſolitarij ſedere deſiderant, vt ita ſcilicet à nemine laceſsiti, patientes, manſueti, ac humiles poſſint ab hominibus æſtimari. Quæ inſtitutio, immò tepor eos, quos ſemel infecerit, ad perfectionem nunquam permittit accedere. Hoc enim modo non ſolùm non abſcinduntur, verumetiam in deterius eorum vitia conualeſcunt, vt quoddam letale, & inteſtinum virus, quod quantò amplius celatum fuerit, tantò profundiùs ſerpens inſanabilem morbum generat ægrotanti. Pro reuerentia enim ſingularis cellæ nullus iam vitia ſolitarij audet arguere, quæ ille ignorari maluerit, quàm curari. Porrò virtutes non occultatione vitiorum, ſed expugnatione pariuntur.

DE HVMILITATE VERA, ET QVOMODO FALSAM CVIVSDAM HVMILITATEM PRODIDERIT ABBAS SERAPION.

CAP. XI.

QVONIAM de optimo genere monachorum video vos profeſsionis huius arripuiſſe principia, ideſt de laudabili cœnobiorum palæſtra ad excelſa faſtigia anachoreticæ tendere diſciplinæ, humilitatis, patientiæq; virtutem, quam vos illic didiciſſe non dubito, vero ſectamini cordis affectu, non eam, ſicut quidam, falſa humiliatione verborum, nec affectata, atq; ſuperflua in quibuſdam officijs corporis inclinatione fingentes; quod humilitatis figmentum Abbas Serapion quodam tempore eleganter irriſit. Cùm enim quidam ad eum ſummam ſui abiectionem habitu, ac verbis præferens veniſſet, eumq; ſenex, ſecundùm morem, vt orationem colligeret, hortaretur, ille nequaquam annuens deprecanti, tantis ſe ſubijciens aſſerebat flagitijs inuolutum, vt ne vſum quidem huius communis aëris capere mereretur, pſiathij quoq; ipſius refugiens ſeſsionem, humi potius inſidebat. Cùm verò etiam ad ablutionem pedum multò minus præbuiſſet aſſenſum, tum Abbas Serapion, refectione tranſacta, collationis conſuetudine prouocante, monere eum benignè, ac leniter cœpit, ne otioſus, ac vagus, præſertim iuuenis tam robuſtus inſtabili leuitate per vniuerſa diſcurreret, ſed vt in cella reſidens, ſecundùm regulam ſeniorum, ſuo potius opere, quàm aliena mallet munificentia ſuſtentari. In quod ne Paulus Apoſtolus incideret, & quidem cùm ei in Euangelio laboranti hæc præbitio meritò deberetur, diebus tamen, ac noctibus maluit operari, vt quotidianum victum, vel ſibi, vel his, qui eidem miniſtrantes opus exercere non poterant, ſuis manibus præpararet. Ad hæc ille tanta eſt triſtitia, & dolore ſuppletus, vt amaritudinem corde conceptam, ne vultu quidem diſſimulare potuerit. Cui ſenex; Hactenus, inquit, fili, cunctis te facinorum ponderibus onerabas, non metuens ne confeſſione tam atrocium criminum notam exiſtimationis incurreres; quid quæſò nunc eſt, quòd ad ſimplicem admonitiunculam noſtram, quæ tamen in ſe non modò nullum opprobrium, ſed etiam ædificationis habuit, ac dilectionis affectum, tanta te video indignatione permotum, vt eam ne vultu quidem occulere, aut frontis ſerenitate diſſimulare potueris? An fortaſſe, dum te humiliabas, illam expectabas à noſtro ore ſententiam: Iuſtus accuſator ſui eſt in primodio ſermonis? Proinde vera eſt cordis humilitas retinenda, quæ non de affectata corporis, atq; verborum, ſed de intima mentis humiliatione deſcendit. Quæ tunc demum euidentiſſimis patientiæ ſuæ fulgebit indicijs, cùm quis non ipſe de ſe crimina ab alijs non credenda iactauerit, ſed ab alijs ſibimet arroganter ingeſta contempſerit, & irrogatas iniurias manſueta cordis æquanimitate tolerauerit.

INTERROGATIO, QVEMADMODVM VERA PATIENTIA POSSIT ACQVIRI.

CAP. XII.

GERMANVS. Quemadmodum acquiri, vel retineri poſsit iſta tranquillitas optamus agnoſcere, vt ſicut, indicto nobis ſilentio, oris clauſtra præcludimus, verborumq́; licentiam coërcemus, ita etiam cordis lenitatem cuſtodire poſsimus, quia nonnunquam etiam cùm lingua refrenatur, intrinſecus tamen ſtatum ſuæ placiditatis amittit. Et idcirco manſuetudinis bonum non aliàs tenere quempiam poſſe, niſi remotione cellæ, ac ſolitario putamus habitaculo.

RESPONSIO.

CAP. XIII.

PYAMON. Patientia vera, atq; tranquillitas abſq; profunda cordis humilitate nec acquiritur, nec tenetur. Quæ ſi de hoc fonte deſcenderit, nec beneficio cellæ, nec profugio ſolitudinis indigebit. Non enim patrocinium cuiuſquam rei extrinſecus quæret, quæ humilitatis, id eſt, generatricis, atq; cuſtodis ſuæ intrinſecus virtute fulcitur. Cæterùm ſi mouemur ab aliquo laceſſiti, certum eſt non eſſe in nobis humilitatis fundamenta firmiter ſtabilita, & ideo ad incurſum vel exiguæ tempeſtatis ædificium noſtrum ruinoſa commotione concutitur. Non enim eſſet laudabilis, nec admiranda patientia, ſi nullis inimicorum iaculis impetita tranquillitatis propoſitũ retentaret. Sed in eo eſt præclara, atq; glorioſa, quòd irruentibus in ſe tentationũ procellis, immobilis perſeuerat. Nã in quo vexari, frãgiq; aduerſitatibus creditur, in eo potiùs roboratur, et in eo magis acuitur, in quo putatur obtundi. A' paſsionibus enim, & ſuſtentatione patientiã dici nullus ignorat. Ideoq; cõſtat patientẽ pronunciari neminẽ poſſe, niſi eum, qui vniuerſa, quæ ſibi fuerint irrogata, abſq; indignatione tolerauerit. Et ideo non immeritò ita à Salomone laudatur: Melior eſt patiens forti, & qui continet iram capiente vrbem. Et iterum: Longanimis vir, nimius in prudentia, puſillanimis autem valde inſipiens eſt. Cùm ergo quis victus iniuria, iracundiæ igne ſuccenditur, nõ cauſa peccati eius acerbitas illatæ contumeliæ extitiſſe credenda eſt, ſed potiùs manifeſtatio infirmitatis occultæ, ſecundùm illam parabolam Domini Saluatoris, quam de duabus domibus ponit, vna, quæ fundata erat ſupra petram, & alia, quæ ſuper arenam; quibus æqualiter dicit pluuiarum, ac fluminum, vel tempeſtatum turbinẽ irruiſſe, ſed illam, quæ in petræ ſoliditate fundata erat, nihil penitus detrimenti ex illa tam violenta colliſione ſenſiſſe, quæ verò in arenarum pendula mobilitate erat conſtructa, ſtatim fuiſſe collapſam. Quam vtiq; apparet non proptere corruiſſe, quia imbrium, vel torrentium inundatione quaſſata fuerit,

ſed

ſed quia ſuper arenam imprudenter ſtructa erat. Non enim in hoc differt à peccatore vir ſanctus, quia non ſimiliter & ipſe tentetur, ſed quia hic etiam magna impugnatione non vincitur, ille autem parua tentatione ſuperatur. Neq; enim eſſet, vt diximus, iuſti alicuius viri laudabilis fortitudo, ſi vinceret intentatus, cùm vtiq; victoria locum habere non poſsit abſq; aduerſitate certaminum. Beatus enim vir, qui ſuffert tentationem, quia cùm probatus fuerit, habebit coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Secundùm Apoſtolum quoq; Paulum, virtus non in otio, atq; delicijs, ſed in infirmitate perficitur. Ecce, inquit Hieremias Propheta, dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum ſuper omnem terram regibus Iuda, principibus eius, & ſacerdotibus eius, & omni populo terræ, & bellabunt aduerſum te, & non præualebunt, quia ego tecum ſum, vt eruam te, dicit Dominus.

DE EXEMPLO PATIENTIAE CVIVSDAM RELIGIOSAE FOEMINAE.

CAP. XIIII.

HVIVS patientiæ volo vobis duo ſaltem exẽpla proponere, & primũ religioſæ cuiuſdã fœminæ, quæ patientiæ virtutẽ tanta auiditate ſectata eſt, vt non ſolùm tentationum non vitaret incurſus, ſed etiam occaſiones moleſtiarũ ſibimet procuraret, quibus frequentiùs inſtigata non cederet. Hæc nanq; cùm Alexandriæ commaneret, eſſetq; non obſcuris orta maioribus, atq; in domo, quæ ſibi fuerat à parentibus derelicta, religioſè Domino deſeruiret, veniens ad beatæ memoriæ Athanaſium Epiſcopum, precabatur vt aliquam ſibi alendã viduam daret, quæ Eccleſiaſticis ſumptibus paſcebatur. Et vt petitionẽ verbis ipſius exprimamus: Da, inquit, mihi aliquam de ſororibus, in qua repauſem. Sacerdos igitur cùm laudaſſet propoſitũ fœminæ, quòd eã ad opus miſericordiæ vidiſſet eſſe promptiſsimam, iuſsit ex omnibus eligi viduam, quæ & honeſtate morũ, & grauitate, ac diſciplina omnibus præferretur, ne fortè deſiderium largitatis percipientis vitio vinceretur, & quæ mercedem quæreret in egena, damnũ fidei prauis eius offenſa moribus pateretur. Cui cùm domũ adductæ omnibus deſeruiret obſequijs, virtutẽ modeſtiæ eius, ac lenitatis experta, videnſq; ſe ab ipſa momẽtis ſingulis gratiarũ actione pro officio humanitatis honorari, poſt dies paucos ad memoratũ reuertitur ſacerdotẽ: Rogaueram, inquiens, vt mihi dari præciperes quam ego reficerẽ, & cui morigeris famularer obſequijs. Cùmq; ille necdũ propoſitũ fœminæ, ac deſideriũ intelligẽs, æſtimaſſet petitionem eius diſsimulatione Præpoſiti fuiſſe neglectam, cauſaſq; moræ illius nõ abſq; animi ſui cõmotione perquirens, protinus agnouiſſet honeſtiorẽ ei cæteris viduã deputatã, occultè præcepit, vt ea illi, quæ eſſet cũctis nequior, traderẽt, quæ ſcilicet vel iracũdia, vel rixis, vel violẽtia, ſeu verboſitate, atq; etiam vanitate cunctas, quibus hæc vitia dominarẽtur, excederet. Quam cùm multò faciliùs inuẽtam, ſibiq; traditam domi habere cœpiſſet, atq; eadem ei diligentia, qua priori illi viduæ, vel etiam ſtudioſiùs miniſtraret, hoc ſolùm ab ea pro tantis obſequijs recipiebat gratiæ, vt indignis iugiter afficeretur iniurijs,

conuicijs quoq; ab ea, exprobrationibusq; continuis vexaretur obijciente ei, & maledicis obtrectationibus increpante, eo quòd ſe non ad refrigerium, ſed potiùs ad cruciatum, & contumeliam ab Epiſcopo popoſciſſet, magisq; ſe de requie ad laborem, quàm de labore tranſtuliſſet ad requiem. Cùm ergo aſsiduitas iurgiorum eò vſq; prorumperet, vt ne ab iniectione quidem manuum procax mulier temperaret, illa autem humilioris obſequij ingeminaret officia, non furentem vincere renitendo, ſed ſemetipſam humilius ſubijciendo diſcebat, vt multimodis indignationibus laceſsita, iurgantis inſaniam humanitatis manſuetudine leniret. Quibus ad plenum exercitijs confirmata, perfectamq; virtutem deſideratæ patientiæ conſecuta, ad memoratum ſacerdotem, tam pro electionis illius iudicio, quàm etiam pro beneficio exercitationis ſuæ gratias relatura perrexit, eo quòd ſecundùm deſiderium ſuum tandem ei magiſtram patientiæ dignißimam prouidiſſet, cuius iniurijs iugibus, vt quodam palæſtræ oleo quotidie roborata, ad ſummam animi patientiam perueniret; Tandem, inquiens, dediſti mihi, in qua repauſarem; nam illa prior ſuis me potiùs honorabat, ac refrigerabat obſequijs. Hæc de ſexu muliebri dixiſſe ſufficiat, vt commemoratione hac non ſolùm ædificemur, verumetiam confundamur, qui niſi fuerimus ad ferarum morem retruſi in caueas cellularum, patientiam retinere non poſſumus.

DE EXEMPLO PATIENTIAE ABBATIS PAPHNVTII.

CAP. XV.

NVNC aliud Abbatis Paphnutij pandamus exemplum, qui in illius inſignis, & vbiq; prædicabilis Scythioticæ eremi, in qua nunc Presbyter eſt, ſecretis tanto ſtudio ſemper inſedit, vt ei cæteri anachoretæ bubali cognomen indiderint, eo quòd ingenito, vt ita dixerim, deſiderio, ſolitudinis ſemper habitatione gauderet. Itaq; cùm tantæ in pueritia eſſet virtutis, & gratiæ, vt etiam præclari, ac ſummi id temporis viri grauitatem eius, & immobilem conſtantiam mirarentur, eumq; licet minor eſſet ætate, pro virtutum tamen ſuarum meritis ſenioribus exæquarent, ſuoq; ordini ducerent inſerendum, liuor ille, qui aduerſum Ioſeph Patriarcham fraternos quondam animos inſtigauit, quendam de numero fratrum edacis zeli igne ſuccendit. Qui neuo quodam, ac macula pulchritudinem eius cupiens deformare, hoc genus malignitatis excogitat, vt opportunitatem temporis captaret, quo Paphnutius ad Eccleſiam die Dominico proceſſurus abeſſet à cella. In quam furtim irruens, codicem ſuum inter eius plectas, quas de palmarum folijs ſolebat intexere, latenter abſcondit, ac de concinnata fraude ſecurus, ipſe quoq; velut puræ, ac ſimplicis conſcientiæ ad Eccleſiam venit. Cùmq; celebrata omnis fuiſſet ex more ſolennitas, querelam ſancto Iſidoro, qui ante hunc Paphnutium eiuſdem eremi Presbyter fuit, coram cunctis fratribus detulit, aſſerens ſibi codicem de cella furto fuiſſe ſublatum. Quæ eius querimonia cùm ita cunctorum fratrum, præcipueq; Presbyteri, animos permouiſſet, vt quid primum ſuſpicarentur, quidue decernerent non haberent, ſumma cunctis admiratione perculſis de tam inauditi illic facinoris nouitate, ille, qui rem detulerat, accuſator

vrgebat, vt retentis in Eccleſia omnibus, miſsi electi quiq; cunctorum ſingillatim fratrum cellulas ſcrutarentur. Quod cum tribus ſenioribus à Presbytero fuiſſet iniunctum, vniuerſorum cubilia reuoluentes, ad extremum in Paphnutij cellula abſconditum codicem inter plectas palmarum, quas illi Syras vocāt, ſicut eum inſidiator occuluerat, repererunt. Quem cùm inquiſitores confeſtim ad Eccleſiam delatum coram omnibus protuliſſent, Paphnutius licet de conſcientiæ ſuæ eſſet ſynceritate ſecurus, tamen velut qui furti crimen agnoſceret, ſatisfactioni ſe totum tradens, locum pœnitentiæ ſuppliciter poſtulauit, hoc verecundiæ ſuæ, modeſtiæq; proſpiciens, ne ſi maculam furti verbis conaretur abluere, inſuper etiam mendacij notaretur, nemine ſcilicet aliud quàm id, quod inuentum fuerat, ſuſpicante. Cùmq; de Eccleſia non tam mente deiectus, quam iudicio Dei fidens, protinus abſceſsiſſet, profuſis in oratione iugiter 1 lachrymis, triplicatisq; ieiunijs, ſumma ſe etiam in conſpectu hominum mentis humilitate proſtrauit. Sed cùm duabus fermè hebdomadibus ita ſe omni contritione carnis, ac ſpiritus ſubieciſſet, vt die ſabbati, vel Dominico non ad percipiendam communionem ſacram, ſed ad proſternendum ſe in limine Eccleſiæ, atq; ad veniam ſuppliciter poſtulandam, matutinus accurreret, nequaquam paſſus eſt eum occultorum omnium teſtis, & cognitor, vel à ſe ampliùs conteri, vel ab alijs infamari. Nam quòd ille inuentor ſceleris, rei ſuæ fur improbus, laudis alienæ callidus infamator, nullo hominum teſte, occultè commiſerat, per diabolum, qui criminis ipſius inſtigator fuerat, publicauit. Arreptus namq; diriſsimo dæmone, cunctas facinoris occulti patefecit inſidias, criminationumq;, ac fraudum idem fuit proditor, qui & auctor. Ita autem ſpiritu illo immundo grauiter diuq; vexatus eſt, vt ne orationibus quidem ſanctorum illic conſiſtentium, qui diuinorum chariſmatum merito dæmonijs imperabant, potuerit emundari, ſed ne ipſius quidem Iſidori Presbyteri gratia ſingularis crudeliſsimum ab eo excluſerit vexatorem, cui tanta erat virtus Domini largitate collata, vt ne vſq; ad limina quidem eius quiſquam arreptitius, qui tardiùs ſanaretur, aliquando perductus ſit, Chriſto hanc adoleſcenti Paphnutio gloriam reſeruante, vt illius tantùm orationibus, cui inſidiatus fuerat, purgaretur, & cuius laudi aliquid inuidus inimicus decerpere ſe poſſe crediderat, eius nomen proclamans, & delicti ſui veniam, & finem ſupplicij præſentis acciperet. Hæc ergo ille in adoleſcentia ſua futuræ indolis iam tunc indicia præfigurans, lineas quaſdam perfectionis illius, quæ erat maturitate ætatis augenda, adhuc in annis puerilibus deſignauit. Si igitur ad culmen virtutum eius volumus peruenire, talia nobis exordiorum fundamenta iacienda ſunt.

1 Vide Orationem cum lachrymis.

DE PERFECTIONE PATIENTIAE.

CAP. XVI.

DVPLEX ſenè ad narrationem facti huius cauſa me compulit. Primùm, vt hanc immobilitatem viri, conſtantiamq; penſantes, quantò minoribus, quam ille eſt appetitus, inimici impugnamur inſidijs, tantò maiorem tranquillitatis, atque patientiæ ſumamus affectū. Deindè vt firma definitione teneamus, à tentationum procellis, ac impugnationibus

diaboli tutos nos eſſe non poſſe, ſi omne præſidium patientiæ noſtræ, omnem fiduciam non in interioris hominis noſtri viribus, ſed in cellulæ clauſtris, aut in ſolitudinis receſſu, ſanctorum'ue conſortio, vel cuiuſquam rei, quæ extra nos ſit, præſidio collocemus. Niſi enim mentem noſtram virtute protectionis ſuæ ille firmauerit, qui in Euangelio ait: Regnum Dei intra vos eſt: fruſtra aërei hoſtis inſidias, aut auxilio cohabitantium hominum vincere, aut localibus ſpatijs declinare, aut munitione tectorum excludere poſſe nos credimus. Nam cùm hæc omnia ſancto Paphnutio non deeſſent, non tamen impugnationis aditum aduerſus eum tentator inuenire non potuit, neq; illum nequiſsimum ſpiritum ſepta parietum, aut eremi ſolitudo, aut tot in illa congregatione ſanctorum merita repulerunt. Sed quia ſanctus Dei famulus, non in his, quæ extrinſecus ſunt, ſed in ipſo occultorum omnium iudice ſpem ſui cordis affixerat, tantæ impugnationis machinis nequaquam potuit commoueri. E contra ille, quem ad tantum facinus præcipitauit inuidia, non'ne & ſolitudinis beneficio, & munitione remotioris habitaculi, & beati Iſidori Abbatis atq; Presbyteri, aliorumq; ſanctorum conſortio fruebatur? Et tamen quia eum ſupra arenam reperit turbo diabolicus, non ſolum impegit eius, verumetiam ſubuertit habitaculum. Non ergo quietem noſtram extrinſecus inquiramus, nec opitulari vitijs impatientiæ noſtræ alienam putemus poſſe patientiam. Sicut enim regnum Dei intra nos eſt; ita inimici hominis domeſtici eius. Nemo quippe mihi magis quàm ſenſus meus, qui eſt mihi verè intimus domeſticus, aduerſatur. Et idcircò ſi fuerimus ſoliciti ab inteſtinis hoſtibus liberari, lædi minimè poterimus. Vbi enim nobis noſtri domeſtici non aduerſantur, ibi & regnum Dei tranquillitate mentis acquiritur. Nam ſi rationem diligenter diſcutias, lædi ab homine quamuis malignante non potero, ſi ipſe impacifico aduerſum me corde non dimicem. Si autem lædor, non eſt vitium impugnationis alienæ, ſed impatientiæ meæ. Sicut enim grauis, ac ſolidus cibus ſano vtilis, ita pernicioſus eſt ægrotanti. Non autem lædere ſumentem poteſt, niſi ei ad nocendum vires adiecerit percipientis infirmitas. Si vnquam ergo ſimilis inter fratres fuerit oborta tentatio, nequaquam à curſu tranquillitatis excuſsi, blaſphemis ſecularium obtrectationibus aditum referemus, nec peruerſos, atq; execrabiles quoſq; ſanctorum virorum numero inſertos latitare miremur, quia dum in huius ſeculi area conculcamur, atq; conterimur, neceſſe eſt etiam paleas igni perpetuo deputandas inter electiſsima frumenta miſceri. Deniq; ſi vel Satan inter Archangelos, vel Iudam inter Apoſtolos, vel Nicolaum prauiſsimæ hæreſeos inuentorem inter Diaconos reminiſcamur electos, hoc, quòd nequiſsimi homines ſanctorum ordini deprehenduntur inſerti, mirum eſſe non poterit. Nam licet hunc Nicolaum quidam aſſerant non illum fuiſſe, qui ad opus miniſterij ab Apoſtolis eſt electus, nihilominus tamen eum de illo diſcipulorum fuiſſe numero negare non poſſunt, quos omnes perfectos fuiſſe in tempore illo manifeſtum eſt, quales nunc perpaucos vix in cœnobijs inuenimus. Non ergo ruinam illius ſupradicti fratris, qui in illa eremo tam lugubri lapſus eſt caſu, neq; illam horribilem maculam, quam tamen ille ingentibus pœnitentiæ lachrymis poſt diluit, ſed beati Paphnutij nobis proponamus exempla. Nec ſubuerſione illius deſtruamur, cuius antiquum inuidiæ vitium etiam auxit in peius affectata religio, ſed huius humilitatem tota virtute ſectemur, quam non illi quies eremi ſubitò genuit, ſed inter homines acquiſitam conſummauit, atq; excoluit ſolitudo.

EX LIBRO SECVNDO COLLATIONVM PATRVM EIVSDEM IOANNIS CASSIANI, COLLATIONE DECIMA‑NONA DE FINE COENOBITAE, ET EREMITAE.

DE COENOBIO ABBATIS PAVLI, ET PATIENTIA CVIVSDAM FRATRIS.

CAP. I.

POST dies admodum paucos maioris doctrinæ deſiderio pertrahente, rurſus ad Abbatis Pauli cœnobium ſumma ſpiritus alacritate perreximus, vbi licet plus quàm ducentorum fratrum numerus moraretur, in honore tamen ſolennitatis, quæ id tēporis agebatur, infinita quoq; de alijs cœnobijs monachorum turba confluxerat. Nam prioris Abbatis, qui eidem cœnobio præfuerat, anniuerſaria I depoſitio ſolenniter curabatur. Cuius cōuentus idcircò facimus mentionē, vt patientiā cuiuſdā fratris, quæ ſub præſentia totius cōgregationis huius, immobili eius claruit lenitate, breuiter perſtringamus. Nam licet aliò huius operis tendat intentio, vt ſcilicet Abbatis Ioannis, qui derelicta eremo, illi ſe cœnobio ſūma humilitatis virtute ſubdiderat, proferamus eloquia, nequaquam tamen putamus abſurdum, ſi abſq; vlla circumitione verborum, magna, vt credimus, ſtudioſis quibusq; virtutum ædificatio conferatur. In ingenti itaq; atrio ſub dio illa monachorum multitudine per duodenariū numerum diſtinctis orbibus conſidēte, cùm quidam fratrum ſusceptū ferculum paulò tardiùs intuliſſet, ſub occaſione iſtius tarditatis prædictus Abbas Paulus, qui inter turbas miniſtrantium fratrum ſolicitè diſcurrebat, exerta manu, palma eum ſub omnium percuſsit intuitu, ita vt ſonitus etiam auerſorum, vel longiùs conſidentium auribus reſultaret. Hoc autē idcircò ab eo factum eſt, vt cunctis, qui aderant, iuuenis patientiā pateſaceret, & omnes, qui interfuiſſent tali ſpectaculo, modeſtiæ erudirentur exemplo. Quàm maturo autem id ſenior fecerit conſilio, res probauit. Nam memorabilis

Vides, ô hæretice, anniuerſaria defunctorū etiā apud ſanctiſſimos illos patres fuiſſe in vſu?

patientiæ iuuenis tanta id animi lenitate ſuſcepit, vt non modò nullus fuerit ex eius ore ſermo prolapſus, vel tenuiſsimum murmur tacita labiorum agitatione ſignatum, ſed ne quidem ipſa oris modeſtia, atq; tranquillitas, aut color ſaltem quantuluncunq; mutatus. Quod factum non ſolùm nobis, qui nuper de Syriæ monaſterio venientes patientiæ huius virtutem nullibi tam euidentibus perceperamus exemplis, ſed etiam cunctis, qui experti talium non erant ſtudiorum, ita mirum fuit, vt etiam ſummis viris præcipua per hoc factum conferretur inſtructio, quòd ſcilicet etiam ſi patientiam eius correptio paterna non mouerat, ne ſpectaculum quidem tantæ multitudinis vllo vultum eius ruboris tinxiſſet indicio.

DE HVMILITATE

ABBATIS IOANNIS.

CAP. II.

IN hoc itaq; cœnobio reperimus antiquiſsimum ſenem, nomine Ioannem, cuius verba pariter & humilitatem, qua ſanctis omnibus præminebat, nequaquam ſilentio prætereunda cenſuimus, ſcientes eum hac maximè perfectione viguiſſe; quæ cùm ſit virtutum omnium mater, ac totius ſpiritalis ſtructuræ fundamentum ſolidiſsimum, à noſtris penitus exulat inſtitutis. Vnde non mirum eſt, nec ad illorum, quos ſupradiximus, ſanctorum ſublimitatem nos poſſe conſcendere, qui non dicam vſq; ad ſenectam ſub cœnobij permanere non poſſumus diſciplina, ſed vix biennio ſubiectionis iugum ferre contenti, ad præſumptionem noxiæ libertatis protinus euolamus; cùm tamen ipſo illo paruo tempore, non ſecundùm illam diſtrictionis regulam, ſed pro noſtri arbitrij libertate vtcunq; ſenioris ſubijciamur imperio, vt non patientiæ fructum ediſcere, ſed tempus adipiſcendæ licentiæ expectare videamur. Hunc igitur ſenem cùm in Abbatis Pauli cœnobio vidiſſemus, ætatem primùm, & gratiam viri, qua erat præditus, admirari, demiſſo in terram vultu precari cœpimus, vt nobis pandere dignaretur, quam ob cauſam relicta eremi libertate, & illa profeſsione ſublimi, qua eum præ cæteris eiuſdem vitæ viris fama celebrauerat, ſubire iugum cœnobij maluiſſet. Ille velut imparem ſe Anachoreticæ diſciplinæ, & ſublimitate tantæ perfectionis indignum, ad iuniorum ſcholas reuertiſſe dicebat, ſi tamen vel ipſorum inſtituta ſecundùm profeſsionis meritum poſſet implere. Cuius reſponſionis humilitatem cùm refragatio noſtræ deprecationis excluderet, ad extremum ita exorſus eſt.

RESPONSIO ABBATIS IOANNIS, CVR EREMVM RELIQVISSET.

CAP. III.

ANACHORETICAM diſciplinam, quam me deſeruiſſe miramini, non ſolùm non reſpuo, nec refuto, ſed tota potiùs veneratione complector, atq; ſuſcipio; in qua poſt triginta annos, quos in cœnobij congregatione tranſegeram, ita alios viginti expleſſe me gaudeo, vt inter illos, qui eam vel mediocriter appetebant, non vſquequaq; ſegnitie denotarer. Sed quia deguſtata eius puritas ſolicitudine interdum carnalium rerum interpolata ſordebat, recurrere ad cœnobium commodius viſum eſt, & vt promptior arrepti planioris propoſiti conſummatio ſequeretur, & minus de præſumpta ſublimioris profeſsionis difficultate periculum. Melius eſt enim deuotum in minoribus, quàm indeuotum in maioribus promiſsionibus inueniri. Et idcircò ſi quid elatiùs, immò liberiùs fortaſſe protulero, quæſo vt non iactantiæ vitio, ſed ædificationis veſtræ deprompttum ſtudio cenſeatis, quia vobis tam ſtudioſè quærentibus nihil de veritate exiſtimo ſubtrahendum. Arbitror enim inſtructionis vobis aliquid poſſe conferri, ſi paulisper humilitate ſepoſita, ſimpliciter omnem propoſiti mei patefecero veritatem. Confido enim, quia nec apud vos de libertate dictorum cenodoxiæ notam, neq; apud conſcientiam meam de ſuppreſsione veritatis quiddam mendacij crimen incurram.

DE VIRTVTE PRAEDICTI SENIS, QVAM IN ANACHORETICA EXERCVIT DISCIPLINA.

CAP. IIII.

SI quis igitur ſecretis eremi delectatus obliuioni tradere potuit humana conſortia, ac ſecundùm Hieremiam dicere: Et diem hominis non deſideraui, tu ſcis: ego quoq; id, Domino ſuam gratiam largiente, vel aſſecutum, vel certè aſſequi adniſum fuiſſe me fateor. Itaq; pio Domini noſtri munere memini me in huiuſmodi raptum frequenter exceſſum, vt obliuiſcerer me ſarcina corporeæ fragilitatis indutum, mentemq; meam ita omnes exteriores ſenſus ſubitò reſpuiſſe, & à cunctis materialibus rebus omnimodis exulaſſe, vt neq; oculi, neq; aures meæ proprio fungerentur officio; & ita diuinis meditationibus, ac ſpiritalibus theorijs animus replebatur, vt ſæpè ad veſperam cibum me percepiſſe neſcirem, ac ſequenti die de heſterna abſolutione

ieiunij penitus dubitarem. Ob quam etiam cauſam ſeptem dierum cibus, hoc eſt ſeptem paximatiorum paria ſequeſtratim in procherio, id eſt promptuario, die ſabbati reponuntur, vt refectio prætermiſſa non lateat. Qua conſuetudine illius quoq; obliuionis error excluditur, vt expletum hebdomadæ curſum, ac ſolennitatem diei ipſius reuolutam, finitus panum indicet numerus, feſtiuitas'q; diei ſacræ, & congregationis ſolennitas ſolitarium latere non poſsit. Quòd ſi etiam hunc ordinem ille, quem prædiximus, mentis exceſſus fortè turbauerit, nihilominus quotidiani operis modus dierum numerum ſignans arcet errorem. Et vt cæteras eremi virtutes ſilentio prætermittam (non eſt enim nobis de earum numeroſitate, ac multitudine, ſed de ſolitudinis, ac cœnobij fine tractandum) cauſas potiùs, ob quas illam deſerere maluerim, quas etiam vos agnoſcere voluiſtis, breuiter explicabo, omnes'q; illos, quos enumeraui, ſolitudinis fructus quibus è diuerſo ſublimioribus meritis duxerim poſtponendos, breui oratione perſtringam.

DE COMMODIS EREMI.

CAP. V.

QVANDIV igitur raritas eorum, qui in eremo tunc temporis morabantur, libertatem nobis largiendo diffuſiore ſolitudinis vaſtitate blandita eſt, quandiu maioribus remoti ſecretis, frequentiſsimè ad cœleſtes illos rapiebamur exceſſus, nec tanta viſitantium fratrum irruens multitudo, paranda humanitatis neceſsitate, ſenſus noſtros ingentium curarum diſtentionibus aggrauabat, ſolitudinis planè tranquilla ſecreta, & illam conuerſationem Angelicæ beatitudini comparandam, inſatiabili deſiderio, ac toto animi ardore ſectatus ſum. Sed cùm maior (vt dixi) numerus fratrum habitationem illius ſolitudinis cœpiſſet expetere, & coanguſtata vaſtioris eremi libertate, non modò ignem illum diuinæ contemplationis frigeſcere feciſſet, ſed etiam multimodis mentem carnalium rerum vinculis impediret, elegi potiùs huius diſciplinæ vtcunq; implere propoſitum, quàm in illa tam ſublimi profeſſione carnalium neceſsitatum prouiſione torpere, vt ſi mihi illa libertas, ac ſpiritales denegantur exceſſus, abiecta tamen craſtinæ diei penitus ſolicitudine, Euangelici me præcepti conſummatio conſoletur, & id quod mihi de illa theorica ſublimitate ſubtrahitur, hac obedientiæ ſubiectione recompenſetur. Miſerum namq; eſt cuiuslibet artis, ac ſtudij diſciplinam quempiam profiteri, & ad perfectionem eius minimè peruenire.

DE VTILITATE COENOBII.

CAP. VI.

QVAMOBREM quantis nunc in hac conuerſatione perfruar commodis, breuiter explicabo. Vos vtrum illa ſolitudinis lucra his beneficijs valeant compenſari, digeſta narratione perpendite, per

quam

quam etiam hoc probare poſſibile eſt, vtrum faſtidio, an deſiderio illius ſolitariæ puritatis his maluerim cœnobij anguſtijs coarctari. In hac igitur conuerſatione diuini operis, nulla prouiſio eſt, venditionis, vel coëmptionis nulla diſtentio, non annui panis ineuitabilis cura, non ſolicitudo corporalium rerum, quæ non tantùm proprijs, verùmetiam multorum aduenientium vſibus neceſſarijs præparantur, poſtremò nulla arrogantia laudis humanæ, quæ immundior his omnibus in conſpectu Dei, etiam magnos eremi labores frequenter euacuat. Verùm vt in illa anachoretica diſciplina illos elationum ſpiritualium fluctus, & exitiabilis cenodoxiæ pericula prætercam, ad hoc generale cunctorum pondus, ideſt communem parandi victus ſolicitudinem reuertamur, quæ eò vſq; menſuram, non dico illius antiquæ diſtrictionis exceſſit, quæ vſum olei penitus neſciebat, ſed ne hac quidem noſtri temporis remisſione cœpit eſſe contenta, in qua vno olei ſextario, itidemq; lenticulæ modio aduenientium vſibus præparato, totius annuæ refectionis explebantur officia, ita vt duplicato nunc, ac triplicato modio neceſsitas victualis vix queat expediri Et in tantum apud nõnullos vis noxiæ huius remiſſionis increuit, vt aceto, amureaq; permixtis, non illam vnam olei admiſceant guttam, quam prædeceſſores noſtri, qui eremi inſtituta maiore abſtinentiæ virtute ſectati ſunt, repellendæ tantùm cenodoxiæ gratia inſtillare conſueuerant, ſed infringentes Aegyptiacum pro ſalibus caſeum, plùs olei quàm neceſſe eſt ſuperfundant, & ita duos cibos propria ſuauitate diſtinctos, qui ſingillatim diuerſoq; tẽpore monachũ reficere iucũdiſſimè poterãt, ſub vnius ſaporis oblectatione percipiant. In tantũ ſanè nunc ἀλκηχήσις id eſt materialium rerum poſſeſſio, ſupercreuit; vt ſagum quoq; (quod abſq; verecundia referre non poſſum) ſub prætextu humanitatis, ac ſuſceptionis huius, anachoretæ in ſuis habere cellulis cœperint; vt illa prætermittam, quibus abſtracta anima, ac ſpiritalibus theorijs ſemper intenta, ſpecialiùs ingrauatur, concurſus ſcilicet fratrum, ſuſceptionis quoq; ac deductionis officia, mutuas viſitationes, diuerſarumq; confabulationum, atq; occupationum interminabilem curam, quarum etiam illo tempore, quo hæc videntur impedimenta ceſſare, tamen animum conſuetudinariæ inquietudinis aſſiduitate ſuſpenſum expectatio ipſa diſtendit. Atq; ita fit, vt anachoreſeos illa libertas huiuſcemodi nexibus impedita, ad illam cordis ineffabilem alacritatem præpedito non perueniat aſcenſu, ac fructum eremiticæ profeſſionis amittat. Qui ſi mihi in congregatione nunc, atq; in turbis ſito fuerit denegatus, ſaltem quies animæ, cordiſq; tranquillitas omnibus occupationibus abſoluta non deerit, quæ niſi illis quoq;, qui in ſolitudine commorantur, præſtò fuerit, labores quidem anachoreſeos ſuſtinebunt, fructu verò ipſius fraudabuntur, qui non niſi quieta mentis ſtabilitate conquiritur. Poſtremò etiam, ſi mihi in cœnobio conſtituto ab illa puritate cordis aliquid fuerit imminutum, ero ſolius Euangelici præcepti compenſatione contentus, quod certum eſt omnibus illis eremi fructibus non poſſe poſtponi, vt ſcilicet de craſtino nihil cogitem, & vſque ad finem ſubiectus Abbati, illum aliquatenus videar æmulari, de quo dicitur: Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſq; ad mortem: merearq; illius verbum humiliter dicere: Quia non veni facere voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me, Patris.

DE HIS, QVI IMPERFECTI EREMVM PETVNT.

CAP. X.

SOlent autem nonnulli ita diuturno ſilentio ſolitudinis efferari, vt prorſus hominum conſortia perhorreſcant, & cùm vel paululum à ſecreti ſui conſuetudine, interueniente fratrum viſitatione, diſceſſerint, notabili mentis angore, & euidentibus puſillanimitatis indicijs æſtuare. Quod vel maximè his euenire conſueuit, qui non perfectè in cœnobijs inſtituti, nec excoctis prioribus uitijs ad ſolitariam ſe vitam immaturo deſiderio trāſtulerunt. Qui in vtranque partem imperfecti ſemper, ac fragiles, quocunq; aura commotionis impulerit, incliuantur. Nam quemadmodum conſortio, vel interpellatione fratrum impatienter exæſtuant, ita in ſolitudine conſiſtentes, eius ipſius, quod expetunt, ſilentij non ferunt vaſtitatem, quippe qui ne ipſam quidem rationem norunt, cuius cauſa deſiderari, vel expeti debeat ſolitudo, ſed hanc eſſe virtutis, ac profeſſionis huius exiſtimant ſummam, vt fratrum conſortia declinantes, humanos tantummodo refugiant, ac deteſtentur aſpectus.

QVOMODO SOLITARIVS VITIA SVA POSSIT AGNOSCERE.

CAP. XII.

IN veritate quærentibus medicinam, remedia curationum ab illo veriſsimo animarum medico deeſſe non poſſunt, his præſertim, qui valetudines ſuas non deſperando, vel negligendo contempſerint, nec vulnerum ſuorum pericula celauerint, aut medelam pœnitentiæ procaci mente reſpuerint, ſed pro languoribus ignorantia, vel errore, vel ſuggeſtione contractis, humili tandem cautela ad cœleſtem medicum mente confugerint. Ideoq; noſſe debemus, quòd ſi ad ſolitudinem, vel ad abdita loca, nondum curatis vitijs, ſecedamus, effectus eorum tantummodo reprimitur, non extinguitur affectus. Latitat enim intra nos, immò etiam ſerpit radix omnium, quæ extirpata non fuerint, peccatorum, quam adhuc in nobis viuere his deprehendimus indicijs. Verbi gratia, Cùm in ſolitudine conſtituti aduentum fratrum, vel breuiſſimam eorum moram cum quadam æſtuantis animi anxietate ſuſcipimus, ineſſe adhuc in nobis viuaciſſimum impatientiæ fomitem nouerimus. Cùm verò cuiuſquam fratris ſperamus aduentum, ſi eo pro neceſſitate aliqua paululum forſitan demorante, vel tacita indignatione iam eius culpauerimus tarditatem, & mentem noſtram immodicæ expectationis ſolicitudo turbauerit, iræ, atq; triſtitiæ vitia in nobis reſidere conſcientiæ noſtræ probauit examen. Item ſi fratre vel codicem ad legendum, vel quamlibet aliam ad vtendum ſpeciem poſtulante, aut nos illius petitio contriſtauerit, aut illum negatio noſtra repulerit, dubium non eſt, nos adhuc auaritiæ, ſeu philargiriæ laqueis cōpediri. Quòd ſi recordationē

fœminæ nobis vel cogitatio ſubita, vel ſacræ ſeries lectionis attulerit, & in ea quadam nos ſenſerimus titillatione pulſatos, ſciamus necdum extinctum in membris noſtris fornicationis ardorem. Si verò de comparatione diſtrictionis noſtræ, & remiſſionis alienæ vel tenuiſſima mentem noſtram tentauerit elatio, certum eſt dira nos ſuperbiæ peſte corruptos. Cum hæc ergo in corde noſtro deprehenderimus vitiorum indicia, manifeſtè cognoſcamus nobis non affectum, ſed effectum deeſſe peccati. Quæ vtiq; paſſiones, ſi nos quandoq; conuerſationi miſcuerimus humanæ, protinus de cauernis noſtrorum ſenſuum procedentes, probant ſe non tunc primùm cùm eruperint naſci, ſed tunc demum quia diu latuerint publicari. Et ita vniuſcuiuſque vitii radices inſſe defixas ſibi certis indiciis etiam ſolitarius deprehendit, quiſquis puritatem ſuam non hominibus oſtentare, ſed illius conſpectui inuiolatam ſtuduerit exhibere, quem latere vel minima cordis arcana non poſſunt.

EX LIBRO SECVNDO COLLATIONVM PATRVM EIVSDEM IOANNIS CASSIANI, COLLATIONE VIGESIMA DE POENITENTIAE FINE, ET SATISFACTIONIS INDICIO.

DE ABBATIS PYNVFII HVMILITATE, ET EIVSDEM LATEBRA.

CAP. I.

PRAECLARI, ac ſingularis viri Abbatis Pynufij de fine pœnitentiæ præcepta dicturus, magnam materiæ partem mihi videor amputare, ſi humilitatis eius laudem, quã in quarto inſtitutionum libro, qui eſt ſuper inſtituendis renunciantibus intitulatus, breui ſermone perſtrinxeram, lectoris faſtidio conſulens, hîc ſilentio prætermittam, cùm præſertim multi illius opuſculi notitiam non habentes, in hanc poſſint incurrere lectionem, & omnium dictorum vacillet auctoritas, ſi dicentis meritum ſubtrahatur. Hic ſiquidem cùm haud longe à Panephiſi Aegyptia (vt illic dictum eſt) ciuitate, Abbas, & Presbyter ingenti cœnobio præſideret, tantùmq́ue eum in omni illa prouincia virtutum ſuarum, atque ſignorum gloria ſublimaſſet, vt ſibi iam videretur retributione laudis humanæ laborum ſuorum recepiſſe mercedem, timens ne ſibi ſpecialiter inuiſa popularis fauoris inanitas, fructum præmij vacuaret æterni, occultè monaſterium fugiens, ad intima Tabennenſium monachorum ſecreta contendit, vbi non eremi ſolitudinem, non ſingularis vitæ vbertatem arripuit, quam etiam imperfecti quique laborem obedientiæ in cœnobijs non ferentes, ſuperba nonnunquam præſumptione ſectantur, ſed celeberrimo prælegit monaſterio ſubiugari. Vbi tamen ne vllo habitus ſui proderetur indicio, indutus veſte ſeculari, multis (vt illic moris eſt) diebus lachrymans pro foribus excubauit, atque ad omnium genua prouolutus, poſt

eorum

eorū diuturna faſtidia, qui ad explorandū eius deſiderium miſſi, in vltima eum iā ætate, velut panis egeſtate cōpulſum, nō ſyncerè illius propoſiti ſanctitatē expetiſſe dicebant, tandē vt ſuſciperetur obtinuit. Vbi adoleſcenti cuidā fratri, qui hortū ſuſceperat excolendū, in adminiculū deputatus, cùm non ſolū omnia, quæ idem præpoſitus imperaſſet, vel quæ iniuncti operis cura poſcebat, cum admiratione tam ſanctæ humilitatis impleret, verumetiam quædam neceſſaria opera, quæ propter horrorem ſui à cæteris vitabantur, ita furtiuo per noctem labore perficeret, vt diluculo omnis illa congregatio tam vtilium operum admirans ignoraret auctorem; cùmq; ita triennium fermè illic gaudens deſideratis tam iniurioſæ ſubiectionis laboribus exegiſſet, accidit vt quidam frater eidem cognitus ex ipſis, vnde ille diſceſſerat, Aegypti partibus aduenirat. Qui cùm indumentorum eius, atq; officij vilitate, promptiſſimæ agnitionis facilitatem diu hæſitans cohiberet, poſt explorationem manifeſtiſſimam ad eius genua prouolutus, primùm ſtuporem fratribus cunctis, dehinc proditio etiam nomine, quod apud illos quoq; præcipuæ ſanctitatis fama vulgauerat, etiam dolorem compunctionis incuſſit, quòd ſcilicet tanti meriti, ac ſacerdotij virum, tam iniurioſis operibus deputaſſent. Sed poſtquam flens vbertim, & diabolicæ inuidiæ quaſi grauem proditionis ſuæ imputans caſum, ad monaſterium ſuum honorifica fratrū cuſtodia ambiente perductus eſt, exiguo illic tempore demoratus, rurſum offenſus eſt ipſis honoris ſui, ac primatus obſequijs, ac furtim aſcendens nauem, ad Palæſtinam Syriæ prouinciam tranſmeauit; vbi velut incipienti, atq; nouitio in illo, in quo nos degebamus, recepto monaſterij habitaculo, in noſtra cellula ab Abbate præceptum eſt commanere. Sed ne illic quidem diu virtutes eius, ac merita latere potuerunt. Nam ſimili proditione detectus, atq; ad monaſterium ſuum cum ingenti honorificentia, ac laude reuocatus, tandem quod erat, eſſe compulſus eſt.

DE DIVERSIS POENITENTIAE FRVCTIBVS.

CAP. VIII.

POST illam generalem baptiſmi gratiam, & illud pretioſiſſimū martyrij donum, quod ſanguinis effuſione conquiritur, multi ſunt pœnitentiæ fructus, per quos ad expiationem criminum peruenitur. Non enim tantùm ſimplici illo pœnitentiæ nomine ſalus æterna repromittitur, de qua beatus Apoſtolus Petrus; Pœnitemini, inquit, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra: & Ioannes Baptiſta, vel ipſe Dominus; Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum: ſed etiam per charitatis affectum peccatorum moles obruitur. Charitas enim operit multitudinem peccatorum. Similiter etiam per eleemoſynarum fructum vulneribus noſtris medela præſtatur, quia ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum. Sic & per lachrymarum effuſionem cōquiritur ablutio peccatorum. Lauabo enim, inquit, Propheta, per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo. Deniq; ſubiungens oſtendit eas non inaniter fuiſſe profuſas; Diſcedite, inquiens, à me omnes, qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei. Necnon per criminum confeſſionem, eorum abolitio cōceditur. Dixi enim, ait, pronunciabo aduerſum me iniuſtitiam meam Domino,

& tu remiſiſti impietatem cordis mei. Et iterum: Narra tu iniquitates tuas primus, vt iuſtificeris. Per afflictionem quoq; cordis,& corporis,admiſſorum ſcelerum remiſſio obtinetur. Nam vide,inquit,humilitatem meam,& laborem meum,& dimitte omnia peccata mea. Præcipuè verò per emendationem morum. Nam auferte,inquit,malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere peruersè, diſcite benefacere,quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo,iudicate pupillo, defendite viduam,& venite,& arguite me,dicit Dominus. Et ſi fuerint peccata veſtra,vt coccinum,velut nix dealbabuntur,& ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt. Interdum etiam interceſſione ſanctorum impetratur venia delictorum. Qui enim ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem,petat,& dabit ei vitam Deus peccanti nō ad mortem.Et iterum: Infirmatur quis ex vobis, inducat presbyteros Eccleſiæ,& orent ſuper eum,vngentes eum oleo in nomine Domini,& oratio fidei ſaluabit infirmum,& alleuiabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Nonnūquam miſericordiæ, ac fidei merito labes excoquitur vitiorum,ſecundùm illud: Per miſericordiam,& fidem purgantur peccata. Per conuerſionem plerunq;, & ſalutem eorum, qui noſtris monitis, ac prædicatione ſaluantur. Quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ,ſaluat animam eius à morte,& operit multitudinem peccatorum. Per indulgentiam nihilominus, & remiſſionem noſtrā, ad indulgentiam noſtrorum facinorum peruenitur: Si enim, inquit, dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater veſter cœleſtis delicta veſtra. Videtis ergo quantos miſecordiæ aditus patefecerit clementia Saluatoris,vt nemo ſalutem cupiens deſperatione frangatur,cùm videat ſe tantis ad vitam remedijs inuitari? Si enim pro infirmitate carnis, afflictione ieiuniorum abolere te peccata non poſſe cauſaris, nec potes dicere: Genua mea infirmata ſunt à ieiunio,& caro mea immutata eſt propter oleum, quia cinerem tanquam panem mā ducabam,& potum meum cum fletu miſcebam: eleemoſynarum ea redime largitate. Indigenti ſi non habes quod impartias (licet nullum ab hoc opere neceſſitas inopiæ,ac paupertatis excludat; quandoquidem & illius viduæ duo tantùm æra ingentibus diuitum muneribus præferantur,& pro calice aquæ frigidæ mercedem ſe redditurum Dominus repromittat) certè abſq; hac,morum poteris emendatione purgari. Quod ſi perfectionem virtutum extinctione vitiorum omnium non potes adipiſci, ſolicitudinem piam erga vtilitatem alienæ ſalutis impende. Si autem te idoneum huic miniſterio non eſſe conquereris, operire peccata poteris charitatis affectu. In hoc quoq; ſi te fragilem fecerit quælibet mentis ignauia, oratione ſaltem,atq; interceſſione ſanctorum, remedia vulneribus tuis humilitatis affectu ſubmiſſus implora. Poſtremò quis eſt,qui non poſſit ſuppliciter dicere: Peccatum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam non operui: vt per hanc confeſſionem etiam illud confidenter ſubiungere mereatur: Et tu remiſiſti impietatem cordis mei? Poſt illud quoq; tam promptum, certumq; ſubſidium, aliud quoq; adhuc facilius largita eſt nobis diuina dignatio, ipſamq; remedij opem noſtro commiſit arbitrio, vt indulgentiam noſtrorum ſcelerum pro noſtro præſumamus affectu, dicentes ei: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Quiſquis igitur ad indulgentiam ſuorum criminum deſiderat peruenire, iſtis ſemetipſum aptare ſtudeat inſtrumentis,nec obdurati cordis pertinacia à remedio ſalutari fontem tantæ pietatis auertat,quia etiam ſi hæc omnia fecerimus, non erant idonea ad expiationem ſcelerum noſtrorum, niſi ea bonitas Domini, clementiaq; deleuerit. Qui cùm religioſi conatus obſequia ſupplici mente à nobis oblata proſpexerit, exiguos,paruosq; conatus immenſa liberalitate proſequitur dicens: Ego ſum,qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum

tuorum iam non recordabor. Ad hunc ergo, quem prædiximus, ſtatum quiſquis conſcenderit, ſatisfactionis gratiam quotidianis ieiuniis, & mortificatione cordis, & corporis aſſequitur, quia ſcriptum eſt: Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio. Nec immeritò; caro enim & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt. Et ideo quiſquis ab huius ſanguinis effuſione gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, voluerit inhibere, abſq; dubio illa Hieremiæ Prophetæ maledictione plectetur. Nam maledictus, inquit, qui prohibet gladiũ ſuum à ſanguine. Hic namq; eſt gladius, qui illum noxium ſanguinem, quo animatur materia peccatorum, ſalubriter fundens, quicquid reperit in membris animæ noſtræ carnale, terrenum'ue concretum, reſecat, & abſcindit, ac mortificatos vitiis viuere Deo, & ſpiritalibus facit vigere virtutibus. Et ita iam non recordatione veteris admiſſi, ſed ſpe futurorũ gaudiorũ flere incipiet, nec tã de præteritis malis, quàm de futuris, ſeu venturis cogitans bonis, non ex peccatorum mœrore lachrymas, ſed ex æternæ illius lætitiæ alacritate profundit, atq; obliuiſcens ea, quæ poſteriora ſunt, ideſt carnalia vitia, ad ea, quæ anteriora ſunt, extenditur, hoceſt ſpiritalia dona, atq; virtutes.

EX LIBRO SECVNDO COLLATIONVM PATRVM EIVSDEM IOANNIS CASSIANI, COLLATIONE VICESIMAPRIMA DE REMISSIONE QVINQVAGESIMAE.

QVOMODO ABBAS THEONAS AD ABBATEM IOANNEM VENERIT.

CAP. I.

PRIVSQVAM verba collationis huius habita cum ſummo viro Abbate Theona incipiamus euoluere, neceſſarium reor, vt initium conuerſionis eius breui ſermone perſtringam, quia ex hoc vel meritum viri, vel gratiam euidentius poterit patere lectori. Hic igitur adoleſcens admodum parentum ſtudio, imperio'q; connexus eſt vinculo coniugali. Nam dum pudicitiæ eius religioſa ſedulitate proſpiciunt, & ancipitem lapſum lubricæ verentur ætatis, præueniendos adoleſcentiæ motus licito nuptiarum remedio crediderunt. Cûm ergo hic vnius luſtri tempus cum coniuge peregiſſet, venit ad Abbatem Ioannem, qui tunc temporis merito ſanctitatis electus Diaconiæ præſidebat. Non enim ad hunc gradum quilibet propria voluntate, aut ambitione prouehitur, ſed is, quem 1 cunctorum ſeniorum cœtus, ætatis prærogatiua, & fidei, atq; virtutum teſtimonio, excellentiorem omnibus, ſublimiorem'q; cenſuerit. Ad hunc, inquam, beatum Ioannem cûm piæ deuotionis ſtudio prædictus tunc iuuenis aduenifſet, deferens religioſa munera inter cæteros poſſeſſores, qui certatim decimas, vel primitias frugum ſuarum memorato ſeni de ſuis ſubſtantijs offerebant, videret'q; eos ſenex cum multis ad ſe muneribus confluxiſſe, & deuotioni eorum viciſſitudinem cuperet recompenſare, cœpit eis, ſecundûm Apoſtolum, ſpiritalia ſeminare, quorum metebat dona carnalia. Deniq; ita ſermonem adhortationis inſtituit.

1 Ecce quomodo ad ſacros ordines olim promouebantur homines.

Exhortatio

EXHORTATIO ABBATIS IOANNIS AD THEONAM, ET CAETEROS, QVI CVM EO VENERANT.

CAP. II.

DELECTOR quidem, ô filij, pia veſtrorum munerum largitate, & deuotionem huius oblationis, cuius diſpenſatio mihi credita eſt, gratanter amplector, quia fideliter primitias veſtras, ac decimas indigentium vſibus profuturas, velut ſacrificium Domino bonæ ſuauitatis offertis, harum ſcilicet oblatione plenitudinem quoq; fructuum vniuerſæ ſubſtantiæ veſtræ, ex qua hæc Domino delibaſtis, vbertim benedicendam credentes, voſq; ſecundùm mandati illius fidem multiplici vbertate bonorum omniū etiam in hoc ſeculo cumulandos, cùm dicat ſapiens: Honora Deum de tuis iuſtis laboribus, & deliba ei de fructibus iuſtitiæ tuæ, vt impleantur horrea tua abundantia tritici, vino autem torcularia tua redundent. Quam deuotionem fideliter exequentes, ſcitote vos legis antiquæ iuſtitiam conſummaſſe, ſub qua tunc poſiti, & transgredientes eam, reatum ineuitabiliter incurrebant, & implentes ad perfectionis apicem peruenire non poterant.

DE DECIMARVM, ET PRIMITIARVM OBLATIONE.

CAP. III.

DECIMAE ſiquidem præcepto Domini vſibus Leuitarum, oblationes verò, ac primitiæ erant ſacerdotibus conſecratæ. Sed primitiarum hic erat modus, vt quinquageſima pars vel frugum, vel animalium, templi, vel ſacerdotum miniſterio præberetur. Quem modum tepidiores quiq; infideliter minuentes, religioſiores verò etiam cumulantes, illi ex ſexageſima, hi autem ex quadrageſima fructuum ſuorum parte pendebant. Iuſti enim, quibus lex non eſt poſita, ſic probantur non eſſe ſub lege, vt iuſtitias legis non ſolùm implere, verumetiam ſuperare contendant, ſitq; deuotio eorum legali maior imperio, quæ obſeruantiam cumulans præceptorum, voluntaria addat ad debita.

QVO'D ABRAHAM, DAVID, ET CAETERI SANCTI MANDATA LEGIS FVERVNT SVPERGRESSI.

CAP. IIII.

ITA namq; & Abrahàm futuræ legis præcepta legimus ſupergreſſum, cùm ſuperatis quatuor Regibus, de ſpolijs Sodomorum, quæ ſibi velut victori nõ immeritò debebantur, & quidem Rege ipſo, cuius ſpolia retulerat, ſupplici- citer offerẽte, nihil penitus acquieſcit attingere, ſub diuini numinis teſtificatione proclamans: Extendo manum meam ad Deum excelſum, qui fecit cœlum & terram, ſi à filo ſubtegminis vſq; ad corrigiam caligæ accipiam ex omnibus, quæ tua ſunt. Sic Dauid præcepta legis cognouimus ſupergreſſum, qui præcipiente Moyſe, vt inimicis talio redderetur, non ſolùm hoc non fecit, verumetiam dilectione complexus eſt perſequentes, & pro his Domino piè ſupplicans, etiam lugubriter fleuit, & vltus eſt interfectos. Ita Eliam quoq;, & Hieremiam probamus non fuiſſe ſub lege, qui cum licito vti coniugio abſq; reprehenſione potuerint, perſeuerare tamen a virgines maluerunt. Sic Eliſæum, ac reliquos eiuſdem propoſiti viros Moſaica legimus ſuperaſſe mandata. De quibus Apoſtolus ita dicit; Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, anguſtiati, afflicti, egentes, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, & in montibus, & in ſpeluncis, & in cauernis terræ. Quid de filijs Ionadab filij Rechab dicam, quos Hieremiæ Prophetæ offerenti ex præcepto Domini vinum ita legimus reſpondiſſe? Non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rechab pater noſter præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos, & filij veſtri vſq; in ſempiternum, & domum non ædificabitis, & ſementem non ſeretis, & vineas nõ plantabitis, nec habebitis, ſed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus veſtris. Vnde etiam ab eodem Propheta merentur audire: Dicit Dominus exercituum Deus Iſraël, non deficiet vir de ſtirpe Ionadab filij Rechab ſtans in conſpectu meo cunctis diebus. Qui omnes offerre poſſeſſionum ſuarum decimas non contenti, ſed ipſa prædia reſpuentes, ſemetipſos potiùs Deo, ac ſuas animas obtulerunt, pro quibus nulla ab homine fieri commutatio poteſt, ſicut Dominus in Euangelio conteſtatur dicens: Quã dabit homo cõmutationẽ pro anima ſua?

a Vides virginitatẽ etiam in ſanctis veteris teſtamenti reperiri?

QVOD SVB EVANGELII GRATIA DEGENTES SVPERARE DEBEANT MANDATA LEGALIA.

CAP. V.

QVAPROPTER ſcire debemus, nos, à quibus iam non exigitur legale mandatum, ſed quibus Euangelicus quotidie intonat ſermo: Si uis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me: cùm decimas de ſubſtantijs noſtris offerimus Deo, adhuc quodammodo ſub legis ſarcina detineri, & necdum ad Euangelicum illud faſtigium perueniſſe, quod obtemperantes ſibi, nõ tantùm præſentis vitæ beneficijs, ſed etiã futuris præmijs munerat. Lex enim factoribus ſuis non regnorũ cœleſtiũ præmia, ſed vitæ huius ſolatia repromiſit, dicens: Qui fecerit hæc, viuet in eis. Dominus autẽ Diſcipulis, & amicis ſuis; Beati, inquit, pauperes ſpiritu, quoniã ipſorũ eſt regnũ cœlorũ. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrẽ, aut matrẽ, aut vxorẽ, aut filios, aut agros propter nomen meũ, centuplum accipiet, & vitã æternam poſſidebit. Nec immeritò. Non enim tã laudabile eſt, ſi ab illicitis, quàm ſi etiam à licitis temperemus, & his propter eius reuerentiam nõ vtamur, qui ea nobis propter infirmitatem noſtram vtenda permiſit. Itaq; ſi etiam hi, qui decimas fructuum ſuorũ fideliter offerentes, præceptis Domini antiquioribus famulantur, necdũ poſſunt Euangelicũ culmen aſcendere, illi, qui ne hoc quidem faciunt, quantum ab eo abſint, manifeſtiſſimẽ peruidetur. Nam quemadmodum poterunt Euangelicæ gratiæ eſſe participes, qui conſummare etiã leuiora legis præcepta contemnunt? Quorũ facilitatẽ vſq; adeò imperioſa legiſlatoris verba teſtantur, vt etiã maledictum non implentibus proponatur; Maledictus enim, inquit, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis huius, vt faciat ea; hîc autẽ pro excellentia, & ſublimitate mandatorũ dicitur: Qui poteſt capere, capiat. Illic legiferi violenta cõpulſio præceptorũ indicat paruitatem; Conteſtor enim, inquit, vobis hodie cœlum, & terram, quòd ſi non cuſtodieritis præcepta Domini Dei veſtri, peribitis à facie terræ; hîc magnificentia ſublimium mandatorum, ipſa non tam imperantis, quàm adhortantis conditione ſignatur: Si uis perfectus eſſe, fac hoc, aut illud. Ibi inexcuſabile etiã recuſantibus Moyſes pondus imponit; hîc conſilio tantùm volentibus, & ad perfectionem feſtinantibus Dominus occurrit. Non enim generaliter præcipiendum erat, nec (vt ita dixerim) canonicè ab omnibus exigendum id, quod propter mirificam ſublimitatẽ non poteſt paſsim ab omnibus apprehendi; ſed conſilio potiùs prouocantur omnes, & gratia, vt hi, qui magni ſunt, poſſint perfectione virtutũ nõ immeritò coronari; qui autẽ parui ſunt, & menſurã ætatis plenitudinis Chriſti implere non poſſunt, licet fulgore maiorũ, velut ſiderũ, tecti latere videantur, tamen à tenebris maledictionũ, quæ in lege ſunt, alieni, nec præſentiũ malorũ cladibus abdicentur, nec ſupplicio plectantur æterno. Non ergo Chriſtus ad illa virtutum excelſa faſtigia quenquã præcepti neceſſitate conſtringit, ſed liberi arbitrij prouocat poteſtate, & ſalubritate conſilij, & deſiderio perfectionis accendit. Vbi enim præceptum, ibi neceſſitas, & vbi neceſſitas, ibi & difficultas, vbi difficultas, ibi & negligentia, vbi negligentia, ibi & peccatum, vbi peccatum, conſequenter & pœna. Cuſtodientes verò hæc, ad quæ præfixæ legis ſeueritate coguntur, pœnam potiùs, quæ ab illa intentatur, effugiunt, quàm mercedem, aut præmia conſequantur.

QVOD EVANGELII GRATIA SICVT PERFECTIS TRIBVIT REGNA COELORVM, ITA VENIALITER SVSTENTAT INFIRMOS.

CAP. VI.

ITAQVE ſicut fortes ad ſublimia, atq; præcelſa Euangelicus ſermo ſuſtollit, ita non patitur infirmos ad ima demergi, perfectis quidẽ tribuens beatitudinis plenitudinem, veniam verò infirmitate ſuperatis impartiens. Lex enim conſummantes præcepta ſua in vtriuſq; meriti veluti quodã meditullio collocauit, quantùm à tranſgreſſorum damnatione ſecernens, tantùm ſeparãs à gloria perfectorum. Quod quidem quàm infirmum, quàm'q; miſerabile ſit, vel ex præſentis vitæ ſtatu, & comparatione perſpicite, in qua miſerrimum ducitur, ſi hoc tantùm quis ſtudeat, ac labore, ne reus modò inter honeſtos homines, & non etiam locuplex, ac honorabilis, & glorioſus habeatur.

QVO'D IN NOSTRA SITVM SIT POTESTATE, VTRVM SVB EVANGELII GRATIA, AN SVB LEGIS VELIMVS TERRORE CONSISTERE.

CAP. VII.

QVAMOBREM in noſtra hodie ſitum eſt poteſtate, vtrum ſub Euangelij gratia, an ſub legis velimus terrore conſiſtere. Alteri enim parti pro qualitate actus ſui vnumquenq; neceſſe eſt aggregari. Nam aut ſupergredientes legem ſuſcipit Chriſti gratia, aut certè inferiores, velut debitores ſuos, ſibiq; obnoxios lex retentat. Reus nanq; legalium præceptorum nequaquam Euangelicam perfectionem valebit attingere, quãuis Chriſtianum ſe, & Domini gratia liberatum inaniter glorietur. Non ſolùm enim hic credendus eſt adhuc eſſe ſub lege, qui ea, quæ lex præcipit, detrectat implere, ſed etiam ille, qui ea tantùm, quæ lex iubet, obſeruare contentus eſt, ac nequaquam vocationi, & gratiæ Chriſti condignos exhibet fructus; vbi non dicitur: Decimas tuas, & primitias offeres Domino Deo tuo: ſed Vade, vẽde omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni, ſequere me. Vbi ob perfectionis magnificentiam diſcipulo poſtulanti ne breuiſſimum quidem horæ ſpatium pro patris conceditur ſepultura, nec humanæ charitatis officium diuini amoris virtuti præfertur.

QVEMADMODVM THEONAS CONIVGEM SVAM, VT ET IPSA RENVNCIARET, EXHORTATVS SIT.

CAP. VIII.

QVIBVS auditis, beatus Theonas inextinguibili deſiderio Euangelicæ perfectionis accenſus, ſemen verbi fœcundo corde conceptum, quaſi profundis, atq; edomitis condidit ſulcis, in eo vel maximè humiliatus, ac compunctus, quòd cum ſenex non ſolùm Euangelicam perfectionem non attigiſſe dixiſſet, ſed etiam vix legis ipſius adimpleſſe mandata. Si quidem cùm decimas frugum ſuarum ſolmus eſſet Diaconiæ annis ſingulis pendere, primitiarum rationem ne audiſſe quidem ſe aliquando, quam tamen etiam ſi ſimiliter impleſſet, longè nihilominus ſecundum ſenis ſententiam ab Euangelica perfectione diſtaret, ſuppliciter fatebatur. Demum itaq; reuertitur mœſtus, illaq; affectus triſtitia, quæ pœnitentiam ad ſalutem ſtabilem operatur, ac de ſua iam voluntate, & diffinitione non dubius, erga ſalutem coniugis omnem mentis ſolicitudinem, curamq; conuertit, eamq; ad deſiderium, in quo fuerat ipſe ſuccenſus, cœpit exhortatione ſimili prouocare, & vt Deo pariter in ſanctimonia, & caſtitate ſeruirent, diurnis, nocturniſq; fletibus admonere, dicens, conuerſionem melioris vitæ nequaquam eſſe protelandam, quia neceſſitati ſubitæ mortis vana ſpes immaturæ non præiudicaret ætatis, quippè quæ infantes, pueros, adoleſcentes, pari vt ſenes ſorte præriperet.

QVEMADMODVM NON ACQVIESCENTE VXORE SVA AD MONASTERIVM PERVOLARIT.

CAP. IX.

CVMQVE in huiuſmodi obſcrationibus iugiter perſiſtenti, coniunx duriſſima non præberet aſſenſum, ſeq; diceret ſolatio maritali pro ætatis ſuæ flore penitus abſtinere non poſſe, ac proinde ſi quid deſerta ab eo criminis admiſiſſet, illi potiùs aſcribendum, qui coniugij fœdera dirupiſſet; ad hæc ille, cùm diu conditionem naturæ prætendiſſet humanæ, quam fragilem, & incertam, periculoſum eſſet carnalibus deſiderijs, & operibus diutius implicari, adijciens aſtruebat, non licere cuiquam eius ſe boni exterem facere, quod didiciſſet, maioriſq; eſſe noxæ deſpicere cognitam bonitatem, quàm incognitam non amare, proinde ſe iam reatu etiam præuaricationis inuolui, ſi inuentis tam præclaris, tamq; cœleſtibus donis terrena, ac ſordida prætuliſſet. Ad omnem ſanè aiebat ætatem, omnemq; ſexum perfectionis magnificentiam pertinere, & vniuerſa Eccleſiæ membra ad conſcendendam ſublimium meritorum celſitudinem prouocari, dicente Apoſtolo: Sic currite, vt comprehendatis, nec propter lentorum, & ſegnium moras, paratos, atq; alacres debere ſubſi-

ſtere, cùm rectiùs ſit, vt deſides à præcurrentibus incitentur, quàm vt properantes à reſidentibus obligentur. Proindè ſtatutum ſibi dicebat, decretũq; eſſe, renunciare ſeculo, ac mori mundo, vt viuere poſſet Deo; & ſi hanc beatitudinem nequeat obtinere, vt cum ſocia ſua in conſortium tranſeat Chriſti, malle ſe vel cum vnius membri diſpendio ſaluum fieri, & velut debilem introire in regnum cœlorum, quàm cum ſoliditate corporis condemnari. Adijciebat autem etiam iſta dicens: Si Moyſes pro duritia cordis Iudæorum dimitti permittit vxores, quare hoc non ſinat Chriſtus pro deſiderio caſtitatis? præſertim cùm idem Dominus cæteris affectionibus, ideſt patrum, & matrum, quibus omnem reuerentiã non ſolùm lex, ſed etiã ipſe præceperat exhibere, quas tamen pro nomine ſuo, ac deſiderio perfectionis, non ſolùm contemnendas ſimpliciter, ſed etiam odio habendas eſſe decernit, coniungat ſimiliter etiam vxorum nomen, dicens: Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. In tantum ergo perfectioni, quam prædicat, nihil patitur comparari, vt illã quoq; neceſſitudinem ſoluat patris, ac matris, quæ, ſecundùm Apoſtolum, primum obtinet in repromiſſione mandatum: Honora ſcilicet patrem, & matrem, quod eſt mandatum primum in repromiſſione, vt benè ſit tibi, & ſis longæuus ſuper terram: eamq; deſpici pro ſuo amore præcipiat. Euidenter itaq;, ſicut eos Euangelicus ſermo condemnat, qui non interueniente adulterij crimine vxoria vincula diſrumpunt, ita his, qui ob amorem Chriſti, & deſiderium caſtitatis iugum carnale reiecerint, etiam centupla præmia repromittit. Quapropter ſi fieri poteſt, vt ad hanc optatiſſimam mihi partem, accepta tandem ratione, flectaris, ſcilicet vt Domino ſeruientes pœnam gehennæ pariter euitemus, charitatem coniugij non refuto, immò etiam maiore adhuc dilectione complector, agnoſco enim, ac veneror adiutricem meam Domini mihi ſententia deputatam, & indirupto eidem fœdere charitatis in Chriſto cohærere non reſpuo, nec à me ſeparo, quod Dominus mihi primæ ſtatim conditionis lege coniunxit, dummodo ſis & ipſa quod conditor eſſe te voluit. Si verò non adiutorium eſſe volueris, ſed in deceptionem, & adminiculum te non mihi, ſed aduerſario malueris exhibere, atq; ob hoc attributum putas coniugij ſacramentum, vt te hac, quæ ingeritur, fraudans ſalute, inſuper etiam me à diſcipulatu retrahas Saluatoris, ita illam Abbatis Ioannis, immò Chriſti ore prolatam ſententiam viriliter apprehendam, vt me à ſpiritali bono nulla carnalis auellere poſſit affectio. Qui enim, inquit, non odit patrem, & matrem, & filios, & fratres, & ſorores, & vxorem, & agros, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Cùm ergo his, atq; huiuſmodi verbis, muliebris non flecteretur intentio, & in eadem obſtinationis duritia permaneret; Si ego, inquit beatus Theonas, te abſtrahere à morte non poſſum, nec tu me ſeparabis à Chriſto. Tutius eſt autem mihi cum homine, quàm cum Deo habere diuortium. Aſpirante itaq; gratia Dei, diffinitionis ſuæ executionem inſtanter aggreſſus eſt, nec intepeſcere per aliquam moram deſiderij ſui paſſus eſt ardorem. Nam confeſtim omni mundana facultate nudatus, ad monaſterium peruolauit. Vbi in breui tanto ſplendore ſanctitatis, & humilitatis enituit, vt beatæ memoriæ Ioanne ad Dominum ex hac luce migrante, ſanctoq; Elia viro, qui haud minor deceſſore ſuo fuit, ſimiliter decedente, tertius Theonas vniuerſorum prælectus iudicio, in Diaconiæ eis diſpenſatione ſucceſſerit.

Habes mirabile exẽplũ, vbi matrimonio etiã per copulã conſummato, alter coniugũ ſine alterius cõſenſu, imò & manifeſto diſſenſu, religionẽ ingreſſus eſt. Quod etiam factũ damina clemẽti multis ſignorũ, & virtutũ indicijs approbaſſe cernitur. Verùm hoc rariſſimũ ad mirandũ potiùs, quã imitandũ videtur, quod ſpeciali inſtinctu Spiritus ſancti feciſſe creditur ſanctus pater.

SATISFACTIO PRO EO, NE DISSIDIA CONIVGIBVS SVADERE VIDEAMVR.

CAP. X.

NEMO autem exiſtimet nos hæc ad prouocanda coniugiorum diuortia texuiſſe, qui non ſolùm nuptias minimè condemnamus, verumetiam Apoſtolicam ſequentes ſententiam, dicimus honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus, ſed vt lectori initium conuerſionis, quo tantus ille vir Deo dicatus eſt, fideliter panderemus; à quo bona gratia hoc primum depoſco, vt ſiue hoc ei placeat, ſiue diſpliceat, me quoquomodo à calumnia alienum eſſe concedens, in ſuo hoc facto aut laudet, aut reprehendat auctorem. Ego autem, qui non meam ſuper hac re ſententiam prompſi, ſed rei geſtæ hiſtoriam ſimplici narratione complexus ſum, æquum eſt, vt ſicut mihi de eorum, qui hoc factum probant, laude nihil vendico, ita eorum, qui id improbant, non pulſer inuidia. Habeat ergo ſuum de illo, vt diximus, vnuſquiſq; iudicium. Sed moneo, vt ita cenſuram ſui caſtiget examinis, ne ſe æquiorem, aut ſanctiorem diuino credat eſſe iudicio, quo in eum etiam Apoſtolica collata ſunt ſigna virtutum, vt taceam de tantorum patrum ſententia, à quibus factũ eius non ſolùm minimè reprehenſum, verumetiam vſq; adeò collaudatum eſſe manifeſtum eſt, vt eum ſummis, ac ſublimiſſimis viris in Diaconiæ electione prætulerint. Et puto tot ſpiritalium virorum Deo auctore prolatum non eraſſe iudicium, quod etiam tanta ſignorum, vt ſupra iam dictum eſt, admiratio confirmabat.

EX LIBRO SECVNDO COLLATIONVM PATRVM EIVSDEM IOANNIS CASSIANI, COLLATIONE VIGESIMA SECVNDA DE NOCTVRNIS ILLVSIONIBVS.

DE ITERATO AD ABBATEM THEONAM REDITV NOSTRO, EIVSQVE EXHORTATIONE.

CAP. I.

POST dies fermè ſeptem, quinquageſimæ ſolennitate tranſacta, cùm ipſo noctis initio, id eſt poſt ſynaxim veſpertinam, promiſſæ diſputationis expectatione ſuſpenſi, ſancti Theonæ cellulam fuiſſemus ingreſſi, alacer ſenex hilari vultu, ac blando nos prior ſermone compellans; Mirabar, inquit, ardentiſſimum ſtudium veſtrum his ſeptem diebus abſolutionem propoſitæ quæſtionis potuiſſe differre, & debitori ſuo, præcipuè non roganti, dilationē tanti tēporis præſtitiſſe. Iuſtiſſimū proinde eſt, vt quia vltro mihi benignitas veſtra tā largas cōceſſit inducias, ego quoq; morā in debiti redditione non faciā. Grata eſt enim huius fœnoris occupatio, quæ maiora, dū ſoluitur, argumenta cōquirit, & non ſolum percipientem ditat, verumetiam nihil imminuit largienti. Duplices ſiquidem congregat quæſtus rerum ſpiritualiū diſpenſator. Lucrum enim non ſolùm in illius, qui audit, profectu, verumetiā in ſua diſputatione conſequitur, non minus ſeipſum ad deſiderium perfectionis accendens, dum inſtruit auditorem. Quamobrem veſter ardor, meus profectus eſt, veſtra ſolicitudo, mea compunctio eſt. Nam vtiq; & ipſe nunc mente torperem, nihilq; in meo corde de his, quæ expetitis, pertractarem, niſi me veſter feruor, atq; expectatio ad rerum ſpiritualium recordationem ſuſcitaret quodammodo dormitantem. Et idcircò proferatur in medium quæſtio ſi videtur, cuius pridem pro anguſtia temporis abſolutionem procraſtinare maluimus.

CAP. II.

HOC autem, ni fallor, inquiſitio veſtra complexa eſt: Cur interdum remiſsiùs ieiunantes, leuioribus carnis huius aculeis titillemur; & nonnunquam diſtrictiùs abſtinentes, afflicto, exhauſtoq́; corpore, incentiuis acrioribus vrgeamur, ita vt, quemadmodum patefecit veſtra confeſſio, experrecti reperiamus nos humorum naturalium egeſtione reſperſos.

QVOD TRIPLICI RATIONE PROVENIAT GENITALIS FLVXVS EGESTIO.

CAP. III.

HVIVS ergo infeſtationis triplicem cauſam noſtri prodidere maiores, quæ modum temporis conſtituti intempeſtiuis præueniat exceſſibus. Aut enim ſuperflua eſcarum nimietate congeritur, aut per incuriam mentis elabitur, aut inimici illudentis inſidijs prouocatur. Primùm igitur gaſtrimargiæ, ideſt voracitatis, vel gulæ vitium hanc redundātiā obſcœni humoris extrudit. Nam & cùm diſtrictioris abſtinentiæ tempore ſtatum polluit puritatis, non de præſenti (vt putatis) inedia, ſed de nimietate præteritæ ſaturitatis effunditur. Quod enim per voracitatis ingluuiem concretum fuerat in medullis, neceſſe eſt vt per pruritum, aut certè per ignorantiam quamuis magno ieiunio tabefacti corporis egeratur. Quamobrem non ſolùm lautioribus epulis abſtinendum, ſed etiam à vilioribus cibis æquali eſt continentia temperandum, immò ipſius etiam panis, & aquæ ſatietas eſt cauenda, vt poſsit diu in nobis acquiſita corporis puritas permanere, atq; imitari quodāmodo intemeratam ſpiritus caſtitatem, licet nos neceſſe ſit confiteri, interdum etiam abſq; vlla mentis induſtria, vel per temperiem corporum, vel per ætatis maturitatem quoſdam rariùs ſordidari, vel certè fluxus iſtius egeſtione non pollui. Sed alterius meriti eſt, qui pacem inerti felicitate conſequitur, alterius, qui triumphum glorioſis virtutibus promeretur. Huius enim potentia vitiorum omnium debellatrix, digna miraculo eſt. Illum, quem facultas boni in ſua tuetur ignauia, cenſendum magis dixerim ſecuritatem habere, quàm laudem. Secunda impura illius profluuij cauſa eſt, ſi mens ſpiritualibus ſtudijs, atq; exercitijs euacuata, nec diſciplinis interioris hominis inſtituta, quendam ſibi ſegnitiei ſitum per conſuetudinem continui torporis obduxerit, aut cùm ſordidarum cogitationum inimicitias non cauens, ita illam cordis ſublimiſſam puritatem ſegniter concupiſcit, vt omnem perfectionis, & caſtimoniæ ſummam in ſola credat exterioris hominis caſtigatione conſiſtere. Cuius erroris, atq; ſocordiæ vitio conſequenter eueniet, vt nō ſolùm multimoda cogitationum peruagatio inuerecundè, atq; procaciter ſecretum mentis irrumpat, ſed etiam priſtinarum omnium paſſionum intra eam ſemina perſeuerent. Quæ quandiu in eius abditis delireſcunt, quamuis rigido corpus ieiunio caſtigetur, tamen nihilominus dormientem illecebroſis phantaſmatibus inquietant. Quare fit, vt ante legitimi temporis curſum, non

ſam ex naturæ neceſſitate, ſed nec adhuc ex fraude nequitiæ ſpiritalis, obſcœnæ eliciantur humores, qui non tam inanitate carnis, quàm mentis circunſpectione, atq; virtute, ſi penitus inhiberi nequeunt, ſaltem ad illam egeſtionis ſimplicem qualitatem, auxiliante gratia Dei, perducuntur. Ideoq; in primis diſcurſus ſunt ſenſuum coërcendi, ne mẽs iſtis exceſſibus aſſuefacta, ad fœdiora incitamẽta luxuriæ ſomnians pertrahatur. Tertia cauſa eſt, cùm per ordinatam quidem, atq; ſolicitam continentiæ diſciplinam, contritione cordis, & corporis perpetuã caſtimoniæ puritatem optamus acquirere; ſed nos vtilitati carnis, ac ſpiritus egregiè conſulentes, fraudulentiſſimi hoſtis ita impugnat inuidia, vt dum deijcere fiduciam conſcientiæ noſtræ, noſq; velut reatu aliquo humiliare conatur, illis præcipuè diebus, quibus maiore integritatis merito deſideramus diuino placere conſpectui, abſq; vllo quidem carnis prurītu, mentis'ue conſenſu, nec per illuſionem phantaſmatis alicuius, ſed tantũ ſimplici fluxus illius egeſtione nos polluat, quò à ſacroſancta nos communione deterreat; licet quibuſdam incipientium, & quorum corpora necdum longa ieiuniorum caſtigatione tenuata ſunt, ob hoc diabolica factione hæc euenire credatur illuſio, vt cùm eos intenſioribus ieiunijs ſtudere cognouerit, omnes eorum conatus hàc arte ſubuertat, vt dum ſe non ſolùm nihil ad puritatem corporis diſtrictiore ieiunio profeciſſe, verumetiã grauiùs ſentiant fuiſſe pulſatos, magiſtram incorruptionis, ac puritatis altricem abſtinentiæ 1 diſtrictionem, tanquam æmulam perhorreſcant. Quapropter noſſe debemus, non idcircò nos tantùm ab vnoquoq; vitio debere purgari, quia ſuis perturbationibus noſtrum occupet ſenſum, ſed quia contentum non ſit ſolum abſq; aliorum conſortio dominari, ſed intromiſſo omnium vitiorum diriore collegio, ſubditam ſibi mentem multiplicata captiuitate populetur. Et idcirco gaſtrimargia vincenda eſt, non propter ſe tantùm, ne ſcilicet oneroſa nos voracitate corrumpat, nec propter hoc ſolùm, ne carnalis concupiſcentiæ nos igne ſuccendat, ſed ne etiam iracundiæ, vel furoris, atq; triſtitiæ, cæterarumq; omnium paſſionum faciat eſſe mancipia. Nam cùm nobis eſca, ac potus, vel minus vel negligẽtiùs, vel tardiùs miniſtratur, ſi gulæ dominatione deprimimur, conſequens eſt, vt etiam iracundiæ ſtimulis incitemur. Et rurſus voluptuoſis ſaporibus demulceri abſq; philargiriæ peſte non poſſumus, per cuius ſuperfluos apparatus, magnis luxuria gaudet impendijs. Philargiria verò, cenodoxia, atq; ſuperbia, & omnium multitudo vitiorum indiuidua ſocietate iunguntur; atq; ita vnumquodq; vitium ſi vigere in nobis, vel ſolum cœperit, etiam cæteris ſuggerit incrementa.

1 Nota abſtinẽtiã magiſtrã incorruptionis, ac puritatis altricem.

INTERROGATIO, AN AD SACROSANCTAM COMMVNIONEM ACCEDERE LICEAT NOCTVRNA ILLVSIONE POLLVTVM.

CAP. IIII.

GERMANVS. Diſpenſatione Dei credimus hanc quæſtionem in medium fuiſſe prolatam, vt illud, quod, verecundia interrogandi fiduciam cohibente, nunquam potuimus edoceri, nunc opportunitate collationis, cauſæq; ipſius ordine prouocati, ſciſcitari fiducialiter audeamus. Si igitur eo tempore, quo accedi oportet ad 2 ſacroſancta myſteria, ſenſerimus nos ſomni illuſione pollutos, præſumenda eſt, an vitanda illa ſalutaris eſcæ ſacroſancta præceptio?

2 Vides ſanctiſſimũ Euchariſtiæ ſacramentũ ſacroſancta myſteria, & ſalutarẽ eſcã appellari?

RESPONSIO, QVANDO REATVM CONTRAHAT HAEC PASSIO DORMIENTIS.

CAP. V.

THEONAS. Omni quidem induſtria, quantum in nobis eſt, ſtudere debemus, vt immaculatam caſtimoniæ puritatem illo vel maximè tempore teneamus, quo venerandis aſſiſtere optamus altaribus, & vigilantiſſima circunſpectione præcauendum eſt, ne carnis integritas præcedente tempore cuſtodita, in ea præcipuè, in qua nos ad communionem ſalutaris conuiuij præparamus, nocte fraudetur. Verùm ſi hoſtis ille nequiſſimus, vt nobis cœleſtis remedij ſubtrahat medicinam, cuſtodiam ſopitæ mẽtis illuſerit, ita dũtaxat, vt, nullo reprehenſibili interueniẽte pruritu, nullo contaminetur oblectationis aſſenſu, ſed egeſtionem aut naturali neceſſitate profuſam, aut certè impugnatione diaboli abſq; ſenſu voluptatis elicitam, ad impedimentum noſtræ ſanctificationis obtenderit, poſſumus, & debemus ad gratiam ſalutaris cibi confidẽter accedere. Sin verò noſtro vitio hæc fuerit egeſta concretio, conueniẽtes cõſcientiam noſtram, illud Apoſtolicum formidemus: Qui manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & ſanguinis Domini. Probet autẽ ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit, non diſcernens corpus Domini, ideſt nequaquam illum cœleſtem cibum à communium eſcarum vilitate ſecernens, nec talem eſſe dijudicans, quem non niſi pura liceat mente, vel carne præſumere. Deniq; infert: Ideò inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi: ſpiritales ſcilicet infirmitates, & mortes ex hac ſpecialiter dicens præſumptione generari. Multi enim, qui eum illicita vſurpatione præſumunt, infirmantur fide, & imbecilli ſunt mente, paſſionum ſcilicet langoribus inuoluti, & dormiunt ſomno peccati, ab hoc

ſopore letali nequaquam ſalutari ſolicitudine reſurgentes. Deinde ſequitur: Quòd ſi noſmetipſos dijudicaremus, non vtiq; iudicaremur: hoc eſt, ſi noſmetipſos perceptione ſacramentorũ, quotieſcunq; peccati vulnere præuenimur, iudicaremus indignos, impenderemus vtiq; ſtudiũ, vt per pœnitudinis emendationem ad ea dignè poſſemus accedere, & non tanquam indigni ſeueriſſimis infirmitatum flagris caſtigaremur à Domino, vt vel ſic compuncti, ad remedia noſtrorum vulnerum recurramus, ne digni præſenti ſeculi breuiſſima correptione non habiti, in futuro ſimul cum huius mundi peccatoribus condemnemur. Quod etiam in Leuitico euidenti denunciatione præcipitur: Omnis mundus manducabit carnes; & anima quæcunq; comederit de carnibus ſacrificij ſalutaris, quod eſt Domini, in qua eſt immunditia, peribit coram Domino. In Deuteronomio quoq; à ſpiritalibus caſtris immundus ſimiliter myſticè ſegregatur. Si fuerit, inquit, inter vos homo, qui nocturno pollutus ſit ſomnio, egredietur extra caſtra, & non reuertetur priuſquàm ad veſperam abluatur aqua, & poſt Solis occaſum regredietur in caſtra.

QVÒD NONNVNQVAM ETIAM INIMICI FACTIONE HAEC CONTINGAT ILLVSIO.

CAP. VI.

VERVM vt manifeſtiùs approbetur, quòd etiam inimici factione nonnunquam hæc eliciatur impuritas, nouimus fratrem, qui cùm caſtimoniam cordis, & corporis, ſumma circunſpectione, atq; humilitate promeritam iugiter poſſideret, ac nequaquam nocturnis ludificationibus tentaretur, quoties tamen ſe ad percipiendam communionem Dominicam præparaſſet, immundo fluxu dormiens fœdabatur. Qui cùm multo ſe tempore à ſacroſanctis myſterijs trepidus abſtineret, tandem hanc ad ſeniores detulit quæſtionem, remedium impugnationis, ac doloris ſui medicabili eorum conſilio cõſecuturum ſe eſſe confidens. Sed cùm primam cauſam morbi huius ſpiritalium medicorum doctrina diſcuteret, quæ ſolet ex abundanti ciborum præſumptione deſcendere, eamq; memorato fratri deprehenderent non ineſſe, atq; hanc illuſionẽ nequaquam vitio ſaturitatis conſtaret emergere, eo quòd fratris nota diſtrictio vel in ſolẽnibus diebus, quibus illa pollutio cõtingebat, hoc illos nõ pateretur opinari, ad ſecundam huius valetudinis cauſam illico tranſtulerunt inquiſitionis indaginem, diſcutientes ne animæ forſitan culpa caro exhauſta ieiunio impuris illuſionibus vrgeretur, quibus etiã diſtrictiſſimi viri, cùm paululum elati de ſui corporis fuerint puritate, per ſuperbiæ vitium polluuntur, quòd ſcilicet donum præcipuum Dei, ideſt corporis caſtitatem, humanis ſe viribus obtinuiſſe crediderint. Interrogatus igitur vtrum induſtriam ſuam ita capacem huius crederet eſſe virtutis, vt ope diuini non egeret auxilij, ſumma hunc impium ſenſum execratione deteſtans, cùm ſe humiliter aſtruxiſſet ne cæteris quidẽ diebus corporis puritatem retinere potuiſſe, niſi diuina in omnibus gratia fuiſſet adiutus, illi confeſtim ad cauſam tertiã recurrentes, occultas diabolicæ factionis inſidias peruiderunt, probãteſq; nec animæ culpam eſſe, nec carnis, ſacroſanctis

eum epulis debere miſceri confidentiſſimè cenſuerunt, ne ſcilicet ſi in hac obſtinatione duraſſet, verſutis maligni hoſtis laqueis obligatus, ſanctificationis, & corporis Chriſti particeps eſſe non poſſet, & per hanc fraudem medicina remedij ſalutaris in perpetuũ fraudaretur. Quo facto ita omnis diabolicæ factionis ſcena detecta eſt, vt mox virtute Dominici corporis protegẽte, illa præteritæ illuſionis cõſuetudo ceſſaret. In quo inimici dolus euidẽter apparuit, & expoſita eſt pariter ac probata ſententia ſeniorũ, quæ plerunq; hunc impuriſſimũ fluxũ nec carnis, nec animæ vitio, ſed aduerſarij factioſa docuit ludificatione propelli. Vt ergo fallax imaginatio ſomniorum illectrix egeſtionis impuræ, vel in perpetuũ, vel certè (vt ſecundùm humiliorem, ſiue communem ſtatum dicam) certis menſibus ignoretur, poſt illam fidem, qua de Dei ſpecialiter gratia puritatis donum iugiter ſperare nos conuenit, eſcæ, potusq; eſt nimietas caſtiganda. Horum nanq; redundantia iſtiuſmodi humores propenſiùs gigni neceſſe eſt. Qui quoniam concreti non poſſunt non egeri, atq; ab ipſius naturæ lege propelli, ſub occaſione cuiuſcunq; pruritus, atq; illuſionis emergunt. Eſcarum verò ſatietate ſubtracta, conſequens eſt illas quoq; immundas egeſtiones tardiùs generari. Et ita fit, vt quemadmodum fluxus earum, ita etiam illuſio dormientes, vel rariùs, vel ſubtiliùs inquietet, quia non ſolùm egeſtio ex imaginatione, ſed imaginatio ex egeſtionis nimietate deſcendit. Quapropter ſi volumus ab illuſionum iſtarum illecebris liberari, omni virtute nobis eſt enitendum, primùm vt fornicationis paſſione deuicta (iuxta Apoſtolum beatum) non regnet peccatum in noſtro mortali corpore ad obediendum concupiſcentijs eius. Secundò, vt ipſo quoq; illecebroſo corporis motu ſedato penitus, ac ſopito, nequaquam exhibeamus membra noſtra arma iniquitatis peccato. Tertiò, vt interiore quoq; homine noſtro ab illa libidinis titillatione omnimodis, ac medullitus mortificato, exhibeamus nos Deo, tanquam ex mortuis viuentes; & ita per hunc profectum peruenientes ad perpetuam quietem corporis noſtri, exhibeamus etiam membra noſtra non iam arma libidini, ſed iuſtitiæ Deo. In qua nobis caſtimoniæ puritate fundatis, peccatum in nobis iam non dominabitur. Non enim ſumus ſub lege, quæ dum licita nuptiarum iura commendat, etiam illum, cuius miniſterio opus illicitæ fornicationis expletur, in noſtris medullis nutrit, ac reſeruat ardorem, ſed ſub gratia, quæ dum incorruptionem virginitatis inſinuat, etiam iſtum innoxium, ac ſimplicem corporis motum, & ipſius quoq; liciti coitus interimit voluptatem. Atq; ita cunctis impuriſſimæ colluuionis humoribus arefactis, egregij, ac laudabiles eunuchi, qui per Eſaiam prædicantur, effecti, merebimur 3 illam, quæ promittitur eis, beatitudinem poſſidere. Hæc enim ait Dominus eunuchis: Si cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint quæ volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus; nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit. Qui ſunt iſti filij, & filiæ, quibus in tantum iſti præferuntur eunuchi, vt etiam locum, ac nomen melius accepturi eſſe dicantur, niſi illi ſancti, qui ſub veteri teſtamento in coniugiorum copula permanentes, per obſeruantiam mandatorum in adoptionem filiorum Dei non immeritò peruenerunt? Quod etiam nomen eſt illud, quod eis, velut præcipuum quiddam, vice remunerationis ſummæ promittitur, niſi hoc, quòd Chriſti vocabulo dicuntur eſſe cenſendi? De quo nomine & alibi idem Propheta; Et ſeruos ſuos, inquit, vocabit nomine alio, in quo qui benedictus eſt ſuper terram, benedicetur in Deo, Amen; & qui iurat in terra, iurabit in Deo, Amen. Et iterum, Et vocabitur, inquit, tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit. Et quidem pro hac cordis, & corporis puritate, etiam illa præcipua, ac ſingulari beatitudine perfruentur, vt illud

3 Ecce quomodo per caſtitatis obſeruãtiam mereamur æternã beatitudinẽ. Quod cum ex diuina promiſſione, tũ ex Spiritus ſãcti gratia ipſius caſtitatis collatrice, peruenire ſciendum eſt.

canticum iugiter canant, quod nemo alius ſanctorum canere poteſt, niſi iſti ſoli, qui ſequuntur agnum quocunq; vadit. Virgines enim ſunt, & cum mulieribus ſe non coinquinauerunt. Proinde ſi ad hanc ſublimiſſimam virginum gloriam volumus peruenire, omni virtute incorruptionem mentis, ac ſpiritus excolamus, ne in illarum inſipientium virginum numero collabamur, quibus idcirco non eſt reputata virginitas, quia à commixtione carnali immunes ſeſe tantummodo ſeruauerunt, & ob hoc virgines quidem, ſed fatuæ nuncupantur, quia deficiente in vaſis eorum oleo puritatis internæ, claritas, ac ſplendor corporalis virginitatis extinguitur. Interioris enim copioſo pabulo puritatis, ſubminiſtrari neceſſe eſt etiam exteriori homini caſtitatem, eamq; iugiter ad perſeuerantiam incorruptionis perpetuæ animari. Et ideo fatuæ illæ virgines glorioſum ſponſi thalamum cum illis prudentibus non merentur intrare, quæ integrum ſpiritum ſuum, & animam, & corpus ſine querela in diem Domini noſtri Ieſu Chriſti cōſeruauerunt. Illi nāq; ſunt veri, & incorrupti virgines Chriſti, illi admirabiles, atq; egregij reputantur eunuchi, non qui metuunt, ſed quibus non libet fornicari, nec qui impudicitiæ tantùm reprimunt frena, ſed qui ipſam quoq; minimam mentis titillationem, & tenuiſſima libidinis incitamenta vicerunt, & eò vſq; extenuauerunt illum carnis (vt ita dixerim) ſenſum, vt non ſolùm ex commotione eius nulla oblectatione, ſed ne exigua quidem titillatione tangantur.

QVOD NVNQVAM DIGNVM SE COMMVNIONE DOMINICA QVISPIAM DEBEAT IVDICARE. CAP. VII.

TANTA autem cor noſtrum humilitatis debemus vallare cuſtodia, vt hanc definitionem perpetua ſenſuum ſtabilitate teneamus, nequaquam nos poſſe ad tantum purificationis meritum peruenire, vt licet hæc, quæ ſupra dixi, per Dei gratiam omnia fecerimus, dignos tamen nos cōmunione ſacri corporis eſſe credamus. Primùm, quia cœleſtis illius mannæ tanta maieſtas eſt, vt nemo hac lutea carne circundatus, pro ſuo merito eius edulium, & non ex gratuita Domini largitate percipiat. Deinde quia nullus ita circunſpectus in huius mundi poteſt eſſe conflictu, vt eum ſaltem rara, vel leuia peccatorum tela non feriant, quia impoſſibile eſt, vt non aut ignorantia, aut negligentia, aut vanitate, aut obreptione, aut cogitatione, aut neceſſitate, aut obliuione peccetur. Nam etſi ad tam præcelſum quis virtutum culmen aſcenderit, vt Apoſtolicum illud non iactanter exclamet: Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis dijudicer, aut ab humano die, ſed neq; meipſum iudico, nihil enim mihi conſcius ſum: ſciat ſe tamen abſq; peccato eſſe non poſſe. Neq; enim fruſtra idem Doctor adiunxit: Sed non in hoc iuſtificatus ſum: ideſt

non ſi ego iuſtum me eſſe credidero, verùm confeſtim iuſtitiæ gloriam poſſidebo, vel quia me conſcientia mea nullius peccati reprehenſione compungit, idcirco nullius ſordis contagione fuſcatus ſum. Multa enim meam conſcientiam latent, quæ cùm mihi ſint incognita, vel obſcura, Deo nota, atq; manifeſta ſunt. Ideoq; ſubijciens; Qui autem, inquit, me iudicat, Dominus eſt: ideſt ab illo ſolo, quem ſecreta cordium non latent, verum iudicij in me proferetur examen.

EX LIBRO SECVNDO COLLATIONVM PATRVM EIVSDEM IOANNIS CASSIANI, COLLATIONE VIGESIMAQVARTA DE MORTIFICATIONE.

QVOD HI POSSINT PARENTVM VICINIAM NON TIMERE, QVI ABBATIS APOLLO MORTIFICATIONEM POTVERINT AEMVLARI.

CAP. IX.

VT ad certum diſtrictionis examen veſtrarum virium quantitatem metiri congrua æſtimatione poſſitis, cuiuſdam vobis ſenis, ideſt Abbatis Apollo factum breuiter indicabo, vt ſi vos intimum veſtri cordis examen huius propoſito, atq; virtuti haud inferiores eſſe cenſuerit, abſq; iactura profectus veſtri, profeſſionis'q; periculo, patriæ inhabitationem, ac parentum viciniam eligatis, certi quòd diſtrictionem humilitatis huius, quam vobis in hac prouincia non ſolùm voluntas, ſed etiam neceſſitas peregrinationis extorquet, propinquitatis affectus, aut locorum oblectatio non poſſit euincere. Ad hunc igitur, quem prædiximus, ſenem, cùm germanus ſuus intempeſta nocte veniſſet, implorans vt de monaſterio ſuo pauliſper egreſſus, ad euellendum bouem, quem cœno paluſtri eminus inhærere flebiliter querebatur, ei eſſet auxilio, quia eum ſolus nequaquam poſſet eruere, Abbas Apollo pertinaciter obſecranti; Cur, ait, iuniorem fratrem noſtrum, quem præteriens propiorem me habueras, non rogaſti? Cùm'q; ille eum mortem olim ſepulti fratris oblitum, & ex nimia continentiæ, ac ſolitudinis iugitate, velut impotem mentis exiſtimans reſpondiſſet: Quemadmodum poteram de ſepulcro eū, qui ante annos quindecim obijt, inuocare? Abbas Apollo; Ignoras ergo, ait, me quoq; ante annos viginti huic mundo fuiſſe defunctum, nullaq; iam poſſe de huius cellæ ſepulchro, quæ ad præſentis vitæ pertineant ſtatum,

tibi conferre ſolatia, quem intantum Chriſtus ab intentione mortificationis arreptæ, vel modicum ad extrahendum bouem tuum non patitur relaxari, vt ne breuiſſimi quidem momenti inducias pro patris indulſerit ſepultura, quæ multò vtiq; celeriùs, honeſtiùs, religioſiùs fuerat exhibenda? Rimamini itaq; nũc arcana pectoris veſtri, prudenterq; conijcite, an talẽ etiam vos iuxta parentes veſtros diſtrictionem mentis retentare poſſitis. Cùmq; vos in hac animi mortificatione conſimiles eidem ſenſeritis, tum demum ſcitote parentum, fratrũq; viciniam vobis quoq; ſimiliter noxiam non futuram; vt ſcilicet eis quamuis in proximo conſtitutis, velut mortuos vos eſſe credatis, ita vt nec illos veſtris foueri ſolatijs, nec vos illorum ſinatis obſequijs relaxari.

INTERROGATIO, AN OBSIT MONACHO, SI A' PARENTIBVS SIBI NECESSARIA SVGGERANTVR.

CAP. X.

GERMANVS. Super hoc planè jam nullum ambiguitati locum vlteriùs reliquiſti. Certi enim ſumus tam præſentis huius habitus vilitatem, quàm quotidiana hæc nudipedalia in illorum vicinia nullatenus exercere nos poſſe, ſed ne labore quidem illic ſimili ea, quæ ſunt ad victum neceſſaria, prouiſuros, ſicut hîc etiam ipſam quotidie aquam ceruicibus noſtris ex tribus millibus exhibere compellimur; nec noſtra enim, nec illorum verecũdia hæc nos coram illis agere omnino patietur. Verùm quid propoſito noſtro oberit, ſi illis ſubminiſtrantibus vniuerſa, nos ſolicitudine parandi victus penitus abſoluti, lectioni tantùm, & orationi operam dederimus, vt iſto, quo nunc diſtrahimur, labore ſublato, ſpiritalibus tantùm ſtudijs intentiùs excubemus?

RESPONSIO QVID SANCTVS ANTONIVS SVPER HOC PRONVNCIAVERIT.

CAP. XI.

ABRAHAM. Non meam contra hoc vobis, ſed beati Antonij ſententiam proferam, qua ille ita cuiuſdam fratris hoc, quo dicitis, tepore torpentis ſegniciem confutauit, vt etiam nodum veſtræ propoſitionis abſciderit. Nam cùm ad prædictum virum quidam (vt dixi) veniens, anachoreticam diſciplinam minimè diceret admirandam, maioris pronuncians eſſe virtutis, ſi eas, quæ ſunt perfectionis, potiùs inter homines quiſpiam, quàm in eremo poſitus exerceret, beatus Antonius, vbi'nam ipſe conſiſteret, percontatur. Cùm'que ille ſe iuxta parentes ſuos habitare dixiſſet, & eorum præbitione ab omni cura, & ſolicitudine diurni operis abſolutum; lectioni tantùm, & orationi abſque vlla diſtentione ſpiritus indeſinenter gloriaretur inſiſtere, rurſum beatus Antonius; Dic, inquit, fili, an in eorum damnis, vel aduerſis caſibus contriſteris, pari'que etiam modo ſuper eorum proſperitate congaudeas. Ille vtriuſque rei participē ſe eſſe confeſſus eſt. Cui ſenex; Noueris te, inquit, etiam in futuro ſęculo eorum ſorte cenſendum; cum quibus in hac vita ob lucri, detrimenti'ue conſortiū, vel gaudio, vel mœrore concuteris. Nec hac contentus ſententia beatus Antonius, maiorem inſuper campum diſputationis ingreſſus eſt; Hæc, inquiens, conuerſatio, atque hic tepidiſſimus ſtatus, nō hoc ſolo, quo dixi, te feriunt detrimento (licet id nunc ipſe non ſentias, dicens quodammodo ſecūdùm illam Prouerbiorum parabolam: Feriunt me, ſed non dolui; & deleuerunt me, ego autem neſciui: vel illud, quod dicitur in Propheta: Et comederunt alieni robur eius, & ipſe neſciuit: quòd ſcilicet diebus ſingulis mentem tuam pro caſuum varietate mutantes indeſinenter ad terrena demergunt) verumetiam fructu manuum [1] tuarum, & iuſta laboris proprij mercede defraudant, non permittentes te horum præbitione ſuffultum, ſecundùm beati Apoſtoli regulam, quotidianum tibi victum tuis manibus præparare, quem ille vltima Epheſiorum Eccleſiæ principibus præcepta promulgans, ſe etiam ſanctis Euangelicæ prædicationis ſtudijs occupatum, non ſolùm ſibi, verum etiam his, qui erant erga miniſterium ſuum neceſſarijs obſequijs præpediti, præbuiſſe memorat, dicens: Ipſi ſcitis, quoniam ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ. Quod tamen vt ſe feciſſe pro forma noſtræ vtilitatis oſtēderet, alibi ait: Non otioſi fuimus inter vos, neque gratis panem ab aliquo manducauimus, ſed in labore, & fatigatione, nocte & die operantes, ne quem veſtrū grauaremus, non quia non habuerimus poteſtatem, ſed vt noſmetipſos daremus formam vobis ad imitandum nos.

[1] Opus manuum in monachis magnifaciebat beatus pater Antonius.

DE VTILITATE OPERATIONIS, ET OTII DETRIMENTO.

CAP. XII.

ET ideo cùm etiam nobis parentum præſidia non deeſſent, tamen hanc cunctis opibus prætulimus nuditatem, & quotidiana corporis alimenta noſtris maluimus ſudoribus præparare, quàm ſecura parentum præbitione fulciri, laborioſiſſimæ huic penuriæ illam, quam prædicas, otioſam ſcripturarum meditationem, atq; infructuoſam lectionis inſtantiam poſtponentes. Quam proculdubio libentiſſimè ſectaremur, ſi hoc eſſet vtilius, vel exēplis ſuis Apoſtolica tradidiſſet auctoritas, vel inſtituta ſeniorum ſalubriter præfiniſſent. Noueris autem te etiam ex hoc, non leuiori, quàm quod ſupra diximus, affici detrimento, quia cùm ſis ſani corporis, ac robuſti, ſtipe ſuſtentaris aliena, quæ iuſtè ſolis eſt debilibus attributa. Nam vtiq; omne hominum genus, excepto illo tantùm genere monachorum, quod, ſecundùm præceptum Apoſtoli, quotidianis manuum ſuarum laboribus viuit, agapem alienæ operationis expectat. Vnde non ſolùm eos, qui ſemetipſos vel parentum facultatibus, vel famulorum laboribus, vel fundorum ſuorum fructibus ſuſtentari gloriantur, ſed ipſos etiam Reges mundi huius agape certum eſt ſuſtentari. Hoc nanque maiorum noſtrorum definitio habet, quicquid ad neceſſitatem quotidiani victus inſumitur, quod opere manuum noſtrarum effectum, partumq; non fuerit, ad agapem pertinere, ſecundùm Apoſtolum, qui otioſis penitus interdicens opem largitatis alienæ; Qui, inquit, non operatur, nec manducet. His beatus Antonius aduerſus quendam vſus verbis, etiam nos magiſterij ſui informauit exemplo, vt parentum pernicioſiſſima blandimenta, & omnium, qui victus neceſſaria ſubminiſtrant, agapē, inſuper etiam omnem habitationis gratiam deuitemus, ſqualentesq; naturali amaritudine arenas, ac peruſtas ſalſa inundatione regiones, nulliq; ob id ipſum hominum iuri, dominioq; ſubiectas, cunctis mundi huius opibus præponamus; vt non ſolùm nequitias hominum obtentu inuiæ ſolitudinis declinemus, ſed etiam ne nos ad qualiſcunq; culturæ diſtentionem vberis ſoli natura ſolicitet, per quā mens ab illa principali obſeruatione cordis diſtracta, ſpiritalibus ſtudijs redderetur effœta.

PARABOLA DE TONSORIS MERCEDE PROLATA AD ILLVSIONES DIABOLI COGNOSCENDAS.

CAP. XIII.

NAM quòd alios ſaluare vos poſſe confiditis,& ſpe maioris lucri ad reuiſendam patriam feſtinatis, audite etiam ſuper hoc quandam Abbatis Macharij parabolam, iucundiſſimè,atq; aptiſſimè figuratam,quã & ille cuidam ſimilibus deſiderijs æſtuanti, medicinam opportuniſſimæ narrationis ingeſſit. Erat,inquit,in ciuitate quadam peritiſſimus tonſor, qui denarijs ternis vnumquenq; detondens, tenuem, vilemq; mercedem ſui operis acquirendo,ex hac eadem quantitate neceſſaria victus quotidie comparabat,cęterum'q; denarios,expleta omni corporis cura,marſupio ſuo diebus ſingulis inferebat. Sed cùm indeſinenter hunc conderet quæſtum, audiuit in quadam longè poſita ciuitate,ſingulorum ſolidorum ſingulos homines tonſori præbere mercedem. Quo ille comperto; Quandiu ero,inquit,hac mendicitate contẽtus,vt trium denariorum ſtipem cum labore conquiram,cùm poſſim illò pergens ingenti ſolidorum quæſtu diuitias congregare? Itaq; ſumens artis ſuæ protinus inſtrumenta, expenſis in itinere omnibus,quæ hîc multo tempore collecta ſeruauerat, ad vrbem illam quæſtuoſiſſimam cum ſummo labore peruenit. Vbi cùm ea, qua ingreſſus eſt, die,ſecundùm id, quod compererat, ab vnoquoq; mercedem ſui operis recepiſſet, ad veſperam ſe videns grandem ſolidorum numerum conquiſiſſe, ad macellum lætus accedit, eſcas refectioni ſuæ neceſſarias coempturus. Quas cùm cœpiſſet magno ſolidorum pretio comparare, expenſis in exiguo victu vniuerſis,quos acquiſierat,ſolidis, nec vnius quidem denarij intulit lucrum. Cùm itaq; ſingulis diebus acquiſitionem ſuam vidiſſet inſumi, vt nõ ſolùm nihil reponere, ſed vix ipſam quotidianæ ſubſtantiæ neceſſitatem poſſet explere, apud ſemetipſum recogitans; Reuertar,inquit,ad ciuitatem meam, illum'q; repetam tenuiſſimum quæſtum,ex quo mihi,expleta omni corporis cura,quod ad ſuſtentationem ſenectutis accreſceret,quotidiana exuberantia conferebatur. Quod quamuis paruum videretur, & tenue, non mediocrem tamen ſummam iugi pariebat augmento. Quæſtuoſior quippè mihi fuit ille nummorum, quàm iſte ſolidorum imaginarius quæſtus,ex quo non ſolùm nihil exuberat, quod recondam, ſed etiam vix ipſa quotidiani victus neceſſitas ſuſtinetur. Et idcirco rectiùs nobis eſt,hunc ſolitudinis huius tenuiſſimum fructum indirupta iugitate ſectari, quem nullæ ſeculares curæ,nullæ mundanæ diſtentiones, nulla cenodoxiæ,ac vanitatis arrodat elatio, nullæ ſolicitudines diurnæ neceſſitatis imminuant (Melius eſt enim modicum iuſto ſuper diuitias peccatorum multas) quàm affectare lucra illa maiora, quæ etiam ſi parata fuerint quæſtuoſiſſima conuerſione multorum,neceſſitate tamen mundanæ conuerſationis, & quotidianis diſtentionum diminutionibus abſumentur. Melior nanq; eſt, ſecundùm ſententiam Salomonis, pugillus vnus cum requie, quàm duo pugilli cum labore, & præſumptione ſpiritus. Quibus illuſionibus,atq; diſpendijs omnes admodùm infirmos neceſſe eſt implicari,qui cùm etiam de ſua ſalute ſint dubij, ipſiq; adhuc magiſterio, atq; inſtituti ne egeant aliena,ad conuertendos alios, & regendos diabolicis illuſionibus inſtigantur. Qui etiam ſi potuerint lucri aliquid ex quorundam conuerſione conquirere,impatientia tamẽ ſua,atq;

inconditis moribus, quicquid acquiſierint, profligabunt. Illud namq; eis, quod Aggæus Propheta deſcribit, eueniet: Et qui mercedes cõgregat, miſit eas in ſacculum pertuſum. Verè enim lucra ſua in pertuſum ſacculum condit, qui quicquid per aliorum conuerſionem videtur acquirere, intemperantia cordis ſui, & quotidiana animi diſtentione diſpergit. Itaq; fiet, vt dum vberiora lucra per aliorum credunt inſtitutionem parare ſe poſſe, etiam ſua correctione priuentur. Sunt enim qui ſe diuites ferunt, nihil habentes; & ſunt qui ſe humiliant in multis diuitijs; & melior eſt vir in ignobilitate ſeruiens ſibi, quàm qui dignitatem ſibi acquirit, & indiget pane.

QVOMODO EVANGELISTA IOANNES VTILITATEM REMISSIONIS OSTENDISSE DICATVR.

CAP. XXI.

FERTVR beatiſſimus Euangeliſta Ioannes, cùm perdicem manibus molliter demulceret, quendam ad ſe habitu venatorio venientem ſubitò conſpexiſſe. Qui miratus quòd vir tantæ opinionis, ac famæ, ad tam parua, & humilia ſe oblectamenta demitteret; Tu'ne es, inquit, ille Ioannes, cuius fama inſignis, atq; celeberrima, me quoq; ſummo deſiderio tuæ agnitionis illexit? Cur ergo oblectamentis tam vilibus occuparis? Cui beatus Ioannes: Quid eſt, quod manu tua geſtas? At ille; Arcus, inquit. Et cur, ait, beatus Ioannes, non eum tenſum vbiq; ſemper circunfers? Cui ille reſpõdit: Non cõuenit, ne iugi curuamine rigoris fortitudo laxata molleſcat, ac depereat, & cùm oportuerit vt fortiora in aliquam feram ſpicula dirigantur, rigore per nimietatem continuæ intenſionis amiſſo, violentior ictus non poſſit emitti. Nec noſtri ergo, inquit beatus Ioannes, animi te offendat, ò iuuenis, tam parua hæc, breuisq; laxatio, quæ niſi remiſſione quadam rigorem intentionis ſuæ interdum releuet, ac relaxet, irremiſſo vigore lenteſcens, virtuti ſpiritus, cùm neceſſitas poſcit, obſecundare non poterit.

OCTAVI TOMI PARS TERTIA.

DIVI GREGORII TVRONENSIS ARCHIEPISCOPI VITAE PATRVM.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS BERGOMENSIS

CANDIDO LECTORI.

LIBELLVS, qui ſequitur, vitas ſanctorum Patrum continet, quas recolendæ memoriæ Gregorius Turonenſis rudiuſculo quidē ſtylo, at Chriſtiana pietate ſatis expolito, vt illius viri mos eſt, conſcripſit. Et miraberis ſanè, benigne lector, quomodo liber hic ad manus meas peruenerit, eram enim ex multo tempore cupiens videre eum, ſed nunquam id mihi in Italia datum eſt. Nuper igitur cùm Vilnæ eſſem, quæ prouinciæ Lithuaniæ vltra regnum Poloniæ conſtitutæ ciuitas primaria eſt, apud Sereniſſimum Sigiſmundum Auguſtum Poloniæ Regem, Apoſtolicum Nuncium agens, quidam ex meis familiaribus mihi dixit, venales eſſe quoſdam in foro libros typis excuſos, inter quos & iſte erat, & alter eiuſdem beati patris in gloriam confeſſorum æditus, necnon & tertius Gallicarum hiſtoriarum Tomum continens; qui ſtatim vt empti per meos fuerunt, magnam mihi certè voluptatem attulerunt. Verùm ex his hunc primo loco euulgamus, reliquos duos in ſequentibus habebis. Sicut ergo beati huius viri libros alios, quos in præcedentibus noſtris voluminibus propoſuimus, benignè legiſti, ita & hunc eadem

OCTAVI TOMI PARS TERTIA.

DIVI GREGORII TVRONENSIS ARCHIEPISCOPI VITAE PATRVM.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS BERGOMENSIS

CANDIDO LECTORI.

LIBELLVS, qui ſequitur, vitas ſanctorum Patrum continet, quas recolendæ memoriæ Gregorius Turonenſis rudiuſculo quidẽ ſtylo, at Chriſtiana pietate ſatis expolito, vt illius viri mos eſt, conſcripſit. Et miraberis ſanè, benigne lector, quomodo liber hic ad manus meas peruenerit, eram enim ex multo tempore cupiens videre eum, ſed nunquam id mihi in Italia datum eſt. Nuper igitur cùm Vilnæ eſſem, quæ prouinciæ Lithuaniæ vltra regnum Poloniæ conſtitutæ ciuitas primaria eſt, apud Sereniſſimum Sigiſmundum Auguſtum Poloniæ Regem, Apoſtolicum Nuncium agens, quidam ex meis familiaribus mihi dixit, venales eſſe quoſdam in foro libros typis excuſos, inter quos & iſte erat, & alter eiuſdem beati patris in gloriam confeſſorum æditus, necnon & tertius Gallicarum hiſtoriarum Tomum continens; qui ſtatim vt empti per meos fuerunt, magnam mihi cenè voluptatem attulerunt. Verùm ex his hunc primo loco enulgamus, reliquos duos in ſequentibus habebis. Sicut ergo beati huius viri libros alios, quos in præcedentibus noſtris voluminibus propoſuimus, benignè legiſti, ita & hunc eadem

animi iucunditate legere non graueris. Videbis enim nobiliſſimum Galliarum regnum, ſicut in bellicis rebus exercitatiſſimos, & in diſciplinis liberalibus eminentiſſimos, ita etiam ſanctitate eximia conſpicuos quamplurimos viros protuliſſe, vt vera ſit Petri Apoſtolorum principis in Actibus Apoſtolorum ſententia: In veritate comperi, quia non
eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni
gente, qui timet eum, & operatur
iuſtitiam, acceptus eſt
illi. Vale.

INCIPIT PRAEFATIO DIVI GREGORII TVRONENSIS ARCHIEPISCOPI IN LIBRVM SVVM DE VITA PATRVM.

STATVERAM quidem illa tantùm ſcribere, quæ ad ſepulchra beatiſſimorum martyrum, confeſſorumq́; diuinitus geſta ſunt; ſed quoniam quædam de ijs nuper reperi, quos beatæ conuerſationis meritum euexit ad cœlum, quorumq́; vitæ tramitem certis relationibus cognitum Eccleſiã ædificaturũ putaui, dicere aliqua ex illis, opportunitate cogẽte, non differo; quia ſanctorum vita non modò eorum pandit propoſitum, verumetiam auditorum animos incitat ad profectum. Cæterùm quæritur à quibuſdam, vtrum Vita ſanctorum, an Vitæ dicere debeamus. Aulus Gellius autem, & complures alij Grãmaticorum, Vitas dicere voluerunt. Nam Plinius auctor in tertio artis Grammaticæ libro ait: Vitas antiqui cuiuſcunq; noſtrum dixerunt; ſed Grammatici pluralem non putant habere Vitam. Vnde manifeſtum eſt, rectiùs dici Vitam patrum, quàm Vitas; quia cùm ſit diuerſitas meritorum, virtutumq́;, vna tamen omnes vita corporis alit in mundo. Et ſcripſi, fateor, in inferiore confeſſorum libro aliqua de quorundam vita, quæ in corpore operati ſunt, breuiora. Idcirco cùm de virtute ingentia cenſeantur, parua tamen reducuntur in ſcriptis. Prolixiora verò in hoc, quem de vita ſanctorum vocitare voluimus, libro, imperiti, idiotæq́; præſumimus propalare, orãtes Dominum, vt dignetur dare verbum in ore noſtro, qui ora mutorum ad vſus priſtinos ſæpiùs reſerauit, vt audiroribus, lectoribusq́; ſalutaria, & ſanctis Patribus digna, labia mea referant, & quæ in ſanctis præcipit ſcribi, reputet ea ſuis in laudibus declamari.

VITA SANCTI LVPICINI, ET ROMANI ABBATVM.

SERIES Euangelicæ admonet diſciplinæ, vt domeſticæ largitionis pecunia numularijs fœnerata, cum digno multiplicationis fructu, diſpenſante Domino, reſtauretur; nec altis defoſſa foueis recondatur ad detrimẽtum, ſed rationabili diſpenſatione porrecta, æternæ vitæ creſcat ad lucrum, vt incipiens retributionis Dominus quæ commodauit inquirere, cum vſuris receptis fœnerationis ſuæ duplici ſatisfactione talentis, dicat: Euge, ſerue bone, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Prædeſtinatorum eſt enim iſta cum Dei ope perficere, qui ab ipſis incunabulorum vagitibus, vt ſæpè de multis legitur, Dominum ſcire meruerunt, cognitoq́; eo, nunquam ab eius præceptionibus receſſerunt, neq; poſt baptiſmi ſacramentum niueam illam, pollentemq́; regenerationis ſtolam impudicis actibus polluerunt; qui meritò ſequuntur Agnum quocunq; ierit; quosq; ipſius Agni candor egregius lilijs decoris nullo tentationis æſtu marcentibus coronauit. His deniq; ſertis dextera inclytæ dominationis extenta inchoantes prouocat, vincentes adiuuat, victores adornat, quos nominis ſui titulo præſignatos, de terrenis gemitibus eleuans, in cœlorum euehit gaudia glorioſos. De quorum niueo electionis numero & illos eſſe non ambigo, qui Lorenſis eremi opaca luſtrantes, non modò Dei templum effici meruerunt, verumetiam in multis mentibus Spiritusſancti gratia tabernacula parauerunt, ideſt Lupicinus, Romanusq́; germanus eius.

Igitur Lupicinus ab exordio ætatis ſuæ Deum toto requirens corde, literisq́; inſtitutus, cùm ad legitimam tranſiſſet ætatem, genitore cogente, cùm animi non præberet aſſenſum, ſponſali vinculo nectitur. Romanus verò adhuc adoleſcentior & ipſe ad Dei opus animum extendere cupiens, nuptias refutauit. Parentibus verò relinquentibus ſeculum, communi conſenſu eremum petunt, & accedentes ſimul inter illa Lorenſis deſerti ſecreta, quæ inter Burgundiam, Alemaniamq́; ſita Auenticæ adiacent ciuitati, tabernacula figunt, proſtratiq́; ſolo Dominum diebus ſingulis cum pſalterij modulamine deprecantur, victum de radicibus 1 quærentes herbarum. Sed quoniam liuor illius, qui de cœlo delapſus eſt, ſemper inſidias humano generi conſueuit intendere, contra hos Dei ſeruos armatur, hosq; per miniſtros ſuos à cœpto itinere nititur reuocare. Nam lapidibus vrgere eos dæmones per dies ſingulos non deſinebant. Et quotieſcunq; genua ad orandum 2 Dominum deflexiſſent, ſtatim imber lapidum ſuper eoſdem, iacientibus dæmonijs, decidebat; ita vt ſæpè vulnerati immenſis dolorum cruciatibus torquerentur. Interea ætas adhuc immatura cœpit iniurias quotidiani hoſtis metuere, nec paſſa diutius ſufferre dolores, relinquens eremum ad propria ire deliberat. Sed quid inuidia non cogat inimici? Verùm

1 Vide victus auſteritatem, nempe ex radicibus herbarum.

2 Ecce oratio cum genuũ proſtratione.

vbi relinquentes hoc habitaculum, quod expetierant, ad villas propinquiores ſunt regreſſi, domum cuiuſdam pauperis ingrediuntur. Percontatur mulier, de quo itinere milites Chriſti venirent. Reſpondent non ſine confuſione, ſe reliquiſſe eremum, & quæ eos cauſa à cœpto diſtulerit opere per ordinem pandunt. At illa ait: Oportuerat vos, ò viri Dei, contra inſidias Diaboli viriliter dimicare, nec formidare eius inimicitias, qui ſæpiùs ab amicis Dei ſuperatus occubuit. Aemulus eſt enim ſanctitati, dum metuit, ne vnde ille perfidia vilis corruit, genus humanum fide nobilitatum aſcendat. At illi compuncti corde, & ſeorſum diſcreti à muliere, dixerunt: Væ nobis, quia peccauimus 3 in Deum, dimittendo propoſitum noſtrum. Ecce nunc à muliere arguimur pro ignauia. Et qualis nobis in poſterum erit vita, ſi ea, vnde æſtu inimici expulſi fuimus, non repetamus? Tunc armati vexillo Crucis, ſumptis in manu bacillis, regreſſi ſunt ad eremum. Quibus venientibus, iterum eos inſidiæ dæmonis lapidibus cœperunt vrgere, ſed perſiſtentes in oratione obtinuerunt à Domini miſericordia, vt remota tentatione, liberi in illo diuini cultus famulatu, expeditiq; perſeuerarent.

3 Aduertis pec catum eſſe, quando monachus iuſti tutum ſuum deſerit.

His deniq; in oratione perſiſtentibus, cœperunt ad eos turbæ fratrum hinc & inde confluere, & audire verbum prædicationis ab eis. Cùmq; iam beati eremitæ populis (vt diximus) publicati fuiſſent, fecerunt ſibi monaſterium, quod Condatiſcone vocitari voluerunt. In quo ſuccisis ſyluis, & in plana redactis, de laboribus manuum 4 propriarum victum quærebant. Tantusq; feruor de Dei amore proximos locorum accenderat, vt congregata ad officium Dei multitudo ſimul habitare non poſſet. Fecerunt itaq; aliud monaſterium in quo felicis alueariis examen inſtituerunt. Sed & hoc deinceps cum Dei adiutorio ampliato, tertium intra Alemaniæ terminum monaſterium locauerunt. Ibantq; viciſſim hi duo patres viſitantes filios, quos diuinis imbuerant diſciplinis, prædicantes in ſingulis monaſterijs ea, quæ ad inſtitutionem animæ pertinebant. Lupicinus tamen Abbatis ſuper eos obtinuit monarchiam. Erat autem valde ſobrius, & cibo, potuq; abſtinens, ita vt plerunq; tertia 5 tantùm die reficeretur. Cùm verò eum, ſicut corporis humani depoſcit neceſſitas, ſitis arriperet, vas cum aqua exhiberi faciebat, in qua manus immerſas diutius retinebat. Mirum dictu, ita abſorbebat caro eius aquã appoſitam, vt putares eam per os eius aſſumi; & ſic ardor ſitis extinguebatur. Erat autem ſeuerus valde in diſtrictione fratrum, nec quenquam non modò perversè non agere, verumetiam nec loqui ſinebat. Mulierum 6 quoq; vel colloquia, vel occurſus valde vitabat. Romanus ita erat ſimplex, vt nihil de his penitus ad animum duceret, ſed omnibus tam viris, quàm mulieribus æqualiter flagitatam benedictionem, diuinitatis nomine inuocato, tribueret. Lupicinus igitur Abbas cùm minus haberet, vnde tantam ſuſtineret congregationem, reuelauit ei Deus locum in eremo, in quo antiquitus theſauri reconditi fuerant. Ad quem locum accedens ſolus, aurum, argentumq;, quantum leuare poterat, monaſterio inferebat; & exinde coëmpto cibo reficiebat fratrum multitudines, quos ad Dei officium congregauerat; ſicq; faciebat per ſingulos annos. Nulli tamen fratrum patefecit locum, quem ei Dominus dignatus eſt reuelare.

4 Multi ex antiquis monachis laboribus manuũ victum quærebant.

5 Nota miram Sancti viri abſtinentiam.

6 Mulierum quoque vel colloqia, vel occurſus vitabat. Hoc non faciunt noſtri tempo ris hæretici.

Factum eſt autem, vt quodam tempore viſitaret fratres, quos in illis Alemaniæ regionibus diximus congregatos, & accedens meridie, cùm adhuc fratres in agro eſſent, ingreſſus eſt domum, in qua cibi coquebantur ad reficiendum, viditq; diuerſorum ferculorum apparatum magnum, ac piſcium multitudinem aggregatam, dixitq; in corde ſuo: Non eſt dignum, vt monachi, quorum vita ſolitaria eſt, tã ineptis 7 vtãtur ſumptibus. Et ſtatim iuſſit præparari æneũ magnũ; cùmq; locatus ſuper ignẽ feruere cœpiſſet, poſuit in eo cunctos ſimul quos parauerãt cibos, tã piſces, q̃ olera, ſiue legumina, vel quicqd ad comedẽdũ deſtinatũ

7 Vides monachos nõ debere exquiſitis vti cibis, & paratu difficilibus?

fuerat, dixitq́; De his pultibus nunc reficiantur fratres, non delicijs vacent, quæ eos à diuino impediant operé. Quod illi cognoſcentes valde moleſtè tulerunt. Tunc duodecim viri, habito conſilio, iracundia inflammati reliquerunt locum, & abierunt per deſerta vagantes, & ea quæ erant ſeculi delectabilia inquirentes. Reuelatumq́; eſt ſtatim per viſum Romano, nec ei voluit diuina miſeratio rem actã occultare. Regreſſo igitur Abbati ad monaſteriũ dicit; Si ſic futurum erat, vt ad diſperſionem fratrum abires, vtinam nec acceſſiſſes ad eos. Cui ille; Noli, inquit, moleſtè ferre, frater dilectiſſime, quia ea acta ſunt. Nam ſcias purgatã eſſe aream Domini, & triticum tantùm in horreo poſitum, paleas autem eſſe reiectas foras. Et ille: Vtinam nullus abſceſſiſſet ex eis; ſed nunc indica mihi, quæſo, quot exinde abierunt. Qui reſpondit: Duodecim viri cothurnoſi, atq; elati, in quibus Deus non habitat. Tunc Romanus cum lachrymis ait: Credo in illo diuinæ miſerationis reſpectu, quia nec illos ſeparabit a theſauro ſuo, ſed congregabit, & lucri eos faciet, pro quibus pati dignatus eſt. Et facta pro his

8 Ecce quanta orationis virtus.

oratione, 8 obtinuit, vt reuerterentur ad gratiam omnipotentis Dei. Dominus enim compungi fecit corda eorum, & agentes pœnitentiam pro exceſſu ſuo, congregauerunt ſinguli congregationes ſuas, & fecerũt ſibi monaſteria, quæ vſq; hodie in Dei laudibus perſeuerant. Romanus autem perſiſtebat in ſimplicitate, & operibus bonis, viſitans infirmos, & ſaluans eos oratione ſua.

Factum eſt autem quodam tempore dum iter ageret ad viſitandos fratres, vt occupante noctis crepuſculo ad hoſpitiolum diuerteret leproſorũ. Erant autem nouem viri. Suſceptusq́; ab eis ſtatim plenus charitate Dei iuſſit aquam calidam fieri, atq; omnium pedes manu propria lauit, lectulumq́; ſpatioſum fieri præcepit, vt omnes in vno ſtratu requieſcerent, non abhorrens luridæ maculam lepræ.

9 Vides nocturnas Pſalmorum decantationes antiquis monachis fuiſſe in vſu?

Quod cùm factũ fuiſſet, obdormiẽtibus leproſis, hic inter decantationes 9 pſalmorum vigilans, extendit manum ſuam, & tetigit latus vnius infirmi, qui ſtatim mundatus eſt. Tactuq́; ſalubri iterum tetigit alium, & ipſe protinus eſt mundatus. Cùmq́; ſe ſenſiſſent redditos ſanitati, tetigit vnuſquiſq; proximum ſuum, vt ſcilicet expergefacti rogarent ſanctum pro emundatione ſua. Sed cùm tactu ad inuicem fuiſſent, & ipſi mundati ſunt. Manè autem facto, aſpiciens omnes nitente cute effulgere, gratias agens Deo, & vale dicens, ac ſingulorum oſcula libans abſceſſit, mandans eis, vt ſemper ea, quæ Dei erant, & retinerent pectore, & operibus exercerent.

Lupicinus autem iam ſenex factus acceſſit ad Chilpericum Regem, qui tunc Burgundiæ præerat; audierat enim eum habitare apud vrbem Ianubam. Cuius cùm ingreſſus eſt portam, tremuit cathedra Regis, qui ea hora ad conuiuiũ reſidebat, exterritusq́; ait ſuis: Terræmotus factus eſt. Reſponderunt qui aderãt, nihil ſe ſenſiſſe commotionis. Et ille: Occurrite quantocyus ad portam, ne fortè aliquis aduerſari cupiens regno noſtro adſit quaſi nociturus nobis. Non enim ſine cauſa hæc ſella contremuit. Qui protinus concurrentes offenderunt ſenẽ in veſte pellicea, & dixerunt Regi de eo. Qui ait: Ite, adducite eum in conſpectu meo, vt intelligam cuius ordinis homo ſit. Et ſtatim adductus ſtetit coram Rege, ſicut quondam Iacob coram Pharaone. Cui ille ait: Quis es, vel vnde veniſti, aut quod eſt opus tuum, vel quid neceſſitatis habes, vt venias ad nos? Cui ille: Pater ſum Dominicarum ouium, quas cùm Dominus ſpiritalibus cibis iugi adminiſtratione reficiat, corporalia eis interdum alimenta deficiunt. Ideo petimus potentiam veſtram, vt ad victus, veſtitusq́; neceſſaria aliquid tribuatis. Rex vero hæc audiens ait: Accipite agros, vineasq́;, de quibus poſſitis viuere, ac neceſſitates veſtras explere. Qui reſpondit: Agros, & vineas non accipiemus, ſed placeat poteſtati veſtræ aliquid de fructibus delegare,

quia

quia non decet monachos facultatibus mundanis extolli, ſed in humilitate cordis Dei regnum, iuſtitiamq́; eius exquirere. At Rex cùm audiſſet hæc verba, dedit eis præceptionem, vt annis ſingulis trecentos modios tritici, eodemq́; numero menſuras vini accipiant, & centum aureos ad comparanda fratrum indumenta. Quod vſq; nunc à fiſci ditionibus capere referuntur.

Poſt hæc autem cùm iam ſenes, prouectæq́; eſſent ætatis, Lupicinus Abbas ſcilicet, & Romanus frater eius, ait Lupicinus germano ſuo: Dic mihi, frater, in quonã monaſterio vis tibi parari ſepulchrum, vt ſimul quieſcamus? Qui ait: Non poteſt fieri, vt ego in monaſterio ſepulchrum habeam, à quo mulierum acceſſus arcetur. Noſti enim quòd mihi indigno, & non merenti Dominus Deus meus gratiam tribuit curationum, multiq́; per impoſitionem manus meæ, ac virtutem Crucis Dominicæ à diuerſis languoribus ſunt erepti. Erit autem concurſus ad tumulum meũ, ſi ab hac luce migrauero. Ideoq́; eminus à monaſterio in monte paruulo ſepultus eſt: ſuper cuius deinceps ſepulchrum, magnum templum ædificatum eſt, in quod ingens frequentia populi diebus ſingulis accurrit. Multæ enim 10 virtutes ibi in Dei nomine nunc oſtenduntur. Nam & cæci ibi lumen, & ſurdi auditũ, & paralytici greſſum plerunq; recipiunt.

10 Virtutes, quæ ad ſanctorũ ſepulchra fiunt, ſplendorẽ ſanctitatis vitæ eorum atteſtantur.

Lupicinus autem Abbas obiens, intra monaſterij baſilicam
eſt ſepultus, reliquitq́; Domino pecuniæ creditæ
multiplicata talenta, ideſt beatas con-
gregationes in eius
laude deuo-
tas.

R

VITA SANCTI ILLIDII ARVERNAE ECCLESIAE EPISCOPI.

INTER reliqua vitæ perpetuæ ſemina, quæ iecit cœleſtis ſator, ex illo diuinitatis fonte mentis incultæ aruum irrigans vel inſtitutione, vel dogmate, in Euangelio ait: Omnis, qui non accipit Crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus: & alibi: Niſi granum frumenti cadens in terrã mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, ſi autẽ mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam ſuam, perdet eam, & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eã. Sed & ille nihilominus vas electionis beatus Paulus Apoſtolus dicit: Semper mortificationem Chriſti in corpore veſtro circunferẽtes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corpore veſtro mortali. Ergo confeſſores Chriſti, quos tẽpus perſecutionis ad martyrium non laceſſiuit, ipſi ſibi perſecutores effecti, modò vt digni Deo habeterentur, [1] & vt mortificatis membris ſoli Chriſto viuerent, diuerſas abſtinentiæ, & cruces adhibuerunt; de quo idem Apoſtolus dicit: Iã non viuo ego, viuit autem in me Chriſtus: et alibi allegans illud Pſalmi xliij: Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Aſpiciebant enim per illos mentis internæ oculos, Dominum cœlorum deſcendiſſe ad terras, non obiectum ad humilitatem, ſed humiliatum miſericorditer ad mundi redemptionem. Aſpiciebant pendentem in patibulo nõ Deitatis gloriam, ſed aſſumpti corporis hoſtiam mundam, de qua Ioannes pauloante prædixerat: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata huius mundi. Habebant in ſe & clauorum affixionem, cùm à timore eius confixi, atq; à iudicijs diuinis exterriti, nihil indignum eius omnipotentiæ in corporis ſui habitatione gerebant, iuxta illud, quod pſalmo cviij ſcriptum eſt: Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui. Fulgebat in his & illud reſurrectionis lumen inſigne, quo Angelus refulſit, dum reuoluit lapidem monumenti, de quo Marci xvj: Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem ſedentem in dextris coopertum ſtola candida, & obſtupuerunt: quo & Ieſus ſplenduit ſub illa oſtiorum obſeratorum incluſione, cùm improuiſus in medio Apoſtolici ſenatus aſtitit comitatu; quos eoſdem idẽ Dominus verbis vitæ imbuens, cœleſtem eſt euectus in arcem. Inter hos & beatus confeſſor Illidius ita hæc omnia in cordis ſui tabernaculo collocauit, vt & ipſe quoq; templum ſancti Spiritus effici mereretur. De cuius vita aliqua ſcripturus, veniam peto à legentibus (non enim me artis Grammaticæ ſtudium imbuit, neq; auctorum ſecularium polita lectio erudiuit; ſed tantùm beati patris Auiti Aruerni Pontificis ſtudium ad eccleſiaſtica ſolicitauit ſcripta) ſi non pro dignitate explicabo, quæ ipſo prædicante audiui. De quo ea tantùm carpere potui, vt cognoſcerem, Ieſum Chriſtum filium Dei ad ſalutem mundi veniſſe,

[1] Sancti priſci carnis concupiſcẽtiam abſtinẽtiæ Crucibus mortificabant.

atq; amicos eius, qui accepta cruce auſteræ obſeruantiæ ſponſum ſecuti ſunt, dignis obſequijs honorare. Qua de re crudæ ruſticitatis temeritatem oſtendens, quæ de beato cognoui Illidio, illo, quo poſſum, proferam ſtylo.

Sanctus igitur Illidius cùm perfectæ vitæ ſanctitate polleret, ac diuerſarum in ſe gratiarum chariſmata, largiente Domino, cōgeſſiſſet, illud, quod adhuc ſanctitatis culmini deerat, Deo inſpirante, ac populo eligente, promeruit, vt ſacerdos Aruernæ Eccleſiæ, & Dominicarum ouium paſtor eligeretur. Cuius ſanctitatis fama, dum per diuerſos gratiarum euehitur aſcenſus, non ſolùm ipſos Aruerni territorij terminos, verumetiam vicinarum vrbium fines adiuit. Vnde factũ eſt, vt hæc gloria Treuirici Imperatoris aures attingeret. Nam cùm eius filia à ſpiritu immundo correpta grauiter vexaretur, & non inueniretur à quo poſſet erui, beatũ Illidium fama detexit; & dicto citius ab Imperatore directi pueri ſanctum ſenem in antedicta repertum vrbe poteſtati Regiæ celeriter repræſentant. Quo venerabiliter excepto, pater de exitu infelicis conqueritur filiæ. Ille verò cōfiſus in Domino in oratione proſternitur, nocte'q; cũ ſacris 2 hymnis, canticis'q; ſpiritalibus ducta, immiſſis in os puellæ digitis, nequam ſpiritum à corpore abegit obſeſſæ. Quod miraculũ Imperator cernens, immenſos auri, argenti'q; cumulos ſancto offert Sacerdoti. Quod ille execrans, ac refutans, hoc obtinuit, vt Aruerna ciuitas, quæ tributa in ſpecie triticea, ac vinaria dependebat, in auro diſſolueret, quia cum graui labore penu inferebantur Imperiali. Sanctus verò (vt aiunt) impleto vitæ præſentis tempore, in ipſo itineris curriculo migrauit ad Chriſtum, à ſuis'q; delatus in vrbe ſua ſepultus eſt. Sed forſitan (vt plerunq; homines murmurare ſoliti ſunt) quiſpiam garrulabit dicens: Non poteſt hic haberi inter ſanctos pro vnius tantùm operatione miraculi; nam ſi perpenditur illud, quod Dominus ait in Euangelio: Multi mihi dicent in illa die: Domine, Domine, non'ne in nomine tuo dæmonia eiecimus, virtutes'q; multas fecimus? Et reſpondebo eis dicens: Quia non noui vos: profectò intelligitur, quòd magis proficit ad laudem virtus egreſſa de tumulo, quàm ea, quæ quiſquã viuens geſſit in mundo, quia illa labem habere potuerunt per aſſidua mundanæ occupationis impedimenta, hæc verò omni labe ad liquidum carnetur. Ergo quia illa, vt credimus, quæ ſanctus Illidius ante hoc tempus operatus eſt, obliuioni data ſunt, nec ad noſtram notitiam peruenerunt, ea quæ propriis inſpeximus oculis, experti'q; ſumus, vel quæ à fidelibus agnita cognouimus, declaremus.

2 Ecce oratio cũ proſtratione, & mirabilis eius effectus.

Tempore quo Gallus Epiſcopus Aruernam regebat Eccleſiam, horum ſcriptor in adoleſcentia degens grauiter ægrotabat, & hic ab eo plerunq; dilectione vnica viſitabatur, eo quòd patruus eius eſſet. Erat autem valetudo cum nimia ſtomachi pituita, ac febre valida. Interea aduenit paruulo deſiderium, & credo inſpirante Deo, vt ad beati Illidij baſilicam deportaretur. Illatus'q; manibus puerorum, ad eius tumulum 3 fuſa oratione cum lachrymis, leuiorem ſe ſenſit eſſe, quàm venerat. Sed reuerſus domum, iterum à febre corripitur. Quadam verò die cùm grauiùs agere cœpiſſet, eum'q; febris aſperior ſolito aggrauaret, & vtrum euaderet, admodum dubitaretur, accedens genitrix eius ait ad eum: Mœſtum hodie, dulcis nate, ſum habitura diem, cùm te talis detineat febris. Cui ille; Nihil, inquit, prorſus, obſecro, contriſteris, ſed ad ſepulchrum me remitte beati Illidij Pontificis; credo enim, firmiter fore, vt virtus eius, & tibi lætitiam, & mihi tribuat ſoſpitatem. Tunc ſancti deportatus ad tumulum, orationem fundit, ſpondens proſtratus ſpē-

3 Vides quomodo ægrotus cõfugiẽs ad ſancti tumulũ, effuſa cũ lachrymis oratione, primùm leuior habitus, poſtea & ſanatus ſit?

4 Nota votum ſancto factũ ſub conditione, quòd ſi ſanaretur, clericus fieret.

te, ſi eum Antiſtitis ſui virtus ab hoc contagio liberaret, clericum 4 ſe futurũ, nec prorſus moraretur, ſi deprecatio obtineret effectum. Hæc effatus, ſenſit protinus diſcedere febrem, vocatoq; puero, domum ſe reportari depoſcit. Cùmq; in recubitu, vbi tunc ſui epulabatur, fuiſſet illatus, erũpente è naribus ſanguinis copia, febris ſimul, cruorq; defluxit. Quod meritis beati confeſſoris præſtitum, habetur probatum. Sed & nuper venerandi Comitis ſeruus cùm in diuturna cæcitate reſideret, celebratis vigilijs, ſanus abſceſſit.

5 Nunquam fiunt Oratoriorum dedicationes ſine ſanctorũ reliquijs.

De reliquijs verò eius hoc ipſe præfatus ſcriptor, vt actum eſt, propria cõtemplatione proſpexit. Dedicauerat oratorium intra domum Eccleſiaſticam vrbis Turonicæ in primo ſacerdotij ſui anno, in quo cum reliquorum 5 ſanctorum pignoribus huius Antiſtitis reliquias collocauit. Poſt multos verò dedicationis dies admonitus eſt ab Abbate, vt reliquias, quas in altari ipſo locauerat, viſitaret, ne ab humore noui ædificij humectatis aliquid in his putredinis inſideret. Quas cùm requirens repeiſſet infectas, ablatas ex altari contra ignem ſiccare cœpit. Verùm vbi ligaturas illas ſingillatim reſoluit, ventum eſt ad reliquias beati Illidij Epiſcopi. Quæ cùm contra ignem tenerentur, filum, quo ligatæ erant, quia erat valde prolixum, ſuper ardentes decidit prunas, & tanquàm æneũ, aut ferreum, ab ardore ignis incanduit. Illo verò paruipendente quid de filo fieret, dummodò ſanctæ reliquiæ ſiccarentur, æſtimans ipſum iam in fauillã fuiſſe reſolutum, comperit adhuc integrum, & incorruptum, quippè quod vinculum, & ligamen pauloante fuiſſet huius glorioſi Pontificis. Multa quidem & alia de hoc ſancto miracula ſunt relata, quæ ſcribere longum putaui, hæc æſtimãs fidei perfectæ ſufficere, quæ dicta ſunt; quia cui pauca non ſufficiunt, plura quoq; non proderunt. Nam ad hunc tumulum 6 cæci illuminantur, dæmones effugantur, ſurdi auditum, & claudi recipiunt greſſum, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui credentibus repromiſit à ſe petita ſine ambiguitate largiri.

6 Miracula, quæ fiunt ad ſancti tùmulũ, innocentiam præcedentis eius vitæ demonſtrant.

VITA

VITA SANCTI ABRAHAE ABBATIS.

NVLLI catholicorum eſſe occultum reor, quod Dominus ait in Euangelio: Amen dico vobis, ſi habueritis fidem integram, & non hæſitaueritis, ſi dixeritis huic monti: Transfer te: transferet ſe; & omnia quæcunq; petieritis in nomine meo, credite quia accipietis, & venient vobis. Ergo non eſt dubium, quin ſancti obtinere poſſint à Domino, quod petierint, quia in eis fides fundamine poſito nullis hæſitationum fluctibus vacillat. Pro qua fide non ſolùm intra patriæ terminum propriæ, dum cœleſtem vitam agere cupiunt, exules facti ſunt, ſed etiam transmarina, ac peregrina petierunt loca, vt ei, cui ſe deuouerant, plus placerent; ſicut nunc beatus Abraham Abbas, qui poſt multas tentationes ſeculi, fines eſt territorij ingreſſus Aruerni; qui non immeritò Abrahæ illi comparatur ſeni pro magnitudine fidei, cui quondam dixerat Deus: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & vade in terram, quam monſtrauero tibi: Reliquit autem hic non ſolùm terram propriam, ſed etiam illam veteris hominis actionem, & induit nouum hominem, qui ſecundùm Deum formatus eſt in iuſtitia, ſanctitate, & veritate. Ideoq; cùm ſe perfectum in Dei opere cerneret, non fuit dubius in fide petere, quod per vitam ſanctam confiſus eſt obtinere. Per quem opifex cœli, maris, ac terræ, parua quidem numero, ſed admiranda miracula operari dignatus eſt.

Igitur Abraham iſte ſuper Euphratis fluuij littus exortus eſt, vbi in Dei opere proficiens, ad viſitandos eremitas adire Aegypti ſolitudines concupiuit. Eò autem dum tenderet, à paganis comprehenſus, & multis pro Chriſti nomine affectus verberibus, in vincula conijcitur, in quibus per quinq; annos exultans, tandem Angelo ſoluente laxatur. Occidentalem quoq; plagam viſitare cupiens, Aruernos aduenit, ibiq; ad Baſilicam ſancti Cirici monaſterium collocauit. Erat autem miræ virtutis, fugator dæmonum, illuminatorq; cæcorum, aliorum quoq; morborum potentiſſimus curator. Igitur cùm feſtiuitas ſupradictæ baſilicæ aduenisſet, Præpoſitum vocat, vt vaſa vino plena ad reficiendum populum, qui ſolennitati aderat, in atrio ex more componeret. Cauſatur monachus dicens: Ecce Epiſcopum cum duce, & ciuibus inuitaſti, & vix nobis ſuperſunt quatuor vini amphoræ. Vnde omnia iſta complebis? At ille; Aperite, inquit, mihi penũ. Quo aperto, ingreſſus eſt & fundens orationẽ, quaſi nouus Elias, eleuatis 1 ad cœlũ manibus, ac infuſis fletu luminibus, ait. Ne deficiat, quæſo, Domine, de hoc vaſculo vinum, donec cunctis miniſtretur in abundantia. Et irruente in ſe Spiritu ſancto, ait: Hæc dicit Dominus: Non deficiet vinum de vaſe, ſed omnibus petentibus affatim tribuetur, & abundabit. Quo dicto, vinũ ad verbum, & hilaritatem diſpenſationis illius cuncto populo in abundantia miniſtratum eſt, & ſuperfuit. Sed quia ſtrenuitas Præpoſiti priùs

1 Orat Săctus eleuatis ad cœlũ manibus, & infuſis fletu luminibus, atq; ſic impetrat à Deo quod vult.

menſurauerat vaſculum quinquagenarium, & repererat quatuor palmorum mē ſuram, cernens quæ acta fuerant, in craſtino iterum menſurans tantum reperijt in vaſe, quantum in eo præcedente reliquerat die. Ex hoc ſancti virtus in populis declarata eſt. In ipſo verò monaſterio plenus dierum obijt, ibiq; cum honore ſepultus eſt. Erat autem eo tempore ſanctus Sidonius Epiſcopus, & Victorius Dux, qui ſuper ſeptem ciuitates principatum, Euricho Rege indulgente, ſuſceperat. Huius verò ſancti Epitaphium beatus Sidonius ſcripſit, in quo aliqua de his, quæ locutus ſum, eſt præfatus. Ad huius autem beati Abrahæ ſepulchrum plerūq; frigoritici decubātes, medicinæ cœleſtis præſidio ſubleuantur.

VITA SANCTI QVINTIANI PRIMO ROTENAE, DEINDE ARVERNAE CIVITATIS EPISCOPI.

OMNIS, qui ſe terrenæ materiæ corpus ferre cognoſcit, cogitare debet, ne in his deuoluatur, quæ terrena, & carnis huius amica eſſe noſcuntur, quia, iuxta Apoſtolum Paulum, manifeſta ſunt opera carnis, plena immunditia, & iniquitate; pollutum enim, & fœtidum hominem, qui ea ſectatus fuerit, reddunt, atq; ad extremum fletibus deputant ſempiternis. Fructus autem Spiritus eſt omne, quod in Deo pollet, ac iter, quod in hoc ſeculo mortificata carne animam exultare facit, in futuro autem gaudijs donat æternis. Vnde nos, qui nunc ſumus in corpore poſiti, aſpicere debemus, quæ operatus eſt Deus in ſanctis ſuis; in quibus tanquam ſplendido, candidoq;, ac leuigato meritis tabernaculo, diuerſisq; virtutum floribus adornato reſidens, extenſa dexteræ maieſtate, dignatus eſt per eos miſeratione propria perficere quæ petiſſent; ſicut nunc per beatum Quintianum, de quo ſermo futurus eſt, mentis nobilis generoſitate fulgidum, iuſtitiæ opus plerunq; compleuit. Ergo non nos more peccantium carnis ſectatio ad terrena ſubmergat, ac deprimat, ſed potiùs ſanctorum exemplis illectos, prudenter intelligentes quæ Dei ſunt, ſpiritalia nos opera ad cœleſtia, ac ſempiterna ſuſtollant, neq; in nobis mens ab impudicis actionibus victa luxuriet, ſed æternitatis pro meritis vendicans ſolium victrix ſapientia regnet.

Igitur beatiſſimus Quintianus Apher natione, & (vt quidam volunt) nepos Fauſti Epiſcopi, qui genitricem ſuam ſuſcitaſſe perhibetur, ſanctitate præditus, virtutum dote fulgidus, charitais igniculo feruidus, caſtitatis flore præcipuus, ad Epiſcopatum Rotenæ Eccleſiæ eligitur, expetitur, ordinatur. In quo Epiſcopatu ampliatis adhuc virtutibus, cùm in Dei ſemper operibus creſceret, in auctam antea beati Amantij Antiſtitis baſilicam ſanctum corpus tranſtulit, ſed nõ fuit ſancto acceptabile hoc opus. Vnde factum eſt, vt per viſum apparens diceret ei: Quia auſu temerario artus in pace quieſcentes viſus es amouiſſe, ecce ego remouebo te ab hac vrbe, & eris exul in regione altera. Veruntamen non priuaberis ab honore, quo frueris. Non poſt multum verò tempus, orto inter ciues, & Epiſcopum ſcandalo, Gothos, qui tunc in antedicta vrbe morabantur, ſuſpicio attigit, quòd ſe vellet Epiſcopus Francorum ditionibus ſubdere, cõſilioq; accepto cogitauerunt eum perfodere gladio. Quod cùm viro ſancto nũciatum fuiſſet, de nocte conſurgens cum fideliſſimis miniſtris ſuis, ab vrbe illa egrediens Aruernos aduenit, ibiq; à ſancto Euphraſio Epiſcopo, qui Aprunculo quõdam Antiſtiti ſucceſſerat, receptus eſt, largitisq; ei tam domibus, quàm agris, & vineis, & ille, & qui Lugdunenſi vrbi præerant, ſumma cum diligentia eum excolebant; erat enim iam ſenex, & vetus Dei cultor.

1 Recedente autem ab hoc mundo ſancto Euphraſio, Appollinaris,tribus menſibus ſacerdotio ſubminiſtrato,migrauit. Cùm autem hæc Theodorico Regi nunciata fuiſſent, iuſſit inibi ſanctum Quintianum conſtitui,& omnem ei poteſtatem tradi Eccleſiæ, dicens: Hic ob noſtri amoris zelum ab vrbe ſua eiectus eſt. Deniq; cũ ſanctus Quintianus in antedicta vrbe potiretur Epiſcopatu, Proculus quidã ex ærario presbyter ordinatus, multas ei iniurias intulit, omnemq́; poteſtatem illi de rebus Eccleſiæ auferens vix ei & ſatis tenuem quotidianum victũ miniſtrari præcepit;ſed per eius orationẽ à ciuibus correptus eſt prudẽtioribus,reſtituta ei omni poteſtate,& ab eo illius remotis inſidijs. Antedictus tamẽ Sacerdos non immemor iniuriæ, ſicut quondam Paulus Apoſtolus de Alexandro,ita & hic de Proculo decantabat dicens; Proculus ærarius multa mala mihi fecit,reddet illi Dominus ſecundùm opera ſua. Quod in poſterum ei eueniſſe manifeſtum eſt. Erat autem vir beatus in oratione aſſiduus, & in tantum amator populi ſui,vt adueniente Theodorico, ac vallante cum exercitu vrbem, Sanctus Dei muros per noctem pſallendo circuiret,& vt regioni,vel populo Dominus velociter ſuccurrere dignaretur, afflictus in ieiunijs, 1 atq; vigilijs inſtanter oraret. Porrò Theodoricus Rex,cùm cogitaret etiam muros vrbis euertere, mollitus eſt miſericordia Domini,& oratione ſacerdotis eius, quem in exilium retrudere cogitabat. Nam nocte pauore perterritus, de ſtratu ſuo exilit, ac ſolus per viam publicam fugere nititur; perdiderat enim ſenſum neſciens quid ageret. Quod aduertentes ſui, eũq; retinere conantes,vix potuerunt, cohortantes vt ſe ſigno 2 ſalutari muniret. Tunc Hilpingus Dux accedens propius ad Regem ait: Audi, glorioſiſſime Rex,conſiliũ paruitatis meæ. Ecce muri ciuitatis iſtius fortiſſimi ſunt,eamq́; propugnacula ingentia vallant. Quod vt pleniùs magnificentia veſtra cognoſcat,de ſanctis, quorũ baſilicæ muros vrbis ambiunt,hæc loquor: ſed & Antiſtes loci illius magnus apud Dominum habetur. Noli facere quod cogitas, noli Epiſcopo iniuriam inferre,aut vrbem euertere. Cuius conſilium Rex clementer accipiens,præceptum poſuit,ne vllus ab octauo vrbis milliario læderetur. Quod obtentu Sacerdotis præſtitum nullus ambigat. Tunc Proculus ille presbyter, irruptis Vrenſis caſtri muris,ab ingredientibus hoſtibus ante ipſum Eccleſiæ altare gladiorũ ictibus in fruſta diſcerptus eſt; reddiditq́; illi Dominus,ſicut Sacerdos cantare conſueuerat,ſecundùm opera ſua.

1 Vide ſancti Epiſcopi ieiunia, vigilias, & orationes.

2 Ecce ſignum Crucis ſalutare præſidium contra omnia aduerſa.

Poſt peractam igitur ſtragem cladis Aruernæ, Hortenſius vnus ex ſenatoribus comitatum vrbis illius agens,quendam de parentibus ſancti, Honoratum nomine, in vrbis platea nequiter retineri iuſſit. Quod celeriter beato viro nunciatum eſt. Tum ille per amicos ſuos cœpit rogare, vt eum data audientia ſolui iuberet. Quod ille nullatenus præſtitit. Tunc beatus ſenex deferri ſe in plateam, quia ille tenebatur,iubet. Allatus autem rogabat milites,vt eum dimitterent. Illi verò timentes,obedire auſi non ſunt Pontifici. At ſacerdos; Ad domum, inquit,Hortenſij me velociter deportate. Erat enim ſenex valde,& proprijs pedibus ire nõ poterat. Deferentibus autem eum in domum Hortenſij miniſtris eius, excutiens in eam puluerem calceamenti ſui ait: Maledicta ſit domus hæc, & maledicti habitatores eius in ſempiternum, fiatq́; deſerta, & non ſit qui inhabitet in ea. Et dixit omnis populus, Amen. Et adiecit, Quæſo, Domine,nunquam de iſtius generatione promoueatur quiſquam ad Epiſcopale ſacerdotiũ, qui Epiſcopum non exaudit. Egreſſo autem ex ea Sacerdote, protinus omnes familiæ, quæ in domo illa erant, à febre corripiũtur,& parumper ingemiſcentes ſpiritum exhalabant. Quod cùm iam die tertia ageretur, videns Hortenſius ſibi nihil de ſuis ſeruis reſeruari, timens ne etiam & ipſe pariter interiret, ad ſanctum virũ mœſtus ingreditur,proiectusq́; ad pedes eius, cum lachrymis veniam rogat. Quam ille benigniſſimè indulgens, benedictam aquam 3 domui tranſmiſit,

3 Tu qui rides benedictionẽ aquæ, quæ fit per ſacerdotes Dei,vide hîc quantæ virtutis fuerit eius aſperſio, & cõfundere.

Illa ſuper parietes reſperſa, omnis ægritudo protinus eſt depulſa, ac magna ibi virtus apparuit. Nam & qui morbum incurrerant, ſanati ſunt, & qui ſanati erant, vltra non incurrerunt.

In Eccleſiaſticis verò ſcripturis eruditus eſt habitus hic ſacerdos; ſed & in eleemoſynis magnificus fuit. Nam cùm pauperem aliquem clamare cerneret, aiebat: Succurrite, quæſo, ſuccurrite, & pauperi victus neceſſaria miniſtrate; ignari enim eſtis, ô deſides, an forſitan ipſe ſit, qui ſe per Euangelicæ lectionis ſeriem reficiendum in pauperibus minimis eſſe mandauit. Eijciebat autem dæmonia ſe confitentia. In monaſterium verò Candidobrenſe veniens, cùm energumenum quendam reperiſſet atrocius debacchantem, miſit presbyteros, vt ei manus imponerent, ſed cùm eorum exorcizatione larua non fuiſſet expulſa, ſanctus Dei cominus appropinquans, immiſſis in os eius digitis, perſonam reddidit abſolutam. Multa & alia miracula vir beatus operatus 4 eſt, & oratione facta ſæpiùs quæ petiſſet, à Domino obtinebat.

4 Nota Sanctum multa operatū miracula, ſed in virtute Dei ſemper intellige.

Porrò in territorio Aruerno quodam tempore cùm magna ſiccitas arua conſumeret, & arentibus herbis, nulla penitus iumentis pabula remanerent, & ſanctus Dei rogationes 5 illas, quæ ante Aſcenſionem Dominicam aguntur, deuotiſſimè celebraret, die tertia cùm iam portæ ciuitatis appropinquarent, ſuggerunt ei, vt ipſe antiphonam dignaretur imponere, dicentes: Si tu, beate Pontifex, deuotè antiphonā impoſueris, confidimus de ſanctitate tua, quòd protinus nobis Dominus pluuiam dignabitur benigna pietate largiri. At ille proſtratus 6 ſuper cilicium ſuum, in ipſa platea diutiſſimè cum fletu orauit. Exurgens autē antiphonam, quam petebant, impoſuit. Verba autem ei ex illa Salomonicæ orationis ſeries hæc erant: Si clauſo cœlo pluuiæ non fuerint propter peccata populi, et conuerſi deprecati fuerint faciem tuam, exaudi Domine, & dimitte peccata populi tui, & da pluuiam terræ, quam dediſti populo tuo ad poſſidendum. Cùmque pſallere deuotiſſimè cœpiſſent, penetrauit excelſæ potentiæ aures humilis oratio cōfeſſoris, & ecce contenebratum eſt cœlum, ac nubibus obtectum, & priuſquàm portam vrbis attingerent, deſcendit pluuia vehemēs ſuper vniuerſam terram, ita vt omnes mirarentur, ac dicerent, ad preces hoc beati viri fuiſſe largitū.

5 Vide antiquiſſimum vſum Rogationū, quæ ante Aſcēſionē Domini fiunt.

6 Ecce quomodo ſanctus cum proſtratione, & fletu orat.

Senuit autem Sacerdos Dei, & in tantum ætate prouectus eſt, vt ſputum oris in terram proijcere non valeret, ſed adhibito labijs linteolo, in illud ſaliuas oris exponeret. Non caligauit oculus eius, nec immutatum eſt cor à vijs Dei, non ſepoſuit vultum pauperis, nec metuit perſonam potentis, ſed vna eademque ei fuit in omnibus ſancta libertas, vt ita ſuſciperet penulam pauperis, ac ſi veneraretur togam inclyti Senatoris. Obijt autem perfectus in ſanctitate, & ſepultus eſt in baſilica ſancti Stephani ad leuam altaris, ad cuius nunc tumulum plerunque quartanæ febris melancolia compreſſa reſtinguitur.

VITA SANCTI PORTIANI ABBATIS.

MVLTA omnipotens Deus ſuo dicatis nomine indulget, multáq; eiſdem pro fideli ſeruitio benignitatis opem compenſat, magna quidem ſe pollicens redditurum in cœlo, ſed quæ accepturi ſunt plerunq; declarás in ſeculo. Nam ſæpius de ſeruis liberos, de liberis efficit glorioſos, iuxta illud pſalmographi dictum: Suſcitás à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus populi ſui. De hoc & Anna Helcanæ ait: Repleti prius pro pane ſe locauerunt, & famelici ſaturati ſunt. Ex hoc & ipſa Redemptoris noſtri genitrix virgo Maria dicebat: Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. Sic & Dominus in Euangelio ait: Erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi. Illicit ergo amore ſuo diuina miſericordia inopem, vt de paruis magnos ſtatuat, ac de infimis vnigeniti ſui faciat cohæredes. Præfecit enim de hac mundana egeſtate in cœlo, quò ſcandere non potuit terrenum Imperium, vt accedat illuc ruſticus, quò accedere non meruit purpuratus. Sic nunc dicendum de beato Portiano Abbate, quem non modò de onere mundani ſeruitij eruit, verumetiam magnis virtutibus ſublimauit, atq; poſt motum, & preſſuras ſeculi, in requie æterna conſtituit, locauitq; eum inter Angelorum choros, de quibus expulſus eſt dominus ille terrenus.

Beatiſſimus igitur Portianus ab ineunte ætate Deum quærere cœli ſemper etiam inter terrena ſeruitia conabatur. Hic enim ſeruus fertur fuiſſe cuiuſdam barbari. Is cùm plerunq; ad monaſterium confugeret, vt eum Domino ſuo Abbas redderet excuſatum, ad extremum fugientem aliquando Dominus eum de veſtigio ſequitur, & Abbatem calumniare cœpit, imputans quòd ipſe eum ſeduceret, ne ſibi ſuus famulus deſeruiret. Cùmq; de conſuetudine, vt eum redderet, calumniando Abbatem inſiſteret, dicit Abbas Portiano: Quid uis vt faciam? Et ille; Redde, inquit, me excuſatum. Cùmq; excuſatus redditus fuiſſet, & dominus eius reducere eũ domũ vellet, ita cæcatus eſt, vt nihil penitus poſſet cognoſcere. Cernens autem ſe grauibus doloribus affici, Abbatem vocat, dicens: Supplica, quæſo, pro me Dominum, & accipe hunc ſeruum ad eius cultum; forſitan promerebor recipere lumen amiſſum. Tunc Abbas vocato beato ait: Impone, quæſo, manus tuas ſuper oculos eius. Cùmq; ille refutaret, tandem Abbatis deuictus precibus, ſuper oculos domini ſui ſignum [1] beatæ Crucis impoſuit; ſtatimq; diſrupta caligine, & ſedato dolore, priſtinæ redditus eſt ſanitati.

[1] Signo Crucis impreſſo illuminat Portianus cæcos domini ſui oculos.

At verò exin beatus Portianus clericus factus, tanto virtutis cumulo eſt prælatus, vt decedente Abbate ipſe ſuccederet. Qui fertur æſtiuo tempore cùm ardor ſolis vi caloris ſui cuncta conſumeret, & etiam corpora, quæ robuſtiora potu, ciboq; erant, æſtu defatigaret, in ieiunijs poſt perditum omnem ab ore humorem, ſalem æſtuans ruminaſſe. Ex quo iterum aſſumpto liquore, arentes gingiuas parumper reficere quærens, quanquam palatum aridum humectaret, tamen maius tormentum addita corpori ſiti præſtabat. Sal enim, vt nulli occultur,

magis ardorem ſitis concitat, quàm extinguat. Sed hîc tribuente Domino arcebatur ab eo.

His diebus Theodoricus ingreſſus Aruernũ terminum, omnia exterminabat, cuncta deuaſtabat. Cùmq; in Arconenſis vici pratis caſtrametaſſet, antedictus ſenex ad occurſum eius properat, quaſi pro populo rogaturus. Ingreſſusq; caſtra manè, Rege adhuc in tentorijs dormiente, Siginaldi papilionem, qui tunc primus cum eo habebatur, aggreſſus eſt; & dum de hac captiuitate conqueritur, Siginaldus, vt ablutis aqua manibus merum dignaretur accipere deprecatur, dicens: Magnum mihi hodie gaudium, commodumq; diuina pietas præſtat, ſi intra tentorij mei ſepta, facta oratione, potum dignaris accipere. Audierat enim famam ſanctitatis eius, idcirco & honorem ei pro Dei reuerentia impendebat. Qui ſe diuerſis modis excuſans, aſſerebat hoc non poſſe fieri, quia nec hora debita eſſet, nec Regi dignum præbuiſſet occurſum, & quod his omnibus potius erat, nec dum ipſe Domino pſalmorum decantationem debitam exoluiſſet. Sed his ſepoſitis, vt eum compulit, allatumq; vaſculum, quo potio tenebatur, rogat vt Sanctus, impoſita prius manu, ſanctificaret. Qui eleuata dextera cùm ſignum 2 Crucis impoſuiſſet, vaſculum ſcinditur medium, ac vinum, quod intra tenebatur, cum immenſo ſerpente terræ diffunditur. Quod cernentes qui aderant, metu exterriti ad pedes beati viri decidunt, lambunt veſtigia, oſculantur & plantas; mirantur omnes virtutem ſenis, mirantur & ſe ab iniqui anguis viru diuinitus fuiſſe ſaluatos. Ad iſtud miraculum cõcurrit omnis exercitus, vallat multitudo omnis beatum virum, cupiens eius fimbrias manu tangere, ſi oſculo honorare non poterat. Et Rex exilit de ſtratu ſuo, accurritq; ad beati confeſſoris aduentum, illoq; tacente, cunctos, quos repetebat, captiuos abſoluit, & reliquos deinceps, vt voluit, ſic tractauit. Duplex ibi beneficiũ Domino cooperante largitum eſt; nam & illos à morte eruit, & hos à iugo captiuitatis exemit.

2 Signo etiam Crucis vaſculum vino plenum ſcindit per medium.

3 Vide orationẽ cũ proſtratione, & virtutẽ ſigni ſalutiferæ Crucis.

Nec prætererire volui, quòd eum diabolus diuerſis machinis conatus illudere, cùm videret ſe nihil ei poſſe nocere, viſibilibus eum prælijs eſt aggreſſus. Nam nocte quadam dum ſe ſopori dediſſet, ſubitò expergefactus vidit cellulam ſuam quaſi incendio concremari, exurgensq; perterritus oſtium petijt. Quod cùm reſerare nequiret, in oratione 3 proſternitur, ſignum ſalutare coram ſe, & circũ ſe faciens, ac protinus phantaſia flammarum, quæ apparuerat, euanuit, cognouitq; hoc diaboli fuiſſe fallaciam. Id ſtatim reuelatum eſt beato Prothaſio, qui tunc apud Candidobrenſe monaſterium habebatur recluſus. Qui cum ſumma feſtinatione monachum ex cellula ſua ad fratrem dirigens, hortatus eſt dicens: Oportet te, dilectiſſime frater, inſidijs diaboli reſiſtere viriliter, & nihil de eius doloſitate pauëſcere, ſed omnia, quæ intulerit, oratione 4 aſſidua, ac ſigno Crucis èontra appoſito euincere, quia talibus ſemper tẽtationibus ſeruos Dei nititur expugnare.

4 Oratione aſſidua, & ſigno Crucis è contra appoſito, omnis diabolica tentatio euincitur.

Senuit autem vir beatus, & impleto boni operis curſu, migrauit ad Dominũ. Cuius nunc tumulus ſæpius diuinis glorificatur 5 virtutibus. Hæc tantùm de ſancto viro cognouimus, non dijudicantes alios, qui maiora de eo cognouerunt, ſi voluerint aliqua in eius laudem conſcribere.

5 Virtutes, quæ ad beati tumulum fiũt, ſanctitatẽ vitæ eius arguunt.

VITA SANCTI
GALLI ARVERNORVM
EPISCOPI.

NOBILITATIS mundanæ faſtigium ſemper inhiat cupiditatibus, gaudet honoribus, inflatur occurſibus, litibus forum pulſat, rapinis paſcitur, calumnijs delectatur, rubiginoſi auri talenta deſiderat, & dum parua poſſidere videtur, vt agglomeret plurima magis accenditur, ingeritq; ei congeries auri ſitim arduam poſſidendi, ſicut Prudentius ait: Auri nanq; fames procedit maior ab auro. Vnde fit, vt dum gaudet pompis ſeculi, & vanis honoribus oblectatur, nihil ei de mãſuris dignitatibus in memoriam reuocetur; nec reſpicit ad ea, quæ non videntur, dummodò illa, quibus ſatiari animum putat, importunè poſſideat. Sed ſunt qui ſe de his nexibus, tanquàm aues de laqueis euolantes, & ad altiora tendentes, mentis alacrioris ingenio abſoluerunt, ac relictis terrenis facultatibus, totis ſe viribus ad illa, quæ ſunt cœleſtia, aptauerunt; ſicut ſanctus Gallus incola Aruernæ vrbis, quem à Dei cultu abſtrahere non potuit dilectio patris, non matris blanditiæ, non amor nutricum, non obſecundatio baiulorum; ſed his omnibus pro nihilo habitis, & tãquàm ſtercora æſtimatis, Dei ſe dilectioni, Dei ſe officio vouens, monaſterioli ſe diſtrictioni ſubegit. Sciebat enim iuuenilis feruoris flammas non aliter poſſe deuincere, niſi cenſuræ canonicæ, & diſciplinæ ſeueriſſimæ ſubderetur. Sciebat inſuper ſe ab humilitate ſeculi ad altiora ſubleuandum, & per patientiam tolerationis ad illam excelſi apicis gloriam euehendum, quod poſtea probauit euentus.

Sanctus igitur Gallus ab adoleſcentia ſua deuotus Deo eſſe cœpit, diligensq; ex tota anima Dominum, & ea, quæ Deo dilecta eſſe nouerat, diligebat. Pater ei nomine Georgius, mater verò Leocadia à ſtirpe Vectij Pagati deſcẽdens, quẽ Lugduni paſſum Euſebij teſtatur hiſtoria. Qui ita de primoribus ſenatoribus fuerunt, vt in Gallijs nihil inueniatur generoſius, atq; nobilius. Cùmq; ei pater cuiuſdam ſenatoris filiam quærere vellet, ille, aſſumpto ſecum vno puerulo, monaſterium Cremonenſe expetijt ſexto ſitum ab Aruerna vrbe milliario, ſuppliciter Abbatem exorans vt ſibi comam capitis tondere dignaretur. At ille videns prudentiam, atq; elegantiam pueri, nomen inquirit, interrogat genus, & patriam. Ille verò Gallum ſe vocitari pronunciat, ciuem Aruernum, Georgij filium ſenatoris. Quem Abbas vt cognouit de prima ſtirpe eſſe progenitum, ait: Benè deſideras, fili, ſed primùm oportet hæc ad patris tui deferri notitiã; & ſi hæc ille voluerit, faciam quæ depoſcis. Deniq; Abbas pro hac cauſa nuncios ad patrem interrogantes, quid de puero fieri iuberet, miſit. At ille parumper contriſtatus; Primogenitus, inquit, erat mihi, & ideo eum volui coniugio copulare; ſed ſi eum Dominus ad ſuum dignatur aſcire ſeruitium, illius magis, quàm

noſtra

noſtra voluntas fiat. Et adiecit: Quicquid vobis infans Deo inſpirante ſuggeſſerit, adimplete. Tunc Abbas, iſta nuncijs referentibus, puerum 1 clericum fecit. Erat autem egregiæ 2 caſtitatis, & tanquàm ſenior, nihil perversè appetens, à iocis ſe etiam iuuenilibus cohibebat, habens miræ dulcedinis vocem cum modulatione ſuaui, lectioni incumbens aſſiduæ, dans operam ieiunijs, & abſtinens ſe multum à cibis. Quem cùm beatus Quintianus Epiſcopus ad idem monaſterium veniens cantantem audiſſet, non eum permiſit vltra illic retineri, ſed ſecum ad ciuitatem adduxit, & vt cœleſtis pater in dulcedine ſpiritali nutriuit.

1 Aduertis Gallum adhuc puerũ inter monachos fuiſſe conſtitutum.

2 Vide in puero caſtitatẽ, lectionẽ, ieiunia, & abſtinentiam. In his exercebat ſeſe.

Cùmq; defuncto patre, vox eius magis ac magis in dies componeretur, atq; idem in populis maximum haberet amórem, nunciauerunt hæc Theodorico Regi, quem dicto citius accerſitum tanta dilectione excoluit, vt eum pro ꝓrio filio plus amaret. A' Regina autem eius vxore ſimili amore diligebatur, nõ ſolùm pro honeſtate vocis, ſed etiam pro caſtimonia corporis. Tunc verò Theodoricus Rex ex ciuibus Aruernis clericos multos abduxit, quos Treuericæ Eccleſiæ ad reddendum famulatum Domino iuſſit aſſiſtere; beatum verò Gallum à ſe nequaquam paſſus eſt ſeparari. Vnde factum eſt, vt eunte Rege in Agrippinam vrbem, & ipſe abiret ſimul. Erat autem ibi fanum quoddam diuerſis ornamentis refertum, in quo barbaries opima libamina exhibens, vſq; ad vomitum cibo, potuq; replebatur. Ibi & ſimulachra vt Deum adorans, membra, ſecundùm quòd vnumquenq; dolor attigiſſet, ſculpebat in ligno. Quod vbi ſanctus Gallus audiuit, ſtatim illuc cum vno tantùm clerico ꝓperat, accenſoq; igne, cùm nullus ex ſtultis paganis adeſſet, ad fanum applicat, ac ſuccendit. Illi videntes fumum delubri ad cœlum vſq; conſcendere, auctorem incendij quærũt, inuentum euaginatis gladijs proſequuntur. Ille verò in fugam verſus in aula ſe regia condidit. Verùm poſtquàm Rex quæ acta fuerant, paganis minitantibus, recognouit, blandis eos ſermonibus leniuit, & ſic eorum furorem improbũ mitigauit. Dehinc autem referre ſæpè erat ſolitus vir beatus hæc cum lachrymis, & dicebat: Væ mihi, qui non perſtiti, vt in hac cauſa finirer. Fungebatur eo tempore Diaconatus officio.

Deniq; cùm beatus Quintianus Epiſcopus ab hoc ſeculo, iubente Domino, tranſiſſet, ſanctus Gallus apud vrbem Aruernam eo tempore morabatur. Ciues autem Aruerni ad domum Impetrati presbyteri eiuſdem auunculi conuenerũt, conquerentes de obitu Sacerdotis, & quis in eius locum deberet ſubſtitui requirentes. Quo diutiſſimè pertractato, regreſſus eſt vnuſquiſq; ad domum ſuã. Poſt horum diſceſſum ſanctus Gallus vocauit vnum è clericis, & irruente in ſe Spirituſancto, ait: Quid hi muſſitant? Quid curſitant? Quid tractant? Vacuũ eſt, inquit, opus eorum. Ego ero Epiſcopus. Mihi Dominus hunc honorem largiri dignabitur. Tu verò cùm me redire de præſentia Regis audieris, accipe equum deceſſoris mei ſtratum, & egrediens te obuiam exhibe mihi. Quod ſi audire deſpexeris, caue ne te in poſterum pœniteat. Cùmq; hæc loqueretur, ſuper lectulum decumbebat. Tunc iratus contra eum clericus, cùm multa exprobraret, eliſum ſuper ſpondam lecti latus ſuum læſit, turbidusq; diſceſſit.

Quo diſcedente, ait Impetratus presbyter ad beatum Gallum: Audi, fili, conſilium meum; noli manum facere, ſed vade ad Regem, & nuncia ei, quæ hìc contigerint, & ſi ei inſpirat Dominus, vt tibi hoc ſacerdotium largiatur, magnas Deo referimus gratias; ſin aliud, ſaltẽ ei, qui ordinatus fuerit, commendaberis. Ille verò abiens, quæ de beato Quintiano contigerant, Regi nunciauit. Tunc etiam Aprunculus Treuirorũ Epiſcopus tranſijt. Congregatusq; clerus ciuitatis illius ad Theodoricum Regem, ſanctum Gallum petebant Epiſcopum. Quibus ille ait: Abſcedite, & aliũ requirite; Gallum enim Diaconũ aliò habeo

deſtinatum. Tunc eligentes ſanctum Nicetium, Epiſcopum acceperunt. Arverni verò clerici conſenſu inſipientium facto, multa munera ad Regem ferentes venerunt. Iam tunc enim germen illud iniquum cœperat pullulare, vt ſacerdotium aut venderetur à Regibus, aut emeretur à clericis. Tunc ij audiunt, à Rege, quòd ſanctum Gallum habituri eſſent Epiſcopum. Quem presbyterum ordinari iuſſit Rex, & mandauit, vt datis de publico expenſis, ciues inuitarentur ad epulum, & lætarentur ob honorem Galli futuri Epiſcopi. Quod ita factum eſt. Is autem referre erat ſolitus, non ampliùs donaſſe pro Epiſcopatu, quàm vnum trientem coco, qui ſeruiuit ad prandium.

Poſt hæc Rex, datis ad ſubſidium eius duobus Epiſcopis, Aruernos eum direxit. Clericus verò ille, qui ſuper ſpondam lecti latus eius illiſerat, Viuentius nomine, ad occurſum Pontificis ſecundùm verbum illius properat non ſine magno pudore, & ſe, ſimul'que equum, quem iuſſerat, repræſentat. Ingreſſiſque vtriſque in balneum, dolorem lateris, quem ab impulſu ſuperbiæ eius incurrerat, clementer improperat, magnam ex hoc ei ingerens verecundiam, non cum ira, ſed tantùm ioco ſpiritali delectatus. Igitur exinde cum multo pſallentio in ciuitatem ſuſcipitur, & in ſua Eccleſia Epiſcopus ordinatur.

3 Ecce virtutes, quæ ſanctum virum decorabant.

Iam verò aſſumpto Epiſcopatu, tanta humilitate, 3 tantaque charitate cum omnibus vſus eſt, vt ab vniuerſis diligeretur. Patientiam verò vltra hominum mores habebat, ita vt, ſi dici fas eſt, Moyſi compararetur ad diuerſas iniurias ſuſtinendas. Vnde factum eſt, vt à presbytero ſuo in conuiuio percuſſus in capite, ita ſe quietum reddiderit, vt nec ſermonem quidem aſperum reſponderet, ſed omnia, quæ ei eueniebant, patienter ferens, in Dei hoc arbitrio, à quo ſe petebat enutriri, iactaret. Nam cùm & Ennodius quidam ex ſenatoribus Presbyter in conuiuio Eccleſiæ multis calumnijs, atque conuicijs eum laceſſiſſet, conſurgens Sacerdos loca baſilicarum ſanctarum circuibat. Cæterùm cùm hoc Ennodio fuiſſet perlatum, poſt eum curſu veloci pergens, & ſe ante pedes eius in ipſa platea proſternens, veniam petijt, deprecans vt eum oratio eius cum omnipotente Iudice non fuſcaret. At ille benignè eum colligens, cuncta, quæ locutus fuerat, clementer indulſit, eum arguens ne hæc vltra contra Sacerdotes Domini proferre auderet, quia ipſe Epiſcopatū nunquam promereretur accipere. Quod poſtea probauit euentus. Nam cùm in Gabalitano ad Epiſcopatum iam electus, iam in cathedra poſitus, iam cuncta parata eſſent, vt benediceretur Epiſcopus, ita ſubitò contra eum omnis populus conſurrexit, vt vix viuus poſſet euadere, qui poſtea Presbyter tranſijt.

Apud Aurelianenſem autem vrbem incriminato ab iniquis Marco Epiſcopo, & in exilium truſo, magnus Epiſcoporum conuentus eſt aggregatus, Childeberto Rege iubente. In qua ſynodo cognoſcentes beati Epiſcopi hoc eſſe vacuum, quod contra eum fuerat muſſitatum, eum ciuitati, & cathedræ ſuæ reſtituunt. Denique tunc ad ſeruitium ſancti Galli Valentinianus Diaconus, qui nūc Presbyter eſt, & cātor acceſſit. Cūque Epiſcopo alio Miſsā dicēte, Diaconus ille, propter iactantiā potiùs, quàm pro Dei timore cantare vellet, à ſancto Gallo prohibebatur dicente ſibi: Sine, fili, quando Domino iubente nos celebrauerimus ſolennia, tunc & tu canere debes. Nunc eius clerici concinant, qui celebrat Miſſam. At ille & tunc ſe poſſe pronunciat. Cui Sacerdos: Fac vt libet, nam quod volueris, non explebis. Ille igitur negligens mandatum Pontificis, abijt, & tam deformiter cecinit, vt ab omnibus irrideretur. Adueniente autem alia Dominica, dicente ſæpedicto Pontifice Miſſam eū, iuſſit abire; Nunc, inquiens, in nomine Domini, quod volueris 4 explicabis. Quod cùm feciſſet, in tantùm vox eius præclara facta eſt, vt ab omnibus laudaretur. O' beatum virum, cui talis gratia conceſſa eſt, vt ſicut animæ, ita & voces ho-

4 Vide Cantus vſum antiquum eſſe in Eccleſia.

minum ſub eius poteſtate conſiſterent, quas & cùm voluit, cantu prohibuit, & cùm libuit, cantare permiſit.

Præſtitit autem Deus & alia miracula magna per illum. Nam cùm Iulianus defenſor Presbyter deinceps, dulciſſimæ voluntatis homo à quartano typo correptus grauiter cruciaretur, lectulũ 5 ſancti Sacerdotis expetijt, in quo decubans à famulo opertus, paululumq́; obdormiens, ita ſanatus eſt, vt nec contactus quidem poſtea ab hac infirmitate videretur.

5 Ecce quomodo etiam res exteræ, ſanctorũ hominibus beneficia præſtant.

Cùm autem Aruerna ciuitas maximo incendio cremaretur, & hoc ſanctus comperiſſet, ingreſſus Eccleſiam diutiſſimè Dominum ante ſanctum altare cum lachrymis exorauit, 6 ſurgensq́;, Euangelijs comprehenſis, apertisq́;, obuiam ſe igni obtulit. Quo obtemperante protinus, ad aſpectum eius ita omne incedium eſt extinctum, vt nec fauillæ quidem in eo igne remanerent. Sub eius autem tempore magno terræmotu Aruerna ciuitas eſt concuſſa; ſed cur acciderit, ignoramus. Hoc tamen ſcimus, quòd nullum ex populo læſit.

6 Oratione cũ lachrymis fuſa, & ſacris Euangelijs obiectis, Eps imperũ ignis ſedat.

Cùm autem lues illa, quam inguinariam vocant, per diuerſas regiones deſæuiret, & maximè tunc Arelatenſem prouinciam depopularetur, ſanctus Gallus non tantùm pro ſe, quantùm pro populo ſuo trepidus erat. Cumq́; die ac nocte Dominum deprecaretur, vt viuens plebem ſuam vaſtari non cerneret, per viſum noctis apparuit ei Angelus Domini, qui tam cæſariem, quàm veſtem in ſimilitudinem niuis candidam efferebat, & ait ad eum: Benè te, ô Sacerdos, proſpectat diuina pietas pro populo tuo ſupplicantem, ideoq́; ne timeas, exaudita eſt enim oratio tua, & ecce eris cum populo tuo ab hac infirmitate liberatus, nullusq́;, te viuente, in regione iſta ab hac ſtrage deperibit. Nunc autem noli metuere; poſt octo enim annos expletos migrabis à ſeculo. Quod poſtea manifeſtum fuit. Expergefactus igitur, Deo gratias pro hac conſolatione egit, quòd per cœleſtem nuncium ſe confortare dignatus eſſet.

Rogationes illas inſtituit, vt media quadrageſima pſallendo ad baſilicam beati Iuliani martyris itinere pedeſtri venirent. Sunt autem in hoc itinere quaſi ſtadia trecenta ſexaginta. Cùm autem regiones illas, vt diximus, lues illa conſumeret, ciuitatem Aruernam, ſancti Galli intercedente oratione, non attigit. Vnde non paruam cenſeo gratiam eius, qui hoc meruit, vt paſtor poſitus oues ſuas deuorari, defendente Domino, non videret.

Sed veniamus ad illud tempus, cùm eum Dominus de hoc mundo iuſſit aſſumi. Cùm grauatus incommodo decubaret, ita febris externa omnia membra eius depilauit, vt capillos, & barbam ſimul amitteret. Sciens autem ſe, reuelante Domino, poſt triduum migraturum, conuocat populum, & omnibus confracto pane, 7 communionem ſancta, & pia voluntate largitur. Adueniente autem die tertia, quæ erat Dominica dies, ciuibus Aruernis immanem allatura luctum, albeſcente iam cœlo, interrogat quid in Eccleſia pſallerent. Dixerunt autem circunſtantes benedictionem pſalli. At ille, pſalmo quinquageſimo, & benedictione decantata, & alleluia cum capitello expreſſo, conſummauit officium totum temporis matutini. Quo iam extremo perfunctus officio, ait: Valedicimus vobis, fratres. Et hæc dicens, extenſis membris, ſpiritum cœlo intentum præmiſit ad Dominum. Tranſijt autẽ ætatis ſuæ ſexageſimo quinto, Epiſcopatus verò ſui ſeptimo & vigeſimo

7 Vides ſanctũ Epum populum ſub vna tantùm ſpecie cõmunicaſſe? Nam dudum etiã ante Contãtienſis Concilij decretum huiuſmodi cõmunio erat in vſu.

anno. Exinde ablutus, atq; veſtitus in Eccleſiam defertur, donec comprouinciales ad eum ſepeliendum conuenirent. Magnum autem ibi miraculum oſtenſum populis fuit, quòd ſcilicet ſanctus Dei attracto dextero pede in feretro, ſe in aliud latus, quod erat verſus altare, contulit.

Dum hæc agerētur, Rogationes illæ, quæ quotannis vbiq; poſt Paſcha fiunt, celebrabantur. Iacuit autem in Eccleſia per triduū, aſſiduo inſtante pſallentio cum magna frequentia 8 populi. Epiſcopis autem quarta die aduenientibus, cum de Eccleſia leuauerunt, & portantes in ſancti Laurentij baſilicam, ibi ſepeliunt. Iam verò in exequijs eius quantus planctus, quanti populi affuere, enarrari vix poteſt. Mulieres cū lugubribus indumentis, tanquam ſi viros perdidiſſent, ſimiliter & viri obtecto capite, vt in exequijs vxorū mos eſt, ipſi quoq; Iudæi accenſis lampadibus plangentes proſequebantur. Omnes præterea populi vna voce dicebant: Væ nobis, qui poſt hanc diem nunquam ſimilem merebimur habere Pontificem. Et quia, vt diximus, prouinciales longè diſtabant, nec celeriùs venire poterant, vt mos ruſticorum habetur, glebam ſuper beatum corpus poſuere fideles, quo ab æſtu non intumeſceret. Quem ceſpitem poſt eius exequias mulier quædam, & verè (vt ego diligenter inquiſiui) virgo puriſſima, & deuota Deo, Meratina nomine, ab alijs eiectum collegit, atq; in horto ſuo poſuit, & infuſa ſæpius aqua, Domino incrementum dante, viuere fecit. De quo ceſpite 9 infirmi non ſolùm auferentes herbam, atq; ex eius ſucco bibētes ſanabantur, verumetiam fidelis ſuper eum oratio ſuffragium merebatur. Qui poſtea per incuriam, virgine migrante, deperijt. Deniq; ad ſepulchrum eius multæ virtutes oſtenſæ ſunt. Nam quartanarij & diuerſis febribus ægroti, vt ad beatum tumulum fideliter perueniunt, protinus hauriunt ſanitatem.

8 Aduerte ſepeliri Chriſtianos cum pſalmis, & magna populi frequētia.

9 Ecce quomodo res etiam exteræ ſanctorum ſanitatum beneficia præſtāt.

10 Confugit ad ſancti tumulum, & oratione fuſa, ac guſtatione herbæ, quæ ibi erat, ſanitatem adeptus eſt.

Valentinianus igitur cantor, cuius ſupra meminimus, qui poſtea Presbyter fuit, cùm Diaconatus fungeretur officio, à typo quartano corripitur, ac per multos dies magna defectione laborauit. Factum eſt autem, vt in die acceſſus huius febris loca ſancta circuire diſponeret orans; veniensq; ad huius ſancti ſepulchrum, 10 proſtratus ait: Memor eſto mei, beatiſſime, ac ſancte ſacerdos; à te enim educatus, doctus, ac promotus ſum. Memor eſto alumni proprij, quem amore vnico dilexiſti, & erue me ab hac, qua detineor, febre. Hæc effatus, herbulas, quæ ob honorem Sacerdotis tumulo re ſperſæ fuerant à deuotis, collegit, & quia virides erant, ori applicat, dentibus decerpit, ſuccumq; earum deglutit. Præterijt dies illa, nec ab hoc eſt pulſatus incommodo; & deinceps ita ſoſpitati eſt reſtitutus, vt nec vllos vel minimos rigores vltra perferret. Hoc ab ipſius Presbyteri ore ita geſtum fuiſſe cognoui. Non enim ambigitur, per illius potentiam prodere virtutes de tumulis 11 ſeruorum ſuorum, qui Lazarum vocauit ex monumento.

11 Oēs virtutes ex tumulis ſanctorū per Saluatoris noſtri potentiam prodire nemini dubium eſt.

VITA SANCTI GREGORII LINGONIENSIS EPISCOPI.

EGREGIAE ſanctitatis viri, quos palma perfectæ beatitudinis à terris eleuãs euexit ad cœlos, ij ſunt, quos aut non fictæ charitatis vinculum ligat, aut eleemoſynarum fructus ditat, aut flos caſtitatis adornat, aut martyrij agonizatio certa coronat. In quibus ad inchoandum perfectæ iuſtitiæ opus illud fuit ſtudium, vt in primis corpus ſine macula præparatum habitaculũ Spirituiſancto præberent, & ſic ad reliquarum virtutum excelſa contenderent, atq; ipſi ſibi perſecutores facti, dum in ſe ſua perimerent vitia, tanquàm martyres probati, peracto curſu agonis legitimi, triumpharẽt. Quod tamẽ nullus ſine Dei ope valebit efficere, niſi Dominici adjutorij protegatur vel parma, vel galea. Itaq; quod egerit, non ſibi, ſed diuini nominis gloriæ deputet, iuxta illud Apoſtoli: Qui gloriatur, in Domino glorietur. In hoc enim & beatus Gregorius omnem gloriam cõtulit, qui de excelſa ſenatorij ordinis potentia ad illam ſe humilitatẽ ſubdidit, vt omnibus ſeculi curis abiectis, ſoli ſe Deo dicaret, quem in pectore retinebat.

Igitur ſanctus Gregorius ex ſenatoribus primis benè literis inſtitutus, Auguſtudunenſis ciuitatis Comitatum ambiuit. In comitatu autem poſitus, regionem illam per quadraginta annos iuſtitia comitante correxit, & tam ſeuerus, atq; diſtrictus fuit in malefactoribus, vt vix eum vllus reorum poſſet euadere. Coniugem de genere ſenatorio habuit, Armentariam nomine, quam ad propagandam generationem tantum dicitur cognouiſſe, de qua & filios, Domino largiente, ſuſcepit. Aliam verò mulierem, vt iuuenilis aſſolet feruor, illi inardeſcere non contigit.

Poſt mortem autẽ vxoris ad Dominum cõuertitur, & electus à populo Lingonicæ vrbi Epiſcopus ordinatur. Cui magna fuit 1 abſtinentia; ſed ne iactãtia putaretur, occultè ſubcinericios panes ex hordeo alijs triticeis ſupponebat, quos frangẽs egenis erogabat, ipſe verò clã hordeaceos, nemine intelligente, comedebat, ſimiliter & de vino faciẽs, nã dũ aquam ei pincerna porrigeret, ad diſſimulandum, aquam aliam deſuper effundebat, tale vitrum eligens, quod claritatẽ aquæ obtegeret. Iam in ieiunijs, eleemoſynis, orationibus, atq; vigilijs tam efficax, tamq; deuotus erat, vt in medio mundi poſitus nouus effulgeret eremita. Nam cùm apud Diuionenſe caſtrum moraretur aſſiduè, & domus eius baptiſterio adhæreret, in quo multorũ ſanctorum reliquiæ tenebãtur, nocte 2 de ſtratu ſuo, nullo ſentiente, conſurgens ad orationem, Deo tantùm teſte, pergebat oſtio diuinitus reſerato, attenteq; pſallebat in baptiſterio. Sed cùm hoc multi temporis ſpatio ageret, res tandem ab vno Diacono cognita, & manifeſtata eſt. Is enim cùm cognouiſſet hæc agi, à longè, ne eum vir beatus ſentire poſſet, proſequebatur, & quid ageret ſpectabat. Aiebat autem Diaconus, quòd cùm veniret

1 Vide virtutũ catalogũ, in quibus ſanctus Epus exercebatur.

2 Ecce nocturnas vigilias cum pſalmodia.

ſanctus Dei ad oſtium baptiſterij, pulſaretq; manu propria, oſtium nemine comparente aperiebatur, illoq; ingrediente, diutiſſimè ſilentium erat, poſtea pſallentium, tanquam multarum vocum ſonus per trium horarum, & ferè amplius ſpatium audiebatur. Credo ego, quòd cùm magnorum ſanctorum in eodem loco haberentur reliquiæ, ipſi ſe beato viro reuelantes laudem Domino in commune redderent. Impleto autem curſu reuertens ad lectulum, ita ſe cautè ſuper ſtratū deponebat, vt prorſus nemo ſentiret. Obſeruatores verò oſtium baptiſterij obſeratum inuenientes, claue ſua ſolita aperiebāt. Commotoq; ſigno, ſanctus Dei, ſicut reliqui nouus ad officium Dominicum conſurgebat. Cùm energumeni eum in primo die Epiſcopatus ſui confiterentur, rogābant eū Presbyteri, vt eos benedicere dignaretur. Quod ille viriliter, ne vanam incurreret gloriam, refugiebat, clamans indignum ſe ad manifeſtandas virtutes Dominicas eſſe miniſtrum. Sed tamen quia diutius hoc diſſimulare non potuit, adduci eos ad ſe iubens, ſine vllo tactu, facto tantùm ſigno 3 Crucis è contra, verbo dæmonia diſcedere imperabat. Quod illa protinus audientia, corpora, quæ nequitia ſua deuexarant, abſoluebant. Et illo abſente, multi cū virga, quam in manu ferre ſolitus erat, ſuſpenſos, atq; ſignatos energumenos liberabant. Nam & de ſtratu 4 eius ſi quis ægrotus quippiam abſtuliſſet, erat preſens medicamentum.

3 Signo Crucis, & verbo dæmonia ab energumenis eijciebat.

4 Vides quòd res etiā externæ ſanctorū beneficia pſtant?

Armentaria autem neptis eius cùm grauiter quodam tempore in adoleſcentia ſua à quartano fatigaretur incommodo, ac medicorum ſtudio plerunq; fota, nullum poſſet ſentire leuamen, & ab ipſo confeſſore beato ſæpiùs, vt orationi inſiſteret, hortaretur, quadam die lectum eius ipſa petijt, in quo poſita, ita febris cuncta reſtricta eſt, vt nunquā in ea deinceps ægrotaret.

5 Sanctus Epiphaniarum dies.

Beatus autē Gregorius cùm per diem ſanctum Epiphaniorum 5 ad ciuitatem longinquam ambulaſſet, à modica febre pulſatus, relicto ſeculo, ad Chriſtū migrauit. Cuius beata facies 6 ita erat glorificata poſt tranſitum, vt roſis ſimilis cerneretur, hæc enim apparebat rubea; reliquum verò corpus tanquam candidū lilium refulgebat, vt æſtimares eum iam tunc ad futuræ reſurrectionis gloriam præparatum. Quod deferentes ad caſtrum Diuionenſe, vbi ſe iuſſerat tumulari, in planitie illa, quæ à parte aquilonis habetur, haud procul à caſtro aggrauati geſtatores, non ſuſtinentes feretrum, ſolo depoſuerunt; ibiq; parumper reſumentes vires, & poſt paululum eleuantes, ad intramuraneam eum Eccleſiam detulerunt. Aduenientibus autem quinta die Epiſcopis, ab Eccleſia ad baſilicā beati Ioannis deferebatur. Et ecce vincti carceris ad beatum corpus clamare cœperunt, dicentes: Miſerere 7 noſtri, pijſſime domine, vt quos viuens in ſeculo non abſoluiſti, vel defunctus cœleſte regnum poſſidens digneris abſoluere; viſita nos, quæſumus, & miſerere noſtri. Hæc, & alia illis clamantibus, aggrauatum eſt corpus, ita vt ipſum penitus ſuſtinere non poſſent. Tunc ponentes feretrum ſuper terram, virtutem beati Antiſtitis præſtolabantur. His ergo expectantibus, ſubitò reſeratis carceris oſtijs, trabes illa, qua vinctorum pedes coarctabātur, repulſis obicibus ſcinditur media, confractisq; cathenis, omnes pariter diſſoluuntur, & ad beatum corpus nemine retinente perueniunt. Dehinc eleuantes feretrū geſtatores, ij inter reliquos obſequuntur, qui & à Iudice poſtea ſine damno aliquo ſunt dimiſſi. Poſt hæc beatus confeſſor multis ſe virtutibus declarauit. Aiebat enim quidam religioſus, cœlos ſe apertos in die eius ſepulturæ uidiſſe. Nec enim ambigitur, quin poſt actus Angelicos ſydereis ſit cœtibus aggregatus.

6 Hæc ſigna erant q ſancta eius anima eſſet in cœlo recepta, & beata cū Chriſto gloria frueretur.

7 Magnum miraculū p inuocatione ſāctorū. Nec fuit hîc offuſcata gloria Chriſti, ſed multò amplius magnificata, quòd talem ſancto ſuo virtutem tribuerit.

Vinctus quidam per viam illam, qua beatum corpus à Lingonis eſt exhibitū, ad antedictum caſtrum adducebatur. Cùmq; milites cùm equitibus præcedentes poſt terga traherent vinctum ad ſupradictum locum, vbi beati confeſſoris artus quieuerant, peruenerunt; quem dum præterirent, vinctus, inuocato 8 nomine beati Antiſtitis, petijt vt eum ſua miſericordia liberaret. Quo oràte, laxati ſunt

8 Nota & ex hoc loco ſanctos eſſe i[n]uocandos.

laquei de manibus eius; ſed ſentiens ſe ſolutum, non id euulgauit, coopertisq́; manibus, putabatur adhuc eſſe ligatus. Ingreſſi autem portam caſtri cùm ad atrium perueniſſent, hic exiliens, & corrigiam ligaminis trahentium in manu tenens, cum auxilio omnipotentis Domini, & obtentu beati Pontificis liberatus eſt.

Admirabile autem eſt & illud miraculum, qualiter beatum corpus eius cùm poſt multa tempora traſferretur, apparuit glorioſum. Cum enim beatus Pontifex in angulo baſilicæ fuiſſet ſepultus, & paruus fuiſſet locus ille, nec eò populi ſic poſſent accedere, vt deuotio poſtulabat, ſanctus Tetricus filius, & ſucceſſor eius hæc cernens, & virtutes ibidem aſſiduè operari proſpiciens, ante altare baſilicæ fundamenta iacit, erectáq́; abſidē miro opere conſtruit, & ransuoluit. Ea verò transuoluta, diſruptoq́; pariete, arcum ædificat. Quod opus cùm eſſet perfectum, atq; exornatum, ac poſtquam in media abſide loculum fodit, quò corpus beati Patris transferre volebat, conuocat Presbyteros, & Abbates ad illud officium. Qui vigilantes orabant, vt ſe beatus confeſſor ad hanc ſibi præparatam habitationem transferri permitteret. Manè autem facto, cum choris pſallētium apprehenſum ſarcophagum ante altare in abſidem, quam beatus Epiſcopus ædificauerat, tranſtulerunt. Quod ſepulchrum dum diligenter componunt, ſubitò, &, vt credo, ad Dei iuſſum opertorium ſarcophagi motum eſt in vna parte, & ecce apparuit beata facies eius ita integra, & illæſa, vt putares eum non mortuum eſſe, ſed dormientem. Sed nec de ipſo veſtimento, quod cum eo poſitum fuit, aliquid oſtenſum eſt diminutum. Vnde non immeritò apparuit glorioſus poſt trāſitum, cuius caro non fuit corrupta ludibrio. Magna eſt enim corporis, & cordis integritas, quæ & in præſenti ſeculo præſtat, gratiam, & in futuro vitam largitur æternam. De qua Paulus Apoſtolus ait: Pacem ſequimini, & ſanctificationem, ſine qua nemo videbit regnum Dei.

Puella quædam die Dominico dum ſuum caput cōponeret, pecten apprehenſum manibus eius, credo ob iniuriam 9 diei ſanctæ, adhæſit, ita vt affixi dentes tam in digitis, quàm in palmis magnum ei dolorem inferrent. Quæ cùm baſilicas ſanctorum flēs, atq; obſecrās circuiret, ad ſepulchrum 10 beati Gregorij Antiſtitis in eius virtute confiſa proſternitur. Cùmq́; diutiſſimè beati confeſſoris præſidium flagitaſſet, directa manus eius ad opus priſtinum, pectine decidente, reducitur. Sed & energumeni eum confitentes, ad eius ſepulchrum ſæpè purgantur. Nam plerunq; vidimus poſt eius tranſitum, virgula, cuius ſupra meminimus, quā manu gerebat, per parietes ita eos affixos, vt putares illos validis, atq; acutiſſimis ſudibus retineri. Multa quidem de eodem geſta cognouimus, ſed ne faſtidium incitarent, de pluribus pauca perſtrinximus. Obijt autem triceſimo tertio Epiſcopatus ſui anno, ætate nonagenaria; qui ſe virtutibus manifeſtis ſæpiùs declarauit.

9 Nota pro veneratione ſāctæ diei Dominicæ.

10 Vide quomodo confugiētes ad ſanctorum ſepulchra ſanentur.

VITA SANCTI NICETII EPISCOPI LVGDVNENSIS.

PRAESENTIAE diuinæ bonum quòd plerunq; regno ſuo prouideat quos aſciſcat, ipſa ſæpiùs ſacræ lectionis teſtantur oracula, ſicut ad Hieremiam eximiū vatem cœleſtis oris myſtica deferuntur eloquia dicentis: Priusquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de vulua ſanctificaui te. Et ipſe Dominus vtriuſq; conditor teſtamenti, illis quos largitio hilaris agnino decoratos vellere ſuis locat à dextris, quid ait? Venite benedicti Patris mei, percipite præparatum vobis regnum à conſtitutione mundi. Sed & illud vas electionis beatus Apoſtolus; Quos, inquit, præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui. Nam & de Iſaac, Ioanneq́; qualiter naſcerentur, vel quid agerent, & nomen, & opus prædixit, & meritum. Sic nunc & de beato Nicetio ipſa illa priſca miſeratio pietatis, quæ immerita ditat, nonnata ſanctificat, & omnia priuſquam gignantur, & diſponit, & ordinat, qualibus ſacerdotalis gratia infulis florere deberet in terris, priùs genitrici voluit reuelare. De cuius vita retinetur quidem hucusq; libellus nobiſcum neſcio à quo compoſitus, qui multas quidem virtutes eius pandit, non tamen vel exordium natiuitatis, conuerſionisq́; eius, vel ſeriem virtutum declarat ad liquidum. Et licet nec nos omnes eius virtutes inueſtigauerimus, quas per eum Dominus vel occultè operari eſt dignatus, vel publicè; tamen quæ ad priorem auctorem non peruénerunt, etſi ruſticiori ſtylo, pandere procurauimus.

Igitur Florentinus quidam ex ſenatoribus, accepta Artemia coniuge, cùm duos iam haberet liberos, ad Epiſcopatum Ianubēſis vrbis expetebatur. Et re iā obtenta à Principe, domum reuertitur, & coniugi quæ egerat nunciauit. Quod illa audiens, reſpondit viro: Deſine, quæſo, dulciſſime coniunx, ab hac cauſa, & ne quæſieris Epiſcopatum vrbis, quia ego ex concepto à te ſemine Epiſcopum gero in vtero. Requieuit vir ſapiens, audita vxore, rememorans illud, quod Deus quondam Abrahæ præceperat: Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius. Deniq; impletis pariendi diebus, mulier enixa eſt puerum, quem quaſi victorem futurum mundi, Nicetium in baptiſmo vocauit; eundemq́; ſumma nutritum diligentia, literis Eccleſiaſticis mandauit inſtitui.

Defuncto autem patre, hic cum genitrice iam clericus in domo paterna reſidens, cum reliquis famulis manu propria laborabat, intelligens cōmotiones corporeas non aliter niſi laboribus, & erumnis opprimi poſſe. Quodam verò tempore, cùm adhuc in domo ipſa degeret, orta eſt ei puſtula mala in facie; cuius virus inualeſcens, ac excoquens, fecit puerum deſperatum. Sed mater eius iugiter inter ſanctorum nomina beati 1 Martini nomen pro eius ſalure peculiariùs inuocabat. Cùmq́; per biduum puer iacuiſſet in lecto

1 Ecce quomodo mater ægroti pueri ſanctū Martinum inuocat, & ille ab eo ſanus redditur.

clauſis

clauſis oculis,& nullum verbum conſolationis matri lamentanti proferret; ſed potiùs ipſa genitrix inter ſpem, metumq́; titubans, iuxta ritum exequiarum neceſſaria funeris præpararet, ſecunda die ad veſperum aperiens oculos ait: Quò iuit mater mea? Quæ ſtatim adueniens ait: Ecce adſum; quid vis fili? Et ille, Ne timeas,inquit,mater, beatus enim Martinus ſuper me Crucem Chriſti faciens,ſurgere me iuſſit incolumem. Hæc effatus ſtatim ſurrexit à lectulo; geminauitq́; virtus diuina miraculi huius gratiam,& vt Martini panderetur meritum,& vt hic quia futurus erat Pontifex à contagio ſaluaretur. Teſtis enim fuit huius cauſæ viſa cicatrix eius in facie.

Aetate quoq; iam tricenaria presbyterij honore præditus,nequaquam ſe à labore operis,quod priùs geſſit,abſtinebat, ſed ſemper 2 manibus proprijs operabatur cum famulis,vt Apoſtoli compleret præcepta dicentis: Laborate manibus,vt habeatis vnde tribuere poſſitis neceſſitatem patientibus. Illud omnino ſtudebat,vt omnes pueros,qui in domo eius naſcebantur,vt primum vagitum infantiæ relinquentes loqui cœpiſſent, ſtatim literis doceret,ac pſalmis imbueret, ſcilicet vt primo ingreſſui tale iungeretur pſallentium,vt tam antiphonis, quàm meditationibus diuerſis,prout deuotio flagirabat animi, Deo ſeruire poſſent. Caſtitatem autem non modò hic diligenter erat cuſtodiens, verumetiam cuſtodiendi gratiam alijs iugiter prædicabat,& à polluto tactu,& verbis obſcœnis, vt deſiſterent edocebat. Nam recolo in adoleſcentia mea cùm primùm literarum elementa cœpiſſem agnoſcere,& eſſem quaſi octaui anni æuo, illeq́; indignum me lectulo locari iuberet,ac paterna dilectionis dulcedine vlna ſuſciperet, oram indumenti ſui articulis arripiens, ita ſe colobio concludebat,vt nunquam artus meos beata eius membra contigerint. Intuemini, quæſo, & aduertite cautelam viri Dei,qui ſi ſic ab infantuli artubus,in quo nulli adhuc eſſe poterant ſtimuli concupiſcentiæ,nulla incitamenta luxuriæ,ne ab eis tangeretur,abſtinuit,qualiter de loco,vbi ſuſpicio luxuriæ eſſe potuit,ille refugit? Erat enim,vt diximus, caſtus corpore,mundus corde,non in ſcurrilitate verba proferẽs,ſed ſemper quæ Dei ſunt loquens. Et cùm omnes homines in illo cœleſtis charitatis vinculo diligeret,matri propriæ ita erat ſubditus,vt ei quaſi vnus ex famulis obediret.

2 Aliqui ſancti etiã præter monachos vſi ſunt operibus manuũ, vt haberẽt vnde pauperibus neceſſaria miniſtrarent.

Deniq; ægrotante grauiter Lugdunenſi Antiſtite in vrbe Pariſiaca, cùm à Childeberto ſeniore magno amore diligeretur, voluit Rex vſq; ad eius lectulum proficiſci, ac viſitare infirmum. Cui venienti ait Epiſcopus: Optimè noſti, ò pijſſime, quòd tibi in omnibus neceſſitatibus tuis fideliter ſeruierim, ac quæcunq; iniunxiſti deuotè impleuerim. Nunc precor, vt quia tempus reſolutionis meæ adeſt,non dimittas me ab hoc mundo cum dolore diſcedere, ſed vnam petitionem,quam ſupplico,libenter indulgeas. Et ille,Pete, inquit, nam quod volueris obtinebis. Rogo,ait, vt Nicetius Presbyter nepos meus Eccleſiæ Lugdunenſi ſubſtituatur Epiſcopus. Eſt enim,vt mei teſtimonij verba proferunt,amator caſtimoniæ,dilectorq́; Eccleſiarum, & in eleemoſynis valde deuotus, & quæcunq; ſeruos Dei decent,& operibus gerit,& moribus. Reſpondit Rex: Fiat voluntas Dei. Et ſic pleno Regis, & populi ſuffragio Epiſcopus Lugdunenſis ordinatus fuit præcipuus concordiæ,ac pacis amator. Qui ſi læſus fuiſſet ab aliquo,ſtatim,aut remittebat per ſe, aut per alium inſinuabat veniam deprecari. Nam vidi ego quodam tempore Baſilium Presbyterum miſſum ab eo ad Armentariũ Comitem,qui Lugdunenſem vrbem his diebus poteſtate iudiciaria gubernabat, dixitq́; ad eum: Pontifex noſter cauſæ huic, quæ denuo monetur,dato iudicio terminum fecit, ideoq́; commonet, ne eam iterare præſumas. Qui furore ſucenſus reſpondit Presbytero: Vade,& dic ei: Quia multæ ſunt cauſæ in meo arbitrio poſitæ,quæ alterius iudicio finiendæ erunt. Regreſſus Presbyter,quæ audiuit ſimpliciter expoſuit. Sanctus verò Nicetius

commotus contra eum ait: Verè, inquam, quia eulogias de manu mea con accipies, pro eo quòd verba, quæ furor exegit, meis auribus intuliſti. Erat autem conuiuio recumbens, ad cuius & ego leuam, cùm adhuc Diaconatus fungerer officio, propinquus accubueram. Dixitq; mihi ſecretiùs: Loquere Presbyteris, vt deprecentur pro eo. Cùmq; locutus fuiſſem, non intelligentes voluntatem ſancti, ſilebant. Quod ille cernens; Tu, inquit, ſurge, & deprecare pro eo. At ego cum trepidatione conſurgens, oſculatus ſum ſancta eius genua, orans eũ pro Presbytero. Qui indulgens, atq; eulogias porrigens, ait: Rogo, dilectiſſimi fratres, vt verba inutilia, quæ ignauè muſſitantur, aures meas non verberent, quia non eſt dignum, vt homines rationabiles irrationabilium hominum procacia verba ſuſcipiant. Hoc tantùm vos ſtudere oportet, vt illi, qui contra Eccleſiæ vtilitatem quædam machinare cupiunt, veſtris propoſitionibus cõfundantur. Irrationabilia enim, non ſolùm non admirari, ſed nec audire deſidero. O' beatũ virũ, qui omni intentione vitare cupiebat ſcandalum. Audiant autem hæc illi, qui ſi offenſi fuerint, ignoſcere nolunt, ſed totam pro ſua vltione conuocantes vrbem, etiam teſtes adhibere non metuunt, qui vocibus nefarijs dicant: Hæc & hæc audiuimus de te hunc loquentem. Et ita fit vt pauperes Chriſti talibus accuſationibus, miſericordia poſtpoſita, opprimantur.

Quodam autem manè cùm ſurrexiſſet ad matutinas ſanctus Nicetius, expectatis duabus antiphonis, ingreſſus eſt ſacrarium, vbi dum reſideret, Diaconus reſponſorium pſalmum canere cœpit, & ille commotus ait: Sileat, ſileat, nec præſumat canere iuſtitiæ inimicus. Et dicto citius oppilato ore ſiluit; quem iuſſit vocari ad ſe ſanctus, & ait: Non'ne præceperam tibi ne ingredereris Eccleſiã Dei? Et cur auſu temerario ingredi præſumpſiſti? Aut cur vocem in canticis Dominicis es auſus emittere? Stupentibus autem omnibus, qui aderant, & nihil mali de Diacono nouerant, exclamauit dæmonium, & ſe torqueri à ſancto immenſis cruciatibus confitetur. Ipſe enim præſumpſerat in Eccleſia canere, cuius vocem ignorantibus populis ſanctus agnouit, & ipſum verbis acerrimus exe cratus eſt. Tunc impoſitis ſanctus Diacono manibus, eiecto dæmone, perſonã reſtituit integræ menti.

His, & alijs ſignis declaratus in populis, viceſimo ſecundo Epiſcopatus ſui anno, ætate ſexagenaria migrauit ad Chriſtum. Qui dum ferretur ad ſepeliendum, cæcus quidam ſe ſub feretrũ flagitauit adduci; ſtatimq; eo ingreſſo vultus diù lumine viduatus, reſeratis oculis adornatur; nec diſtulit diuina pietas beatos artus glorificare ſignis, cuius beatam animam cum choris Angelicis ſuſcipiebat in aſtris. Poſt dies autem, quos lex Romana ſanciuit, vt defuncti cuiuſpiam voluntas publicè legatur, huius Antiſtitis teſtamentum in foro delatum turbis circunſtantibus, à Iudice reſeratum, recitatumq; eſt. Presbyter verò baſilicæ tumens felle, quòd nihil loco, in quo ſepultus fuerat, reliquiſſet, ait: Aiebant ſemper plerią; ſtolidum fuiſſe Nicetium, nunc ad liquidum verum eſſe patet, cùm nihil baſilicæ, in qua tumulatus eſt, delegauit. Sequenti autem nocte ſanctus apparuit Presbytero cum duobus Epiſcopis, ideſt Iuſto, atq; Eucherio in veſte fulgenti, dicens ad eos: Hic Presbyter, ſanctiſſimi fratres, blaſphemijs me obruit, quia nihil facultatis ſcripſerim templo huic, quo requieſco, & neſcit quia quicquid pretioſius habui, ibidem reliqui, ideſt glebam corporis mei. At illi dixerunt: Iniuſtè facit detrahens ſeruo Dei. Conuerſusq; ſanctus ad Presbyterum, pugnis, 3 palmisq; guttur eius illiſit, dicens: Peccator conterende, deſine ſtultè loqui. Expergefactus autem Presbyter, tumefactis faucibus, ita doloribus coarctatur, vt ipſas quoq; ſaliuas oris vix cum labore poſſet maximo deglutire. Vnde factum eſt, vt per dies xl lectulo decubans grauiter cruciaretur. Sed inuocato confeſſoris nomine, ſanitati redditus, nunquam auſus eſt ea verba, quæ priùs præſumpſerat, garrulare.

3 Si ſancti emortui eſſẽt, vt garriũt nõ nulli, quô poſſent hæc mirabilia ſuis manibus operari?

Priſcum autem Epiſcopum huic ſancto ſemper fuiſſe aduerſum, norunt omnes. Hic Diacono cuidam huius caſulam tribuit. Erat autem grauis, eò quòd & ipſe vir Dei robuſto fuiſſet corpore. Capſa autem huius indumenti ita dilatata erat, atq; conſuta, vt illa quæ per paſchalia feſta ſacerdotũ humeris imponũtur. Ibatq; Diaconus cum hoc veſtimento diſcurrens, ac paruipendens de cuius vſibus remanſiſſet, hoc habens in lectulo, hoc vtens in foro, de cuius fimbrijs, ſi credulitas certa fuiſſet, reddi potuit ſalus infirmis. Cui ait quidam: O' Diacone, ſi ſcires virtutem Dei, & quis fuit, cuius veſtimento vteris, cautiùs cum eo viueres. Cui ille; Verè, inquit, dico tibi, quia & hac caſula tergo vtor, & de capſa eius, parte prolixiore deciſa, tegumen pedum aptabo Fecit illico miſer quæ pollicitus eſt, ſuſcepturus protinus diuini iudicij vltionem. Nanq; vbi deciſo cucullo, aptatis pedulis pedes operuit, extemplo 4 arreptus à dæmone ruit in pauimentum. Erat autem ſolus in domo, nec erat qui ſuccurreret miſero. Cumq; ſpumas cruentas ore proijceret, extenſis ad focum pedibus, pedes cùm pedulis ignis pariter deuorauit. Hactenus de vltionibus.

4 Vides Sanctos nõ eſſe iniuria afficiendos, nec res eorũ cõtemnendas?

Aigulfus quoq; Diaconus noſter Roma veniens, beata nobis ſanctorum pignora deferebat. Hic cauſa orationis tantùm, locum, quo ſanctus quieſcit, adiuit. Ingreſſusq; ædem, dum diuerſorum miraculorum opus illuſtre perpendit, vidit immenſum cateruatim populum ad eius ſepulchrum, velut felicium examina apum ad conſuetum aluearc confluere, & alios, Presbytero qui aderat miniſtrante, particulas ceræ pro benedictione ſumere, alios parumper pulueris, nonnullos diſruptas ab opertorio eius fimbrias capere, & abire ferentes in diſparibus cauſis vnam gratiam 5 ſanitatis. Hæc ille cernens fide compunctus, & lachrymãs ait: Si marinorum me moles fluctuum ſulcare mei ſacerdotis deuotio fecit, vt luſtratis Romanorum martyrum ſepulchris aliquid de eiſdem pignoris deferre deberem, cur non Gallicani mei confeſſoris pignora capiam, per quæ mihi, meisq; ſalus integra reparetur? Et ſtatim accedens quaſdam de herbulis, quas deuotio populi ſacrum iecit in tumulũ, manu linteo operta, Sacerdote porrigente, ſuſcepit, repoſitasq; diligenter domum detulit. Itaq; ſtatim fidem hominis miraculorũ actio cõprobauit. Nam diſcerptis 6 de his particulis, & frigoriticis cum aquæ potu porrectis, protinus cum hauſtu ſalutem inuexit; ſed & multis deinceps. Quando autem hæc nobis retulit, iam quatuor exinde ſanos factos ab hac infirmitate narrauit.

5 Ecce quomodo cõfugientes ad ſanctorũ ſepulchra gratias ſanitatum conſequuntur.

6 Vide quanti ſit meriti apud Deũ ſãctus iſte, quãdo etiã res ex terræ eius, cuiuſmodi herbulæ erant hæ ſup tumulũ iactatæ, infirmis ſanitatẽ præſtabãt.

Ioannes autem Presbyter noſter dum ab vrbe Maſſilienſi cum cõmercio negociationis ſuæ rediret, ad huius ſancti ſepulchrum in oratione proſternitur; de qua conſurgens aſpicit cõfractas compedes, diſruptasq; cathenas, quæ culpabilium vel aſtrinxerant colla, vel ſuras attriuerant; & admiratus eſt. Sed cõtemplatio non fuit miraculis vacua. Nam rediens ad nos Presbyter aſſerebat cum ſacramento, tres coram ſe ibi cæcos fuiſſe lumini redditos, ac domum rediſſe ſaluatos. Apud Genabenſem quoq; Galliarum vrbem dum eius reliquiæ cum honore pſallentij portarentur, tantam ibi Dominus gratiam præſtare dignatus eſt, vt ſuppliciter adorantes 7 & cæci viſum, & claudi reciperent greſſum. Nec dubitare poterat quiſpiam præſentem eſſe cõfeſſorem, cùm videbant talia infirmis remediorum munera miniſtrari.

7 Nota ſanctorũ reliquias publicè deferri, adorariq;, & adorãtes gratiarũ munera conſequi.

Seditione etiam in quodam loco exorta, cùm vulgo ſæuiente, volantibus ſaxis, ac facibus, furor arma non mediocriter miniſtraret, vnus eleuato enſis acumine cũ aſſultu graui virũ percuſſit. Poſt dies autem paucos inuẽtus iſte ab interẽpti germano, ſimili exitu trucidatur. Quod cũ Iudex loci illius cõperiſſet, vinctum virũ in carcerẽ trudi præcipit dicens: Dignus eſt morte hic ſceleſtus occũbere, qui volũtatis ppriæ arbitrio, nec expectato Iudice, auſus eſt temerè mortẽ fratris vlciſci. In qua dũ teneretur cuſtodia, & multorũ ſanctorũ nominibus inuocatis,

miſericordiam precaretur,quaſi ad ſanctũ Dei conuerſus ait: Audiui de te,ſancte Niceti,quòd ſis potens in opere miſericordiæ,ac pius in compeditorum flentiũ abſolutione; deprecor 8 nunc, vt me illa ſupereminenti pietate viſitare digneris,qua in reliquorum abſolutione vinctorum ſæpius claruiſti: Poſt paululum verò obdormienti apparuit illi vir beatus dicens: Quis es tu, qui nomen Nicetij inuocas? Aut vnde noſti quis fuerit, quòd eum obſecrare non deſinis? At ille cauſam delicti ex ordine referans adiecit: Miſerere,quæſo,mihi,ſi tu es vir Dei,quem inuoco. Cui ſanctus ait: Surge in nomine Chriſti,& ambula liber,à nullo enim comprehenderis. At ille in hac expergefactus voce, ſe abſolutum cathenis comminuris,confractaq; trabe miratur; nec moratus,nemine retinente, vſq; ad eius ſepulchrum perrexit intrepidus. Tunc à iudice noxialis culpæ damnatione conceſſa,laxatus abſceſſit ad propria.

8 Ecce quomodo ſãctũ inuocat,& ſtarim ab eo à vinculis liberatur:

9 Nota,Sãctus habitans in cœlis,ingentia operatur in terris.

Gratum eſt illud addi miraculis,quod accenſus ad lectum eius fecerit cicendilis,quia ingentia ſunt,quæ in cœlis habitãs 9 operatur in terris. Igitur lectulus,quo ſanctus quieſcere erat ſolitus, ſæpiùs miraculis adornatur illuſtribus. Qui grandi ſtudio ab Aetherio nũc Epiſcopo fabricatus deuotiſſimè adoratur, nec immeritò,cũ frigoritici ſæpiùs ſub eo 10 ſiti,cõpreſſo vapore,ac frigore ſaluentur, cæteriq; infirmi ibidem proiecti protinus ſubleuentur. Palla etenim ſpecioſa tegitur, lychniq; in ea ingiter accenduntur. Vnus igitur ex his per quadraginta dies, totidemq; noctes, vt ipſe æditiuus aſſeruit,abſq; vllius fomẽti adiutorio perdurauit ſplendens,in quo nec papyrus addita,nec gutta olei eſt ſtillantis adiecta,ſed in ipſa qua primùm ſtatutum eſt compoſitione permanſit, cũ luce præclara.

10 Vide mira de lectulo ſancti, de palla, vnoq; ex eius luminaribus.

Huius ſancti reliquias Gallomanus Tricaſſinorum Põtifex deuotus expetijt, quæ cùm pſallentio deducerentur, & cæcorum 11 oculi illuminati ſunt earum virtute, & aliorum morborum genera meruerunt accipere medicinam. Ad nos quoq; facietergium dependentibus villis intextum, quod ſanctus ſuper caput in die obitus ſui habuit,eſt perlatum. Quod nos tanquàm munus cœleſte ſuſcepimus. Factum eſt autem,vt poſt dies plurimos ad benedicendam Eccleſiam in parochia Paternacenſi vrbis Turonicæ inuitaremur. Acceſſi,fateor, ſacraui altare,decerpſi fila de linteo, locaui in templo,dictiſq; miſſis,& facta oratione,diſceſſi. Paucis deindè diebus interpoſitis,aduenit ad nos ille,qui inuitauerat, dicens: Gaude in nomine Domini,Sacerdos Dei,de virtute beati Nicetij Antiſtitis, nam noueris quia oſtendit miraculum in Eccleſia, quam ſacraſti. Cæcus enim erat in pago noſtro diuturna cæcitatis,& caliginis oculorum nocte detentus,cui apparuit vir quidam per viſum noctis, dicens: Si uis ſanus fieri,proſternere in orationem coram baſilicæ ſancti Nicetij altari, & recipies viſum. Quod cum feciſſet, diſruptis tenebris,lumen ei virtus diuina patefecit. Poſui,fateor,de his pignoribus & in alijs baſilicarum altaribus,in quibus & energumeni ſanctum confitentur,& fidelis oratio ſæpiùs promeretur effectum.

11 Sãcti reliquiæ ſanitates conferũt, ſimiliter & uilli linteoli, qui fuit ſup eius facie.

Phronimius igitur Agatenſis Epiſcopi famulus epilentici morbi acceſſu fatigabatur,ita vt plerunq; cadens,ac ſpumans linguam ſuis proprijs dentibus laceraret,& cùm ei à medicis plurima fierent,accidebat vt paucis menſibus interpoſitis non tangeretur à morbo; ſed iterum in recidiuum cruciatum ruens, peius quàm priùs perferebat. Dominus verò eius cùm vidiſſet tantas virtutes ad ſepulchrum beati Nicetij fieri,dixit ad eum: Vade,& proſternere 12 coram ſepulchro ſancti,orans vt te adiuuare dignetur. Qui cùm iuſſa expleſſet, ſanus regreſſus eſt,nec vltra eum attigit morbus. Septimus autem erat ab incolumitate pueri annus,quando eum nobis Epiſcopus præſentauit.

12 Epilenticus puer ad ſancti ſepulchrũ ſanatus eſt.

Quidam verò pauper, viuente ſancto,literas ab eo elicuit manu eius ſubſcriptas, quibus ſibi per deuotorum domos eleemoſynam flagitaret Poſt eius verò

obitum adhuc cum ipſa circuẽs epiſtola, non pauca ab eleemoſynarijs pro ſancti memoria capiebat; deſiderium enim erat omnibus, vt quiſq; videret ſubſcriptionem ſancti, aliquid præbere egenti. Quod videns quidam Burgundio, non honorans, neq; venerans ſanctum, obſeruare pauperem cœpit a longè, videnſq; eum ſyluas ingreſſum irruit, & abſtulit ei ſex aureos cum epiſtola, colliſumq; calcibus reliquit exanimem. At ille inter calces, & reliqua verbera, hanc vocem emiſit; Adiuro te per Deum viuum, & virtutem ſancti Nicetij, vt vel epiſtolam eius mihi reddas, quia mihi vltra non erit vita, ſi eam perdidero. Ille verò ea proiecta in terram abijt; quam pauper colligens venit ad ciuitatem. Erat autem ibi eodem tempore Phronimius Epiſcopus, cuius ſupra meminimus. Ad quem accedens pauper ille ait: Ecce homo, qui me grauiter cæſum expoliauit, abſtulitq; ſex aureos, quos pro intuitu epiſtolæ ſancti Nicetij acceperam. Epiſcopus autem narrauit hæc Comiti. Iudex verò vocato Burgundione, percontari cœpit ab eo, quid exinde diceret. Negauit autem coram omnibus, dicens: Quia nunquam vidi hominem iſtum, neq; res eius abſtuli. Epiſcopus verò aſpiciens epiſtolam, vidit ſubſcriptionem ſancti, & conuerſus ad Burgundionem ait: Ecce in hac epiſtola ſubſcriptio ſancti Nicetij tenetur, ſi es innocẽs, accede propiùs, & iura tangens manu ſcripturam, quam ipſe depinxit; credimus enim de virtute illius, quia aut te hodie oſtendet hoc ſcelere contaminatum, aut certè permittet abire innoxium. At ille nihil moratus accedit ad manus Epiſcopi, qui hanc epiſtolam extentam tenebat, eleuanſq; manus ſuas vt iuraret, cecidit retrorſum ſupinus, & clauſis oculis ſpumas ab ore proijciens, quaſi mortuus putabatur. Tranſeũte autem quaſi duarum horarum ſpatio, aperuit oculos ſuos, dicens: Væ mihi quia peccaui auferendo res pauperis huius. Et ſtatim retulit per ordinem, qualiter iniuriam intulerat homini illi. Tunc Epiſcopus cum iudice cognita culpa, ea tantùm quæ abſtulerat, inopi reddidit, & pro cæde duos inſuper ſolidos addidit; & ſic vterq; à iudicis conſpectu diſceſſit.

Quot autẽ per hunc ſanctũ carcerali ergaſtulo reuincti abſoluti ſint, quotue compeditorum cathenæ, ſiue compedes ſint confractæ, teſtis eſt hodie moles illa ferri, quæ in baſilica eius aſpicitur, de ſupradictis ſupplicijs aggregata. Nuper autem in conſpectu Gunthranni Principis Siagrium Auguſtodunenſem Epiſcopum ipſi referentem audiui, in vna nocte in ſeptem ciuitatibus carcerarijs apparuiſſe beatum virum, eoſq; abſoluiſſe ab ergaſtulo, & abire liberos permiſiſſe. Sed nec iudices contra eos quicquam agere deinceps auſi ſunt. De cuius ſepulchro ſi febricitans, ſi frigorationes habens, ac diuerſis morbis laborans, quid 13 pulueris ſumpſerit, ac dilutum acceperit, mox recipit ſanitatem. Quod non eſt dubium præſtare eum, qui ait ſanctis ſuis: Omnia quæcunq; petieritis in nomine meo, credite quia accipietis, & venient vobis.

13 Puluis è ſancti tumulo deſumptus, & hauſtus, ſanitates confert. Quid dicis hæretice?

Igitur apud vicum Priſciniacenſem vrbis Turonicæ Eccleſia dudum conſtructa abſq; ſanctorum pignoribus habebatur; cùmq; incolæ loci plerunq; peterent, vt eam quorumpiam ſanctorum cineribus ſacrarenius, de ſupradictis reliquijs ſancto 14 altari collocauimus; in qua eccleſia ſæpiùs virtus Domini per beatum manifeſtatur Antiſtitem. Nuperrimo autem tempore mulieres quædam vexatæ à dæmonio ex termino Biturigiæ venientes, tres numero, dum ad baſilicã ſancti Martini deducerentur, hanc Eccleſiam ſunt ingreſſæ. Igitur colliſis in ſe palmis, dum ſancti Nicetij faterentur ſe virtutibus cruciari, proijcientes ab ore neſcio quid purulentum cum ſanguine, ab obſeſſis ſpiritibus protinus ſunt mundatæ.

14 Ecce altaris dedicatio cũ ſanctorũ reliquijs de more Catholicæ Eccleſiæ. Ecce & dæmonum effugatio ad earũdem reliquiarũ aſpectum.

Dado vnus ex his pagenſibus cùm in hoſtilitate illa, quæ apud conuenas eſt, acceſſiſſet, & plerunq; in periculis mortis irrueret, vouit vt ſi domum reuerteretur incolumis, ad memoratam Eccleſiam exornandam in honore beati Nicetij

aliqua ex his,quæ acquiſierat, largiretur. Rediens igitur duos calices argenteos deferebat,vouitq; iterum in itinere,quòd hos Eccleſiæ conferret, ſi ad propria ſoſpes 15 accederet. Domũ ſuam igitur accedens, vnum tantummodo dedit, alio ſanctum fraudare procurauit,dans coopertoriũ ſarmaticum,quo altare Dominicum cum oblationibus tegeretur. Apparuit autem illi vir beatus per ſomnium dicens: Quouſq; dubitas,& votum implere diſſimulas? Vade,inquit,& calicem alterum,quem vouiſti,redde Eccleſiæ,ne pereas tu,& domus tua. Coopertorium verò,quia rarum eſt,non ponatur ſuper munera altaris,quia non exindè plenè tegitur myſteriũ corporis,ſanguinisq; Dominici. At ille exterritus,nihilq; moratus,votum,quod vouerat velociter adimpleuit.

15 Vide votum ſub conditione,ſi ad propria ſoſpes redierit. Vide etiam miraculũ pro eiuſdem voti defraudati impletione.

Huius hominis frater ad vigilias Dominici natalis 16 aduenit, monuitq; Presbyterum,dicens: Vigilemus vnanimiter ad Eccleſiam Dei, atq; exoremus deuotè beati Nicetij potentiam,vt eo obtinente,huius anni curriculum cum pace ducamus. Quod Presbyter audiens,gauiſus iuſſit ſignum ad vigilias commoueri. Quo commoto,adueniente Presbytero cum clericis, & reliquo populo, hic gulæ inhians moras veniendi innectebat; cùmq; mitteret ſæpiùs Presbyter ad eum accerſendum,reſpondebat: Pauliſper ſuſtinete,& venio. Quid plura? Tranſactis vigilijs,ac data luce,hic,qui priùs commonuerat,ad vigilias non acceſsit. Presbyter verò,impleto officio,commotus contra hominem,ad habitaculum eius properat,vt quaſi eum à cõmunione ſuſpenderet. At ille correptus febre,ſicut vino,ita diuino exurebatur incendio. Nec mora,viſo Presbytero, datis vocibus cum lachrymis ſupplicabat ſibi pœnitentiam tradi. Cùmq; eum Presbyter increparet dicens: Meritò à ſancti Nicetij virtute exureris, ad cuius Eccleſiam venire ad vigilias neglexiſti: inter ſermocinantium colloquia ſpiritum exhalauit. Facta quoq; hora tertia cùm populus ad Miſſarum ſolẽnia conueniret,hic mortuus in Eccleſiam eſt delatus. Quod virtute ſancti antiſtitis actum nemo ambigere poteſt. Hæc autem nobis ipſe expoſuit Presbyter.

16 Ecce quomodo etiam antiquitus celebrabantur vigiliæ præcipuarum ſolennitatum.

Plurima verò de his vel nos ipſi experti ſumus, vel per fidelium relationem cognouimus,quæ indicare longum putauimus. Libello igitur clauſuram dabimus,cùm vnum adhuc admirandum de libro vitæ eius, quem ſupra à quodam ſcriptum præfati ſumus,memorabo miraculum,de quo virtus diuina procedens non reliquit inglorium,ſed ad comprobandum virtutem dictorum patefecit eſſe plurimis glorioſum. Diaconus enim Auguſtudunenſis graui oculorum cæcitate turbatus,audiuit hæc,quæ glorificator ſanctorum ſuorum Deus ad ſancti tumulum exercebat, dixitq; ſuis: Si eius adirem ſepulchrum,aut aliquid de ſanctis pignoribus ſumerem,aut certè ſi pallium,quo ſancti artus teguntur,mererer attingere,fierem ſanus. Cùmq; hæc,& huiuſmodi cum ſuis verba conferret,aſtitit repente clericus quidam dicens: Benè, inquit,credis,ſed ſi de eiſdem firmare mentem cupis virtutibus,en volumen chartaceum,quod de his habetur ſcriptum,vt faciliùs credas ea,quæ ad auditum tuarum aurium peruenerunt. At ille priusquã legi iuberet, inſpirante diuinæ pietatis reſpectu, ait: Credo quia potens eſt Deus egregia operari per famulos ſuos. Et ſtatim poſuit 17 volumẽ ſuper oculos ſuos. Extemplò autem fugato dolore,diſruptaq; caligine,vſum videndi recipere meruit à voluminis virtute. Et in tanta claritate poſitus eſt, vt ipſe proprijs oculis legens,virtutum geſta cognoſceret. Operatur autẽ hæc vnus atq; idẽ Dominus,qui glorificat in ſanctis ſuis,vt qui ipſos illuſtribus miraculis æditis efficiat glorioſos. Ipſi gloria,& imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

17 Magnũ miraculum. Liber vitæ ſancti ad oculos diaconi cæci poſitus, illos illuminauit.

VITA SANCTI PATROCLI ABBATIS.

CV'M egregia Moyſi vatis prudentia diuinæ deſcenſionis tabernaculum, iuxta ipſum oris Dominici præceptum, fabricare diſponeret, atq; ad hoc, eiuſdemq́; apparatum multa congerere iuſſus, non haberet cuncta in promptuario, quæ ab ipſo Domino oſtenſa fuerant, in montis ardui ſummitate iuſſit commoneri populum, vt offerret vnusquiſq; pro viribus quiddam muneris Deo, & hoc non ex neceſſitate, ſed ſpontè. Offerebant ergo donaria auri, argentiq́;, æris, ac ferri metalla, gemmarum etiam micantium pulchritudines, ac fila byſſi duplicati, coccíq́; bis tincti, nonnulli pelles arietum rubricatas, pilosq́; caprarum. Sed cùm hæc omnia doctores Eccleſiarum eſſe allegorica tradidiſſent, & in reliquis donatijs gratiarum genera demonſtraſſent, in illis caprarum pilis laudationum verba ſignificari dixerunt. Ita nunc & nos ſteriles ſenſu, imperiti ſtudio, ſqualētes in actu, & ſi aurum, argentumq;, vel gemmas, filaq́; duplicata, ac torta non offerimus, ſaltem vel pilos caprarum, ideſt verba, quæ ſanctorum, atq; amicorum Dei prodant miracula, in Eccleſia ſancta porrigimus, vt legentes eo incitentur ſtudio, quo ſancti meruerunt ſcandere polum. Ergo quia nobis de beati Patrocli vita nuper data relatio, quædam prodidit nō ommittenda, ea manifeſtāda curaui Et licet ſermo ſit ruſticus, non tamen occulenda arbitratus ſum, quæ Deus geſſit per famulum ſuum.

Igitur beatiſſimus Patroclus Biturigii territorij incola, Aetherio patre progenitus, cùm decem eſſet annorum, paſtor ouium deſtinatur, fratre Antonio tradito ad ſtudia literarum. Erant enim non quidem nobilitate ſublimes, ingenui tamē. Cùmq́; quodam meridie hic à ſcholis, ille à grege commiſſo ad capiendum cibum paterno in hoſpitio cōueniſſent, dixit Antonius fratri ſuo: Diſcede lōgiùs, ò ruſticè, tuum eſt enim opus oues paſcere, meum literis exerceri, qua de re nobiliorem me ipſius officij cura facit, cùm te huius cuſtodiæ ſeruitus vilem reddat. Quod ille audiens, & hanc increpationem quaſi à Deo ſibi tranſmiſſam putans, reliquit oues in campi planitie, & ſcholas puerorum niſu animi agili, atq; curſu velociſſimo expetit. Qui primis elementis, ac deinceps omnibus, quæ ſtudio puerili neceſſaria erant, ita celeriter, memoria opitulante, imbutus eſt, vt fratrem vel in ſcientia præcederet, vel alacritate ſenſus, adiuuante diuini numinis auxilio, anteiret.:

Dehinc Mumioni, qui quondam cum Childeberto Pariſiorum Rege magnus habebatur, ad exercendum commendatus eſt. A' quo cùm ſumma amoris diligentia nutriretur, ita humilem, atq; ſubiectū omnibus ſe præbebat, vt omnes eum tanquam proprium filium in ſumma bonitate diligerent. Regreſſus verò domum, patre defuncto, reperit matrem ſuam adhuc ſuperſtitem. Cui illa ait: Ecce genitor tuus, ò dulciſſime nate, obijt, ego autem abſquè ſolario dego; requiram ergo puellam pulchram, ingenuamq́;, cui copulatus

ſolatium præbeas maternæ viduitati. At ille reſpondit: Non coniungor humanæ coniugi, ſed quæ concepit animus, cum Domini voluntate perficiam. Sed cùm genitrix non intelligens quæreret quid hoc eſſet, prodere noluit, ſed abijt ad Arcadium Biturigæ vrbis Epiſcopum, petijt'q; ſibi comam capitis tõdi, a ſciri'q; ſe in ordinem clericorum. Quod Epiſcopus, Domino volente, ſine mora compleuit. Multo autem poſt Diaconatus officium ſumens, vacabat 1 ieiunijs, delectabatur vigilijs, exercebatur lectione, ac in oratione aſſidua ita promptus effundebatur, vt nec ad conuiuium menſæ canonicæ cum reliquis accederet clericis. Quod audiens Archidiaconus, frendens contra eum ait: Aut cũ reliquis fratribus cibum ſume, aut certè diſcede à nobis; non enim rectum videtur, vt nolis cum his habere victum, cum quibus Eccleſiaſticum implere putaris officium. Non eſt autem ob hæc ſeruus Dei commotus animo, qui iam eremi ſitiebat adire ſecretum; ſed egreſſus ab vrbe memorata, venit ad vicum Nerčẽſem, ibiq; ædificato oratorio ſancti Martini reliquiis conſecrato, pueros erudire cœpit in ſtudiis literarum. Veniebant autem ad eum infirmi, & ſanabantur, atq; energumeni nomen eius confitentes, emundabantur.

1
Ecce ſancti viri exercitia, ieiunia, vigiliæ, lectio, & oratio.

Verùm non ei erat ſolitudo vt voluerat, ſed patefacta virtus publicum vſq; quaq; reddebat. Tunc pro hoſpitio eligendo quædam conſcripta breuia poſuit ſuper altare vigilans, & orans tribus noctibus, vt quid ei Dominus iuberet, dignaretur manifeſtiſſimè declarare. Sed pietatis diuinæ inclyta miſeratio, quæ eum præſciens, eremitam eſſe decreuerat, breue illud accipere iubet, vt ad eremum properaret. Ille autem in cellula, qua degebat, congregatis virginibus, monaſterium inſtituit puellarum, nihil de omni labore ſuo, quod ibidem aggregauerat, cùm abſcederet, ſumens, niſi raſtrum vnum, vnam'q; bipennem; ingreſſus'q; altas ſyluarum ſolitudines, venit ad locum, qui dicitur Mediocantus, atq; ibi conſtructa cellula, in opere, quod ſupra diximus, Deo vacabat. Cùm igitur inibi multos energumenos manu impoſita, per ſignum 2 Crucis effugatis dæmonibus, mente integra reddidiſſet, vnus ad eum adductus eſt rabidus, qui rictibus patulis, ac ore cruento, quicquid attingere poterat, dentibus proprijs laniabat. Pro quo triduum in oratione proſtratus, obtinuit ab illa diuinæ miſerationis potentia, vt mitigato furore, miſer homo mundaretur; immiſſisq; in os eius digitis fugato feralis atrocitatis ſpiritu, perſonam reſtituit incolumitati. Nullas verò ante eum vires habere poterat perſuaſionis iniquæ præſtigium. Nam ſicut hos, qui vexabantur emundabat, ita & quæ immittebat occultè atrocia auctor criminis, repellebat per Crucis ſacratiſſimæ virtutem. Leubellæ enim cuidam fœminæ cùm tempore luis illius inguinariæ diabolus Martinum mentitus, oblationes, quibus quaſi populus ſaluaretur, nequiter obtuliſſet, hæ ad ſanctum delatæ non ſolùm, reuelante Spiritu ſancto, euanuerunt, verùm etiã ipſe incentor malorũ ſancto teterrimus apparẽs, quæ nequiter geſſerat, confeſſus eſt. Transfigurat enim ſæpe diabolus ſe in Angelum lucis, vt hac fraude decipiat innocentes.

2
Patroclus ſigno ſanctæ Crucis dæmones ab energumenis effugabat, & atrocia à diabolo immiſſa repellebat.

Sed cùm ei multas intentaret inſidias, ne hic aſcenderet, vnde ille corruerat, immiſit ei cogitationem, vt prætermiſſa eremo ad ſeculum reuerti deberet. Sed cùm ſanctus virus graſſari ſenſiſſet in pectore, in oratione 3 proſtratus petebat, vt nihil aliud, niſi quod Deo eſſet placitum, exerceret. Tunc apparuit ei Angelus Domini per viſum dicens: Si vis mundum videre, ecce columna, in quam aſcendens contemplare omnia, quæ geruntur in eo. Erat autem ante eum per ipſam viſionem columna miræ celſitudinis collocata. In quam aſcendens, vidit homicidia, furta, cædes, adulteria, fornicationes, & omnia praua, quæ geruntur in mundo; & deſcendens ait: Ne quæſo, Domine, reuertar ad has prauitates, quas dudum te confeſſus oblitus ſum. Tunc ait illi Angelus, qui cum eo loquebatur: Deſine ergo quærere mundum, ne pereas cum eo, ſed potiùs vade in oratorium,

3
Vide orationem cũ proſtratione, & illius exauditionem.

in oratorium, in quo Dominum depreceris, & quod ibi inueneris, hoc tibi erit conſolatio in peregrinatione tua. Ingreſſus igitur cellulam oratorij, inuenit tegulam fictilem, in qua 4 ſignum Crucis Dominicæ erat impreſſum; agnoſcensq; munus diuinum, intellexit ſibi ad omnia mundanæ perſuaſionis incitamenta hoc eſſe inexpugnabile muninnentum.

4 Ecce ſignum Crucis inexpugnabile munimentũ cõtra omnes mũdanas tẽtationes.

Poſt hæc ædificauit monaſterium Columbarienſe in milliaribus quinq; à cellula eremi, in qua habitabat, & congregatis monachis, vt in ſolitudine libero potiùs fungeretur arbitrio, Abbatem inſtituit, qui gregi monaſteriali præeſſet. Octauum autem & decimum in hoc eremi loco expleuerat annum. Tum congregatis fratribus tranſitum ſuum annuncians, obijt in ſenectute bona, & ſanctitate præcipua. Qui aquis ablutus, feretroq; impoſitus, ferebatur ad monaſterium ſuum, vbi ſe viuens ſepeliri mandauerat. Tunc Archipresbyter Nereenſis vici, collecta clericorum cohorte, voluit vi auferre glebam ſancti corpuſculi, videlicet vt ad vicum ſuum, vnde egreſſus fuerat, ſepeliretur. Sed cùm furibundus veniens vidiſſet à lõgè pallam, quæ ſanctos tegebat artus, eximio albere nitore, ita nutu Dei eſt metu perterritus, vt omni velocitate reuocaret ab animo, quod malè conceperat leuitatis arbitrio. Coniunctusq; pſallentibus, in exequijs ſancti progreſſus, tumulauit eum, cum reliquis, qui aderant, fratribus in ipſo Columbarienſe monaſterio.

Ad cuius ſanctum ſepulchrum Prudentia cæca cum alia Lemouicina puella ſimiliter lumine viduata, vt ſepulchrum 5 ipſum in oratione oſculatæ ſunt, lumen recipere meruerunt. Maxonidius autem poſt quintum cæcitatis ſuæ annum, hunc tumulum ſanctum adijt, lumenq; recepit. Energumeni verò Lupus, Theodulphus, Rucco, Scopilia, Nectariola, Tacihildis ad hunc ſanctum tumulum ſunt mundati. Sed & puellæ duæ de Lemouicino venientes, oleo, quod ipſe ſanctus benedixit, perunctæ, à nequitia, qua obſidebantur, mundatæ ſunt. Et quotidie ibidem ad corroborãdam fidem noſtram mirabilia operatur Dominus, qui perpetualiter glorificat ſanctos ſuos.

5 Vides quomodo cõfugientes ad ſãcti tumulũ, remedia morborũ acquirunt, quæ ſãctitati viri teſtimoniũ ferunt.

VITA BEATI FRIARDI RECLVSI.

MVLTI, varij'q; ſunt gradus, per quos ad cœlorum regna conſcenditur; de quibus (vt opinor) & Dauid dicit, quia aſcenſus in corde poſuit. Accipiuntur ergo hi gradus, diuerſorum operum ad cultum diuinum profectus, & nullus in his greſſum figere poteſt, niſi fuerit, ſicut ſæpè teſtati ſumus, Dei adiutorio prouocatus. Sic enim Pſalmographus in illo mediæ perfectionis gradu loquitur, dicens: Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant, qui ædificant eam. Quod adiutorium non modò martyres, verũetiam & illi, quos ſacræ vitæ celebrauit auctoritas, iugiter inquirentes, ad hoc, quod ſitis deſiderij ſpiritalis promebat, alacres peruenerunt. Nam ſi ad martyrium mens accenſa eſt, huius adiutorij opem popoſcit martyr, vt vinceret; ſi ieiunij obſeruantiam adhibere ſtuduit, vt ab eo cõfortaretur afflictus eſt; ſi caſtitati artus reſeruare voluit impollutos, vt ab illo muniretur, orauit; ſi poſt ignorantiam pœnitendo conuerti deſiderauit, vt ab eo nihilominus ſubleuaretur, cum lachrymis flagitauit; & ſi quid operis boni exercere eorum quiſpiam eſt meditatus, vt ab hoc adiutorio iuuaretur expetijt. Per hos ergo ſcalæ huius aſcenſus tam difficiles, tam excelſos, tam arduos, cùm ſint diuerſi, ad vnum tantùm Dominum, per ipſius adiutorij opem conſcenditur. Idcircò ſemper ille poſcendus, ille quærendus, ille inuocandus erit, vt quod de bono mens concipit, adiutorio ſuo ipſe perficiat. De quo & nobis ſine fine oportet dicere: Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram: ſicut & ille beatiſſimus, de quo nunc nobis futurus eſt ſermo, qui inter diuerſas vel tentationes, vel cruces ſeculi, ſemper eius adiutorij munimen expetijt.

1 Sanctus hic in Dei laudibus ſemper, oratione, & vigilijs degebat, & manibus operabatur.

Fuit igitur apud inſulam Vindunitam vrbis Nanneticæ vir egregiæ ſanctitatis, Friardus nomine, recluſus, de cuius vita parumper ad ædificationem Eccleſiæ dicere delectat animum, quia ignoro an ab aliquo ſit ſcripta. Hic ab infantia ſua ſemper Deo deuotus fuit, atq; pudicus; factus autem vir, ſemper in Dei laudibus, 1 ſemper in oratiõe, ſemper in vigilijs degebat, victus neceſſaria proprijs manibus exigens à terra; et ſi in opera inter reliquos properaret, nunquam ab oratione ceſſabat; quod vicinis, aut extraneis, vt mos ruſticorum habet, ridiculũ erat. Quodam verò die cùm, reliquis in ſegete culmos incidẽtibus, manipulos colligaret, examen mirabilium, atq; ſæuarum muſcarum, quas vulgò veſpas vocant, reperiunt. Cùm'q; acerrimè meſſores emiſſis aculeis lacerarent, vndiq; circumeuntes meſſem, locum illum, in quo hæ adunatæ erant, tranſiliunt, atq; irridendo beatum Friardum alloquuntur doloſè, dicentes: Veniat benedictus, ve

niat religioſus,qui orare non deſinit,qui Crucem auribus,& oculis ſemper impo nit,qui vijs itineris ſui ſalutaria vexilla præmittit,ipſe metat ſuper examen, ipſe illum ſua oratione miteſcat. Tunc quaſi ad confuſionem Dominicæ virtutis hæc verba ſuſcipiens,prouolutus 2 terræ orationem fudit ad Dominum; & accedens facto deſuper ſigno Crucis, ait: Adiutorium noſtrum in nomine Domini,qui fecit cœlum,& terram. Ad hanc eius orationem confeſtim omnes veſpæ ſe intra antrum,vnde egreſſæ fuerant,abdiderunt. Ille verò ſpectaculum omniũ factus meſſem ſtatim illæſus collegit. Quod non ſine miraculo irridentibus fuit, eò quòd Dominus in ſe ſperãtem ad confuſionem eorum ſic dignatus fuerit roborare.

2 Orat prouolutus terræ, facto deſup ſigno Crucis.

Deniq; poſt hæc cùm in arborem pro quadam neceſſitdte aſcendiſſet,ſubitò, colliſo ſub pedibus ramo,ruere cœpit,cadensq; deorſum per ſingulos, quos percutiebat,ramos,Chriſti beatiſſimum nomen inuocabat,dicens: Chriſte omnipotens,ſalua me. Cùmq; perueniſſet ad terrã, nihil eſt læſus,ſed aiebat ſemper: Adiutorium noſtrum in nomine Domini,qui fecit cœlum,& terram. His,& alijs virtutibus animatus,cœpit intra ſecreta cordis tacitus cogitare dicens: Si Crux Chriſti,& inuocatio nominis eius,atq; adiutorium poſtulatum ab eo tantam potentiam habet,vt aſpera quæque mundi deuincat,periculoſa obruat,tentationũ atra depellat,& omnia,quæ ſunt ſeculi huius oblectamenta,pro nihilo reputet, ac faſtidiat,quid mihi,& mundo,niſi vt relictis omnibus,quæ eius ſunt, in illius vacare ſolius debeam obſequijs, cuius nominis inuocatione à periculis ſum ſaluatus iniquis? Et egreſſus ab hoſpitiolo ſuo,oblitus parentes,& patriam,eremũ petijt,ne in ſeculo habitanti impedimentum aliquod in oratione, mundi ſolicitudo conferret. Ipſe igitur ſimul Abbas Sabaudus, qui quondam Regis Clotharij miniſter fuerat,pœnitentiam accipientes,Vindunitenſem Nannetici territorij inſulam ſunt aggreſſi. Habebant autem ſecum & Secundellum Diaconum.

Abbas verò ablata de aratro Domini manu ab inſula diſcedens, ad monaſterium redijt,nec multo poſt,occultis cauſis, gladio eſt peremptus. Sanctus verò Friardus cum Secundello Diacono in ſupradicta inſula ſtetit immobilis; habebat tamen vterq; eorum propriam cellulam, ſed procul inter ſe poſitam. Cùmq; ſtrenuè in oratione perſiſterent, nocte Secundello Diacono apparuit tẽtator in ſpecie Domini,dicens: Ego ſum Chriſtus, quem quotidie deprecaris; iam enim ſanctus es, & nomen tuum libro vitæ cum reliquis ſanctis meis aſcripſi; egredere nunc ab hac inſula,& vadẽs fac ſanitates in populis. His & ille illectus deceptionibus,diſceſſit ab inſula,nec ſocio nunciauit; tamen cùm infirmis in nomine Chriſti manus imponeret, ſanabantur. Regreſſus autem poſt multum tempus ad inſulam, venit ad ſocium cum vanagloria, dicens: Abij extra inſulam, & virtutes multas in populis feci. Cùmq; conterritus ille interrogaret quid hoc ſibi vellet, cuncta,quæ geſſerat, ſimpliciter pandit. At ſenior obſtupeſcens, ſuſpiransq;, ac lachrymans ait: Væ nobis; in quantũ audio, à tentatore deluſus es; vade, age pœnitentiam, ne vltra tibi præualeant eius doli. Quod ille intelligens, & periſſe ſe timens, cùm fletu ad pedes eius proſternitur, rogans vt pro ſe Dominum deprecaretur. Cui, Veni, inquit, & pariter eius omnipotentiam pro ſalute animæ tuæ poſcamus non eſt enim difficilis Dominus ſe confitentibus miſereri, cùm ipſe per Prophetam dicat: Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat. Orantibus autem illis, aduenit iterum tentator in ſimili ſpecie ad Secundellum Diaconum dicens: Nonne præceperam tibi, eò quòd oues meæ morbidæ eſſent,& paſtore indigerẽt,vt egredereris,& viſitares, atq; opẽ ſanitatis eis

tribueres? Et ille: In veritate cōperi, quòd ſeductor ſis, neq; te Deum credo, cuius te ſpeciem mentiris habere. Tamen ſi Chriſtus es, crucem tuam, quam reliquiſti, ipſam oſtende, & credam tibi. Cùmq; non oſtenderet, Diacono Crucem Domini 3 in os eius faciente, confuſus euanuit. Rurſum verò ad eum veniēs cū multitudine dæmonū, tanta illū cæde afflixit, vt vix putaret euadere poſſe; & diſcedens nuſquam comparuit. Idem poſtea Diaconus in ſumma ſanctitate perdurans, die debito defunctus eſt.

3 Vides quomodo ad ſignum ſanctæ Crucis dæmon effugatur?

Beatus verò Friardus cùm magnis virtutibus effulgeret, quadam vice effractum è vento ab arbore ramum, quem, vt ferunt, ipſe inſeuerat, collegit, compoſitumq; baculum ſibi exinde, quem manu gereret, fecit. Poſt multum verò tempus, iam areſactam virgam in terra plantauit, infuſaq; aqua ſæpius, baculus ille frondes emiſit, & poma, atq; intra duos, aut tres annos in magnam arboris proceritatem diſtentus excreuit. Quod cùm grande miraculum populis cernentibus haberetur, & quotidie ad hanc viſendam magna turba conflueret, ita vt etiā ipſam remotionem inſulæ virtus prodita publicaret, ſanctus Dei ne vanægloriæ labe ſubrueret, arborem arrepta ſecure ſuccidit. Rurſusq; ſanctus alterius arboris ruinam cernens, quæ acta venti violentia floribus plena corruerat, miſericordia motus orauit dicens: Ne pereat, quæſo, Domine, huius arbuſculæ fructus, quæ te iubēte florum ornamenta produxit, ſed potius à te incrementum reparationis indultum, fructuum mereatur adipiſci effectum. Et hæc dicens, accepta ſecure amputauit arboris columnam ſuper radices, quæ adhuc hærebant, columnāq; ipſam in modum ſudis fecit accutam, ac eam terræ defixit. Mox ligatis ſine radice ramis, & ad priſtinum reſtitutis ſtatum, flores, qui aruerant, viruerunt. Ipſo quoq; anno hæc arbor fructus cultori ſuo reſtituit. Credo ego de miſericordia Dei, quod miraculum præſens exigit loqui, quia obtinere potuit hic oratione ſua vitā mortuis à Domino impertiri, qui obtinuit arbores aridas in rediuiua viriditate frondeſcere.

Idem cùm plerunq; tranſitum ſuum fratribus prædiceret, quadam die tactus à febre dicit ſuis: Ite ad Felicem Epiſcopum, & nunciate ei diſceſſum meum, dicentes: Frater tuus Friardus dixit: Ecce conſummato curſu vitæ huius, de hoc mundo abſoluor; & vt certior ſis de hoc verbo, die Dominica tranſitum accipio, & vado ad requiem, quam mihi promiſit Rex æternus Deus. Veni, obſecrò, vt videam te, priuſquam obeam. Cùmq; ille occaſione neſcio qua detineretur, mandatum miſit dicens: Rogo, ſi fieri poteſt, vt me modicum expectes, donec moris actionum diſſolutis, ad te vſq; perueniam. Reuertentibus verò nuncijs, & iſta dicentibus, cùm iam lectulo decubaret, ait: Surgamus ergo, & ſuſtineamus fratrem noſtrum. O virum ſanctitate ineffabilem, qui quanquam feſtinaret diſſolui, & cum Chriſto eſſe, non tamen oblitus charitatem, obtinuit apud Dominū adhuc eſſe in mundo, vt fratrem cerneret corporali intuitu. Sed nec illum infimi reor fuiſſe meriti, pro cuius aduentu Dominus huius ſancti dilatare dignatus eſt diem; nam de illius tarditate accepto nuncio, protinus quieſcente febre ſanus ſurrexit à lectulo. Poſt multum verò tempus adueniente Epiſcopo, à febre corripitur, ingreſſumq; ad ſe ſalutat, & oſculatur dicens: Grandes mihi moras de itinere debito facis, ò ſancte Sacerdos. Quibus vigilantibus nocte, quæ erat Dominica, manè facto, tradidit ſpiritum. Eo autem emiſſo, mox omnis cellula ab odore ſuauitatis repleta tota contremuit. Vnde indubitatum eſt Angelicam ibi affuiſſe virtutem, quæ ſancti meritum ſignans, cellulam diuinis faceret aromatibus effragrare. Cuius glorioſum corpus Sacerdos ablutum recondidit in tumulo, & Chriſtus animam 4 ſuſcepit in cœlo relinquentem terrigenis exempla virtutum.

4 Ecce quomodo animæ ſāctorum poſt mortem recipiuntur in cœlo.

VITA SANCTI
CALVPPANIS RECLVSI.

SEMPER paupertas ſeculi regna reſerat cœli, atq; vtentes ſe non modò præparat polo, verumetiam glorificatos miraculis illuſtres eſſe declarat in mundo. Quo fit vt dũ illa ergaſtularis contritionis reuinctio paradiſi ianuam patefacit, anima Angelicis choris inſerta in requie ſempiterna perſultet; ſicut nunc de beato Caluppane recluſo, quod verum cognouimus, prorſus ſilere nequimus.

Hic autem ab ineunte ætate ſemper religionis Eccleſiaſticæ bonũ quæſiuit, & reperit, & apud monaſterium Meletenſe termini Aruerni conuerſatus, in magna humilitate 1 ſe fratribus præbuit. Erat etenim ſummæ abſtinentiæ, ita vt ab inedia nimium attritus quotidianam cum reliquis fratribus operam explere nequiret. Vnde, vt mos eſt monachorum, magnum improperium inferebãt, dicente ſibi Præpoſito: Qui non deliberat laborare, indignè poſtulat mãducare.

1 Vide ſancti humilitatẽ, abſtinẽtiam, & opus manuum.

Dum autem ille aſſiduè vteretur his exprobrationum verbis, vallẽ haud procul à monaſterio conſpicatur, de cuius medio lapis, natura præbente, conſurgẽs prouehitur in excelſum, quaſi quingentis, aut eo ampliùs pedibus, nullam penitus habens cum reliquis montibus circumpoſitis coniunctionem. Cuius vallis medium fluuius alluit, qui hunc montem placidè contingens dilabitur. In huius ergo lapidis ſciſſuram, quod priſcis quondam propter tranſitum hoſtium receptaculum fuit, eremita ſanctus ingreditur, & exciſo lapide habitacula ſtatuit, in quæ nunc per ſcalam valde difficilem ſcanditur. Locus etenim ille tam difficilis eſt ad incedendum, vt etiam feris beſtijs illuc accedere ſit labor. In hoc loco oratorium paruulum fecit; cui oranti, vt ipſe nobis cum lachrymis referre erat ſolitus, ſerpentes ſuper caput eius ſæpiùs decidebant, & inuoluentes ſe circa collum eius, non minimum ei inferebant horrorem. Sed quia diabolus ad ſpeciem callidi ſerpentis habetur, non ambigitur eius has fuiſſe immiſſionis inſidias.

Nam cùm ille ad hæc perſtaret immobilis, nec moueretur minorum anguiũ ictibus, quodam die duo dracones immenſæ magnitudinis ad eum ingreſſi, aſtiterunt prope; quorum vnus (vt arbitror) ipſe dux tentationis validior altero erat, qui erecto pectore os ſuum contra os beati quaſi aliquid muſſitaturus erexit. At ille timore perterritus tanquam æneus valde diriguit, nullumq; penitus membrum mouere poterat, neq; manum eleuare, vt ſignum beatæ Crucis opponeret. Cùmq; ambo diutiſſimè in ſilentio conſtitiſſent, venit in mentem ſancto per ſpiritum, vt orationem Dominicam, etſi labia mouere non poterat, vel corde clamaret. Quam dum tacitus pronunciat, cœperunt paulatim membra eius, quæ inimici fuerant arte reuincta, diſſolui; & ſentiens ſe manum dexteram habere iam liberam ori ſignum 2 beatæ Crucis imponit, rurſumq; conuerſus ad hydram, pingit iterum Crucem Chriſti aduerſus eam, dicens: Tu'ne ille es, qui protoplaſtum de Paradiſi habitaculo proieciſti, qui germani dexteram parricidio ruentaſti, qui Pharaonem, vt populum Dei perſequeretur, armaſti, qui ad

2 Signum beatæ Crucis potentiſſima arma contra omnes diaboli tentationes.

extremum ipſum Hebræum populum, vt inuidia ſuccendente perſequeretur Dominum, excitaſti? Diſcede à ſeruis Dei, à quibus ſæpiùs ſuperatus diſceſſiſti confuſus. Tu es enim in Cain proiectus, in Eſau ſupplantatus, in Golia proſtratus, in Iuda traditore ſuſpenſus, & in ipſa illa Dominicæ virtutis Cruce cũ poteſtatibus, & dominationibus tuis triumphatus, atq; contritus es. Abde nunc,
3 inimice, caput, & humiliare ſub ſignaculo Crucis diuinæ, quia non eſt tibi portio cum ſeruis Dei, quorum eſt hæreditas regnum Chriſti. Hæc, & huiuſmodi ſancto dicente, Crucem'q; per ſingula faciente, Draco huius vexilli 2 virtute confuſus, viciſſim ſe humilians terræ ſubditur. Sed dum hæc agerentur, ille alius circa pedes, & tibias ſancti in inſidijs voluebatur. Cùm'q; hunc pedibus ſuis circunfuſum ſanctus Eremita videret, orationem faciens, eum abire iuſſit, dicens: Vade retro, Satana, nihil mihi in nomine Chriſti mei poteris vltra nocere. At ille vſq; ad limen cellulæ egreſſus, ſonum validum per inferiorem partem emiſit, & tanto cellulam fœtore repleuit, vt nihil aliud, quàm diabolus credi poſſet; nec vltra coram ſancto aut ſerpens, aut draco comparuit.

3 Vide virtutẽ vexilli ſãctæ Crucis.

4 Oratione fuſa aquam viuam à Domino ſanctus vir impetrauit.

Erat autem aſſiduus in opere Dei, nec vacabat ad aliud, niſi aut legeret, aut aliquid oraret. Etiam cùm parumper cibi caperet, ſemper orabat. Sumebat interdum piſcem de flumine, raró quidem; ſed cùm voluiſſet, opitulante Domino, confeſtim aderat. Cibum panis non aliunde ſumebat, niſi qui de monaſterio mittebatur. Si quis verò deuotorum panes detuliſſet, aut vinum, id in cibos deputabatur egentium, illorum tamen, qui ab eo aut ſignum ſalutare ſuſciperent, aut refectione foueri ſoliti eſſent, illud Domini recolens, quod in Euangelio de turbis, quas à diuerſorum morborum contagio ſanauerat, dixit: Dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via.

5 Si à Pontifice conſecutus eſt Preſbyterij gradum, non eſt verũ quod dicunt modò quidã, Omnes homines ex æquo eſſe ſacerdotes.

6 Mos erat ſãcto viro ſalutare Crucis ſignaculum viſitantibus imponere.

Sed nec illud beneficium occuli debere arbitror, quod ei in loco illo diuina pietas eſt largita. Nam cùm à profundo vallis illius, quaſi ſtadia decem aqua deferretur, orauit Dominum, vt ei in ipſo cellulæ ſuæ habitaculo fontis venam oſtenderet. Et non defuit virtus illa cœleſtis, quæ quondam ſitientibus populis aquas produxit è ſilice. Statim igitur ad huius orationem 4 gutta laticis à caute prorumpens, cœpit ſolum ſtillis frequentibus irrigare. At ille munere cœleſti congaudens, concauum in lapide paruulum in modũ ciſternæ faciens, quod tenebat quaſi condia duo, lymphas diuinitus ſibi indultas ſuſcipiebat; de quibus tantùm ei miniſtrabatur per dies ſingulos, quantum ipſi, puero'q; ſufficeret, qui ei miniſter fuerat datus. Acceſſimus autem & nos ad locum cum beato Auito Epiſcopo, & ex omnibus, quæ narrauimus, q̃dã ab ipſo relata cognouimus, quædam oculis proprijs inſpeximus. A memorato autem Pontifice Diaconatus, ac Presbyterij 5 ſortitus eſt gradũ, & multa populo diuerſis vexato morbis remedia contulit. Nulli tamen cellulam egreſſus ſe præbuit contemplandũ, ſed tantum per feneſtellam extendens manum, ſalutare ſignaculum 6 imponebat. Et ſi à quoq; viſitatus fuiſſet, ad hanc accedens ſpeculam, orationem, colloquium'q; præbebat. Deniq; in hac religione curſum vitæ conſummans, quinquageſimo, vt opinor, æui anno migrauit ad Dominum.

VITA SANCTI AEMILIANI EREMITAE,

ET BRACHIONIS ABBATIS.

QVANTVM diſciplina cœleſtis ſe cuſtodientibus præbeat, quantum'q; non cuſtodita negligentibus auferat, per os Pſalmographi Spiritus ſanctus pandit. Apprehendite, inquit, diſciplinam, ne quãdo iraſcatur Dominus, & pereatis à via iuſta. De bonis autem Salomon ait: Diſciplina patris erit ſuper eum. Diſciplina ergo hæc timorem Domini facit; timor autem Domini initium ſapientiæ præbet: ſapientia verò diligere Deum docet; dilectio tandem Dei hominem à terrenis ſubleuat, ad cœlos euocat, paradiſo locat, in qua felicium animæ ex illius vitis vitalis ſumpto vini noui liquore epulantur in regno Dei. Deſiderare ergo oportet homines huius vitis haurire myſterium, vt accedere valeant ad illum tam iucundæ habitationis amœniſſimum locum. Nã ſi iſtæ, quas nunc cernimus, vites per traduces extenſæ, emiſſis palmitibus, pampino intextæ, dependentibus vuis, amœna nos contemplatione lætificant, dum non ſolum proferunt copiam fructuum, verumetiam opportuno nos vmbraculo protegũt igniti ſolis ab æſtu, quas ſcimus poſt aſſumptum fructum temporis legitimi, cadentibus folijs quaſi aridas reddi; quantò magis illa deſiderare debemus, quæ nullo fine deficiunt, neq; vllo tentationis æſtu marceſcunt, vbi ſpe præterita, res ipſa, quæ ſperabatur, iam tenetur? Hæc multi deſiderantes non modò facultates proprias reliquerunt, verumetiam deſerta quæque, & inculta aggreſſi ſunt, vt ſitim huius deſiderij ſolitariæ ac remotioris orationis patrocinio, lachrymarum'q; fluento reſtinguerent; ſicut nunc beatus Aemilianus nouus noſtris temporibus Eremita feciſſe probatur.

Hic igitur relictis parentibus, ac facultate propria, eremi deſerta petiuit, & ſe intra ſecreta ſyluarum Pontiniacẽſium Aruerni territorij abdidit, in quibus deciſa ſylua, modicum deplanans campum, raſtroq; ipſam effodiens humum, vitæ eliciebat alimentum. Habebat & hortum paruulum, quem aqua ſuperueniente rigabat, de quo olus ad refectionem nullo impinguatum adipe præſumebat, ſolatium verò, excepto Dei adiutorio, nullum habebat. Cohabitatores enim beſtiæ, aues'q; illic erant, quæ ad eum quotidie, tanquam ad Dei famulum confluebant. Vacabat autem 1 ieiunijs, & orationi, nec eum ab hac cauſa vlla mundanæ ſolicitudinis occaſio impedire poterat, quia præter Deum aliud nihil habebat.

1 Vacabat ſanctus ieiunijs, & orationi.

Erat autem tunc temporis apud Aruernã vrbem Siginaldus magna potentia præditus, in cuius ſeruitio erat adoleſcẽs quidã, nomine Brachio, quod corũ lingua

interpretatur Vrſi catulus. Hunc antedictus vir ad capeſſendam porcorum ſylueſtrium venationem delegerat;ibat'q; cum ingenti moloſſorũ turba circũiens ſyluas,& ſi quid cœpiſſet, domino deferebat. Quadã verò die dum ſuẽ imm ẽſi corporis cum allatrantium turba proſequeretur,ſus intra ſepta, quæ circa cellulam ſancti erant,ingreditur. Proſequens verò canum turba cum latratu,vſq; ad aditum acceſſit veſtibuli,mox'q; in ſuis hæſit veſtigijs, nec ingredi eſt permiſſa poſt ſuem. Quod cernens Brachio,& cœlitus hæc adueniſſe admirans,ad cellulã ſancti ſe confert, vidit'q; ſuem ante oſtium ſtantẽ, & nihil penitus formidantem. Conſalutatus autem,ac oſculatus à ſene,inuitatur ad reſidendum. Quibus conſedentibus,ait ſenex: Video te,fili dilectiſſime,in grandi elegantia compoſitum,& ſequi ea,quæ magis detrimentum animæ præparant,quàm ſalutem. Relinque,quæſo, terrenum dominum, & ſequere Deum verum cœli, terræ'q; factorem,cuius nutu omnia gubernantur, cuius imperio omnia ſubduntur, cuius maieſtate ipſa,quam cernis,beſtia aſtat intrepida. Non te tumidum faciat, aut extollat potentia domini tui,quæ nihil eſt; ſic enim ait Paulus Apoſtolus:Qui gloriatur,in Domino glorietur: & alibi: Si hominibus placerem,Christi ſeruus non eſſem. Subde te eius ſeruitio,qui ait: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis,& ego reficiam vos. Ipſe eſt Dominus,cuius onus leue eſt, cuius iugum ſuaue eſt,cuius cultus & tribuit præſentia,& vitam largitur æternã. Sic enim ait: Si quis renunciauerit omnibus,quæ poſſidet,centuplum accipiet, & inſuper vitam æternam poſſidebit.

Hæc,& his ſimilia ſenex viriliter differente,ſus illæſus ſyluas petijt, puerq; diſceſſit ab eo non ſine grandi admiratione,quòd aprum, quem inchoauerat ſequi ferum, in conſpectu ſenis manſuetum aſtare vidiſſet, vt agnum. Plurima igitur animo tractans,ac multum ſecum reuoluens quid ageret,quid'ue faceret, vtrum ſeculum relinqueret,an ſeculo deſeruiret,tandem compunctus à diuina pietate,& credo ſancti Aemiliani oratione,aditum quærere cœpit occultè qualiter clericus eſſe poſſet, quia publicè propter terrenum dominum non audebat. Itaq; cùm eſſet adhuc laicus,in nocte bis,aut ter de ſtratu ſuo conſurgens, terræ proſtratus orationem fundebat ad Dominum; neſciebat tamen quid caneret, quia literas ignorabat. Videns autẽ ſæpiùs in oratorio literas ſuper 2 iconas Apoſtolorum,reliquorum'q; ſanctorum eſſe conſcriptas,exemplabat eas in codice; cùm'q; ad occurſum domini ſui clerici,vel Abbates conuenirent,hic ex iunioribus quem primùm potuiſſet acceſſire,ſecretiùs interrogabat de nominibus literarum; & ob hoc eas intelligere cœpit. Porrò antea, inſpirante Domino, & legit,& ſcripſit,quàm literarum ſeriem cognouiſſet.

2 Ecce quomodo etiã tunc pingebant imagines Apoſtolorũ,& reliquorum ſanctorum.

Exin mortuo Siginaldo ad antedictum ſenem properat,& cum eodem duos, vel tres annos faciens,pſalterium memoriæ commendauit;quem eius germanus plerunq; interficere voluit, quòd nollet matrimonio copulari. Dehinc monachi ad eos additi ſunt. Impletis autem Aemilianus diebus vitæ ſuæ, & circiciter nonagenaria ætate egrediens à corpore, Brachionem reliquit hæredem. Hic ſtabilito monaſterio,obtinuit à Ranichilde Siginaldi memorati filia multa terrarum ſpatia,quæ huic monaſterio dereliquit. Erat autẽ ſaltus ex domo Vindiacenſi. Poſtmodũ de hoc egreſſus monaſterio,Turonos venit, ibiq; ædificatis oratoriis,duo monaſteria congregauit.

3 Globus hic igneus ſuper reliquias ſanctorum apparens,oſtendit eas ſanctas eſſe,& gratiam ſancti Spiritus in eis refulgere.

Quodam autem tempore aduenientes homines peregrini,reliquias ſanctorũ detulerunt ſecum,quas ſuper altare baſilicæ ſancti Martini Turonis locauerũt quaſi in craſtinum profecturi. Affuit et Brachio Abbas, qui vigilans in baſilica, circa medium ferè noctis vidit quaſi globũ ignis immenſi de ſanctis pignoribus 3 emicare,& vſq; ad tẽpli cameram cũ lumine magno conſcendere. Quod non eſt dubiũ aliquid fuiſſe diuinũ. Nulli tamẽ de aſtantibus alijs, niſi illi tantũ

fuit

fuit oſtenſum. Poſt hæc autem regreſſus eſt Aruernum ad prius monaſterium, in quo per quinq; annos inhabitans venit iterum Turonos, ſtabilitisq; Abbatibus in monaſterijs ſupradictis, Aruernum regreſſus eſt.

Cùm verò ad priorem cellulam reſideret, in monaſterium Manatenſe, quod per incuriam Abbatis intepuerat, ordinatur, vt ſcilicet eius ſtudio congregatio ipſa canonicè regeretur. Erat enim caſtiſſimæ 4 conuerſationis; ſed & alios ſtrenuè diſtringebat caſtam gerere vitam; qui erat ſuauis colloquio, & blandus affatu. In transgreſſoribus verò regulæ ita ſeuerus habebatur, vt aliquoties putaretur eſſe crudelis. In ieiunijs, vigilijsq́; & charitate perfectum ſe reddiderat virum.

4 Ecce virtutes, quibus præditus erat ſanctus vir.

Cùmq; tempus migrationis appropinquaret, vidit in viſu, ſicut ipſe beato Auito Epiſcopo retulit, ductum ſe ad æthera in præſentiam Domini, ibiq; Seraphin obnumbrare maieſtatem Domini, turba circunſtante Angelorum, in laudem Dei voces ædente æthereas, Eſaiamq́; Prophetam extenſo volumine, verba, quæ vaticinatus erat, clamare. Dumq; hoc attonitus ſpectaret, expergefactus, ſomniumq; ſuum attentè diſcutiens, & finem vitæ ſuæ, Domino reuelante, cognoſcens, dicit Abbati, quem Priorem ſtatuerat in monaſterio: Locus ille ſecus fluuium, in quo oratorium facere putabā, iucundus eſt valde; ideò rogo, vt quod ego volui, tu expleas, atq; illuc oſſa mea transferre non abnuas. Quo migrante, & in oratorio prioris cellulæ ſepulto, cùm Abbas iniunctum cuperet opus explere, nutu Dei lapides coctos antiquitus, & fundamentum in ea menſura, qua ipſe ponere cogitabat, nactus eſt; perfectoq; ædificio, detexit Abbatis ſepulchrum. Quo patefacto, reperit corpuſculum ita illæſum, vt putaretur ante diē alterum fuiſſe defunctum. Et ſic cum gaudio, proſequente caterua monachorum, quam ipſe docuerat, in locum illum poſt duos annos translatus eſt.

VITA SANCTI LVPICINI RECLVSI.

ATHLETAE Chriſti, atque triumphatores mundi, vitæ iſtius fugitiuæ iacturam facere cupientes, pertendere ad illam vitam voluerunt, quæ in exultatione perpetua manet, quæ nullo gemitu obſtrepit, nec vllo fine concluditur, cuius lumen nunquam extinguitur, cuius ſerenitas nulla obſcuritate nubis obtegitur. Ideoque ſemper præſentium dolorum contumelias pro nihilo habuerunt, ſcientes ſe in paucis vexatos, in multis benè diſponendos. Et ob hoc quiſquis ille eſt, qui in iſto agone contendit, metu non terretur, pœna nõ ſoluitur, dolore non frangitur, vt tantùm illa æternæ iucunditatis amœnitate cũ electis Dei perfrui mereatur; ſicut multos feciſſe nouimus de ſanctis viris, quorum nunc vita tractatur, aut legitur.

1 Vide auſteritatem victus & potus ſancti viri, necnon vigilias & pſalmodiam.

Igitur Lupicinus quidã magnæ vir ſanctitatis, fortiſſimusque in operibus Dei, qui primùm eleemoſynas per domos deuotorũ depoſcens, quæcunque acquirere potuiſſet, ſibi ſimilibus erogabat, ad extremum iam mediam habens ætatem, ad vicum Berberenſem, qui nunc Lipidiaco dicitur, veniens, parietes antiquos reperit, ibique recluſus ab omnium ſe hominum aſpectibus inhibebat, ac per modicam feneſtellam parumper 1 panis, vel aquæ accipiens, quod ei aliquoties, etſi eſſet valde exiguum, vſque ad diem tertium perdurabat. Aqua enim per canalem paruulum inferebatur; feneſtella verò velo operiebatur, ac vtriuſque aditus ita obtectus erat, vt nullus beatũ eius vultum poſſet aduertere. Et dum ibidem die noctuque in Dei laude pſalmorum modulis delectatur, tormentum ſibi, quod corpuſculum plus grauaret, adhibuit, non immemor verborum Apoſtoli: Quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Lapidem namque grandem, quem duo homines vix leuare potuerunt, ceruici impoſitum, tota die, dum Deo caneret, per cellulam deportabat. Nocte autem ad additamentũ iniuriæ, in virga, quam manu gerebat, duas defixerat ſudes, deſuper acumina parans, quæ ad mentum ſuum, ne ſomnum caperet, ſupponebat. Denique ad extremum vitæ tempus, corrupto pectore à pondere ſaxi, ſanguinem per os eijcere cœpit, quem per parietes præfatos proijciens ſpuebat. Plerunque autem fidelibus viris nocte ad cellulam clam appropinquantibus, quaſi vox multorum pſallentium reſonabat. Sed & multos infirmos, & præſertim ab acceſſionibus frigoriticis, vel puſtulis malis oppreſſos, tactu 2 tantùm, vel ſigno ſalutari impoſito, ſanitati reſtituebat.

2 Nota, Tactu tantùm, vel ſigno ſalutari impoſito, ſanctus infirmos ſanitati reſtituebat.

Cùm autem iam ſenio inclinatus eſſet, vocauit miniſtrum ſuum, dicens: Præteritum tempus occulendi fuit, manifeſtandi nunc tempus aduenit; ſcito ergo me poſt triduum ab hoc ſeculo liberandum. Voca ergo nunc fideles quoſque fratres, & filios, quibus ſum vale dicturus, vt veniant ad nos viſitandum. Illuceſcente autem die tertia cõfluentibus fratribus, oſtiũ, quod clauſum erat, aperuit, atque ingredientibus cunctis, qui aderant, conſalutatis, deoſculatisque, orationem fudit ad Dominũ, dicens: Gratias tibi ago, Domine Ieſu Chriſte, qui me ſaluari

iuſſiſti ab huius mundi impedimentis,& ita me fouere dignatus es in hoc ſeculo,vt nihil ſuum in me auctor criminis inueniret. Et conuerſus ad plebem ait: Magnificate,quæſo,dilectiſſimi, Dominum mecum,& exaltemus nomen eius in commune,qui me erectum de ſtercore,erutum de tenebrarum opere, amicorum ſuorum fecit eſſe conſortem; qui miſit Angelum ſuum ad me accerſendum ab hac mundana ſtatione,& pollicitus eſt me in requiem ſempiternam perducere, vt collega amicis eius effectus,mereretur regno eius aſcribi. O' beatum virum,qui ita cõſolari meruit in hoc corpore,vt prius cognoſceret quo erat fruiturus in cœlo, ꝙ 3 migraret à ſeculo; meruitq; hîc obtinere apud diuinam potentiã,quod Dauid ſæpius decantabat: Notum fac mihi Domine finem meum, & numerũ dierum meorum,vt ſciam quid deſit mihi. Dehinc humo incumbens, ſpiritũ cœlo intentum præmiſit ad Dominum.

3 Vides ſãctos exeuntes à ſeculo cœlum petere?

Tunc omnes in fletu proſtrati,alij plantas oſculantur,alij fimbrias veſtimenti diripiunt, alij de pariete beatum ſanguinem,qui ab eius ore fuerat proiectus, inter ſe certantes excudunt. Miſerum ſe quiſq; dicebat,ſi immunis ab eius pignoribus diſceſſiſſet. Teſtis eſt hodie quoq; & ipſe paries, qui tot foſſulis patet, quot ab ore beati confeſſoris ſputos emeruit. Teſtis eſt & ipſe canalis, de quo vir beatus aquam ſumpſit ad vſus, quem fideliter oſculantes,hauriunt ſanitatē. Iam vidi ego multos,qui euulſos à pariete ſacrati oris ſputos 4 in diuerſis infirmitatibus ponentes,meruerunt accipere medicinam.

4 Perpēde quãti fuerit meriti vir beatus, cuius etiam ſputum infirmis ſanitatē præſtiterit.

Deniq; hoc,vt diximus, defuncto,affuit quædam matrona,quæ ablutum dignis induit veſtimentis; & cùm eum ad vicũ Tranſaliacenſem inferre vellet,reſtitit ei populus pagi Lipidiacēſis dicens: Noſtrum hũc ſolum fouit, nobis corporis eius gleba debetur. Matrona autem reſpondebat ad hæc: Si aliqua de victus eius exprobratis neceſſitate, ſæpiùs ei ego & triticum miſi, & hordeum, quod vel ille ſumeret,vel alijs miniſtraret. At illi dicebant. Noſtri generis homo effectus eſt, noſtri fluminis aquas hauſit, noſtra eum terra cœlo trãſmiſit. Aequum'ne ergo eſt,vt tu de terra aliena veniens rapias eum de manu noſtra? Noueris autem, quia non hoc ſuſtinebit quiſquam noſtrum; ſed hîc ſepelietur. Matrona reſpondit: Si germen ſtirpis eius inquiritis,ex alijs hic regionibus aduentauit;ſi aquas fluminis ingeritis,parum ſitim eius mollierunt, quam potiùs è cœlo manans fons ille reſtinxit. Cùm'q; hæc,& huiuſcemodi inter ſe verba proferrent,& Lipidiacenſes effoſſa humo,& depoſito ſarcophago eum ſepelire niterentur,conuocatis matrona auxilijs,fugatis pagēſibus,rapuit ſanctum corpus, ac ferre cœpit in feretro ad vicum Tranſaliacenſem,diſpoſitis in itinere pſallentium turmis cum Crucibus, cereis,atq; odore fragrantis thimiamatis. Quod illi cernentes,pœnitentia moti,miſerunt poſt matronam, dicentes: Peccauimus reſiſtendo tibi, profectò enim cognoſcimus in hoc eſſe Domini voluntatem. Nunc autem petimus,vt non abijciamur ab huius funeris obſequijs, ſed admittamur officijs eius. Illa verò permittente,vt ſequerentur,coniunctus eſt vterq; populus,& ſic pariter vſq; ad Tranſaliacenſem vicum venientes,celebratis miſſis 6 beatum corpus cum ſummo honore,gaudioq; ſepelierunt. In quo vico ſæpiùs ſe beatiſſimus in virtutibus declarauit. Sed & Lipidiaco plerunq; opus eius ſanctum oſtenditur. Vterq; enim locus vnius ſancti præſidijs communitur. Fortaſſis autem quorundam incredulorum latratus ad hæc conatur obſtrepere; ſed nouerit à me viſum Deodatum Presbyterum ſummam octogenarij æui ferentem,qui mihi hæc,vt ſcripta ſunt,contulit,confirmans ſacramento nihil ſe de his admixto mendacio enarraſſe.

5 Vide Chriſtianum ſepeliendi mortuos morem, cum multitudine pſallentium,cũ Crucibus, cereis, atq; odore fragranti.

6 Ecce quomodo in tumulandis mortuis Miſſæ celebrantur. Ecce ſepulturam quoque honorificã & gaudio plenam.

VITA SANCTI
MARTII ABBATIS.

MAGNVM nobis diuina pietas largita eſt beneficium, cùm delictis noſtris fieri præcepit de remiſſione refugium, ſi negligentibus ignoſcamus, ſi indulgeamus lædentibus, ſi odientibus nos ècontrario commodum benedictionis impertiamus, dicente Domino Ieſu Chriſto: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro calumniantibus, & perſequentibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt. Ecce quàm magnum theſaurum congregat contemptus iræ, reconciliatio damnati, remiſſio iudicati; filium te Dei Patris facit, cohæredem Chriſti aſcribit, cœleſtibus regnis habitatorem ſtatuit. Vnde manifeſtum eſt oblita delicta eius in cœlo, qui delinquenti beneficium veniæ impertitur in ſeculo. Sic enim Dominici oris ſententia prolata teſtatur: Si, inquit, dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & Pater veſter cœleſtis peccata veſtra. Cùm verò ſupplices famulos docet orare, ait: Sic enim dicetis ad Patrem: Dimitte nobis debita noſtra, quēadmodum & nos dimittimus debitoribus noſtris.

1 Vide ſancti viri exercitia.

2 Priſci patres luxuriæ incitamēta duro abſtinentiæ rigore frangebant.

Igitur ſanctus Martius, beatus Abbas, ſanctitate præclarus, diuinis eruditus ſtudijs, huius ſententiæ bonum retinuit corde, vt libenter dimitteret delinquenti; & non ſolùm ignouit noxam, verumetiam munere præbuit gratiam, ne in aliquo vilem redderet culpati perſonam. Sed ante de conuerſatione eius pauca locuturi ſumus, priuſquam ad huius beneficium accedamus. Beatiſſimus hic Martius Aruernæ vrbis Abbas, eiuſdem territorij fuiſſe incola fertur, & à pueritia ſua religioſam agens vitam, totum ſe Dei operibus dedicauit. Erat enim parcus 1 in cibis, largus in eleemoſynis, promptus in vigilijs, in orationibus valde deuotus, totis viribus luxuriam 2 abſtinentiæ freno, ac parcitatis agone coërcens, ne ſibi aliquid ſubrepere poſſet. Non immeritò Martius vocitatus, qui fortiter, ac ſtrenuè pullulantes actionum mortalium cogitationes, gladio Spiritus ſancti in ipſo dimicationis exordio ſuccidebat, non ſurdus auditor exhortationis: Accingite vos armatura Dei, & gladio Spiritus ſancti, vt poſſitis ignita diaboli tela contemnere. Cùmꝗ; ad ætatis legitimæ perfectionem veniſſet, & tanquam ſidus egregium in illa vrbe fulgeret, adhuc aliquid ſibi deeſſe putans, haud procul ab ea ſeceſſit, acceptoꝗ; ſarculo montem lapideum cædere cœpit, in quo cellulas ſculpens, habitacula ſibi paruula fecit, ſcilicet vt arctiùs ſobrietatis cathena conſtrictus, faciliùs Deo omnipotenti precum thura, laudationumꝗ; holocauſtomata ſuper cordis mundi altare proferret, recolens Dominū dixiſſe per Euangelium: Intra in cubiculū, & clauſo oſtio ora Patrem tuum; & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. Sciebat enim, Angelicæ ſibi viſitationis conſolationem affore, ſi ſe ab humanis aſpectibus longiùs amouiſſet.

In hac ergo rupe cauati montis, habitationi res neceſſarias præparabat, formans in antro ex ipſo lapide ſcamnum, & cellulam, ſiue lectulum, in quo poſt

laborem multum feſſo corpuſculo requiem indulgeret. Sed erant hæc immobilia, quia ex ipſo lapide inciſæ maſſæ ipſi petræ inhærebant. Nihil autem ſuper eam, cùm quieſceret, ſternebat, ſed tantùm cum veſtimento, quo indutus erat, decumbebat, non alios habens tapetes, plumellas, aut ſtragula, quo hæc operirentur; nihil enim habebat proprium, niſi Dei cultum, in quo indeficiens permanebat. Victum ei interdum deuotorum largitio miniſtrabat. Deniq; æternus Dominus, qui iugiter glorificat ſanctos ſuos, cœpit cœleſte famuli meritum terrigenis declarare, vel qualis eſſet cultor ſuæ diuinitatis oſtendere, dum ei curationum gratiam dignatus eſt impertire. Nam dæmones de obſeſſis corporibus in nomine Ieſu Chriſti verbo fugabat; venenum malæ puſtulæ Crucis ſignaculo opprimebat, quartanis, tertianiſ'ue febribus infuſo benedicti ʒ olei liquore medebatur; & multa alia beneficia populis annuente largitore bonorum omniũ tribuebat.

ʒ Nota, Febribus infuſo benedicti olei liquore medebatur.

Ad tanti viri famam cœperunt quidam ad eum confluere, gaudentes eius inſtrui diſciplinis. Quid plura? Colligit viros, format monachos, efficit ad opus Dei perfectos; erat enim ei magna patientia, tantamq; aduerſus ſuſtinendarum iniuriarum tela ſumpſerat bonitatem, vt putares eum lorica dulcedinis eſſe vallatum. Erat autem monachis hortus diuerſorum olerum copia ingenti refertus, arborumq; & fructuum, amœnus viſui, & fertilitate iucundus; ſub quarum arborum vmbraculo, ſuſurrantibus auræ ſibilo folijs, beatus ſenex plerunq; ſedebat. Quidam autem imprudens, & ſine timore Dei, gulæ circumſcriptus deſiderio, effracta ſepe horti, furtiuo eſt ingreſſus aſcenſu, ſicut Dominus exprobrat in Euangelio: Quia qui non intrat per ianuam, hic fur eſt, & latro. Porrò autem erat noctis tempus, nec enim poterant hæc niſi in nocte perpetrari, quia omnis, qui malè agit, odit lucem. Hic igitur collectis oleribus, cepiſq;, & allijs, atq; pomis, oneratus faſce fraudis iniquæ ad aditum, quo ingreſſus fuerat, pergit, ſed nequaquam reperit exitum. Grauata onere conſcientia terretur, & inter labores põderum alta ſuſpiria ducit, ſuſtentatur interdum ſuper columnas arborum. Circuit iterum iterumq; omnem ambitum horti, & non modò oſtium non reperit, verumetiam nec ipſum, quem inter nocturnas tenebras patefecit, aduertit ingreſsũ. Torquetur verò duplici cruciatus dolore, ne aut teneatur à monachis, aut à iudice capiatur. Inter has cogitationum faces nox ei elongatur, iubarq; lucis deſideratæ non redditur. Abbas verò in pſallentio noctem ducit, &, vt credo, reuelante Deo, quæ gerebantur, agnoſcit. Etenim albeſcente iam polo, vocat Præpoſitum, dicens: Accurre velociùs ad hortum, bos enim petulcus ingreſſus eſt in eum, ſed nihil læſit ex eo. Accede nunc, & impoſitis neceſſarijs, dimitte eum; ſic enim legitur: Boui trituranti os non colligabis. Præpoſitus verò non intelligẽs quæ narrauit, abijt vt impleret iuſſionem. Quẽ cùm vidiſſet homo appropinquantem, proiectis in terram, quæ ſumpſerat, fugere cœpit, ac inter ſpinas, & rubos caput immergit, & in modum porcorum aditum, vnde egrederetur, conatur aperire. Quem monachus apprehendens ait: Ne timeas, fili, quia ſenior noſter miſit me, vt ducam te ab hoc loco. Tunc collecta monachus quæ ille proiecerat, tam poma, quàm olera, impoſuit humeris eius, & aperto oſtio dimiſit eũ, dicẽs: Vade in pace, & ne vltra repetas, quæ ignauia comitante geſſiſti.

Ipſe quoq; Sacerdos, velut iubar veri luminis in orbe reſplendens, infirmitatũ morbida, virtutum efficacia pellebat aſſiduè. Niuardus quidam diurna febre detentus, dũ aquas æſtuãs ab ardore haurit aſſiduè, ab hydrope intumuit, ita vt tã venter, quàm ſtomachus in modũ veſicæ cerneretur extenſus. In deſperatione ergo pro tali infirmitate poſitus deferri ſe ad ſanctum beneficio plauſtri depoſcit. Deniq; eleuatur à lectulo, imponitur ſuper vehiculum, atq; ad cellulam ſancti perducitur, deprecans humiliter, vt ſibi Sacerdos Dei manus imponeret.

4 Orat ſanctus proſtratus,& tactu ſanat infirmum.

At ille proſtratus 4 in oratione coram Domino,conuerſus eſt ad infirmum; tactuq; blandiſſimo eius membra contrectans,eum in contemplatione aſtantium reddidit ſanum. Nam ita fertur tumor omnis ante digitos eius aufugiſſe de corpore obſeſſo,vt nullum in eo vlterius ægritudinis remaneret indicium. Hæc autem à mei genitoris relatione cognoui,eò quòd ei fuerat hic Niuardus in amicitiæ coniunctione deuinctus. Aſſerebat autem idem vidiſſe ſe quoq; ſanctum atq; eius miracula expertum. Nam cùm eſſet adhuc puer quaſi annorum vndecim,ab illo tertianarum ardore febrium occupatur. Tunc amici apprehenſum puerum duxerunt ad virum Dei; erat enim iam ſenex,& proximus reſolutionis diei, caligabantq; oculi eius. Poſita verò manu ſuper puerum, ait: Quis eſt hic,vel cuius eſt filius? Reſpõderũt: Famulus tuus eſt,nomine Florẽtius,Georgij quondam filius ſenatoris. Et ille; Benedicat,inquit,tibi Dominus Deus,fili, & ſanare dignetur langores tuos. At ille oſculans manus ſuas, & gratias agẽs abſceſſit ſanus. Aſſerebat autem nunquam deinceps ſe in omni vita ſua ab hoc contagio fuiſſe pulſatum.

5 Ecce ſancti honorificam ſepulturam.

6 Vide quomodo infirmi confugientes ad ſanctorũ ſepulchra ſanentur.

Ipſe iam ætate nonagenaria bono deſudans certamine,conſummato curſu vitæ,ſeruans in Deum fidem,ad illam coronam iuſtitiæ,quam retribuit Dominus, commigrauit. Dehinc cum ſummo honore 5 ablutus, dignisq; veſtimentis indutus,infra oratorium monaſterij eſt ſepultus. Quòd autem beatus eius tumulus diuinis virtutibus illuſtretur,ipſa,quæ aſſiſtit,caterua poterit conteſtari, quæ cùm infirmos 6 mittit ad tumulum, extemplò incolumes domum remittit. Nam cùm diuerſis partibus confluentes,deferentesq; morborum genera,inibi capiant medicinam,frigoriticorum tamen nutantia tremore membra, ſæpiùs ad ſoliditatem integram reſtaurantur,tribuente hoc Domino noſtro Ieſu Chriſto,qui miraculis illuſtribus ſanctorum tumulos glorificat. Ipſi gloria in ſecula ſeculorum.

Amen.

VITA SANCTI SENOCH ABBATIS.

VANITAS vanitatum, dicit Eccleſiaſtes, & omnia vanitas. Verum eſt ergo, quòd omnia, quæ geruntur in mũdo, ſunt vanitas? Vnde fit vt ſancti Dei, quos nullus libidinum æſtus exuſſit, nullus concupiſcentiæ exagitauit ſtimulus, quos nullum luxuriæ cœnum, nec in ipſa, vt ita dicam, cogitatione tentauit, aſtu tentatoris elati, viſi ſint ſibi eſſe iuſtiſſimi, & ab hoc iactantiæ cothurnoſæ perflati ſupercilio ſæpiùs corruerint. Factumq; eſt ita, vt quos non valuit maiorum criminum gladius trucidare, leuis vanitatis fumus addictos facilè peſſundaret; ſicut & ipſe ille, de quo nunc nobis ſermo futurus eſt, cùm multis virtutibus floruiſſet, penè in illo arrogantiæ barathro obrutus occubuiſſet, ſi eum non exhortatio fratrum fidelium attenta recuperaſſet.

Igitur beatus Senoch Pictaui pagi, quem Theiphaliam vocant, oriundus fuit, & conuerſus ad Dominum, clericusq; factus, monaſterium ſibi inſtituit. Reperit enim intra territorij Turonici terminum parietes antiquos; quos erudcrans à ruinis, habitationes dignas aptauit, reperitq; ibi oratorium, in quo ferebatur celebrẽ noſtrum oraſſe Martinum; quod diligenti cura compoſitum, erecto altari, loculoq; in eo ad recipiendas ſanctorum reliquias præparato, ad benedicendum inuitat Epiſcopum. Affuit tunc Euphronius beatus Epiſcopus, qui conſecrato altari, eum Diaconatus honore donauit. Celebratis igitur miſſis, cùm capſulam reliquiarum in loculo cuperent 1 collocare, extitit capſa prolixior, nec recipi in loculum poterat. Tunc proſtratus Diaconus cum ipſo Sacerdote pronus ad orationem, lachrymas precibus mixtas effudit, obtinuitq; petita. Mirum dictu, ita loculus diuinitus amplificatus, capſulaq; conſtricta eſt, vt in eum ſpatioſiſſimè non ſine admiratione reciperetur.

1 Habes hîc dedicationẽ altaris p Epiſcopũ cum Miſſarũ celebratione, & reliquiarum collocatiõe. Habes orationẽ cũ pſtratione, & lachrymis, atq; illius initã exauditionem.

In hoc loco collectis tribus monachis, Domino aſſiduè ſeruiebat, & in primis arcto vitæ tramite incedebat, exiguos 2 cibos, & tenues potiones ſumens. Diebus autem Quadrageſimæ ſanctæ addebatur augmentum abſtinentiæ ciborum diminutione. Nam eſus illi panis tantùm hordeaceus erat, & aqua, de vtriſq; elementis libras ſingulas per dies ſingulos ſumens. Rigorem verò hyemis ſine vllo pedum tegmine pati contentus erat, manibus, ac pedibus, ſimul & collo ferrea cathena reuinctus. Dehinc à fratrum contemplatione ſemotus ſolitaria ſe recluſit in cellula, orans aſſiduè, atq; in 3 vigilijs, & orationibus die, noctuq; ſine ambiguitate perdurans. Conferebat autem deuotio fidelium plerunq; pecuniam, quam non in abditis loculis, ſed in pauperum marſupijs condebat, illud Dominici eloquij oraculum ſæpe commemorans: Nolite theſaurizare vobis theſaurum ſuper terram, quia vbi fuerit theſaurus tuus, illic erit & cor tuum. Dabat enim hic quæ accipiebat pro Dei intuitu in diuerſis neceſſitatibus indigentium. Vndè factum eſt, vt in vita ſua de his ampliùs quàm ducentos à nexu ſeruitutis, debitiq; onere ſubleuatit.

2 Vide rigorẽ abſtinentiæ ſancti viri in cibo, potu, & veſtimentis.

3 Nota, In vigilijs, & orationibus die, noctuq; perdurans.

Cùm autem nos in Turonicum veniſſemus, egreſſus eſt de cellula, venitq́; ad inquirendos nos; ſalutatisq́; ac deoſculatis, regreſſus eſt iterum. Erat enim (vt diximus) valde abſtinens, ſanans infirmorum langores. Sed vt de abſtinentia ſanctitas, ita de ſanctitate vanitas cœpit obrepere. Nam egreſſus de cellula iactantia cothurnoſa ad requirendos, viſitandosq́; parentes in pagum Pictauenſem, cuius ſupra meminimus, abijt. Regreſſusq́; tumidus arrogantia, ſibi ſoli placere nitebatur. Sed obiurgatus à nobis, & accepta ratione, quòd ſuperbi longè ſiant à regno Dei, ita ſe purgatum iactantia, humilem reddidit, vt nulla in eo penitus radix ſuperbiæ remaneret, adeò vt profiteretur, dicens: Vera nunc eſſe cognoui, quæ beatus Apoſtolus ſacri oris conteſtatur eloquio dicens: Qui gloriatur, in Domino glorietur.

Sed cùm per eum Dominus ſuper infirmos multas faceret virtutes, & ille ita ſe dixiſſet includere velle, vt nunquam humanis aſpectibus appareret, conſilium ſuaſimus, vt non ſe perpetuò in hac concluſione conſtringeret, niſi in illis duntaxat diebus, qui inter depoſitionem ſancti Martini, ac Dominici natalis ſolennitate habentur; vel in illis ſimiliter quadraginta, quos ante Paſchalia feſta in ſumma duci abſtinentia 4 patrum ſanxit auctoritas; reliquis verò diebus, infirmorum gratia, populis ſe præberet. Audito autem conſilio noſtro, libenter quæ dicta ſunt accepit, impleuitq́; ſine ambiguitate. Denique quia de conuerſatione eius pauca prolocuti ſumus, ad virtutes, quas per illum medicabilis diuinæ potentiæ dextera operari dignata eſt, accedamus.

4 Aduerte, etiã tũc Quadrageſimæ obſeruantiã in vſu fuiſſe.

Cæcus quidam, Popuſitus nomine, ad eum venit (erat autem tunc beatus Senoch iam Presbyter ordinatus) qui dum aliquid alimenti poſtulat, tactis à ſancti Sacerdotis manu 5 oculis, vt ſignum ſalutate meruit, protinus viſum recepit. Alius quoque Pictauenſis puer huiuſmodi morbo laborans, audita confeſſoris huius opera, pro luminis perditi receptione precatur. Non moratur ille, ſed inuocato Chriſti nomine, Crucem oculis cæci imponit, ſtatimq́; defluente riuo ſanguinis lux intrauit, ac poſt viginti annorũ curricula orbatæ fronti geminorum ſiderum iubar inclaruit. Duo pueri membris omnibus debiles, & in modum ſpheræ in rotunditate contracti, eius conſpectibus ſunt delati; quibus impoſitis manibus, redintegratis artubus, vnius horæ momento vtrunq́; reddidit abſolutum. Geminauitq́; deinde geminæ virtutis beneficium. Puer cum puella coram eo contractis manibus aſtiterunt (erat autem tunc medium Paſchalis feſtum 6 ſolennitatis) cùmq́; pro ſuæ directionis medela Dei famulo ſupplicarent, & ille pro ea, quæ ad Eccleſiam conuenerat, populi frequentia hæc agenda differret, indignum ſe clamitans, per quem Deus infirmis præbere beneficia dignaretur, ſupplicantibus cunctis, manus eorum ſuis ſuſcepit in manibus; qbus attrectatis, directisq́; digitis, ſanos abſcedere iubet. Benaia quoque (hoc enim erat nomen mulieris) oculos deferens clauſos, tactu ſalutaris dexteræ benedicta, illuminata diſceſſit.

5 Tactu oculorum, & ſigno Crucis ſanctus cæcũ illuminat.

6 Erat tũc mediũ Paſchalis ſolennitatis feſtum.

Sed nec illud occuli æquũ puto, quòd ſæpiùs eius oratio virus ſerpentiũ exinanire obtinuit. Duo enim tumidi morſu hydri eius pedibus proſternũtur deprecantes vt virus, quod mala, beſtia artubus moribundis iniecit, ſua virtute diſcuteret. At ille orationem fudit ad Dominum, dicens: Domine Ieſu Chriſte, qui in principio cuncta mundi elementa creaſti, & ſerpentem illum humanis dignitatibus æmulum ſub maledicto eſſe ſanxiſti, tu depelle ab his famulis tuis veneni huius malum, vt non angues de his, ſed hi de angue valeant triumphare. Hæc autem cùm dixiſſet, palpauit omnem compagem corporis eorum, ſtatimq́; compreſſo tumore, virus mortiferum nocendi perdidit vires.

Dies Dominicæ reſurrectionis 7 aduenerat, & homo quidam dum ad Eccleſiam pergeret, vidit pecorum multitudinẽ ſuam ſegetẽ depaſcentem, ingemuitq́; & ait:

7 Dies Dominicæ reſurrectionis aduenerat.

& ait: Væ mihi, quia annualis mei laboris opa ita deperit, vt nihil ꝑ rſus ex ea remaneat. Et accepta ſecure, amputatis ramis aditū ſepis claudere cœpit, confeſtimq́; contracta manus inuita retinuit, quod voluntariè comprehendit. Dolore verò inſtigante ad ſanctum confeſſorem mœſtus acceſſit, trahens poſt ſe ramum, quem manu conſtrinxerat, narrauitq́; omnia ſicut geſta erant. Tunc ille oleo 8 benedictione ſanctificato, manum manu ſtringens, abſtracto ramo, ſanitati reſtituit. Sed & deinceps multos à ſerpentium morſu, & à puſtulæ malignæ veneno, ſigno Crucis locato deſuper, reddidit ſoſpitati. Nonnullis autem obſeſſis dæmonis ſæui liuore vt manus impoſuit, extemplò fugatis dæmonibus mentem eorum energia turbatam ad integritatem intelligentiæ reparauit. Omnibus verò, quoſcunq; per eū à diuerſis infirmitatibus dextera diuina ſaluauit, ſi inopes fuiſſent, ipſe cibum, veſtitumq́; diſpenſatione hilari porrigebat. Tantaq́; ei cura de egentibus fuit, vt etiam pontes ſuper alucos amnium diligenter inſtrueret, ne quis inundantibus aquis naufragia ſæua lugeret.

8 Oleo bened ᵭo manū læſam ſanitatæ reſtituit.

His ergo virtutibus clarus in populis declaratus, cùm eſſet annorum circiter xl, modica pulſatus febre, per triduum lectulo decubauit. Nunciatumq́; eſt mihi cùm tranſitus eſſet propinquus. At ego velocius illuc properans, ad lectulum eius acceſſi, ſed nihil ab eo collocutionis elicere potui; erat enim valde feſſus. Dehinc interpoſito quaſi vnius horæ ſpatio, ſpiritum exhalauit. Congregata eſt autem ad eius exequias multitudo illa redemptorum, quos ſupra diximus ab eo vel à iugo ſeruitutis, vel à diuerſis debitis abſolutos, quosq́; vel alebat cibo, vel veſtitu tegebat. Plangebant enim dicentes: Cui nos, Pater ſancte, relinquis? Poſt hæc ſepulturæ locatus ſæpiùs ſe manifeſtis virtutibus declarauit. Nam trigeſimo ab eius obitu die, cùm ad eius tumulum miſſa celebraretur, Chaidulphus quidā contractus, dum ſtipem poſtulat, ad eius ſepulturā 9 accedit, qui dum pallam ſuperpoſitam oſculis veneratur, diſſolutis membrorum ligaturis, directus eſt. Multa autem ibi geſta comperi, de quibus hæc tantùm memoriæ habenda notaui.

9 Sanitates, q̃ ad ſanctorū tumulos infirmis cōferuntur, quàm ſanctè, & innocenter illi vixerint, teſtimonium præbent.

VITA SANCTI
VENANTII ABBATIS.

SOLITARIVM, atq; multiplex donum Eccleſijs, populisq; terrigenis cœleſtis potentia præſtat, cùm largitur iugiter ſeculo non modò peccatorum ſuffragatores, verumetiam vitæ doctores æternæ; quod vnicum cernitur, dum à maieſtate diuina tribuitur, multiplex, quia cunctis, qui expetere voluerint, affluenter indulgetur, iuxta illud: Petite, & accipietis, & reliqua. Vnde vigilanter, inceſſanterq; debet inueſtigare mens humana ſanctorum vitam; & hoc prouocata ſtudio, accenſa exẽplo, ad ea ſemper extendi, quæ Deo nouit eſſe acceptabilia, vt ab ipſo vel mereatur à malis erui, vel poſſit exaudiri. Hæc enim ab eius maieſtate quærebant ſancti percipere, poſcentes iugiter vt ipſe inſinuaret cordi, ipſe perficeret in opere, ipſe loqueretur in ore; quò faciliùs purgata mens, cogitatione, eloquio, actione, cogitaret ſancta, loqueretur iuſta, operaretur honeſta. Vnde factum eſt, vt dum in his, quæ diuinitati ſunt placita, famulabantur, obtinerent ſibi remitti peccati debitum, eruerentur à cœni ſordentis contagio, cœleſte pro meritis inuitarentur ad regnum. Ponebant etiam & præceſſorũ exempla ante oculos ſuos, atq; omnipotentem Dominum pro eorum affectibus collaudabant, quorum, vt diximus, exempla ſequi meditabantur. Vnde & nos in præconio deuoti Deo famuli Venãtij Abbatis effari nitentes, diuinitati potiùs dona ſua referimus, quia dexteram eius manifeſtum eſt effeciſſe quod ſanctos conſtitit operatos eſſe, deprecantes vt aperiat os muti ad publicanda opera Antiſtitis ſui, quia ſicut eſſe nos recognoſcimus ſcientia tenues, ita nouimus conſcientia peccatores.

Igitur beatus Venantius Biturigi territorij incola fuit, parentibus ſecundùm ſeculi dignitatem ingenuis, atq; catholicis. Qui dum eſſet iuuenili ætate florens, à parentibus ſponſali vinculo obligatur. Cùmq;, vt ætati huic conuenit, amori ſe puellari præſtaret affabilẽ, & ꝑter pocula frequentia etiã luxurioſè induceretur, contigit vt ad vrbẽ Turonicam, Domino inſpirante, veniret. Erat autẽ tunc temporis monaſterium baſilicæ ſancti Martini propinquum, in quo Syluinus Abbas gregem Deo deuotum regulari ſceptro regebat. Ad hoc vir iſte deuotus accedens, virtutesq; cernens beati Martini, ait intra ſe: Vt conijcio, melius eſt ſeruire impollutum Chriſto, quàm per copulam nuptialem contagio inuolui mundano. Relinquam 1 ſponſam territorij Biturigi, & anneſtar catholicæ per fidem Eccleſiæ, vt quæ credo corde, etiam opere merear effectui condonare.

1 Ecce quomodo ſponſam adhuc non carnaliter cognitã poteſt ſponſus religionis cauſa irrequiſitam deſerere.

Hæc intra ſe voluens, aduenit ad antedictum Abbatem, prouolutusq; ad pedes eius, quid intimo corde gereret cum lachrymis patefecit. At ille gratias agens Deo pro fide pueri, addita etiam prædicatione ſacerdotali, iuuenem tõdit, 2 & gregi monaſteriali aſciuit. Exin ſe in humilitate fratribus exhibens, & charitatem cum omnibus diligens, in tantum ſanctitatis apicem euectus

2 Vides quòd quando quis monachus fiebat, tondebatur, vt & modò fit

aſſeritur,vt ab omnibus tanquam parens ſummo ſtudio coleretur. Vnde factum eſt,vt decedente Abbate iam dicti monaſterij, ipſe in loco Abbatis, eligentibus fratribus,ſubſtitueretur. Deniq; quadam Dominica ad Miſſarum celebranda ſolennia inuitatur,dixitq; fratribus: Iam oculi mei caligine obteguntur, nec poſſum libellum aſpicere. Presbytero igitur hæc alteri agenda mandate. Dicente autē Presbytero, ipſe proximus aſtitit,ventumq; eſt, vt ſanctum munus iuxta morem catholicum ſigno Crucis ſuperpoſito benediceretur. At ille intuitus vidit quaſi ad feneſtram abſidæ ſcalam poſitam, & quaſi deſcendentem per eam virum ſenem,clericatus honore venerabilem, atq; oblatum in altario ſacrificiū dextera extenſa benedicentem. Hæc autē agebantur in baſilica ſancti Martini. Quod nullus videre meruit,niſi ipſe tantùm. Reliqui verò cur nō viderint,ignoramus. Ipſe tamen deinceps fratribus retulit. Nec autem eſt dubium hæc fideli famulo Dominum demonſtraſſe,cui etiam dignatus eſt arcanorum ſecreta cœleſtium reuelare.

Nam idem dum de baſilicis ſanctorum die Dominica, expleta oratione, reuerteretur,ſuper bacillum ſuſtentatus in medio confeſſoris atrio,erectis auribus, oculiſq; ad cœlum diutiſſimè attentis ſtetit immobilis; deinde motus à loco, cœpit dare gemitus,ac ſuſpiria longa producere. Interrogatuſq; à ſuis quid hoc eſſet,aut ſi aliquid diuinum fuiſſet intuitus, reſpondit: Væ nobis inertibus, & pigris, ecce iam in cœlo Miſſarum ſolennia expediuntur,& nos ſegnes nec inchoare cœpimus huius myſterij ſacramentum. Verè.inquit, dico vobis, quòd ego audiui voces Angelorum in cœlis,Sanctus,in laudem Domini proclamantes. Et dicto citius in monaſterio Miſſarum ſolennia iuſſit expleri.

Sed nec illud prætéribo,quòd quadam vice,dum iuxta conſuetudinem,vt ſupra diximus, de baſilicis,quas orationis 3 gratia adierat,repedaret,& in baſilica ad Miſſas Dominicæ orationis verba decantarentur,cùm illi dicerent: Libera nos à malo: audiuit è tumulo cuiuſdam vocem dicentem ſimiliter: Libera nos à malo. Quod non ſine perfectionis merito cenſetur vt hæc meruerit audire. Sed & ad Paſſini Presbyteri tumulum veniens,& qualitatem eius meriti,& quantitatē refrigerij,ipſo docente, cognouit. Et licet hæc magna ſint, ad illam tamen ſanitatum gratiam,quam per eum Dominus infirmis protulit, libet accedere. Non enim ambigitur,quòd per eum, ſicut ſupra diximus, operata ſit dextera Dei,cui iſta,quæ memorauimus, tanta voluit reuelare.

3 Habes quòd baſilicæ orationis gratia inſtitutæ ſunt.

4 Oratione, & oleo benedicto ſanctus debilitatem membrorum ſanat.

Puerulus quidam,Paulus nomine, crurum, poplituumq; graui dolore vexatus, ſanctum adijt, proſtratuſq; genibus eius exorare cœpit, vt ei medicinam oratione ſua à Domini miſericordia obtineat impertiri. Qui protinus, oratione 4 facta, oleo benedicto palpans membra infirmi,eum ſuper lectulum ſuum requieſcere fecit. Et cùm paululum quieuiſſet, poſt vnius horæ curriculum ſurgere iubet. Qui conſurgens ſanus matri ſuæ ſancti eſt manibus reſtitutus. Pharetri cuiuſdam ſeruus, cui dominus erat infenſus,huius ſacerdotis oratorium expetiuit. Quem ille elatus ſuperbia, abſente beato viro, abſtraxit, cecidítq;. Sed mox à febre correptus, ſpiritum exhalauit. Quartanarum tertianarum'ue, vel reliquarum ardores febrium oratione facta ſæpius mitigauit. Venenum malæ puſtulæ impoſito ſalutari ſigno 5 reſtinxit. Obſeſſos à dæmonibus, inuocato Trinitatis nomine, emundauit. Surgente autem eo quadam nocte de ſtratu ſuo ad reddendum officium, vidit duos arietes magnos ſuis foribus aſſiſtentes,quaſi præſtolantes aduentum eius. Quo viſo,furibundi ad eum cum impetu valido diriguntur. At ille ſignum Crucis opponens,illis euaneſcentibus,abſq; metu oratorium eſt ingreſſus. Alia nocte regreſſus ab oratorio inuenit cellulam ſuam plenam dæmonijs, dixitq; eis: Vnde venitis? Roma,aiunt,heſterna die egreſſi,ad hūc locum acceſſimus. Qui-

5 Signo Crucis beatus vir & venena reſtinguebat, & dæmones effugabat.

bus ille; Abſcedite, inquit, deteſtabiles, & nolite accedere ad locum, in quo nomen Domini inuocatur. Hæc eo dicente, ſicut fumus euanuerunt.

His, & talibus virtutũ magnarum gratijs pollens, impleto vitæ præſentis curriculo, vitam percepturus æternam migrauit à ſeculo. Cuius beatum ſepulchrũ miraculorum 6 illuſtrium effectu plerunque redditur glorioſum. Maſcarpionis ſerui ipſius monaſterij mentem iniquus dæmon obſederat; qui per trium annorum curricula energumenus factus, ad ſepulchrum beati viri debacchans, tandem eius eſt (vt credimus) oratione, eiecto dæmone, expurgatus, multos deinceps mente integra viuens annos. Iuliani cõiunx quartanæ febris ardore laborans, vt ſepulchrum beati viri attigit, compreſſo ardore, ac tremore corporali, ſanata diſceſſit. Similiſorte & Baudimundi vxor ab hac febre laborabat, ſed vbi ad lectulum ſancti viri proſtrata fudit orationem, mox incolumitate reſtituta conualuit. Multa quidem & alia de eo audiuimus, ſed ſufficere ad credulitatem catholicorum hæc, quæ ſcripta ſunt, arbitramur.

6 Ecce quomodo ſanctorũ ſepulchra illuſtribus miraculis redduntur glorioſa.

VITA

VITA SANCTI NICETII TREVIRORVM EPISCOPI.

SI fides dictis adhibetur, relatoribus ſacrorum operum pro fidei merito fideliter arbitror eſſe credendum; quia non omnia, quæ in ſcripturis leguntur, obtutibus proprijs cerni potuerunt. Sed quædam ipſius ſcripturæ relatione firmata, quædã aliorum auctorum teſtimonio comprobata, quædã verò proprij intuitus auctoritate creduntur. Verùm quod peius eſt, qui peruerſo ſunt ſenſu, vt ſcripta non credunt, ita teſtificata reprehendunt, viſa verò tanquã conficta faſtidiunt, non habentes vel illud in ſua credulitate, quod Thomas Apoſtolus geſtabat in corde, dicens: Niſi videro, nõ credam. Beati quidem qui non viderunt, & crediderunt; ſed ipſe ſaltem vt vidit, ſtatim credidit. Nam (vt diximus) multi videntes non modò non credunt, ſed & derident. Vnde & ego aliqua de ſancti Nicetij Treuirici Sacerdotis virtutibus, virilitate, magnanimitate, ſanctitate ſcripturus, reprehendi ab aliquibus vereor dicentibus mihi: Tu cùm ſis iunior, quomodo ſeniorum geſta poteris ſcire? Qualiter ad te eorum facta venerunt? Nempe non aliud, niſi conficta à te hæc, quæ ſcripta ſunt, decernuntur. Qua de cauſa relatorem huius operis in medio ponere neceſſe eſt, vt hi, qui veritati derogant, confundantur. Nouerint igitur à beato Aredio Abbate vrbis Lemouicinæ, qui ab ipſo Nicetio Antiſtite enutritus, & clericatus ordinem ſortitus eſt hæc, quæ ſubiecta ſunt, me audiſſe, quem in hoc non credo illum fefelliſſe, cùm per eum Deus eo tempore, quando mihi iſta retulit, & cæcorum 1 illuminauit oculos, & paralyticis greſſum præſtitit; & energumenos, eiectis dæmonibus, ſanæ menti reſtituit. Nec credendum eſt eum mendacij nube obumbrari poſſe, quem Deus ſæpiùs ab imbrium nube obtectum ita protexit, vt imbutis ſocijs, ipſe nulla ſtillarum cadentium infuſione madeſceret. Deniq; ſi de tali re dubitatur, de beneficijs Dei diffiditur.

1 Non ſolùm Deus per ſãctorũ interceſſiones miracula facit, ſed ipſi quoque in illius virtute.

Aiebat ergo memoratus Sacerdos de antedicto Antiſtite: Multa quidem, dulciſſime frater, de ſancto Nicetio bonorum virorum teſtimonio diuulgata cognoui, ſed plura meis oculis proprijs inſpexi, vel etiam ab eo vix elicita cognoui. Et cùm mihi quæpiam de his, quæ per illum Deus operatus eſt, explanaret, non cothurno iactantiæ tumeſcebat, ſed compunctus corde cum lachrymis aiebat: Ideò tibi hæc, fili chariſſime, pandere volo, vt & tu cum ſumma conuerſans innocentia cordis, ſimilia mediteris. Non enim ad excelſa virtutum Dei contendere quis poterit, niſi fuerit innocens manibus, & mundo corde; ſicut tenor Dauidici carminis canit. Hæc ergo de eo præfatus relator exorſus eſt.

Igitur ſãctus Nicetius Epũs ab ipſo ortus ſui tpe clericus deſignatus eſt. Nã cũ partu fuiſſet effuſus, omne caput eius, vt eſt cõſuetudo naſcẽtiũ infantium, à capillis nudũ qdẽ cernebatur, in circuitu verò modicorũ pilorũ ordo apparuit, vt putares ab eiſdẽ coronã clerici fuiſſe ſignatã. Exinde ſtudioſiſſimis enutritus

parentibus,literiſq; inſtitutus, Abbati cuidā in monaſterio commendatur; in quo loco ita ſe deuotum Deo exhibuit, vt migrante Abbate, ipſe ſuccederet. Iam verò aſſumpto Abbatis officio,tantum ſe, talemq; ad inſtructionem, atq; diſtrictionem fratrum exhibuit,vt non modò agere,verumetiam nulli liceret aliquid vel loqui peruersè,dicens: Cauenda eſt ſcurrilitas,dilectiſſimi, & omne verbum otioſum,vt ſicut totū corpus purum exhibere debemus Deo,ita etiam & os non ad aliud aperiamus,niſi ad laudē Dei; quia tria ſunt, in quibus genus dilabitur humanum; aut enim cogitat,aut loquitur,aut agit. Ergo vos,dilectiſſimi,oportet vitare ſcurrilitatem, malitiam,& omne opus peſſimum. Multa & alia exhortabatur fratres,vt eos dignos Domino exhiberet,ac mundos.

Venerabatur autē eum & Rex Theodoricus magno honore,eò quòd ſæpiùs vitia eius nudaret,& crimina,caſtigatuſq; emendatior redderetur; & ob hanc gratiam,decedēte Treuiricæ vrbis Sacerdote,eum ad Epiſcopatum iuſſit accerſiri. Dato autem conſenſu populi, ac decreto Regis, ad ordinandum à viris ſummo cum Rege honore præditis adducebatur. Veruntamen cùm appropinquantes vrbi,cadente ſole,fixis tentorijs manſionem pararent,illi confeſtim laxatos equos per ſegetes pauperum dimiſerunt. Quod cernens beatus Nicetius, miſericordia motus ait: Expellite quantocyus equos veſtros à ſegete pauperum, alioquin remoueam vos à communione mea. At illi indignantes dixerunt: Quæ nam ſunt hæc verba,quæ loqueris? Adhuc Epiſcopalem apicem non es

2 adeptus,& iam excōmunicationē minaris? Et ille; Verè,inquit,dico vobis, quia deliberauit Rex,vt me auulſum à monaſterio huic oneri conſecrari iubeat. Fiet quidem voluntas Dei; ſed ullius voluntas in omnibus malis me obſiſtente non adimplebitur. Tunc curſu rapido abiens,eiecit equos è ſegete; & ſic cum admiratione hominum illorum ad vrbem deductus eſt. Non enim honorabat perſonam potentis,ſed Deum tantùm & in corde,& in operibus metuebat.

Vide antiquum excōmunicatiōis vſum in Eccleſia.

Impoſitus itaq; in cathedra dum lectionum ſeriem auſcultaret, ſenſit neſcio quid graue ſuper ceruicem ſuam; cùmq; bis, aut ter manum clam ad tentandum inieciſſet,nullius rei cauſam inuenire potuit, quæ hoc pondus inferret; diuertenſq; caput ad dexteram,& leuam,odoratus eſt odorem ſuauitatis. Intellexit igitur hoc onus eſſe Sacerdotij ipſius dignitatem. Aſſumpto verò Epiſcopatu,tam terribilem ſe præbuit omnibus,ſi Dei mandata non ſeruarent, vt immineremortem proximam voce præconia teſtaretur. Super quibus pauca loqui placet ad roborandam Sacerdotum cenſuram,vel ad inſtructionem populi,ſiue etiā ad ipſorum Regum præſentium emendationem.

Nam cùm Theodorico decedente,Theodobertus filius eius regnum ambiſſet,ac multa iniquè exerceret;& ab eodem plerunq; corriperetur,quod vel ipſe perpetraret,vel perpetrantes non argueret,aduenit dies Dominicus,& ecce Rex cum his,qui ab hoc Sacerdote communioni abeſſe iuſſi fuerant, Eccleſiam eſt ingreſſus. Lectis igitur lectionibus, quas canon ſanxit antiquus,oblatis muneribus ſuper altare Dei,ait Sacerdos: Non hic hodie Miſſarū ſolennia conſummabuntur,niſi communione priuati priùs abſcedant. At Rege renitente,ſubitò exclamat vnus de populo arreptus à dæmone puer iuuenis; cœpitq; voce valida inter ſupplicia torturæ ſuæ,& ſancti virtutes,& Regis crimina confiteri; dicebatq; Epiſcopum caſtum,Regem adulterum, illum timore Chriſti humilem, hunc gloria regni ſuperbum, illum ſacerdotio impollutum à Deo in poſterum præferendum; hunc ab auctore ſceleris ſui velociter elidendum. Cumq; Rex timore concuſſus,peteret vt hic energumenus ab Eccleſia eijceretur, dixit Epiſcopus: Priùs illi, qui te ſecuti ſunt, ideſt inceſtuarij, homicidæ,adulteri ab hac Eccleſia extrudantur, & hunc Deus ſilere iubebit. Et ſtatim Rex iuſſit

omnes hos, qui Sacerdotis ſententia damnati fuerant, egredi ab Eccleſia. Quibus expulſis, iuſſit Sacerdos dæmoniacum foras extrahi; ſed cùm apprehenſa columna, auelli à decem viris non poſſet, ſanctus Dei ſub veſtimento ſuo, propter iactantiam, faciens Crucem Chriſti contra dæmonem, relaxari præcepit. Qui protinus corruens cum his, qui eum trahere nitebantur, poſt paulum ſanus erectus eſt. Deinde poſt acta ſolennia requiſitus nunquam reperiri potuit, nec vllus ſciuit vnde venerit, vel quò abierit. Conijciebatur igitur à plurimis eum à Deo miſſum, qui Regis, Sacerdotis'que opera non taceret. Vnde factum eſt, vt Sacerdote orante, Rex mitior fieret, paſtor'que à Domino remunerandus dignè propheticum illud audiret: Qui reddiderit pretioſum de vili, tanquam os meum erit.

Quotidie autem prædicabat Sacerdos populis, denudans crimina ſingulorum, & pro remiſſione deprecans aſſiduè confitentium; vnde aduerſus eum ſæpiùs odij virus exarſit, quòd tam veraciter multorum facinora publicaret. Nam plerunque ſe perſecutoribus vltro obtulit, & gladio exerto ceruicem præbuit, ſed nocere ei Dominus non permiſit. Voluit namque pro iuſtitia mori, ſi perſecutor fuiſſet infeſtior. Aiebat enim: Libenter moriar pro iuſtitia. Sed & Clotharium Regem pro iniuſtis operibus ſæpiùs 3 excommunicauit, exiliúm'que minitante eo nunquam eſt territus. 3 Vides Epōs Regibus eſſe ſupiores, eoſ'que ob crimina excommunicare poſſe?

Quodam verò tempore cùm iam ad exilium ductus, ab Epiſcopis reliquis, qui adulatores Regis effecti fuerãt, remotus eſſet, atque à ſuis omnibus derelictus, vni Diacono, qui adhuc perſtabat in fide, ait: Quid tu nunc agis? Quare non ſequeris fratres tuos, vt eas quò volueris, ſicut illi fecerunt? Qui ait: Viuit Dominus Deus meus, quia vſquequo ſpiritus meus intra hos artus contentus fuerit, nunquam derelinquam te. Et ille; Quia, inquit, hæc dixiſti, dicam tibi quæ Domino reuelante cognoui. Cras enim in hac hora, & honorem recipiam, & Eccleſiæ meæ reſtituar. Hi autem, qui me reliquerunt, cum magno pudore ad me confugient. Præſtolabatur itaque Diaconus rem promiſſam attonitus. Quod poſtea eſt expertus. Illuceſcente enim die craſtina, ſubitò aduenit legatus Sigilberti Regis cum literis, nuncians Regem Clotharium eſſe defunctum, ſe'que regnum debitum cum Epiſcopi charitate debere percipere. Hæc ille audiens ad Eccleſiam regreſſus, poteſtati reſtituitur, confuſis'que his, à quibus derelictus fuerat, omnes in charitate recepit.

Iam verò quàm fortis fuerit ad prædicandum, quàm terribilis ad arguendum, quàm conſtans ad ſuſtinendum, quàm prudens ad docendum, quis euoluere queat? Vnus enim ei ſemper erat rigor in proſperis, & aduerſis; nec minitantem timuit, nec à blandiente deluſus eſt. Verè autem (vt aiebat relator ille memoratus) fuit, iuxta Paulum Apoſtolum, iniuriatus periculis fluminum, periculis latronum, periculis in ciuitate, periculis in falſis fratribus, & reliqua. Nam quadam die dum Moſellam fluuium nauigio tranſiret, inter pilas pontis fluctuum actus impulſu, palmis tantùm pilæ adhæſit, pede continens nauem; & ſic ab intuentibus iam ad demerſionem paratus, erutus eſt. Quod non ſine tentatoris inſidijs ſe pertuliſſe ferebat. Sed & ipſe auctor criminis plerunque ſe obtutibus eius nociturus oſtendit. Nanque dum quadam die iter ageret, deſcendens ab equo, inter vepres condenſos ventris purgandi gratia eſt ingreſſus, & ecce aſtitit ei vmbra teterrima ſtatu procera, craſſitudine valida, colore tetra, quæ oculorum ſcintillantium immenſitatem in modum tauri petulantis habebat, ore patulo, quaſi ad deglutiendum virum Dei parata. At illo faciente ſignum 4 Crucis è contra, in modum fumi aſcendentis euanuit. Quo non ambigitur ipſum ei ſceleris principem fuiſſe monſtratum. 4 Signo Crucis dæmonē fugauit.

In ieiunijs autem valde (vt diximus) fortis erat. Nam cæteris reficientibus, ſæpè ipſe contecto capite à cucullo, ne agnoſceretur in publico, cùm vno tantùm puero ſanctorum baſilicas circuibat. Sed & curationum gratia data eſt ei à Deo. Dum autem hæc in illo (vt ſupra diximus) habitu ſanctorum habitacula circuiret, ad templum ſancti Maximini Antiſtitis acceſſit. In cuius atrio poſt multas debacchationes tres energumeni preſſi ſopore quieſcebant. Cer-

5 Eodẽ tres energumenos mundauit.

nens igitur eos ſomno deditos, fecit ſignum Crucis 5 è contra, ſtatimq́ue expergefacti, eleuantes in ſublime voces, dato impetu ad vomitum, emundati ſunt. Cùm autem lues inguinaria Treuiricum populũ in circuitu ciuitatis valde vaſtaret, & Sacerdos Dei pro ouibus commiſſis Domini miſericordiam imploraret aſſiduè, factus eſt ſonus de nocte magnus, tanquàm tonitruum validum ſuper pontẽ amnis, ita vt putaretur vrbs ipſa abſorberi. Cùmque omnis populus exterritus in lectulis reſediſſet, letiferum ſibi interitum operiens, audita eſt in medio rumoris vox vna cæteris clarior, dicens: Et quid hîc, ô ſocij, faciemus? Ad vnam enim portam Eucharius Sacerdos obſeruat, ad aliam Maximinus excubat, in medio verſatur Nicetius; nihil hic vltra præualere poſſumus; itaque ſinamus hanc vrbem eorum tuitioni. Hac voce audita, ſtatim morbus quieuit, nullusque ab eo vltra defunctus eſt. Vnde non ambigitur virtute memorati Antiſtitis ciuitatum fuiſſe defenſam.

Inuitatus autem quodam tempore Sacerdos à Rege, dicit ſuis: Quærite nobis piſcium multitudinem in abundantia, vt euntes ad occurſum Regis, & noſtrum expleatur debitũ, & amicis miniſtretur affatim. Dixeruntque ei: Lapſus noſter, in quem piſces decidere ſoliti ſunt, prorſus deſertus habetur; ſed & materiæ ipſæ de locis ſuis amnis impetu euulſæ noſcuntur. Non eſt igitur qualiter iuſſio veſtra adimpleatur, dum non eſt in promptu, quomodo capiantur quæ præcipis. Ille verò hæc audiens, ingreſſus in cellulam ſuam vocauit puerum, & ait: Vade, & dic cocorum præpoſito, vt exhibeat piſces ab amne. Qui iuſſa referens, deriſus eſt ab homine. Reuerſo aũt ait Sacerdos: Scio quia locutus es ea, quæ præcepi, ſed audire noluerunt; vade rurſus, & dic eis vt eant. Cùmque bis, aut tertiò hanc ordinationem durè ſuſciperent, commoti tandem abierunt ad lapſum, aſpicientesque cum maxima admiratione inuenerunt eum ita refertum piſcibus, vt decem viri, quæ repererant vix ferre potuiſſent. Ex quo manifeſtum eſt quòd ſancto huic virtus diuina ſæpius oſtendebat quæ ei opportuna erant.

Sed nec hoc ſilendum putaui, quod eidem de Regibus Francorum à Domino oſtenſum fuit. Vidit enim in viſu noctis turrem magnam tanta celſitudine præditam, vt polo propinqua ſuſpiceretur, habentem feneſtras multas, Dominumque ſtantem ſuper cacumen eius, & Angelos Dei per ſpeculas illas poſitos. Vnus autem ex eis tenebat librum magnum in manu, dicens: Tantum temporis Rex ille, & ille victurus eſt in ſeculo: nominauitque omnes viritim, vel qui eo tempore erant, vel deinceps nati ſunt, dixitque & qualita-

6 Vides quomodo ad euaſionẽ omniũ periculorum proficiat ſignum Crucis?

tem regni, & quantitatem vitæ eorum; ſed & poſt vniuſcuiuſque nomen ſemper, Amen, cæteri Angeli reſpondebant. Sicque prædicta omnia in poſterum ſunt impleta, quemadmodum ſanctus per præfatam reuelationem annunciauit.

Regreſſus autem à Rege euectu nauali obdormiuit. Et ecce commotus vento fluuius cœpit fluctus in excelſa porrigere, ita vt putaretur nauis ipſa demergi. Sacerdos autem, vt præfati ſumus, dormiens ſomno neſcio quo, vt plerunque dormientibus euenit, quaſi ab aliquo oppreſſus eſt. Excitatus verò à ſuis, fecit ſignum 6 Crucis ſuper aquas, & ceſſauit procella. Deinde ſuſpirans crebriùs, interrogatusque à ſuis quid vidiſſet, ait: Silere quidem decreueram,

ſed

ſed tamen dicam. Vidi enim me quaſi per vniuerſum orbem retia ad capiendum extendere,& nullus erat adiutor meus,niſi tantùm hic puer Aredius. Et meritò eum Dominus retificem oſtendere voluit, qui quotidie populos ad diuinum officium capiebat.

Venit autem ad eum homo quidam cæſariem, barbamq́; prolixam efferens, proſtratuſq́; ad eius pedes, ait: Ego ſum, Domine, qui in maris periculo poſitus, tuo adiutorio ſum ſaluatus. At ille obiurgans hominem,quòd de eo laudationis huius proferret gloriam,ait: Dic qualiter te Deus ab hac neceſſitate eripuit, nã virtus mea nullum iuuare poteſt. Qui ait: Nuperrimo tempore cùm nauem aſcendens Italiam peterem, multitudo paganorum mecum ingreſſa eſt, inter quos ego ſolus eram Chriſtianus. Orta autem tempeſtate, cœpi inuocare nomen Domini, atq; vt me interceſſio tua eriperet flagitare. Pagani verò inuocabant deos ſuos,& ille Iouem, iſte Mercurium proclamabat, alius Mineruã, alius Veneris auxilium flagitabat. Cùmq́; iam in diſcrimine mortis eſſemus,aio ad eos: O' viri, nolite hos inuocare,non ſunt enim dij iſti, ſed dæmones; ſed ſi vultis de præſenti interitu erui, inuocate 7 ſanctum Nicetium,vt ipſe obtineat à Domini miſericordia vos ſaluari. Cũq́; vna voce eleuata, in huiuſcemodi clamore dixiſſent: Deus Nicetij eripe nos: protinus mare mitigatum eſt,ceciditq́; ventus,ac ſole reducto,eò,quò voluntas noſtra fuit, nauis acceſſit. Ego autem voui,quòd non priùs comam capitis tonderem, quàm tuis obtutibus præſentarer. Tunc iuſſu Epiſcopi tonſuratus homo, Aruernum adijt,vnde ſe eſſe confeſſus eſt.

7 Si ſãctus adhuc viuens, inuocatus tãtum potuit, quantum poteſt nunc coram Deo cõſtitutus?

Innumera ſunt quæ de hoc viro relata, à memorato Abbate cognouimus; ſed finiendum libellum puto. Cùm igitur propinquum tempus migrationis ſuæ cognouiſſet,fratribus retulit, dicens: Vidi Paulum Apoſtolum cum Ioanne Baptiſta inuitantem me ad requiem ſempiternam,atq; exhibentem mihi coronã cœleſtibus margaritis ornatam, dicentibus mihi viris: Talibus ſpeciebus perfrueris in regno Dei. Hæc quibuſdam fidelibus referens, poſt paucos dies modica febre pulſatus ſpiritum præmiſit ad Dominum, ſepultuſq́; eſt in baſilica ſancti Maximini Antiſtitis, cuius nunc tumulus plerunq; diuinis virtutibus illuſtratur.

VITA SANCTORVM VRSI, ET LEVBATII ABBATVM.

LEGIFERI vatis oraculum cùm de principio principiũ fandi ſumpſiſſet, & Dominum extendiſſe cœlos dextera maieſtatis fuiſſet effatus, ait: Et fecit duo luminaria magna, & ſtellas, & poſuit eas in firmamento cœli, vt præeſſent diei, ac nocti, vt lucerent in firmamento cœli. Sic & nunc menti humanæ, ſicut priorum ſanxit auctoritas, luminaria magna dedit, Chriſtum ſcilicet, & Eccleſiam eius, quæ luceant in tenebris ignorantiæ, & illuminent ſenſus humilitatis noſtræ; ſicut Ioannes Euangeliſta de ipſo Domino ait: Quia hic eſt lux mundi, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Poſuit etiam in eo & ſtellas, Patriarchas videlicet, Prophetas, Apoſtolosq́; qui vel doctrinis nos erudiant, vel mirabilibus ſuis illuminent; ſicut in Euangelio ait: Quia vos eſtis lux mundi: &, Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui eſt in cœlis. Hi enim Apoſtoli meritò pro tota accipiuntur Eccleſia, quæ non habens rugam, aut maculam, impolluta ſubſiſtit, ſicut ait Apoſtolus: Quia ipſe ſibi exhibuit Eccleſiam mundam, non habentem maculã, aut rugam, aut aliquid huiuſcemodi. Ex horum ergo doctrina & vſq; ad noſtra fuerunt tempora qui in hoc ſeculo, quaſi aſtrorum iubar, non ſolùm meritorum radiantes luce, verumetiam dogmatum magnitudine coruſcantes orbem totum radio ſuæ prædicationis illuſtrauerunt, euntes per loca ſingula prædicando, ac monaſteria ad diuinum cultum locando, docendoq́; homines à curis ſecularibus abſtinere, & relictis tenebris concupiſcentiæ, Deum verum ſequi, per quem facta ſunt omnia; ſicut de Vrſo, Leubatioq́; Abbatibus fideliũ fratrum relatio ſignat.

Igitur Vrſus Abbas Cadurcinæ vrbis incola fuit, ab ineunte ætate religioſus, & in Dei amore deuotus. De quo egreſſus loco, Bituricum terminum eſt ingreſſus, fundatisq́; monaſterijs apud Tauſiriacum, Oniam, atq; Ponciniacum, ſtabilitisq́; Præpoſitis ſanctitate honorificis, & prudentibus, ad Turonicum territorium in locum, quem Senapariam vocitari priſcus inſtituit auctor, acceſſit, ædificatoq́; oratorio, monaſterium ſtabiliuit, & commiſſa Leubatio Præpoſito ſumma regulæ, monaſterium aliud ſtatuit, quod nunc Locis vocant, ſitum ſcilicet ſuper fluuium Angerem in receſſu montis, cui nunc caſtrum ſupereminet, ipſo nomine vt monaſterium vocitatum. Illic adiuncta congregatione, ſtatuit apud animum ſuum ne vltra alium proficiſceretur in locum, ſed in eo cum omni congregatione manibus proprijs operari, & victum à terra in ſudore vultus exigere; illud fratribus inter reliqua prædicationum dona commendans, quod Paulus Apoſtolus ait: Labora [1] manibus, vt habeas vnde poſſis tribuere neceſſitatem patientibus. Et illud, Quia qui non laborat, nec manducet. Dedit autem ei Dominus gratiam curationũ, ita vt inſufflatis energumenis, protinus dæmonia eijcerentur à corporibus obſeſſis. Sed & alias per eum Dominus dignatus eſt

[1] Vide in monachis opus manuum.

operari virtutes. Erat autem abſtinens 2 à cibis,& potu,indicens monachis ſine ceſſatione auertere oculum,& cogitationem ab omni luxuria.

2 Vide abſtinẽtiã à cibis & potu, atq; ab omni opere, & cogitatione luxuriæ.

Dum autem hæc ageret,ac fratres molam manu vertentes triticum ad victus neceſſaria comminuerent,pro minuendo labore fratrum viſum eſt ei molendinũ in ipſo Angeris fluuij alueo ſtabilire. Itaq; defixis per flumen palis, aggregatisq; lapidum magnorum aceruis,excluſam fecit,atq; aquam in canale collegit, cuius impetu rota fabricæ in magna volubilitate verti cœpit. Hoc opere laborẽ monachorum releuans,atq; vni fratrum delegans curam, opus neceſſarium implebatur. Hanc autem fabricam Sichlarius quidam Gotthus,qui magno ab Alarico Rege amore diligebatur,æmulus monaſterio concupiuit,dixitq; Abbati: Dona mihi hoc molendinum,vt ſit ſub ditione mea,& quod volueris repẽſabo. Cui ille; Cum grandi,inquit,labore hoc paupertas noſtra ſtatuit, & nunc non poſſumus ipſum donare,ne fratres mei fame pereant. At ille; Si vis, inquit, ipſum bona volũtate tribuere,gratias ago, ſin autẽ, vi ipſum auferã,aut certè faciã aliud,cuius excluſis aqua retrorſum conuerſa, rotam tuam verti amplius non permittam. Abbas reſpondit: Non facies quod Deus non voluerit; nam à nobis ipſum penitus non accipies. Tunc Sichlarius feruens felle,ſimilem fabricam infra adaptauit. Cùmq; aqua retrorſum conuerſa,ſub huius operis rotam inundãs, gurgitem feciſſet,reſtitit prorſus,nec omnino verti potuit,vt conſueuerat. Venit igitur cuſtos eius ad Abbatem media (vt ferunt) nocte,illo in oratorio cum fratribus vigilante,& ait: Surge Abba, deprecare attentius Dominum,reſtitit enim rota molendini ab inundatione canalis alieni,quod Sichlarius fecit. At ille hæc audiens,miſit confeſtim fratres ſingulos ad monaſteria illa,quæ ſtatuerat,dicẽs: Proſternite 3 vos in oratione,& non ſit vobis opus aliud, donec iterum ad vos dirigam. Sed & ipſe non egreſſus ab oratorio,deprecans Dominum attentè; ac præſtolans aduentus eius miſericordiam,ſic fecit per integros duos diés,totidẽq; noctes. Tertia 4 iam illuceſcente die,acceſſit iterum monachus ille,qui cuſtos fuerat,nuncians rotam fabricæ ſuæ iuxta conſuetudinem priorem in ſumma verti velocitate. Egreſſusq; Abbas cum fratribus de oratorio,accedit ad littus,cõſpiciensq; verſus molendinum, quod Sichlarius fecerat, non reperit, accedẽsq; propiùs ad littus,& fundum aluei intuens, nullum indicium de eo accepit, non quicquam ligni,non lapidis,non ferri, nec vllius vnquam genus indicij potuit oſtendi,niſi quòd conijci potuit ipſo,quo fabricatum fuerat, loco, virtute diuina abſorptum, atq; ab oculis hominum ablatum. Tunc miſit nuncios ad fratres, dicens: Requieſcite iam à labore,quia vltus eſt Deus iniuriã fratrum noſtrorũ.

3 Sanctus vir iubet proſterni monachos in oratione.

4 Ecce quanti valoris eſt apud Deũ deprecatio iuſtorum aſſidua.

His,& talibus virtutibus præditus,conſummato curſu vitæ,migrauit ad Dominum. Ad cuius tumulum 5 poſtea & energumeni ſanati,& cæci illuminati ſunt. Poſt eius verò obitum Præpoſiti,qui per monaſteria erant, Abbatum officium,Epiſcopis largientibus,ſuſceperunt. Sed & Leubatius apud Senapariam monaſterium,quod intra terminum Turonicum erat, Abbas inſtituitur, in ſumma ſanctitate, ac ſenectute perdurans; ibiq; obijt,ac ſepultus eſt.

5 Signa, quæ ad ſanctorũ tumulos fiunt, radiantis in eis gratiæ Spiritus sãcti indicia ſunt.

VITA BEATAE
MONEGVNDIS
CONIVGATAE.

INSIGNIA diuinorum beneficiorum chariſmata, quæ humano generi cœlitus ſunt indulta, nec ſenſu concipi, nec verbis proferri, nec ſcripturis poterunt cōprehendi, cū ipſe Saluator mundi ab illo rudis ſeculi exordio Patriarchis ſe præſtat videri, Prophetis annunciari, ad extremum ſemper Virginis, intactæq; Mariæ dignatur vtero ſuſcipi, & præpotens immortaliſq; creator, mortalis carnis patitur amictu veſtiri, mortē pro hominis ob peccatū mortui reparatiōe adire, victorq; reſurgere. Qui nos grauium facinorum ſpiculis ſauciatos, ac latronum inſidiantium vulneribus āffectos, infuſo meri, oleiq; liquore, ad ſtabulum medicinæ cœleſtis, id eſt Eccleſiæ ſanctæ dogma produxit; qui nos exemplis ſanctorum viuere inceſſabili præceptionis ſuæ munere cohortatur, nobiſq; non modò viros, ſed etiam ipſum inferiorem ſexum, non ſegniter, ſed viriliter agonizantem præbet exemplum; qui non ſolùm viris legitimè decertantibus, verumetiam fœminis in his prælijs fauorabiliter deſudantibus, ſiderea regna confert; ſicut beatæ Monegundi, quæ relicto genitali ſolo, tanquam Regina prudens, quæ audire ſapientiam Salomonis adiuit, beati Martini baſilicam, vt eius miracula quotidianis momentis miraretur, expetijt, hauriretq; de fonte ſacerdotali, quo poſſet aditum nemoris paradiſiaci recludere.

Igitur beatiſſima Monegundis Carnotenæ vrbis indigena, parentum ad votum copulata coniugio, duas filias habuit, ſuper quibus valde gauiſa lætabatur, dicens: Quia propagauit Deus generationem meam, vt mihi duæ filiæ naſcerentur. Sed hoc mundiale gaudium intercœpit ſeculi huius amaritudo, dū puellæ modica febre pulſatæ metam naturæ debitam concluſerunt. Ex hoc genitrix mœſta deplorans, orbatamq; ſe lugens, non diebus, non noctibus à fletu ceſſabat, quam non vir, non amicus, non vllus propinquorum poterat conſolari. Tandem verò in ſe conuerſa ait: Si nullam conſolationem de obitu filiarum capio, vereor ne ob hoc lædam Dominum meum Ieſum Chriſtum. Sed nunc hæc lamenta linquens, cum beato Iob conſolata decantabo: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. Et hæc dicens, exuta veſte lugubri, iuſſit ſibi cellulam paruulā præparari, in qua tantummodo feneſtellulam, per quam modicum lumen poſſe cernere, præcepit aptari; ibiq; contempto mundi ambitu, ſpreto viri conſortio, ſoli Deo, in quo erat confiſa, vacabat. Fundenſq; orationem pro ſuis, ac populi delictis, habens puellulam vnam, cuius ei famulatu miniſtrabatur aquæ neceſſitas, accipiebat etiam & farinam 1 hordeaceam, infuſoſq; lymphis cineres diligenter colans, ex ea aqua mixturam maſſæ cōficiebat, formatoſq; proprijs

1 Vide ſanctæ mulieris abſtinentiam.

manibus panes ipſa coquens, poſt longa ieiunia reficiebatur. Reliquum domus ſuæ cibum pauperibus diſpenſabat.

Factum eſt autem quadam die, vt memorata puella, quæ ei conſueuerat famulari, & credo inimici aſtu ſeducta, cui ſemper bonis iniurias irrogare mos eſt, ſe ab eius famulatu ſubtraheret, dicens: Non potero ego cum hac domina permanere, quæ in tali abſtinentia commoratur; ſed potius vtar ſeculo, ac cibum, potumq́ in abundantia ſumam. Quintus autem iam fluxerat abſceſſionis eius dies, quòd hæc religioſa neq; farinam conſuetam, neq; aquam acceperat, ſed perſtabat immobilis, & fixa manens in Chriſto, in quo quiſq; locatus, vel fundatus, nec vẽti turbine, nec fluctuũ impulſiõe dilabitur; nec enim ſibi illa de mortali cibo vitam, ſed de verbo Dei (ſicut ſcriptum eſt) putabat inferri, commemorans illud ſapientiæ Salomoniacæ prouerbium: Quia non necabit Dominus fame animam iuſti: & illud. Quia iuſtus ex fide viuit. Sed quoniã corpus humanum abſq; eſu terreno ſuſtentari nequit, proſtrata 2 in orationẽ petijt; vt qui mãna populo eſuriẽti de cœlo, lymphasq́ ſitiẽti produxit è ſaxo, ipſe quoq; alimentum, quo paruiper corpuſculum feſſum confortaretur, dignaretur indulgere. Protinusq́ ad eius orationem nix de cœlo decidua humum operuit. Quod illa cum gratiarum actione cernens, educta manu per feneſtrã, quod circa parietem erat, ex ipſa niue collegit, de qua aquam exprimens, panẽ ſolitum formauit, quo uſq; ad alios quinq; dies victum corporeum miniſtrauit.

2 Proſtrata in oratione petijt, & obtinuit.

Habebat autem contiguum cellulæ paruulum viridarium, in quod pro quadã releuatione prodire erat ſolita. In illud igitur cùm ingreſſa eſſet intuens herbas loci, ac deambulans, mulier, quæ triticum ſupra tectum ſuum ſiccandum poſuerat, quaſi de eminentiori loco curis oppleta mundanis, importunè proſpexit, moxq́ oculis clauſis lumine caruit. Cognoſcens autem reatum ſuum, ad eam accedit, rem vt geſta fuerat pandens. At illa deijciens ſe in orationem, ait: Væ mihi, quia pro paruitatis meæ perſona peccatrice aliorum clauſi ſunt oculi. Et conſummata oratione, impoſuit manum mulieri. Confeſtim autem, vt ſignum 3 Crucis expreſſit, mulier viſum recepit. Homo ex pago illo, qui olim auditum perdiderat, ad hanc cellulam deuotus aduenit, pro quo deprecati ſunt parentes eius, vt ei manus hæc benedicta dignaretur imponere. Sed illa indignã ſe proclamans, per quam Chriſtus operari dignaretur, ſolo proſtrata, & quaſi ipſa Dominicorum pedum veſtigia lambens humiliter, pro eo diuinam clementiam ſupplicauit; illaq́ adhuc ſolo decũbente, aures ſurdi apertæ ſunt, redijtq́ ad domum propriam, mœrore ablato, cum gaudio.

3 Oratione, & ſigno Crucis mulieri viſũ reſtituit.

4 Vides quomodo olim vigiliæ ſanctorum nocte in oratione celebrabãtur?

5 Orat ſancta proſtrata, & impreſſo ſigno Crucis, languentẽ fœminam ſanat.

His ſignis glorificata inter ſuos, ne vanæ gloriæ lapſum incurreret, ſancti Martini Antiſtitis baſilicam, relicto coniuge cum familia, & omni domo ſua, fideliter expetiuit. Cúmq́ iter cœptum carperet, venit ad vicum vrbis Turonicæ, cui nomen eſt Euena, in quo beati Medardi Sueſſionici confeſſoris reliquiæ continentur; cuius & vigiliæ 4 ea nocte celebrabantur. Ibi igitur illa attentè excubans in oratione, hora debita cum reliquo populo ad Miſſarum acceſſit ſolennia. Quæ dum à ſacerdotibus Dei celebrarentur, aduenit quædam puella puſtulæ malæ veneno conflata, procidítq́ ad pedes eius, dicens: Subueni mihi, quia mors iniqua vitam conatur eripere. At illa more ſolito in oratione 5 proſtrata, ſupplicauit pro ea Deo omniũ creatori, erectaq́ ſignum Crucis impoſuit; ſicq́ in quatuor partes vulnere excrepante, puellam purè decurrentem mors importuna reliquit.

6 Et hîc proſtrata orat ad ſancti ſepulchrum.

Po hæc ad baſilicam ſancti Martini Monegundis beata peruenit, ibiq́ proſtrata 6 coram ſepulchro, gratias agens quòd tumulum ſanctum oculis proprijs contemplari meruerat, in cellula parua conſiſtens, quotidie 7 orationi, ac ieiunijs vigilijſq́ vacabat. Sed nec ille locus ab eius virtute fuit inglorius.

7 Nota ſanctæ mulieris exercitia, orationẽ, ieiunia, & vigilias.

Nam viduæ cuiuſdam filia manus contractas detulit, cui vt illa exorata ſignum ſalutis impoſuit, manibus ſuis digitos puellæ contrectare cœpit. Extenſis verò digitis, neruisq; directis, volas laxauit incolumes. Dum autem hæc agerentur, audita vir illius fama beatæ, conuocans amicos, vicinosq; ſuos perrexit poſt eam, ac reduxit ad propria, & eam in cellulam, in qua prius habitauerat, intromiſit. At illa non ceſſabat ab opere, quo conſueuerat, ſed exercebatur in ieiunijs, & obſecrationibus, vt tandē locum, in quo habitare deſiderabat, poſſet acquirere. Inchoat iterum iter deſideratum, implorans beati Martini auxilium, vt qui dederat deſiderium, tribueret & effectum perueniendi ad baſilicam. Reuertitur ad cellulam illam, in qua prius fuerat commorata, in eaq; perſtitit inconcuſſa; nec enim eſt amplius à viro ſuo quæſita. Ibi verò paucas colligens monachas, cum fide integra & oratione degebat, non ſumens panem niſi hordeaceum, non vinum, niſi parum in diebus feſtis, & hoc ipſum aqua nimia temperatum, nullum habens ſtratum fœni, paleæq; mollimen, niſi tantùm illud quod intextis iunci virgulis fieri ſolet, quas vulgo nattas vocant. Hoc ſuperponebat formulæ, hoc ſolo 8 ſuperſternebat, hoc erat quotidianum ſcamnū, hoc culcitra, hoc plumella, hoc erat ſtragulum, hoc omnis lectuli commoditas: ſic docens eaſdem facere, quas ſecum aſciuit. Ibiq; in Dei laudibus degēs, multis infirmis, oratione facta, ſalutaria impertiebat medicamenta.

8 Sanctorum priſcorū nō nulli humicubant.

9 Oratione, & ſaliua puellam ſanat.

Mulier quædam filiam ſuam exhibuit vulneribus plenam, & pus eadem generant. Tunc illa, facta 9 oratione, ſaliuam ex ore ſuſcipiens, vulnera ſæua perunxit, puellamq; reddidit ſanam, opitulante eius virtute, qui cæci nati oculos ſputo formauit. Puer verò incola loci, maleficium in potione hauſit, de quo, vt aſſerunt, ſerpentes generati in intraneis pueri, magnum dolorem ſuis morſibus excitabant, ita vt nulla quieſcendi mora vel in modicum momentum indulgeretur; ſed neq; cibum, aut potum capere poterat, et ſi quando aliquid accipiebat, protinus reijciebat. Hic adductus ad beatam fœminam, petijt ſe eius virtute mundari. Cùmq; illa reclamaret, indignam ſe eſſe, quæ hæc agere poſſet, implicita precatu ſuorum, ventrem pueri palpabat palma demulcens, ſenſitq; ibi anguium venenatorum nequitiam latitare. Tunc accepto pampini viridis folio, ſaliua liniuit, fixitq; ſuper eum 10 Crucis beatæ ſignaculū. Quo poſito ſuper aluum iuuenculi, dolore paululum ſedato, obdormiuit in ſcamno, qui olim doloribus inſiſtentibus caruerat ſomno. Poſt vnius verò horæ momentum conſurgens, & ad purgandum ventrem egreſſus, peſtiferæ generationis germen effudit, gratiasq; referens ancillæ Dei, ſanus abſceſſit.

10 Vide virtutē ſignaculi ſanctæ Crucis.

Alius verò puer paralytica ægritudine contractus, ante eam inter manus delatus eſt aliorum, deprecans à beata ſanari. At illa in oratione proſtrata, precē pro eo effudit ad Dominum. Conſummata verò oratione conſurgens, apprehenſa manu pueri, erexit eum, ſoſpitemq; abire permiſit. Mulier erat cæca, quæ adducta ad eam deprecata eſt, vt ei manus imponeret. At illa reſpondit: Quid vobis, & mihi, homines Dei? Nonne ſanctus Martinus hîc habitat, qui quotidie illuſtrium opere virtutum refulget? Illuc accedite, ibi obſecrate, vt ipſe vos viſitare dignetur; nam ego peccatrix quid faciam? Illa verò in ſua petitione perdurans, aiebat: Deus per omnes timentes nomen ſuum, quotidie opus exercet egregium; ideoq; ſupplex ad te confugio, cui præſtita eſt diuinitus gratia curationum. Tunc commota Dei famula, luminibus ſepultis manus impoſuit, ſtatimq;, reſeratis cataractis, mundum latè patentem quæ fuerat cæca proſpexit. Multisq; etiam energumenis ad eam ingreſſis vt manus impoſuit, fugato hoſte nequam, ſoſpitatem reſtituit. Nec morabantur ex his curari, quos ad ſe ſancta permiſiſſet accedere.

Iam autem tempus vocationis eius appropinquabat, & defeſſa corpore ſol-

uebatur. Quod cùm viderent ſanctimoniales, quas ſecum habebat, flebant, valde dicentes: Et cui nos, mater ſancta, relinquis? vel cui commendas filias quas in locum hunc pro Dei intuitu congregaſti? At illa parumper lachrymans, ait: Si pacem, ſanctificationemq́ue ſequamini, Deus erit protectio veſtra, habebitisq́ue ſanctum Martinum Antiſtitem paſtorem magnum. Ego quoque non diſcedam à vobis, ſed inuocata adero in medio charitatis veſtræ. At illæ rogabant dicentes: Venturi ſunt multi infirmi ad nos, flagitantes benedictionem à te accipere, & quid faciemus, cùm te non viderint eſſe ſuperſtitem? Confuſæ enim eos foras emittemus, cùm tuam faciem non contemplabimur. Rogamus autem vt quia hæc ab oculis noſtris abſconditur, ſaltem digneris oleum, ſalemq́ue benedicere, de quo poſſimus ægrotis benedictionem flagitantibus miniſtrare. Tunc illa, benedicto oleo, ac ſale, tradidit eis, quæ ſuſcipientes, diligentiſſimè ſeruauerunt. Sicq́ue beatiſſima obijt in pace, & ſepulta eſt in ipſa cellula, multis ſe in poſterum virtutibus repræſentans. Nam de memorata benedictione 11 multi poſt eius tranſitum ægroti incolumitatis beneficia ſunt experti.

11 Ecce quomodo benedictio creaturis impartita prodeſt & corporũ incolumitatibus.

Boſonis denique Diaconi pes vnus à puſtula mala intumuerat, ita vt greſſum facere non valeret, deportatusque ad eius tumulum 12 orationem fudit. Puellæ verò accipientes ex oleo memorato, quod ſancta reliquerat, poſuerunt ſuper pedem eius, & extemplò aperto vulnere, defluente veneno, ſanatus eſt. Cæcus quidam adductus ad eius tumulum in oratione proſternitur, irruente autem in eũ ſopore obdormiuit, apparuitque ei beata, dicens: Indignam quidem me iudico exæquari ſanctis, ſed tamen vnius hîc oculi recipies lumen; deinceps autem propera quantocyus ad pedes beati Martini, & proſternere in compũctione animi coram eo, ipſe enim tibi reſtituet alterius oculi viſum. Expergefactus homo vnius oculi recepto lumine, abijt quò iuſſio impulit imperantis, ibiq́ue iterum obſecrans beati confeſſoris virtutem, depulſa cæci oculi nocte, videns abſceſſit. Mutus etiam ad hunc beatæ tumulum proſtratus decubuit, qui in tantum fide compunctus eſt, vt riuis lachrymarum cellulæ inficeret pauimentum, qui conſurgens, abſoluta lingua virtute diuina, regreſſus eſt. Alius denique mutus veniens & decumbens, corde tantùm implorabat, & non voce ſolubili beatæ fœminæ auxilium, in cuius ore de memorata benedictione parte infuſa, erumpente ſanguine mixto cum pure, vocis officium meruit adipiſci. Frigoriticus quoque accedens ad hoc monumentum, vt palam tegentem attigit, reſtincta contagionis febre, conualuit. Contractus verò, Marcus nomine, manibus deportatus aliorum ad ſepulchrum beatæ, orationem diutiſſimè fudit; hora autem nona pedibus proprijs ſtetit, domumq́ue regreſſus eſt. Leodinus puer cùm in valetudinem grauem irruens, quarto ægrotaret menſe, & non ſolùm greſſum, verumetiã iam ciborum vſum, inſiſtente febre nimia, perdiſſet, ad eius deportatus ſepuchrũ, præmortuus accepta ſalute ſurrexit è tumulo rediuiuus. Quid de frigoriticis reliquis loquar, cùm pleriſque hoc fuerit beneficium remedij, dũ palã tumuli ſunt fideliter oſculati? Quid etiam de energumenis, qui adducti ad cellulam beatæ, cùm limen ſanctum fuerint ingreſſi, integræ menti reſtituuntur? Nec enim moratur larua egredi è corpore, cùm ſanctæ huius ſenſerit adeſſe virtutem, operante hoc Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui timentibus nomen ſuum præmia largitur æterna.

12 Vide quot ægroti confugientes ad ſanctæ tumulum, priſtinã recuperauerint ſanitatẽ.

VITA SANCTI
LEOBARDI RECLVSI
IN MAIORI MONASTERIO
PROPE TVRONOS.

ECCLESIA fidelis ædificatur, quotienſcunq; ſanctorum geſta deuotiſſimè replicantur; & licet teneat maximum gaudium, quòd hi, qui ab initio ætatis religioſam vitam duxerunt, peruenire meruerunt ad perfectionis portum, tamen & de his, Domino iubente, lætatur, qui conuerſi à ſeculo opus inchoatum valuerunt perducere, diuina opitulante miſericordia, ad effectũ.

Igitur beatiſſimus Leobardus Aruernici territorij indigena fuit, genere quidem non ſenatorio, ingenuo tamen; qui ab initio Deum in pectore tenens, cùm non floreret natalibus glorioſis, meritis præfulgebat. Hic tempore debito cum reliquis pueris ad ſcholam miſſus, quempiam de pſalmis memoriæ commendauit, & neſciens ſe clericum eſſe futurum, iam ad Dominicum parabatur innocens miniſterium. Sed cùm ad legitimam perueniſſet ætatem, cogentibus, iuxta conſuetudinem humanam, parentibus, vt arram puellæ quaſi vxorem accepturus daret impellitur. Illo verò reſpuente, ait pater: Cur, dulciſſime fili, voluntatem paternam reſpuis, nec te iungere vis connubio, vt ſemen excites noſtro de genere, ſeculis ſequentibus profuturum? Caſſo enim labore exercemur ad operandum, ſi poſſeſſor deerit ad fruendum. Quare implemus domum opibus, ſi de genere noſtro non proceſſerit qui vtatur? Quid mancipia dato pretio noſtris ditionibus ſubiugamus, ſi rurſum alienis debent dominationibus ſubiacere? Obedire filios debere voci parentum ſcripturæ teſtantur diuinæ; ſed tu cùm inobediens eſſe parentibus probaris, vide ne te cœleſtibus eruere nequeas ab offenſis. Hæc pater loquens facilè tali ætatulæ perſuaſit voluntati ſuæ non contraire. Deniq; dato ſponſæ annulo, porrigit oſculum, præbet calceamentum, celebrat ſponſalium diem feſtum.

Interea genitor, genitrix'q; mortis ſomno ſopiti, migrauerunt à ſeculo, vitæ præſentis curriculo iam peracto. Hic verò, tempore luctus expleto, oneratus donis nuptialibus, fratris pergit ad domum, quem intantum reperit vino madidũ, vt nec cognoſceret, nec recipere vellet propria in domo germanum. Ille verò ſuſpirans, & lachrymans ſeceſſit in partem, venitq; ad tugurium, in quo fœnum fuerat aggregatum, atq; ibi colligato præbens equo pabulum, decubuit ſuper fœnum ad quieſcendũ. Expergefactus autem media nocte ſurgit de ſtratu ſuo, erectiſq; ad cœlum manibus, gratias agere cœpit omnipotenti Deo, quòd eſſet, quod viueret, quod aleretur donis eius, alia multa huiuſmodi proſecutus; cùmq; ſuſpiria longa protraheret, atq; lachrymis crebris genas vbertim rigaret, Deus omnipotens, qui illos, quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij

ſui,

ſui, compunxit cor eius, vt relicto ſeculo manciparetur ad cultum diuinum. Tunc ille quaſi iam Sacerdos animæ ſuæ prædicare ſibi ipſi exorſus eſt, dicens: Quid agis, anima, quid in ambiguo ſuſpenſa teneris? Vanũ eſt enim ſeculũ, vanæ ſunt cõcupiſcẽtiæ eius, vana gloria mũdi, & ea, q̃ in illo ſunt, omnia vanitas. Melius eſt igit̃ relinquere eũ, & ſequi Dñm, & ad eius opera præbere cõſenſum.

Hæc effatus, cùm diem terris reddere lux diurna cœpiſſet, aſcenſo equo cœpit ad hoſpitium ſuum reuerti. Cúmq; per viam iam alacris pergeret, voluere intra ſe cœpit, qd ageret, quò abiret, dixitq;: Expetã Martini beati tumulum, vnde procedit virtus alma ſuper infirmos, credo enim quòd & mihi eius oratio iter referet ad Deum, qui deprecatus ipſum Dominum mortuos reduxit à tartaro: & ſic viam carpens, oratione comite, ſancti Martini baſilicam eſt ingreſſus. Circa quam paucis diebus commoratus, tranſito amne, ad cellulam maiori monaſterio propinquam, de qua Alaricus quidam receſſerat, deuotus acceſſit; ibíq; ſe proprijs manibus membrana faciens ad ſcribendũ aptauit; atq;, vt ſcripturas ſanctas intelligeret, ac Dauidici carminis pſalmos, qui dudũ exciderãt, memoria retineret, exercuit. Sicq; diuinarũ ſcripturarũ lectionibus eruditus, cognouit verũ eſſe quod ei Dominus prius inſpirauit in corde. Sed ne hæc cuiquã fabuloſa videantur, quæ retulimus, teſtor Deũ, quia ab ipſius benedicti hæc ore cognoui. Is verò interpoſito pauci temporis ſpatio, humilem ſe tantum præbuit, vt honoraretur ab omnibus; acceptóq; ſarculo cellulã, in quam ingreſſus fuerat, incidens lapidem ampliauit; in qua cellula delectabatur 1 ieiunijs, oratione, pſallentio, lectione, nec vnquam à diuinis officijs, & oratione ceſſabat. Scribebat interdum, vt ſe à cogitationibus noxijs diſcuteret. Interea verò vt ſe tentator manifeſtaret Dei ſeruis ſemper inimicum, ac inuidum, cùm quidam de ſancti monachulis litem quandam cùm vicinis habuiſſet, immiſit ei cogitationẽ, vt relicta cellula illa, ad aliam tranſmigraret. Cùmq; ibi ad orationem ſolitam deueniſſemus, dolum nobis veneni graſſantis aperuit. Ego verò ſuſpirans non minimo dolore, increpare hominem cœpi, aſſerens diaboli eſſe calliditatem, libroſq; ei, & vitas patrum, ac inſtitutionem monachorum, vel quales qui recluduntur eſſe debeant, vel cum quali cautela monachos viuere oporteat, abſcedens ab eo direxi. Quibus relectis, non ſolùm cogitationem prauam à ſe diſcuſſit, verumetiã tanto ſenſum acumine erudiuit, vt miraremur facundiam locutionis eius. Erat enim dulcis eloquio, blandus hortatu, eratq; ei ſolicitudo pro populis, inquiſitio pro Regibus, oratio aſſidua pro omnibus eccleſiaſticis Deum timentibus. Veruntamen nec ſibi, vt quidam, dimiſſis capillorum flagellis, aut barbæ demiſſione plaudebat; ſed certo tempore capillum tondebat, & barbam. In qua cellula viginti & duos annos in hoc opere degens, tanta Domini gratia confortatus eſt, vt puſtulis malis ſaliua oris ſui perunctis, vim veneni ſæuientis opprimeret. Frigoriticis verò per poculum vini charactere Crucis 2 beatæ ſanctificatum, frigus accedens, æſtumq; reſtinxit, non immeritò diſcutiens incommodas febres ab alijs, qui in ſe extinxerat incentiua criminis noxialis.

1 Vide ſancti viti exercitia.

2 Potione vini Cruce ſignati morbũ curat.

Quodam autem tempore cæcus ad eum veniens, erumnas doloris ſui humiliter deplorabat, ac depoſcebat, vt tactu dexteræ ſuæ ſanctus lumina clauſa palparet. Quod ille diutiſſimè renuens, tandem fletibus hominis victus, miſericordia motus, cùm per triduum orationem pro eo fudiſſet ad 3 Dominum, quarta die imponens manum ſuper oculos eius, ait: Domine omnipotens fili vnigegenite Dei Patris, qui cum eo, ac Spiritu ſancto regnas in ſecula, qui homini à natiuitate cæco reddidiſti lucẽ beati oris ſputo, tu redde & huic famulo tuo luminis vſum, vt cognoſcat quia tu es Dominus omnipotẽs Et hæc dicens, vt Crucẽ ſuper oculos cæci depinxit, mox pulſis tenebris lucem de præſenti reſtituit. Huius virtutis teſtimonio Euſtathius Abbas aſtipulator aſſiſtit.

3 Triduana oratione, impoſitione manus, ac ſigno Crucis cœcũ illuminat.

4 Nota labore, ieiunium, & orationē. Deniq; hic de labore 4 lapidis ſubmontani, quem aſſiduè cædebat, confractus, ieiunij auſteritate cōfectus, oratiōe indeſinēti debilitatus, cœpit paulatim corporis firmitate deſtitui. Quadam autem die dum nimium feſſus haberetur, nos ad vocari præcepit. Ad quem accedentes, poſtquam funeris ſui neceſſitatem defleuit, eulogias à nobis peccatoribus flagitauit. Quibus acceptis, hauſto mero ait: Tempus meum iam impletur, vt me Dominus ab huius corporis vinculis iubeat relaxari; ſed adhuc paucis diebus erit ſpatium; verùtamen ante diem 5 ſanctum Paſchæ vocandus ſum. O' beatum virum, qui ſic ſeruiuit creatori omnium vt ſuum obitum reuelatione diuina cognoſceret. Erat enim menſis decimus, quando hæc eſt effatus. Duodecimo autem menſe cœpit iterum grauiter ægrotare. Aduenit dies Dominica, vocat miniſtrum ſuū, & ait: Præpara quiddam cibi, quod accipiam, quia valde defeſſum me ſentio. Illo autem reſpondente: Præſto eſt Domine: ait ad eum: Egredere foras, & aſpice ſi iam celebratis ſolennibus populus de Miſſis egreditur. Hoc autem dicebat, non quòd cibum capere vellet, ſed vt tranſitus ſui nullus teſtis adeſſet. Ille igitur egreſſus, ac poſtmodum reuertens cùm ingreſſus fuiſſet cellulam, inuenit virum Dei extenſum corpore, clauſis oculis, ſpiritum exhalaſſe. Vnde factum eſt manifeſtum, eum ab Angelis ſuſceptum, qui hominem adeſſe noluit ſuum ad tranſitum. Hæc cernens miniſter ille eleuauit vocem in fletu, ſicq; concurrentibus reliquis fratribus, ablutus, ac veſtimentis dignis indutus, in ſepulchro, quod ipſe ſibi in antedicta cellula ſculpſerat, reconditus eſt. Quem in conſortio ſanctorum aſcitum, nulli fidelium haberi reor incertum.

5 Dies ſanctus Paſchæ.

EXCERPTA QVAEDAM EX LIBRIS GALLICANAE HISTORIAE DIVI GREGORII ARCHIEPISCOPI TVRONENSIS.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS BERGOMENSIS SYNCERO LECTORI.

HVCVSQVE in præcedentibus ſeptem noſtris Tomis de ſanctorum vitis æditis,qui ſingulari vitæ ſanctitate in Italia claruiſſent, inter cæteros præſertim ex Gregorio magno Pontifice Romano,qui in Hiſpanijs, ex Iſidoro Hiſpalenſi Epiſcopo,qui in Anglia,ex Venerabili Beda, qui demum in Oriente,ex Symeone Metaphraſte cognoueras. Habes in hoc qui in Gallijs omni virtutum genere celeberrimi enituerint viri, ex Gregorij Turonenſis Archipræſulis ſcriptis, & Gallicana eius Hiſtoria collecti. Vtinam verò & ampliſſimæ Germaniæ, necnon latiſſimæ Poloniæ,& Ruſſiæ,quæ eidem coniuncta eſt,ſanctos tibi in hunc modum legendos offerre potuiſſem,id enim per quàm libenter feciſſem. Sed licet prior Bonifacio,& Ruperto clariſſimis Epiſcopis, altera Adalberto, & Stanislao præſulibus,eiſdemq; martyribus eminentiſſimis,tertia verò altero & ipſa Bonifacio ſanctiſſimo diui Romualdi diſcipulo,alijsq; beatiſſimis viris illuſtres reddantur,nihilominus ad eorum facta,memorabiliaq; geſta, quantacunq; per me adhibita fuerit diligentia,nunquam pertingere potui. Extant deſcripta quædam à recentioribus nonnullis,ſed quia priſcam illam non redolent antiquitatē, & fontes,ex quibus hauriuntur,vel ignorantur,vel non longè multò deriuant, ſatius duximus ab eorum commemoratione ſuperſedere,& quem ſcriptis exhibere,vt par fuerat,non poſſumus,ſaltem animo debitum illis honorem impendere. Liber autem,quem modò legendū tibi exhibemus,tantis (mihi crede) ſcatebat

mendis, & erroribus, totq; abundabat ſolœciſmis, vt vix intelligi poſſet; nāq; ea typographorum aliquando solet eſſe incuria, vt ſiue benè, ſiue perperàm imprimant, parum, aut certè nihil laborent. Nos verò curauimus quàm optimè potuimus, vt ſaltem illius faciem horridiuſculam, nihil tamen de ſenſu auctoris inuertendo, componeremus. Quod ſi effecimus, Deo gratiæ agendæ; ſin minus, noſtra imperitia excuſanda erit. Videbis & in hoc volumine multa ſcitu digniſſima, atq; illud imprimis, qui'nam orthodoxi, & qui impij Reges fuerint. Nam catholici nihil ſibi de Eccleſiæ iuribus, nihil de fidei dogmatibus immutādis quocunq; titulo, vel colore ſibi arrogant. At peruerſi illi omnia ſuæ ſubijciunt ditioni, leuiſſimos quoſq; prætextus pro neceſſarijs, & vrgētibus cauſis adhibentes, quò Eccleſiæ iura, & fidei axiomata proſternant, & conculcent. Sed eſt verus, & ſummus illorum, & omnium Rex, qui in diſtricto examine hæc omnia inquiret, & iudicabit, quando manifeſta erunt abſcondita cordium, & laus erit & præmium, ſiue improperium & ſupplicium, vnicuiq; à Deo. Vale.

PROLOGVS IN LIBRVM HISTORIARVM GENTIS FRANCORVM AEDITVM A' BEATO GREGORIO TVRONENSI ARCHIEPISCOPO.

SCRIPTVRVS bella Regum cum gentibus aduerſis, martyrum cum paganis, Eccleſiarum cum hæreticis, priùs fidem meam proferre cupio, vt qui legerit, me non dubitet eſſe catholicum. Sed priùs veniã à legentibus precor, ſi aut in literis, aut in ſyllabis Grãmaticam artem exceſſero, de qua ad plenum non ſum imbutus, illud tantùm ſtudens, vt quod in Eccleſia credi prædicatur, ſine aliquo fuco, aut cordis hæſitatione retineam, quia ſcio peccatis obnoxiũ per credulitatem ſyncerã obtinere poſſe veniam apud Deum. Credo ergo in Deum Patrẽ omnipotentẽ. Credo in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum Dominum noſtrum natum à Patre, non factum, non poſt tempora, ſed ante cunctum tempus ſemper fuiſſe cum Patre. Nec enim Pater dici potuerat, niſi haberet Filium, neq; Filius eſſet, ſi Patrem vtiq; non haberet. Illos verò qui dicunt: Erat quando non erat: execrabiliter renuo, & ab Eccleſia ſegregari conteſtor. Credo Chriſtum hunc, Verbum eſſe Patris, per quem facta ſunt omnia. Hunc Verbum carnem factum credo, cuius paſſione mundus redemptus eſt; & humanitatem, non Deitatem, ſubiacuiſſe paſſioni credo. Credo eum tertia die reſurrexiſſe; hominem perditum liberaſſe; aſcendiſſe cœlos; ſedere ad dexteram Patris; venturum, ac iudicaturum viuos, & mortuos. Credo Spiritum ſanctum à Patre & Filio proceſſiſſe, non minorem, & quaſi ante non eſſet, ſed æqualem, & ſemper cum Patre & Filio coæternum, Deum conſubſtantialem, natura æqualem, & omnipotentia, conſempiternum eſſentia, & nunquam ſine Patre fuiſſe, vel Filio, neq; minorem Patre vel Filio. Credo hanc Trinitatem ſanctam in diſtinctione ſubſiſtere perſonarum, & aliam qoidem perſonam Patris, aliam Filij, aliam Spiritus ſancti. In qua Trinitate vnam Deitatem, vnam potentiam, vnam eſſentiam eſſe confiteor. Credo beatam Virginem Mariam, vt virginem ante partum, ita virginem & poſt partum. Credo animam immortalem, nec tamen partem habere Deitatis. Et omnia, quæ à trecentis decem & octo Epiſcopis Niceæ conſtituta ſunt, fideliter credo. De fine verò mundi ea ſentio, quæ à prioribus didici. Antichriſtus primùm circunciſionem inducet, ſe aſſerens Chriſtum. Deinde in templo Hieroſolymis ſtatuam ſuam collocabit adorandam, ſicut Dominum dixiſſe legimus: Videbitis abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto. Sed diem illam ignorari omnibus hominibus ipſe Dominus manifeſtat, dicens: De die autem illa, & hora nemo ſcit, neq; Angeli cœlorum, neq; Filius, niſi Pater ſolus. Sed & hic reſpondebimus hæreticis, qui nos impugnant, aſſerentes minorem filium eſſe Patre, quippe qui hanc diem ignoret. Cognoſcant ergo, hunc filium

Chriſtianum populum nuncupatum, de quo à Deo prædicitur: Ego ero illis in Patrem, & ipſi erunt mihi in filios. Si enim hæc de vnigenito Filio prædixiſſet, nunquam ei Angelos præpoſuiſſet. Sic enim ait: Neq; Angeli cœlorum, neq; filius, oſtendens non de vnigenito, ſed de adoptiuo filio hæc dixiſſe. Noſter verò finis ipſe Chriſtus eſt, qui nobis vitã in æternam, ſi ad eum conuerſi fuerimus, larga benignitate præſtabit.

EX LIBRO PRIMO HISTORIARVM D. GREGORII TVRONENSIS.

PETRVS ROMAM VENIT, ET PER MARTYRIVM CHRISTO TESTIMONIVM, VT CAETERI APOSTOLI, PERHIBET. CAP. XXIIII.

BEATVS Petrus Apoſtolus ſub Imperatore Claudio, quarto ab Auguſto Romam 1 aggreditur, ibiq; prædicans in multis virtutibus manifeſtiſſimè Chriſtum eſſe Dei filium comprobauit. Ab illis enim diebus Chriſtiani apud ciuitatẽ Romanam eſſe cœperunt. Cùm autem nomen Chriſti per populos magis ac magis dilataretur, oritur contra hoc antiqui ſerpentis inuidia, & totis ſe Imperatoris præcordijs immittit ſæua malignitas. Nam Nero ille luxurioſus, vanus, atq; ſuperbus, virorum ſuccuba, & rurſus virorum appetitor, matris, ſororum, ac proximarum quarunq; mulierum ſpurciſſimus violator, ad complendam malitiæ ſuæ molem, primus contra Chriſti cultum perſecutionem excitat in credentes. Habebat enim ſecum Simonem magum virum totius malitiæ, & omnis magicæ artis magiſtrũ. Hoc eliſo per Apoſtolos Domini Petrum, atq; Paulum, commotus contra eos, quòd Chriſtum filium Dei prædicarent, & idola adorare contemnerent, Petrum cruce, Paulum gladio iubet interfici. Ipſe verò excitatam ſuper ſe ſeditionem fugere tentans, quarto ab Vrbe lapide propria ſe manu interfecit.

1 Habes hîc Petrum, & Paulum Romæ fuiſſe, ibique Chriſtũ prædicaſſe, et ſub Nerone in eadẽ Vrbe martyrio fuiſſe coronatos.

Tunc & Iacobus frater Domini, & Marcus Euangeliſta pro Chriſti nomine glorioſo martyrio coronati ſunt. Primus tamen omnium hanc viam Leuita Stephanus, & martyr intrauit. Magna autem poſt Iacobi Apoſtoli necem Iudæos calamitas eſt aſſecuta. Nam adueniente Veſpaſiano, & templum incenſum eſt, & ſexcenta millia Iudæorum eo bello gladio, & fame confecta ſunt. Domitianus autem ſecundò poſt Neronem in Chriſtianos ſæuit, Ioannemq; Apoſtolum in inſulam Pathmos relegat in exilium, & diuerſas crudelitates in populos agitat. Poſt cuius mortem beatus Ioannes Apoſtolus, & Euangeliſta de exilio rediјt, qui ſenex & plenus dierum, perfectæq; in Deum vitæ, viuens ſe depoſuit in ſepulchro. Hic fertur non guſtare mortem, donec iteratò Dominus iudicaturus adueniat, ipſo in Euangelijs ita dicente: Sic eum volo manere, donec veniam.

EX LIBRO I. HISTORIARVM

DE PERSECVTIONE TRAIANI.

CAP. XXV.

TERTIVS poſt Neronē in Chriſtianos p̄ſecutionē Traianus mouet. Sub quo beatus Clemēs tertius Romanæ Eccleſiæ Ep̄us paſſus eſt;& ſāctus Symeō Hieroſolymitanus Epiſcopus Cleophæ filius,pro Chriſti nomine Crucifixus aſſeritur ; & Ignatius Antiochenſis Epiſcopus Romam ductus beſtijs illic deputatur . Hæc ſub Traiani temporibus acta ſunt. Poſt hunc Aelius Adrianus Imperator creatus eſt. Vnde & Hieroſolyma Aelia ab Aelio Adriano vocatur ſucceſſore Traiani,eò quòd eam repararit.

DE HAERESVM, ET SCHISMATVM ORTV.

CAP. XXVI.

POST has verò paſſiones ſanctorum,non fuit ſatis parti aduerſæ gentes incredulas in Chriſticolas excitaſſe,niſi commoueret & in ipſis Chriſtianis ſchiſmata. Concitat igitur hæreſes, & diuiſa fides catholica, aliter aliterq́ꝫ diſſeritur. Nam ſub Antonini Imperio Martionitana,& Valentiniana hæreſis inſana ſurrexit. Et Iuſtinus Philoſophus poſt ſcriptos catholicæ Eccleſiæ libros,martyrio pro Chriſti nomine coronatur.

In Aſia autem orta perſecutione,beatiſſimus Polycarpus Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ diſcipulus,octogeſimo ætatis ſuæ anno,velut holocauſtum puriſſimum,per ignem Domino conſecratur. Sed & in Gallijs multi pro Chriſti nomine ſunt per martyrium gemmis cœleſtibus coronati, quorum paſſionum hiſtoriæ apud nos fideliter vſq; hodie retinentur.

DE PHOTINO, ET IRENAEO MARTYRIBVS.

CAP. XXVII.

EX quibus & ille primus Lugdunēſis Eccleſiæ Photinus Epiſcopus fuit, qui plenus dierum diuerſis affectus ſupplicijs pro Chriſti nomine paſſus eſt. Beatiſſimus verò Irenæus huius ſucceſſor martyris,qui à beato Polycarpo ad hanc vrbem directus eſt,admirabili virtute enituit, nam in modici t̄pis ſpatio p̄dicatiōe ſua maximè in integro ciuitatē reddidit Chriſtianā.Sed veniente perſecutione, talia ibidē diabolus bella p̄ tyrānū exercuit, & tanta ibi multitudo Chriſtianorū ob cōfeſſionē Dñici nominis eſt iugulata, vt p̄

plateas

plateas flumina currerent de ſanguine Chriſtiano. Quorum nec numerum, nec nomina colligere potuimus. Dominus verò eos in libro vitæ conſcripſit. Beatum verò Irenæum diuerſis carnifex pœnis affectum Chriſto Domino per martyrium dedicauit. Poſt hunc & quadragintaocto martyres paſſi ſunt, ex quibus primum fuiſſe legimus Vectium Pagatum.

DE PERSECVTIONE SVB DECIO.

CAP. XXVIII.

SVB Decio verò Imperatore multa bella aduerſus nomen Chriſtianum exoriuntur, & tanta ſtrages de credentibus fuit, vt nec numerari queant. Babilas Epiſcopus Antiochenus cum tribus paruulis, ideſt, Vrbano, Prilidano, & Epolono, & Sixtus Epiſcopus Romanæ Eccleſiæ, & Laurentius Archidiaconus, & Hippolytus, ob Dominici nominis confeſſionem per martyrium conſummati ſunt. Valentinianus, & Nouatianus maximi tūc hæreticorū principes, contra fidem noſtram inimico impellente graſſabantur. Huius tempore ſeptē Presbyteri Epiſcopi ordinati ad prædicādū in Gallias miſſi 1 ſunt, ſicut hiſtoria paſſionis ſancti martyris Saturnini enarrat. Ait enim: Sub Decio, & Grato conſulibus, ſicut fideli recordatione retinetur, primum, ac ſummū Tholoſana ciuitas ſanctum Saturninum habere cœperat ſacerdotem. Hi ergo miſſi ſunt, Turonicis Gratianus Epiſcopus, Arelatenſibus Trophimus Epiſcopus, Narbonæ Paulus Epiſcopus, Tholoſæ Saturninus Epiſcopus, Pariſianis Dionyſius Epiſcopus, Aruernis Aſtremonius Epiſcopus, Lemouicinis Martialis eſt deſtinatus Epiſcopus.

1 Vides ad Ro. Eccleſiā pertinere ſolicitudinē omniū Eccleſiarū. Nā ideo hos miſit in Gallias, quia ipſa omnium regnorū mater eſt, & magiſtra.

De his verò beatus Dionyſius Pariſiorum Epiſcopus, diuerſis pro Chriſti nomine affectus pœnis, præſentem vitam gladio imminente finiuit. Saturninus verò iam ſecurus de martyrio, dixit duobus Presbyteris ſuis: Ecce ego iam immolor, & tempus meæ reſolutionis inſtat. Rogo, vt vſq; dum debitum finem impleam, à vobis penitus non relinquar. Cùm q; comprehenſus ad Capitolium duceretur, relictus ab his ſolus attrahitur. Igitur cùm ſe ab illis cerneret derelictum, oraſſe fertur: Domine Ieſu Chriſte, exaudi me de cœlo ſancto tuo, vt nunquam Eccleſia de his ciuibus dignetur habere Pontificem in ſempiternum. Quod vſq; nunc in ipſa ciuitate ita eueniſſe cognouimus. Ipſe verò taurinis veſtigijs alligatus, ac de Capitolio præcipitatus, vitam finiuit. Gratianus verò, Trophimus, Aſtremonius q;, & Paulus, atq; Martialis, in ſumma ſanctitate viuētes, poſt acquiſitos Eccleſiæ populos, ac fidem Chriſti per omnia dilatatam, felici confeſſione migrarunt. Et ſic tam illi per martyrium, quàm iſti per confeſſionem, relinquentes terras in cœleſtibus pariter ſunt coniuncti.

DE PERSECVTIONE SVB VALERIANO, ET GALIENO.

CAP. XXX.

VIGESIMO ſeptimo loco Valerianus & Gallenus Romanum Imperium ſunt adepti, qui grauẽ contra Chriſtianos perſecutionem ſuo tẽpore commouerunt. Tunc Romam Cornelius, Cyprianus Carthaginem felici ſanguine illuſtrarunt. Horum tempore & Chrocus ille Alemannorum Rex, commoto exercitu, Gallias peruagatus eſt. Hic autem Chrocus multæ arrogantiæ fertur fuiſſe. Qui cùm nonnùlla iniquè geſſiſſet, per conſilium (vt aiunt) matris iniquæ, collecta (vt diximus) Alemannorum gente, vniuerſas Gallias peruagatur, cunctasq́ ædes, quæ antiquitus fabricatæ fuerãt, à fundamentis ſubuertit. Veniens verò in Aruernos, delubrum illud, quod Gallica lingua Vaſſogalate vocant, incendit, diruit, atq; ſubuertit. Miro autẽ opere factum fuit, atq; firmatum, cuius paries duplex erat. Ab intus enim de minuto lapide, à foris verò quadris ſculptis fabricatum fuit. Habuit enim paries ille in groſſitie pedes triginta; intrinſecus verò marmore, ac muſino, ſeu muſeaco variatum erat; pauimentũq́; ædis marmore ſtratũ, deſuper verò plumbeũ erat tectũ.

DE ALIIS MARTYRIBVS.

CAP. XXXI.

IVXTA hanc vrbem Limininus, Antolianusq́; martyres requieſcunt. Ibi Caſſianus, ac Victorinus in dilectione Chriſti fraterno affectu ſociati, per effuſionem cruoris proprij cœlorum regna pariter ſunt adepti. Nam refert antiquitas Victorinum ſeruum fuiſſe antedicti templi ſacerdotis. Qui dũ plerunq; vicum, quem Chriſtianorum vocant, ad perſequendos Chriſtianos adit, Caſſianum reperit Chriſtianum. Cuius prædicationibus, atq; miraculis motus credidit; relictisq́; fanaticis ſordibus, atq; baptiſmo conſecratus, magnus in virtutum operatione enituit. Nec multò poſt per martyrium (vt diximus) in terris ſociati, ad cœleſtia pariter regna migrauerunt.

DE PRIVATO MARTYRE, ET CHROCO TYRANNO.

CAP. XXXII.

IRRVENTIBVS autem Alemannis in Gallias, ſanctus Priuatus Gabalitanæ vrbis Epiſcopus, in cripta Memmatenſis montis, vbi ieiunijs, orationibusq́; vacabat, reperitur, populi Credonenſis Caſtri munitione concluſus. Sed dum oues ſuas bonus paſtor lupis tradere non conſentit, dæmonijs immolare compellitur. Quod facinus ille tam execrans, quàm refutans, tandiu fuſtibus cæditur, quoad vſq; putaretur exanimis. Sed ex ipſa quaſſatione interpoſitis paucis diebus ſpiritum exhalauit. Chrocus verò apud Arelatenſem Galliarum vrbem comprehenſus, diuerſis affectus ſupplicijs, gladio verberatus interijt, non immeritò, pœnas, quas ſanctis Dei intulerat, luens.

PERSECVTIO SVB DIOCLETIANO.

CAP. XXXIII.

SVB Diocletiano, qui trigeſimo tertio loco Romanum rexit imperium, grauis contra Chriſtianos per annos quatuor perſecutio exagitata eſt, ita vt quadam vice in ipſo ſacratiſſimo [1] die Paſchæ magni Chriſtianorum populi ob veri Dei cultum interficerentur.

[1] Ipſo ſacratiſſimo die Paſchæ.

Eo tempore Quirinus Siſtienſis Eccleſiæ Sacerdos, glorioſum pro Chriſti nomine martyrium tulit. Quem, ligato ad collum molari ſaxo, in fluminis gurgitem ſæuitia impulit paganorum. Igitur cùm cecidiſſet in gurgitem, diu ſuper aquas diuina virtute ferebatur, nec ſorbebant aquæ, quem pondus criminis non premebat. Quod factum admirans multitudo populi circunſtantis, deſpecto furore gentilium, ad liberandum properant Sacerdotem. Hoc ille cernens, nō paſſus eſt è martyrio ſe ſubtrahi, ſed erectis oculis in cœlum, ait: Ieſu Domine, qui glorioſus reſides ad dexteram Patris, ne patiaris me ab hoc ſtadio remoueri, ſed ſuſcipiens animā meā, coniungere me tuis martyribus in requie ſempiterna dignare. His dictis reddidit ſpiritum. Cuius corpus à Chriſtianis ſuſceptum venerabiliter ſepulturæ mandatum eſt.

DE CONSTANTINO MAGNO, BEATO MARTINO, ET INVENTIONE CRVCIS.

CAP. XXXIIII.

ROMANORVM xxxiiij Imperium obtinuit Conſtantinus, annis triginta regnans feliciter. Huius Imperij anno vndecimo, cùm poſt deceſſum Diocletiani pax reddita fuiſſet Eccleſijs, beatiſſimus Præſul Martinus apud Sabbariam Pannoniæ ciuitatem naſcitur parentibus gẽtilibus, non infimis tamen. Huius quoq; tempore venerabile Crucis Dominicæ lignum per ſtudium Helenæ matris eius repertum eſt, prodente Iuda Hebræo, qui poſt baptiſmum Quiriacus eſt vocatus. Vſq; ad hoc tempus hiſtoriographus in Chronicis ſcribit Euſebius. A' vigeſimo enim primo eius imperij anno Hieronymus Presbyter addidit, indicans Iuuencum Presbyterum Euangelia verſibus conſcripſiſſe, rogante ſupradicto Imperatore.

DE CONSTANTIS IMPERIO.

CAP. XXXV.

SVB Conſtantis autem imperio, Iacobus Niebenus fuit. Ad cuius preces inclinatæ aures diuinæ clementiæ, multa pericula à ciuitate eius repulerunt. Sed & Maximus Treuirorum Epiſcopus, potens in omni ſanctitate reperitur nonodecimo Conſtantini iunioris anno. Antonius monachus tranſijt, centeſimoquinto ætatis ſuæ anno. Beatiſſimus Hilarius Pictauenſis Epiſcopus, ſuaſu hæreticorum exilio deputatur, ibiq; librum pro fide catholica ſcribens, Conſtantio miſit, qui quarto exilij anno, eum abſolui iubens, ad propria redire permiſit.

DE BEATO MARTINO.

CAP. XXXVI.

TVNC iam & lumen noſtrum exoritur, nouisq; lampadum radiis Gallia perluſtratur, hoc eſt, eo tempore beatiſſimus Martinus in Gallijs prædicare exorſus eſt. Qui Chriſtum Dei filium per multa miracula verum Deum in populis declarans, Gentilium incredulitatẽ auertit. Hic enim fana deſtruxit, hæreſim oppreſſit, Eccleſias ¹ ædificauit, & cùm alijs multis virtutibus refulgeret, ad conſummandum laudis ſuæ titulum, tres mortuos vitæ reſtituit. Quarto Valentiniani & Valentis anno ſanctus Hilarius apud Pictauos, plenus ſanctitate, & fide, multis vbiq; virtutibus æditis,

1 Ecce primũ ſignũ deſtructionis Gentilitatis, & hæreſeos, Eccleſiarũ ædificatio.

migrauit ad cœlos. Qui & ipſe legitur mortuos ſuſcitaſſe. Melania verò matrona nobilis, & incola vrbis Romanæ, Hieroſolymas ob deuotionem abijt, Vrbano filio Romæ relicto. Quæ ita ſe in cuncta bonitate, ac ſanctitate omnibus præbuit, vt Thecla vocaretur ab incolis.

DE VALENTIS TYRANNIDE.

CAP. XXXVII.

POST mortem autem Valentiniani, Valens integri ſucceſſor Imperij monachos ad militiam cogi iubet, nolentes fuſtibus præcepit verberari. Poſt hæc ſæuiſſimum bellum in Thracas Gothi intulere, in quo tanta ſtrages fuit, vt Romani amiſſo equorum præſidio pedibus fugerent. Cumq́; à Gotthis internecione maxima cæderentur, & Valens fugeret, ſagitta ſauciatus, paruum tugurium ingreſſus eſt. Irruentibusq́; hoſtibus ſuper ſe, incenſa caſula, optata caruit ſepultura. Sicq́; vltio diuina ob ſanctorum effuſum ſanguinem, tandem emiſſa proceſſit.

DE THEODOSIO.

CAP. XXXVIII.

IGITVR cùm Gratianus Imperator deſtitutam cerneret eſſe Rempublicam, Theodoſium collegam Imperij facit. Hic Theodoſius omnem ſpem ſuam, atq; fiduciam in Dei miſericordia ponit. Qui multas gentes non tã gladio, quàm [1] vigilijs, & oratione compeſcuit. Rempublicam confirmauit. Conſtantinopolim vrbem victor ingreſſus eſt. Maximus verò cùm per tyrannidem oppreſſis Britãnis ſumpſiſſet victoriam, à militibus Imperator creatus eſt, in vrbe Treuirica ſedem inſtituens; Gratianumq́; Imperatorem circũuentum dolis interfecit. Ad hunc Maximum beatus Martinus iam Epiſcopus venit. In locum ergo Gratiani Theodoſius ille, qui totam ſpem in Deum po‐ſuerat, totum ſuſcipit imperium. Qui deinceps diuinis affatibus fretus, Maximum ſpoliatum imperio interfecit.

1 Nota, Qui multas gẽtes non tam gladio, quàm vigilijs, & oratione compeſcuit.

DE VRBICO EPISCOPO.

CAP. XXXIX.

APVD Aruernum verò poſt Auſtremonium Epiſcopum, prædicatoremq́;, Primus Epiſcopus Vrbicus fuit, ex Senatoribus conuerſus, vxore h habens. Quæ iuxta conſuetudinem [1] Eccleſiaſticã, remota à conſortio Sacerdotis religioſè viuebat. Vacabant enim ambo orationi, eleemoſynis, atq; operibus bonis. Cùmq́; hæc agerent, liuor inimici, qui ſemp

2 Vides quòd vxorati in Eccleſia Latina promoti ad Epatus, iuxta conſuetudinem Eccleſiaſticã, ab vxorum amplexibus ſeparantur?

eſt æmulus ſanctitati,commouetur in fœminam [1]. Quam in concupiſcentiam viri ſuccendens,nouam Euam effecit. Nam ſuccenſa mulier à libidine,operta peccati tenebris,pergit ad domum Eccleſiæ per tenebras noctis. Cúmq; obſerata omnia reperiſſet,pulſare fores Eccleſiaſticæ domus cœpit,ac voces huiuſmodi dare: Quouſq; Sacerdos dormis? Quouſq; clauſa oſtia non reſeras? Cur coniugem ſpernis? Cur obduratis auribus Pauli præcepta nō audis? Scripſit enim: Reuertimini ad alterutrum,ne tentet vos ſatanas. Ecce ego ad te reuertor, nec ad extraneum,ſed ad proprium vas recurro. Hæc illa, & his ſimilia diu declamante,tandem Sacerdotis tepeſcit religio. Iubet eam cubiculo intromitti; vſuſq;concubitu eius diſcedere iubet. Dehinc tardius ad ſe reuerſus,& de perpetrato ſcelere 2 condolens,acturus pœnitētiā,diœceſis ſuæ monaſterium expetit; ibiq;cum gemitu,ac lachrymis,quæ commiſerat diluens,ad vrbem propriam eſt reuerſus. Qui impleto curſu vitæ migrauit à ſeculo. Nata eſt autem ab hoc conceptu filia,quæ in religione permanſit. Ipſe quoq; Sacerdos cum coniuge,& filia in cripta Cantobonenſi iuxta aggerem publicum eſt ſepultus. In cuius locum Legonus Epiſcopus ſubrogatur.

2 Ecce quomodo Epus ſi priùs habitæ vxori cōmiſcetur, ſcelus committit, & ſeuera pœnitentia dignus eſt.

DE SANCTO ILLIDIO EPISCOPO.

CAP. XL.

CVI defuncto ſanctus Illidius ſucceſſit, vir eximiæ ſanctitatis,ac præclaræ virtutis. Qui tanta ſanctitate emicuit, vt fama eius etiam extraneos fines adiret. Vnde factum eſt,vt Imperatoris Treuirici filiam expetitus curaret à ſpiritu immundo. Quod in libro illo,quem de eius vita conſcripſimus,memorauimus.

Fuit autem,vt fama refert, valde ſenex,& plenus dierum,plenuſq; bonis operibus. Qui felici conſummatione vitæ huius perfecta, migrauit ad Chriſtum, ſepultuſq; eſt in cripta in ſuburbio ciuitatis illius. Habuit autem & Archidiaconū nomine, & merito Iuſtum, qui curſum vitæ bonis conſummans operibus, magiſtro tumulo ſociatur. Iam verò poſt tranſitum beati Illidij confeſſoris ad glorioſum eius ſepulchrum tantæ virtutes 1 apparent, vt nec ſcribi integrè queant,nec memoria retineri. Huic ſanctus Nepotianus ſucceſſit.

1 Virtutes,quæ ad ſancti tumulū fiunt, innocentem eius vitā cōprobant.

DE SANCTO NEPOTIANO.

CAP. XLI.

IGITVR apud Aruernum ſanctus Nepotianus quartus habebatur Epiſcopus. A Treuiris verò legati in Hiſpaniam mittebantur. Ex quibus Artemius quidam admirabilis ſapientiæ, atq; pulchritudinis, & prima ætate florens, vi febrium eſt correptus. Præcedentibus verò alijs, hic apud Aruernum ægrotus relinquitur. Ipſe eo tempore apud Treuiros ſponſali erat vinculo nexus. A ſancto autem Nepotiano viſitatus, atq; oleo 1 ſancto

1 Vides quòd oleum ſanctū,adiuuante Domino, quandoq; cōfert ægrotis ſanitatē corporalem?

perunctus, tribuente Domino, redditur ſanitati. Qui cùm ab eo ſancto verbũ prædicationis accepiſſet, oblitus tam ſponſam terrenam, quàm facultates proprias, ſanctæ copulatur Eccleſiæ, factusq; clericus in tanta prælatus eſt ſanctitate, vt beato Nepotiano ſucceſſor exiſteret ad regendas Dominici gregis oues.

DE DVORVM AMANTIVM CASTITATE, IVVENIS, ET VIRGINIS IN ARVERNIS.

CAP. XLII.

PER idem tempus iuuenis quidam de Senatoribus Aruernis, magnis opibus, ſimilem ſibi in coniugio puellam expetit; datoq; arrabone diem conſtituit nuptiarum. Erat autem vterq; vnicus patri. Adueniente verò die, celebrata nuptiarum ſolennitate, in vno ſtrato ex more locantur. Sed puella grauiter contriſtata, auerſa ad parietem, amariſſimè flebat. Cui ille; Quid, inquit, turbaris? Indica, quæſo, mihi. Illa verò ſilente, adiecit vir: Obſecro per Ieſum Chriſtum filium Dei, vt mihi quid doleas apertè exponas. Tunc illa conuerſa ad eum, ait: Si omnibus diebus vitæ meæ plangam, nunquid tantæ erunt lachrymæ, vt queant abluere tam immenſum pectoris mei dolorem? Statueram enim, vt corpuſculum meum immaculatum Chriſto à virili tactu conſeruarem; ſed væ mihi, quæ taliter ab eo relicta ſum, vt quod optabam, perficere non valeam, & quod ab initio ætatis meæ ſeruaui, in hac nouiſſima die, quam videre non debueram, perdam. Ecce enim relicta ab immortali Chriſto, qui mihi dotem promittebat paradiſum, mortalis hominis ſortita ſum conſortium, & pro roſis immarceſſibilibus, arentium roſarum me non ornant, ſed deformant ſpolia. Et cùm debui ſuper quadrifluo agni flumine puritatis ſtolam induere, hæc mihi veſtis onus exhibuit, non honorem. Sed quid amplius verba protrahimus? Infelix ego, quæ debui ſorte mereri polos, hodie demergor in 1 abyſſos. Quòd ſi mihi hæc futura erant, quare non dies vitæ meæ ipſe fuit finis, qui fuit initium? O' ſi ante introiſſem mortis ianuam, quàm lactis acciperem alimenta. O' ſi mihi dulcium nutricum oſcula in funere fuiſſent expenſa. Horrent enim mihi terrenæ ſpecies, quia pro mundi vita transfixas manus ſuſpicio Redemptoris. Nec cernere poſſum diademata gemmis inſignibus coruſcantia, cùm illam ſpineam miror mente coronam. Reſpuo longè lateq; diffuſa ſpatia terræ; amœnitatem concupiſco paradiſi. Horrent tua ſolatia, cùm Dominum reſidentem ſuſpicio ſuper aſtra.

1 Ita loquitur puella, non quòd nuptiæ infernũ promereantur. Abſit. Nam Torus immaculatus et honorabile connubiũ, inquit Apoſtolus: ſed quia virginitatem ſuã deuouerat Chriſto, vt infra clarè patet. Et deteſtabile ẽ poſt tale votũ nubere.

Talia cum magno fletu loquente puella, commotus pietate iuuenis ait: Vnicos nos nobiliſſimi Aruernorum habuere parentes, & ad propagandam generationem coniungere voluerunt, ne recedentibus de mundo ſuccederet hæres extraneus. Cui illa: Nihil eſt mundus, nihil ſunt diuitiæ, nihil eſt pompa huius ſeculi, nihil eſt vita, qua fruimur. Sed magis vita illa quærenda eſt, quæ morte terminante non clauditur, quæ labe vlla non ſoluitur, nec aliquo occaſu finitur, vbi homo in æterna beatitudine permanens, luce non occidente,

viuit. Et quod maius eſt his omnibus, ipſius Domini præſentia iugi perfruens contemplatione,in Angelicũ tranſlatus ſtatũ,indiſſolubili lætitia gaudet. Ad hæc ille; Dulciſſimis,inquit,eloquijs tuis æterna mihi vita,tamq; magnum iubar illuxit. Et ideo ſi tibi videtur carnali concupiſcentia abſtinere, particeps tuæ mentis efficiar. Illa reſpondit: Difficile eſt ſexum virilem mulieribus iſta præſtare. Tamen ſi feceris,vt immaculati permaneamus in ſeculo, ego tibi partem tribuam dotis,quam promiſſam habeo à ſponſo meo Chriſto Domino Ieſu,cui me famulam deuoui eſſe,& ſponſam. Tunc ille armatus Crucis vexillo ait:Faciam quod hortaris,& datis inter ſe dextris quieuerunt,multos poſtea in vno ſtratu recubantes annos, ſed cũ caſtitate 2 laudabili. Quod poſtea in eorum tranſitu declaratum eſt.

2 Mira res. Maritus & vxor in vno ſtratu multis annis dormientes virginitatē ſeruãr, hæretici aũt noſtri dicũt ſeruare caſtitatē eſſe impoſſibile.

Nam cùm impleto certamine puella migraret ad Chriſtum,peracto vir funeris officio,cùm puellam in ſepulchro deponeret, ait: Gratias tibi ago, æterne Domine Deus noſter,quia hunc theſaurum,ſicut à te commendatum accepi, ita immaculatum pietati tuæ reſtituo. Ad hæc illa ſubridens: Quid,inquit, loqueris quod non interrogaris? Illaq; ſepulta, ipſe non poſt multum inſequitur. Porrò cùm vtriuſq; ſepulchrum ſeparatim in eadem Eccleſia apud diuerſos parietes collocatum fuiſſet,mirabilis nouitas,quæ eorum caſtitatem manifeſtaret, apparuit. Nam facto mane,cùm ad locum populi accederent,inuenerunt ſepulchra coniuncta, quæ longè inter ſe diſtare reliquerant,vt ſcilicet quos tenet ſocios 3 cœlum, ſepulchrorum hîc corporum non ſeparet monumentum. Hos vſq; hodie duos amantes vocitare loci incolæ voluerunt. Meminimuſq; de his in libro miraculorum.

3 Vides quòd animas ſanctorũ etiam nunc cœlũ tenet.

DE BEATI MARTINI TRANSITV.

CAP. XLIII.

ARCADII verò & Honorij ſecundo Imperij anno, ſanctus Martinus Turonorum Epiſcopus, plenus virtutibus, & ſanctitate, præbens infirmis multa beneficia, octogeſimo & primo ætatis ſuæ anno, Epiſcopatus verò xxvj apud Condatenſem diœceſis ſuæ vicum, excedens à ſeculo, feliciter migrauit ad Chriſtum. Tranſiuit autem media nocte, quæ Dominica habebatur, Attico, Cæſarioq; conſulibus. Multi autem in eius tranſitu pſallentium voces audierunt in cœlo; quod in libro virtutum eius primo, plenius expoſuimus.

Cùm igitur ſanctus Dei apud Condatēſem,vt diximus, vicum ægrotare cœpiſſet,Pictaui populi ad eius tranſitum,ſicut Turonici conuenerunt. Quo migrāte, grandis altercatio inter vtrũq; ſurrexit populum. Dicebant enim Pictaui: Noſter eſt monachus; nobis Abbas extitit; nos requirimus commendatum. Sufficiat vobis, quòd dum eſſet in mundo Epiſcopus, vſi eſtis eius colloquio, participaſtis conuiuio, firmati fuiſtis benedictionibus,inſuper & virtutibus iucundati. Sufficiant ergo vobis omnia iſta. Nobis liceat auferre vel cadauer exanime. Ad hæc Turonici reſpondebant: Si virtutes nobis factas ſufficere dicitis, ſcitote quia vobiſcum poſitus, ampliùs eſt quàm hîc operatus. Nam vt prætermittamus plurima,vobis ſuſcitauit duos mortuos,nobis vnum. Et vt ſæpè ipſe

ipſe dicebat, maior ei virtus ante Epiſcopatũ fuit, quàm poſt Epiſcopatũ. Ergo neceſſe eſt, vt quod nobiſcum non impleuit viuens, expleat vel defunctus. Vobis eſt enim ablatus, nobis à Deo donatus. Verùm ſi mos antiquitus inſtitutus ſeruatur, in vrbe, qua ordinatus eſt, habebit, Deo iubente, ſepulchrum. Certè ſi pro monaſterij priuilegio cupitis eum vobis vendicare, ſcitote quia primum ei monaſterium cum Mediolanenſibus fuit.

His ergo litigantibus, ſole ruente nox clauditur, corpuſq; in medio poſitum, firmatis ianuis, ab vtroq; populo cuſtoditur. Futurum autem erat, vt manè facto, à Pictauis per violentiam auferretur. Sed Deus omnipotens noluit vrbem Turonicam proprio fruſtrari patrono. Itaq; nocte media omnes Pictaui ſomno fallaciæ comprimuntur, nec vnus ſuperfuit, qui ex hac multitudine vigilaret. Igitur vbi Turonici eos conſpiciunt obdormiſſe, apprehenſa ſanctiſſimi corporis gleba, alij per feneſtram eijciunt, alij à foris ſuſcipiunt, poſitumq; in naui cum omni populo per Vingennam fluuiũ deuehunt. Ingreſſi verò Ligeris alueum, ad vrbem Turonicam cum magnis laudibus, pſallentiumq; cœtu veniunt copioſo. Quorum vocibus Pictaui expergefacti, nihil de theſauro, quem cuſtodiebãt, habentes, cum magna confuſione ad propria ſunt reuerſi.

Verùm ſi quis requirit, cur poſt tranſitum Gratiani Epiſcopi, vnus tantum, id eſt Litorius, vſq; ad ſanctum Martinum fuiſſet Epiſcopus, nouerit, quia obſiſtentibus paganis diu ciuitas Turonica ſine benedictione Sacerdotali fuit. Nam qui Chriſtiani eo tempore videbantur, occultè, & per latebras diuinũ officium celebrabant; ſi qui enim à paganis reperti fuiſſent Chriſtiani, aut affi ciebantur verberibus, aut gladio trucidabantur. A paſſione ergo Domini vſq; ad tranſitum ſancti Martini anni ccccxij computantur.

EX LIBRO SECVNDO HISTORIARVM DIVI GREGORII TVRONENSIS.

DE EPISCOPATV BRITII TVRONENSIS.

CAP. I.

PROSEQVENTES ordinem temporum, mixtè, confuſéq; tam virtutes ſanctorum, quàm ſtrages gentium memoramus. Non enim irrationabiliter accipi puto, ſi felicem beatorum vitam inter miſerorum memoremus excidia, cùm idē non facultas ſcriptoris, ſed temporum ſeries præſtet. Nam ſolicitus lector, ſi inquirat ſtrenuè, inter illas inueniet Regum Iſraëliticorum hiſtorias, ſub Samuele iuſto Phineem interiiſſe ſacrilegum, ac ſub Dauid, quem fortem manu dicunt, Goliam allophylū corruiſſe. Meminerit etiam ſub Eliæ eximij vatis tempore, qui pluuias cùm voluit abſtulit, & cùm libuit arentibus terris infudit, quiq́; viduæ paupertatem oratione locupletauit, quantæ populorū ſtrages fuere; quæ fames, vel q̃ ſiccitas miſeram oppreſſit humum; quæ mala ſub Ezechiæ tempore, cui Deus ad vitā quindecim annos auxit, Hieroſolyma pertulerit; ſed & ſub Eliſæo Propheta, qui mortuos vitæ reſtituit, & alia in populis miracula multa fecit, quantæ interneciones, quæ miſeriæ ipſum Iſraëliticum populum oppreſſerunt. Sic & Euſebius, Seuerus, Hieronymusq́; in chronicis, atq; Oroſius, & bella Regū, & virtutes martyrū pariter texuerunt. Itaq; & nos idcirco ſic ſcripſimus, quò facilius ordo ſeculorum, vel annorum ratio vſq; ad noſtra tempora tota reperiatur. Venientes ergo per antedictorum auctorum hiſtorias, ea, quæ in poſterum acta ſunt, Domino iubente, diſſeremus.

Igitur poſt exceſſum beati Martini Turonicæ ciuitatis Epiſcopi, ſummi, & incomparabilis viri, de cuius virtutibus magna apud nos volumina retinentur, Britius ad Epiſcopatum ſuccedit. At verò hic Britius cùm eſſet primæuæ ætatis iuuenis, ſancto adhuc Martino viuenti in corpore multas tendebat inſidias, pro eo quòd ab eodem plerunq;, cur uanas res ſequeretur, arguebatur. Qua-

dam enim die, dum quidam infirmus medicinam à beato Martino expeteret, Britium adhuc Diaconum in platea conuenit. Cui ſimpliciter ait: Ecce ego præſtolor beatum virum, & neſcio vbi ſit, vel quid operis agat. Cui Britius; Si, inquit, delirum illum quæris, proſpice eminus. Ecce cœlum ſolitò ſicut amens reſpicit. Cùmque pauper ille à beato Martino quod petierat impetraſſet, Britium Diaconum vir beatus alloquitur: Num ego, Briti, delirus tibi videor? Cùmque ille confuſus hæc audiens, dixiſſe ſe denegaret, ait vir ſanctus: Non'ne aures meæ ad os tuum erant, cùm hæc eminus loquebaris? Amen dico tibi, quia obtinui apud Deum, vt poſt me ad Pontificatus honorem accedas. Sed noueris te in Epiſcopatu multa aduerſa paſſurum. Britius hæc audiens; Non'ne verum, inquit, dixi, iſtum delira verba proferre? Sed & Presbyterij honore præditus, ſæpius beatum virum conuicijs laceſſiuit. Adeptus ergo, conſentientibus ciuibus, Pontificatus officium, orationi vacat; quia quanquam eſſet ſuperbus, & vanus, caſtus tamen habebatur corpore.

Trigeſimotertio verò ordinationis eius anno, oritur contra eum lamentabilis cauſa pro crimine. Nam mulier, ad quam cubicularij eius veſtimenta deferebant abluenda, quæ ſub ſpecie religionis erat, veſte mutata, concepit, & peperit. Qua de re ſurrexit omnis populus Turonorum in ira, & totum crimen ſuper Epiſcopum referant, volentes eum vnanimiter lapidare. Dicebant enim ei: Pietas ſancti tuam celauit luxuriam. Non Deus ſinat manus tuas indignas oſculando nos polluí. Illo quoque è contrario viriliter hæc negante; Afferte, inquit, infantem ad me. Cùmque oblatus fuiſſet infans triginta dies ab ortu habens, ait ad eum Epiſcopus. Adiuro te per Ieſum Chriſtum filium Dei omnipotentis, vt ſi ego generaui te, coram cunctis edicas. Et ille; Non es, inquit, tu pater meus. Populis autem rogantibus vt quis eſſet pater interrogaret, ait Sacerdos: Non eſt hoc meum. Quod ad me pertinuit, ſolicitus fui. Vobis ſi aliquid ſuppetit, per vos requirite. Tunc illi magicis artibus hæc facta aſſeuerantes, inſurgunt contra eum in vna conſpiratione. Et trahentes eum dicebant: Non diutius nobis falſo paſtoris nomine dominaberis. Ille autem ad ſatisfaciendum adhuc populo prunas ardentes in birrum ſuum poſuit. Et ad ſe ſtringens, vſque ad ſepulchrum beati Martini vnà cùm populorum turbis accedit, proiectiſque ante ſepulchrum prunis, veſtimentum inuſtum apparuit, illo ſic proſequente: Sicut iſtud veſtimentum ab his ignibus videtis illæſum, ita & corpus meum à tactu mulieris eſt impollutum. Illis verò non credentibus, ſed contradicentibus, trahitur, calumniatur, eijcitur, vt ſermo ſancti adimpleretur: Noueris te in Epiſcopatu multa aduerſa paſſurum. Hoc autem eiecto, Iuſtinianum in Epiſcopum conſtituunt.

Denique Britius Romanæ vbis Papam 1 expetijt, flens, eiulans, atque dicens: Meritò hæc patior, quia peccaui in ſanctum Dei, & eum delirum, & amentem ſæpè vocaui, cui videns virtutes non credidi. Poſt cuius diſceſſum aiunt Turonici Sacerdoti ſuo: Vade poſt eum, & exerce negocium tuum, quia ſi eum non perſecutus fueris, ad noſtrum omnium contemptum humiliaberis. Iuſtinianus verò egreſſus Turonis, Vercellas Italiæ ciuitatem ingreſſus, iudicio Dei percuſſus obijt peregrinus. Turonici eius obitum audientes, & in ſua malitia perdurantes, Armentium in eius loco conſtituunt. At Britius Epiſcopus Romam veniens cuncta, quæ pertulerat, Papæ refert. Et ad ſedem Apoſtolicam reſidens, plerunque Miſſarum 2 ſolennia celebrauit, ibi quicquid in ſanctum Dei deliquerat deflens. Septimo igitur anno egreſſus Roma, cum auctoritate Papæ illius Turonos redire diſpoſuit, & veniens ad vicum, cui nomen eſt Laudiaco, ſexto ab vrbe Turonica milliario manſionem accepit. Armentius verò febre corripitur; media autem nocte ſpiritum exhalauit.

1 Vides Romanum Pontificem eſſe omnium oppreſſorum Epiſcoporum tutiſſimum perfugium, cuius ſit auctoritate ſide ſua ſanctus recuperauit?

2 Nota quod ſunt anni mille centum & amplius quod ſanctus Britius fuit, Miſſas Romæ celebraſſe dicit, & moderni hæretici dicere non erubeſcunt, Miſſam eſſe nouitium inſtitutum.

Quod protinus Britio Epiſcopo per viſum reuelatum eſt. Qui ait ſuis: Surgite velociùs, vt ad tumulandum fratrem noſtrum Turonicum Pontificem occurramus. Cùmq; illi venientes portam ciuitatis ingrederentur, ecce iſtum per aliam portam mortuum efferebant. Quò ſepulto, Britius Epiſcopus in cathedram ſuam regreſſus eſt, ſeptem feliciter poſtea viuens annos. Cui poſt quadraginta ſeptem Epiſcopatus annos defuncto ſanctus Euſtochius ſucceſſit magnificæ ſanctitatis vir.

DE VVANDALIS, ET PERSECVTIONE CHRISTIANORVM SVB IPSIS.

CAP. II.

POST hæc Vuandali à loco ſuo digreſſi, cũ Gũderico Rege in Gallias ruunt. Quibus valde vaſtatis, Hiſpanias appetunt. Hos ſecuti Sueui, ideſt Alemanni, Gallitiam apprehendunt. Nec multo poſt ſcandalũ inter vtrunq; oritur populum, quoniam propinqui ſibi erant. Cùmq; ad bellum armati procederent, ac iam iamq; in conflictũ parati eſſent, ait Alemannorum Rex: Quouſq; bellum ſuper cunctum populum commouetur? Ne pereant, quæſo, populi vtriuſq; phalanges; ſed procedant duo de noſtris in campum cum armis bellicis, & ipſi inter ſe confligant. Tunc ille populus, cuius puer vicerit, regionẽ ſine certamine obtinebit. Ad hæc cunctus conſenſit populus, ne vniuerſa multitudo in ore gladij rueret. Is autem diebus Gundericus Rex obierat, in cuius loco Transimundus obtinuerat Regnum. Confligẽtibus verò pueris, pars Vuandalorum victa ſuccubuit, interfectoq; puero, placitum egrediendi Transimundus popoſcit, vt ſcilicet præparatis itineris neceſſarijs, ſe à finibus Hiſpaniæ remoueret.

Per idem verò tempus perſecutionem in Chriſtianos Transimundus exercuit, ac totam Hiſpaniam, vt ad perfidiam Arrianæ ſectæ conſentiret, tormentis ac diuerſis mortibus impellebat. Vnde factũ eſt, vt puella quædã religioſa ꝓdiues opibus, ac ſecũdũ ſeculi dignitatẽ ſenatoria nobilitate florẽs, &, quod his eſt nobilius, fide catholica pollens, quæ Deo omnipotenti irreprehẽſibiliter ſeruiebat, ad hanc quæſtionem adduceretur. Cùmq; Regis fuiſſet oblata conſpectibus, cœpit primùm eam ad rebaptizandum blandis ſermonibus allicere. Quæ cùm venenoſum eius iaculum fidei armis propelleret, præcepit Rex facultates eius auferri, quæ iam poſſidebat Regna Paradiſi; deinde ſupplicijs applicatam, ſine ſpe præſentis vitæ torqueri. Quid plura? Poſt multas quæſtiones, poſt ablatos terrenarum diuitiarum theſauros, cùm ad hoc adduci non poſſet, vt beatam ſcinderet Trinitatem, ad rebaptizandum inuicta deducitur. Cùmq; in illud cœnoſum lauachrum vi cogeretur immergi, ac proclamaret: Patrem cum Filio, ac Spiritum ſanctum vnius credo eſſe ſubſtantiæ, digno aquas ſanguine cunctas infecit. Ex hinc ad legitimam deducta quæſtionem, poſt eculeos, poſt flammas, & vngulas, Chriſto Domino capitis deciſione dicatur.

Poſt hæc perſequentibus Alemannis vſq; Traductam, trãſito mari Vuandali, per totam Aphricam, ac Mauritaniam ſunt diſperſi. Sed quoniam eorum

tempore

tempore perſecutio in Chriſtianos inualuit, ſicut ſuperiùs mentio facta eſt, videtur aliqua ex his, quæ circa Dei Eccleſias intulerunt, vel quemadmodum de Regno expulſi ſunt, memorare.

Defuncto igitur Tranſimundo poſt ſcelera, quæ in ſanctos Dei exercenit, Honoricus mente crudelior Aphricanum occupat regnũ, atq; ex electione Vuandalorum ipſis præponitur. Cuius ſub tempore quanti Chriſtianorum populi pro ipſo Chriſti ſacratiſſimo nomine cæſi ſint, ab hominibus non poteſt comprehendi. Teſtis Aphrica, quæ miſit, & Chriſti dextera, quæ geminis immarceſſibilibus coronauit. Legimus tamen quorundam ex ipſis martyrum paſſiones, ex quibus quædam replicanda ſunt, vt ad ea, quæ ſpopondimus, veniamus.

DE CIROLA HAERETICORVM EPISCOPO, ET DE SANCTIS MARTYRIBVS.

CAP. III.

CIROLA igitur falsò vocatus Epiſcopus hæreſum tunc maximus habebatur aſſertor. Cùm verò ad perſequendum Chriſtianos Rex per diuerſa mitteret, ſanctum Eugenium Epiſcopum virum inenarrabilis ſanctitatis, qui tunc ferebatur magnæ prudentiæ eſſe, in ſuburbano ciuitatis ſuæ perſecutores inuenerunt. Quem ita violenter rapuerunt, vt nec ad cohortandum gregem Chriſticolum abire permitterent. Ille verò cùm ſe vi videret abduci, Epiſtolam ciuibus pro cuſtodienda fide catholica hoc modo tranſmiſit. Dilectiſſimis, & in Chriſti amore dulciſſimis filijs, ac filiabus Eccleſiæ mihi à Deo cõmiſſæ, Eugenius Epiſcopus. Regalis emanauit auctoritas pro exercenda fide catholica, edicto nos Carthaginem venire præcipiens. Et ideo ne abſens à vobis Eccleſiam Dei in ambiguo, hoc eſt in ſuſpenſo dimitterem, aut oues Chriſti non vetus paſtor ſilentio relinquerem, neceſſarium duxi has pro me vicarias veſtræ dirigere ſanctitati. In quibus non ſine lachrymis peto, hortor, moneo, & ſatis abundeq; obteſtor per Dei maieſtatem, & tremendum iudicij diem, atq; aduentus Chriſti terribilem claritatem, vt fixiùs teneatis catholicam fidem, aſſerentes filium Patri æqualem, & Spiritum ſanctum eandem habere cum Patre, & Filio deitatem. Seruate itaq; vnici baptiſmatis gratiam, cuſtodientes chriſmatis 1 vnctionem. Nemo poſt aquam reuertatur ad aquam renatus ex aqua. Nutu enim Dei ſal in aqua conficitur. Sed ſi in aquam redactum fuerit, omnis ſpecies eius confeſtim euacuabitur. Vnde non immeritò Dominus in Euangelio ait: Si ſal infatuatum fuerit, vnde ſalietur? Et vtique hoc eſt infatuari, velle ſecundò condiri, cùm ſemel factum ſufficiat. Non audiſtis Chriſtum dicentem: Qui ſemel lotus eſt, non habet neceſſitatem iterum lauandi? Ideò q; fratres, & filij, filiæq; meæ in Domino, non vos contriſtet abſentia mea, qui in catholicæ diſciplinæ adhæreatis. Ego vos nec longinquitate aliqua obliuiſcar, nec morte à vobis diuellar. Scitote quia quocunque me fecerint diuidi agones, mecum eſt palma. Si ad exilium abiero, beati Ioannis Euãgeliſtæ habeo exemplum; ſi ad mortis excidium, viuere mihi Chriſtus eſt, &

1 Nota cuſtodiêtes Chriſmatis vnctionem.

Nota etiã cõtra Anabaptiſtas.

mori lucrum. Si rediero,fratres,implebit Deus deſiderium veſtrum. Attamen ſufficit modò quòd non tacens monui vos,& inſtruxi quomodo potui. Immunis ſum à ſanguine omnium pereuntium, & ſcio quia aduerſus eos legentur literæ iſtæ ante tribunal Chriſti, cùm venerit reddere vnicuiq; ſecundum opera ſua. Si reuerſus fuero,fratres,videbo vos in hac vita. Si non reuerſus fuero,videbo vos in futura. Dico vobis,valete,orate pro nobis, & 2 ieiunate, quia ieiunium, & eleemoſyna ſemper à miſericordia defluxerunt. Mementote ſcriptum in Euangelio, Nolite timere eos,qui occidunt corpus,animam autem non poſſunt occidere. Timete autem eum,qui poſtquam occiderit, habet poteſtatẽ, & animam,& corpus perdere in gehennam. Ductus itaq; ſanctus Eugenius ad Regem,cum illo Arrianorum Epiſcopo pro fide catholica decertauit. Cùmq; eum de ſanctæ Trinitatis myſterio potentiſſimè deuiciſſet, & inſuper multas virtutes per eum Chriſtus oſtenderet, in maiorẽ inſaniã idem Epiſcopus, inuidia inflammante,ſuccenditur. Erant autẽ tunc temporis cum ſancto Eugenio viri prudentiſſimi, atq; ſanctiſſimi, Vindemialis, ac Longinus Epiſcopi, pares gradu,& virtute non impares. Nam ſanctus Vindemialis ferebatur eo tempore mortuum ſuſcitaſſe. Longinus autem multis infirmis ſalutem tribuit. Eugenius verò non ſolum oculorum viſibilium cæcitatem, ſed etiam mentium depellebat. Quod cernens ille nequam Arrianorum Epiſcopus,vocatum ad ſe quendam hominem ab illo,quo ipſe viuebat,errore deceptum,ait: Non patior quòd Epiſcopi multa in populo ſigna depromunt, illosq; cuncti,me neglecto,ſequuntur. Acquieſce igitur nunc his,quæ præcipio,& acceptis quinquaginta aureis, ſede in platea, per quam nobis eſt tranſitus,& manum ſuper clauſos oculos ponens,me prætereunte cum reliquis, exclama in magna virtute dicens: Ad te, beatiſſime Cirola,noſtræ religionis Antiſtes, clamo,vt me reſpiciens manifeſtes gloriam,ac virtutem tuam,quò oculos aperiens merear lucem videre, quam perdidi. Qui iuſſa complens,reſidensq; in platea,tranſeunte hæretico cum ſanctis Dei,iſte,qui Deum irridere cogitabat,exclamat in magna virtute dicens: Audi me, beatiſſime Cirola,audi me,ſancte Sacerdos Dei,reſpice cæcitatem meam, experiar & ego medicamẽta,quæ ſæpe cæci à te meruerunt,quæ leproſi experti ſunt,quæ ipſi mortui præſenſerunt. Adiuro te per ipſam virtutem,quam habes, vt mihi deſideratam reſtituas lucem,quia graui ſum cæcitate perculſus. Veritatem enim neſciens,verum dicebat,quia cæcauerat eum cupiditas, & virtutem Dei omnipotentis irridere per pecuniam æſtimabat. Tunc hæreticorum Epiſcopus paululum diuertit,quaſi in virtute triumphaturus,elatusq; vanitate, atq; ſuperbia,poſuit manum ſuam ſuper oculos eius dicens: Secundum fidem noſtrã, qua rectè in Deum credimus,aperiantur oculi tui. Et mox vt hoc nefas erupit, riſus mutatur in planctum,& dolus Epiſcopi eſt patefactus in publico. Nam tantus dolor oculos inuaſit miſeri illius, vt eos digitis comprimeret, ne creparent. Denique clamare cœpit miſer,ac dicere: Væ mihi miſero,quia ſeductus ſum ab inimico legis diuinæ. Væ mihi,quia Deum per pecuniam irridere volui,nam quinquaginta aureos accepi,vt hoc facinus perpetrarem. Ad Epiſcopum autem aiebat: Ecce aurum tuum,redde mihi lumen meum,quod dolo tuo perdidi. Vos quoque,glorioſiſſimi rogo Chriſtiani,ne deſpiciatis miſerum, ſed velociter ſuccurrite pereunti. Verè enim cognoui,quia Deus non irridetur. Tunc ſancti Dei miſericordia moti; Si,inquiunt, credis,omnia poſſibilia ſunt credenti. At ille clamabat voce magna: Qui non crediderit Chriſtum filium, ac Spiritum ſanctum æqualem habere ſubſtantiam,atq; deitatem cum Patre,hodie quæ ego perfero patiatur. Et adiecit: Credo Deum Patrem omnipotentem. Credo filium Dei Ieſum Chriſtum æqualem Patri. Credo Spiritum ſanctum Patri & Filio conſubſtantialem,atque coæternum. Hæc illis audientibus, & ſe

2 Orate pro nobis, & ieiunate. Sãcti martyres imperant ieiunia, hæretici noſtri crapulas, & ebrietates in vſu habent.

inuicē honore mutuo præuenientibus, oritur inter eos ſancta contentio, quis oculis eius ſignum ſanctæ Crucis imponeret. Vindemialis verò, ac Longinus Eugenium; ille verò eos orat, vt manus imponerent cæco. Quod cùm feciſſent, & manus ſuas ſuper caput eius tenerent, ſanctus Eugenius Crucem 3 ſuper oculos cæci faciens, ait: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti veri Dei, quem trinum in vna æqualitate, atq; omnipotentia confitemur, aperiantur oculi tui. Et ſtatim ablato dolore, ad priſtinam rediſt ſanitatem. Manifeſtiſſimè autem patuit per huius cæcitatem, qualiter hæreticorum Epiſcopus oculos cordis miſero aſſertionis ſuæ velabat amictu, ne veram lucem illi liceret fidei oculis contemplari. O miſerum, qui non ingreſſus per ianuam, id eſt Chriſtum, qui eſt vera ianua, lupus magis gregi, quàm cuſtos effectus eſt, & pacem fidei, quam in credentium cordibus debuerat accendere, in prauitate cordis ſui conabatur extinguere. Sancti verò Dei alia ſigna in populis multa fecerunt, & erat vox vna populi dicentis: Verus Deus Pater, verus Deus filius, verus Deus Spiritus ſanctus, vna fide colendus, vno timore metuendus, eodem honore venerandus. Nam quæ Cirola aſſerit, falſa eſſe cunctis eſt manifeſtum.

3 Signo ſāctæ Crucis, & ſāctiſſimæ Trinitatis innocatione, beatus Eugenius captum dolore oculorum ſanat.

Videns autem Honoricus Rex aſſertiones ſuas per ſanctorum fidem glorioſam taliter denudari, nec erigi ſectam erroris, ſed potiùs deſtrui, fraudemq; Pontificis ſui in hoc ſcelere fuiſſe detectam, ſanctos Dei poſt multa tormenta, poſt eculeos, poſt flammas, poſt vngulas, iuſſit interfici. Beatum verò Eugenium ad decollandum duci iuſſit, præcipiens nihilominus, vt ſi vel in ea hora, qua enſis ſuper ceruicem eius incumbebat, non reuerteretur ad hæreticorum ſectam, nō tamen occideretur, ne eum pro martyre excolerent Chriſtiani, ſed exilio damnaretur, quod ita factum eſſe manifeſtum eſt. Nam cùm imminente morte interrogatus fuiſſet, ſi mori pro fide catholica deſtinaret, reſpondit: Hæc quidē eſt ſempiterna vita, pro iuſtitia mori. Tunc ſuſpenſo gladio, apud Albigenſem Galliarum vrbem exilio deputatus eſt. Vbi & finem præſentis vitæ fecit. Ad cuius nunc ſepulchrum multæ virtutes, & creberrimæ oſtenduntur. Sanctum verò Vindemialem gladio percuti præcepit. Quod & ita impletum eſt. In hoc certamine & Octauianus Archidiaconus, & multa millia virorum, ac mulierum hanc fidem aſſerentium interempta, atq; debilitata ſunt. Sed pro amore gloriæ cœleſtis nihil erant hæc ſupplicia confeſſoribus ſanctis, qui in paucis vexati, in multis benè nouerant ſe diſponendos, iuxta illud Apoſtoli. Quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

Multi tunc errantes à fide, accipientes diuitias inſeruerunt ſe multis ſceleribus, ſicut ille infelix Epiſcopus, nomine Reuocatus, qui eſt reuocatus à fide catholica. Tunc & ſol teter apparuit, ita vt vix ab eo vel tertia pars eluceret. Credo pro tantis ſceleribus, ac effuſione ſanguinis innocentis. Honoricus verò poſt tantum facinus arreptus à dæmone, qui diu de ſanctorum ſanguine paſtus fuerat, proprijs ſe morſibus laniabat, in quo cruciatu vitam indignam iuſta morte finiuit. Huic Childericus ſucceſſit. Quo defuncto, Geleſimiris regnum ſuſcepit. Ipſe quoq; à republica ſuperatus, vitam, principatumq; finiuit, & ſic regnum decidit Vuandalorum.

DE ARANARIO EPISCOPO, ET DE HVNNIS.

CAP. V.

IGITVR rumor erat Hunnos in Gallias velle prorumpere. Erat autem tunc tēporis in Tungris oppido Aranarius eximiæ ſanctitatis Epiſcopus, qui vigilijs, 1 ac ieiunijs vacans, crebro lachrymarum imbre perfuſus, Domini miſericordiam precabatur, ne vnquam gentem hanc incredulam, ſeq; ſemper indignam, in Gallias venire permitteret. Sed ſentiens per ſpiritum pro delictis populi ſibi hoc non fuiſſe conceſſum, conſilium habuit petendi vrbem Romam, ſcilicet vt adiunctis ſibi Apoſtolicæ virtutis patrocinijs, quæ humiliter à Deo flagitabat, mereretur facilius obtinere. Accedens ergo ad beati 2 Petri tumulum, deprecabatur auxilium bonitatis eius in multa abſtinentia, maxima inedia ſe conſumens, ita vt biduò triduóq; ſine vllo cibo, potuq; maneret, nec eſſet interuallum aliquod, in quo ab oratione ceſſaret. Cúmq; ibidem per multorum dierum ſpatia in tali afflictione moraretur, fertur hoc à beato Apoſtolo accepiſſe reſponſum. Quid me, vir ſanctiſſime, inquietas? Ecce enim apud Domini deliberationem prorſus ſancitum eſt, Hunnos in Gallias aduenire, eaſq; maxima tempeſtate debere depopulari. Nunc igitur ſume conſilium, accelera velociter, ordina domum tuam, ſepulturam 3 compone, require linteamina mūda. Ecce enim migrabis à corpore, nec videbunt oculi tui mala, quæ facturi ſunt Hunni in Gallijs, ſicut locutus eſt Dominus Deus noſter.

Hoc à ſancto Apoſtolo Pontifex reſponſo ſuſcepto, iter accelerat, Galliaſq; velociter repetit, ac veniens ad vrbem Tungrorum, quæ erant neceſſaria ſepulturæ ſecum citius leuat; valéq; dicens clericis, ac reliquis ciuibus vrbis, denunciat cum fletu, & lamentatione, quia non viſuri eſſent vltra faciem illius. At illi cū eiulatu magno, & lachrymis proſequentes, ſupplicabant humili prece dicentes: Ne derelinquas nos, pater ſancte, ne obliuiſcaris noſtri, paſtor bone. Sed cùm eum fletibus reuocare non poſſent, accepta benedictione cum oſculis, redierunt. Hic verò ad Traiectenſem vrbem accedens, modica pulſatus febre receſſit à corpore. Ablutuſq; 4 à fidelibus iuxta ipſum aggerem publicum eſt ſepultus. Cuius beatum corpus qualiter poſt multorum temporum ſpatia ſit translatum, in libro miraculorum ſcripſimus.

1 Epſ vigilijs, et ieiunijs vacabat, & lachrymarum imbre Domini miſericordiam precabatur.

2 Habes hîc multa. Petri Apoſtoli tumulum Romæ eſſe. Peregrinationē ad loca ſancta orationis cauſa aſſumi ſolitā. Sanctos inuocandos, inuocatoſq; adeſſe. Magnā beati viri abſtinentiam, continuamq; orationem.

3 Vides ſepulturā non negligendam?

4 Ecce átiquū morem lauādi corpora defunctorum ante ſepulturam.

DE

DE BASILICA SANCTI STEPHANI AD METENSEM VRBEM.

CAP. VI.

IGITVR Hunni à Pannonijs egreſſi, vt quidam ferunt, in ipſa ſanctæ Paſchæ vigilia, ad Metenſem vrbem omnia depopulando perueniunt, tradentes vrbem incendio, populum in ore gladij trucidantes, ipſosq́ Sacerdotes Domini ante ſacroſancta altaria perimentes. Nec manſit in ea locus inuſtus præter oratorium beati Stephani primi martyris, ac Leuitæ. De quo oratorio quæ à quibuſdam audiui, narrare non differo. Aiunt enim priuſquam hi hoſtes venirent, vidiſſe virum fidelem in viſu, quaſi conferentem cum ſanctis Apoſtolis Petro, ac Paulo beatum Leuitam Stephanum de hoc excidio, ac dicẽtem: Oro, domini mei, vt non permittatis obtentu veſtro Metenſem vrbem ab inimicis exuri, quia locus eſt, in quo paruitatis meæ pignora continentur, ſed potius ſentiant ſe populi aliquid me poſſe cùm Domino. Quod ſi tantum facinus populi ſupercreuit, vt fieri non poſſit, quin ciuitas tradatur incendio, ſaltem vel hoc oratorium non cremetur. Cui illi aiunt: Vade in pace, dilectiſſime frater, oratorium tantùm tuũ carebit incendio. Pro vrbe verò non obtinebimus, qa Dominicæ ſanctionis ſententia ſuper eam iam proceſſit, inualuit enim peccatũ populi, & clamor malitiæ eorum aſcendit coram Deo. Ideo ciuitas hæc cremabitur incendio. Vnde proculdubio creditur, quia horum obtentu, vrbe vaſtata, oratorium permanſit illæſum.

DE ATTILA REGE, ET VXORE AETII.

CAP. VII.

ATTILA verò Hunnorum Rex, à Metẽſi vrbe egrediens, cùm multas Galliarum ciuitates opprimeret, Aureliam aggreditur, eamq́ maximo arietum impulſu nititur expugnare. Erat autem eo tempore beatiſſimus Auianus in ſupradicta vrbe Epiſcopus, vir eximiæ prudentiæ, ac laudabilis ſanctitatis, cuius virtutum geſta nobiſcum fideliter retinentur. Cùmq́; incluſi populi ſuo Pontifici quid agerent acclamarent, ille fiſus in Deo monet omnes in oratione 1 proſterni, & cum lachrymis præſens ſemper in neceſſitatibus Domini auxilium implorare. Deniq; his vt præceperat deprecantibus, ait ſacerdos: Aſpicite de muro ciuitatis, an fidei miſeratio iam ſuccurrat. Præuidebat enim per Domini miſericordiam Aetium aduenire, ad quem ex Arelate abierat priùs, ſuſpectus futuri. Aſpicientes autem de muro, neminẽ viderunt. Et ille; Orate, inquit, fideliter, Dominus enim liberabit vos hodie. Orantibus illis, ait: Aſpicite iterum. Et cùm aſpexiſſent, neminem viderunt qui ferret auxilium. Ait eis tertiò: Si fideliter petitis, Dominus velociter adeſt. At illi cum fletu, & eiulatu magno Domini miſericordiam implorabant. Exacta

1 Vide qd poſſit humilis feruens, & deuota oratio cum lachrymis.

autem oratione, tertiò iuxtà ſenis imperium aſpicientes de muro, viderunt à lõgè quaſi nebulã de terra conſurgete. Quod renunciantibus ait ſacerdos: Domini auxilium eſt.

Interea iam trementibus ab impetu arietum muris, iamq́; ruituris, ecce Aëtius, & Theudo Gothorum Rex, ac Thuriſmodus filius eius, cum exercitibus ſuis ad ciuitatem accurrunt aduerſumq́; hoſtem impetum faciunt, ac repellũt. Itaq; liberata obtentu beati Antiſtitis ciuitate, Attilam fugant, qui Mauriacum campum adiens, ſe præcingit ad bellum. Quod illi audientes, ſe contra eum viriliter præparant. His verò diebus Romam ſonus adijt, Aëtium in maximo diſcrimine inter phalanges hoſtium laborare. Quo audito vxor eius anxia, atq; mœſta, aſſiduè 2 baſilicam ſanctorum Apoſtolorum adibat, atq; vt virum ſuum de expeditione ſuſciperet ſoſpitem precabatur. Quæ cùm die noctuq́; hæc ageret, quadam nocte homo pauperculus crapulatus à vino, in angulo baſilicæ beati Petri Apoſtoli obdormiuit. Clauſis autem ex more oſtijs, à cuſtodibus non eſt eiectus. De nocte verò conſurgens, relucentibus per tota ædis ſpatia lychnis, pauore territus, aditum per quem foras euaderet quærit. Verùm vbi primi atq; alterius oſtij clauſtra pulſat, & obſerata cuncta cognoſcit, ſolo decubuit, trepidus expectãs vt venietibus ad matutinos hymnos populis, hinc liber abſcederet. Interea vidit duas perſonas ſe inuicem venerabiliter ſalutantes, ſolicitasq́; de ſuorũ eſſe proſperitatibus. Tũc qui erat ſenior ita exorſus eſt: Vxoris Aëtij lachrymas 3 diutius ſuſtinere non patior. Petit enim aſſiduè, vt virum ſuum de Gallijs reducam incolumem; cùm aliud fuiſſet exinde apud diuinum iudicium præfinitum. Sed tamen obtinui immenſam pietatem pro vita illius. Et ecce nunc illuc propero, viuentem eum nunc exinde reducturus. Veruntamen obteſtor, vt qui hæc audierit ſileat, arcanumq́; Dei vulgare non audeat, ne pereat velociter à terra. Ille autem hæc audiens, ſilere non potuit. Sed mox illuceſcente cœlo, omnia quæ audierat, matrifamiliæ pãdit, expletisq́; ſermonibus lumine caruit oculorum.

2 Ecce ſanctorum Baſilicas etiã orationis cauſa inſtitutas.

3 Hîc videre potes, num ſancti audiant oratiões noſtras, & ſciant quæ circa nos aguntur. Et num inuocati, pro nobis apud diuinam miſericordiam intercedant.

Igitur Aëtius cum Francis, Gothisq́; coniunctus, aduerſus Attilam confligit. At ille ad internecionem vaſtari ſuum cernens exercitum, fuga dilabitur. Theudo verò Gotthorum Rex in hoc certamine occubuit. Nam nullus ambigit Hunnorum exercitum obtentu memorati Antiſtitis fuiſſe fugatum. Itaque Aëtius Patricius cum Thuriſmodo victoriam obtinuit, hoſtesq́; deleuit. Expletoq́; bello ait Aëtius Thuriſmodo: Feſtina velociter redire in patriam, ne inſiſtente germano, patris regno priueris. Hoc ille audiens, cum velocitate diſceſſit quaſi anticipaturus fratrem, & prior patris cathedram adepturus. Simili & Francorum Regem dolo fugauit. Illis autem recedentibus, Aëtius, ſpoliato campo, victor in patriam cum grandi eſt reuerſus ſpolio. Attila verò cum paucis reuerſus eſt. Nec multo poſt Aquileia ab Hunnis capta, incenſa, atq; diruta, Italia peruagata, atq; ſubuerſa eſt. Thuriſmodus autem, cuius ſupra meminimus, Alanos bello edomuit. Qui deinceps poſt multas lites, & bella, à fratribus oppreſſus, ac iugulatus interijt.

DE EPISCOPATV VENERANDI, AC RVSTICI.

CAP. XIII.

APVD Aruernum verò poſt tranſitum ſancti Artemij, Venerandus è ſenatoribus Epiſcopus ordinatur. Qualis autem fuerit hic Pontifex, teſtatur Presbyter Paulinus, dicens: Si enim hos adeas dignos Domino Sacerdotes, vel Exuperium Tholoſæ, vel Simplicium Viennæ, vel Amandum Burdegalæ, vel Damianum Albigæ, vel Dinamium Engoliſmæ, vel Venerandum Aruernis, vel Ruſticum Cadurcis, vel nũc Pegaſinum Petrogoricis, vtcunq; aduerſus ſeculi mala videas profectò digniſſimos totius fidei, religionisq; cuſtodes. Hic in ipſa natalis Domini vigilia tranſiſſe fertur. Manè autem facto, proceſſio ſolennitatis, funeris eius obſequium fuit. Poſt cuius tranſitum fœda apud ciues pro Epiſcopo contentio vertebatur. Cùmq; partes inter ſe diuiſæ, diuerſos eligere vellent, magna colliſio erat populi. Reſidentibus tamen Epiſcopis die Dominico, mulier quædam velata, atq; Deo deuota audenter ad eos ingreditur, quæ ait: Audite me, ſacerdotes Domini, ſcitote enim quòd non eſt in his beneplacitum Deo, quos hi ad ſacerdotium elegerunt. Ecce enim Dominus hodie ipſe ſibi prouidebit Antiſtitem. Itaq; nolite conturbare, neq; collidere populum, ſed patientes eſtote parumper, Dominus enim nunc diriget qui regat Eccleſiam hanc. His itaq; mirantibus hæc verba, ſubitò Presbyter Ruſticus nomine, qui erat ex ipſa vrbis Aruernæ diœceſi, aduenit. Ipſe autem iam mulieri per viſionem fuerat indicatus. Quo viſo ait: Ecce ipſum, quem elegit Dominus; ecce qualem vobis Dominus Pontificem deſtinauit; hic ordinetur Epiſcopus. Hæc ea loquente, omnis populus, contentione poſtpoſita, clamauit dignum, ac iuſtum eſſe. Qui in cathedra poſitus, ſeptimus in eodem loco Pontificatus honorem populo gaudente ſuſcepit.

DE EPISCOPATV EVSTOCHII TVRONICI, ATQVE PERPETVI.

CAP. XIIII.

APVD vrbem verò Turonicam defuncto Euſtochio Epiſcopo decimoſeptimo ſacerdotij ſui anno, quintus poſt beatum Martinum Perpetuus ordinatur. Qui cùm virtutes aſſiduas ad ſepulchrum eius fieri cerneret, cellulam, quæ ſuper ipſum fabricata fuerat, videns paruulam, indignam talibus miraculis iudicauit. Qua ſubmota, magnam ibi baſilicam, quæ vſq; hodie permanet, fabricauit. Quæ abeſt à ciuitate paſſus quingentos & quinquaginta, habens in longum pedes clx, in latum lx, in altum vſq; ad cameram pedes xlv, feneſtras in altario xxxij, in capſo, xx, columnas xli, in toto ædificio feneſtras lij, oſtia octo, tria in altario, quinq; in capſo. Solennitas autem ipſius baſilicæ triplici virtute pollet, id eſt dedicatione templi, translatiõe

corporis ſancti, ordinatione eius Epiſcopatus. Quæ ſi fideliter ſeruaueris, & in præſenti ſeculo, & in futuro, patrocinia beati Antiſtitis promereberis. Et quoniam camera cellulæ illius prioris, eleganti opere fuerat fabricata, indignum duxit Sacerdos, vt opera eius deperirent, ſed in honorẽ Apoſtolorũ Petri & Pauli, aliam conſtruxit baſilicam, in qua cameram illam affixit. Multas & alias baſilicas 1 ædificauit, quæ vſq; hodie in Chriſti nomine conſtant.

1 Tot baſilicas non ædificaret bonus Epiſcopus, niſi ſciret eſſe bonum opus, & Deo placere.

DE NAMATIO EPISCOPO, ET ECCLESIA ARVERNA.

CAP. XVI.

SANCTVS verò Namatius poſt obitum Ruſtici Epiſcopi, apud Aruernos in diebus illis octauus erat Epiſcopus. Hic Eccleſiam, quæ nunc conſtat, & veterrima intra muros ciuitatis habetur, ſuo ſtudio fabricauit, habentem in longum pedes cl, in latum pedes lx, in altum infra capſum vſque ad cameram pedes l ante abſidam rotundam habentem ab vtroq; latere aſtellas eleganti conſtructas opere; totumq; ædificium in modum crucis habetur expoſitum. Habet feneſtras xlij, columnas lxx, oſtia octo. Terror profectò ibidem Dei, & claritas magna conſpicitur; & verè plerunq; inibi odor quaſi aromatum ſuauiſſimus aduenire à religioſis ſentitur. Parietes, & altarium ex multo marmorum genere exornamenta habent. Exacto ergo omnino decimo anno ædificio, beatus Pontifex Bononiam ciuitatem Italiæ Sacerdotes dirigit, vt ei reliquias ſanctorum Vitalis & Agricolæ exhibeant, quos pro nomine Chriſti Dei noſtri, ibidem manifeſtiſſimè martyrio conſummatos eſſe cognouimus.

DE CONIVGE NAMATII, ET BASILICA SANCTI STEPHANI.

CAP. XVII.

CVIVS coniunx 1 baſilicam ſancti Stephani in ſuburbio murorum ædificauit. Quam cùm fucis colorum adornare vellet, tenebat librũ in manibus, legens hiſtorias Eccleſiæ antiquas, & pictoribus indicans quæ in parietibus fingere deberent. Factum eſt autem quadam die, vt ſedente ea in baſilica, ac legente, adueniret quidã pauper ad orationẽ. Qui aſpiciens eam in veſte nigra, ſenio iam prouectam, putauit eſſe vnam de egentibus, protulitq; quadram panis, & poſuit in ſinu eius, & abſceſſit. Illa verò non dedignans munus pauperis, qui perſonam eius non intellexit, accepit, & gratias egit, repoſuitq;, hanc ſuis epulis anteponens, & benedictionem ex ea ſingulis diebus ſumens, donec expenſa eſt.

1 Coniunx erat Epi, ſed ſecundũ cõſuetudinẽ Eccleſiæ ab eo ſeparata, & cõtinentiã profeſſa, vt in prioribus ſanctis ſæpe vidiſti.

DE EPARCHIO EPISCOPO,

CAP. XXI.

DEFVNCTO autem apud Aruernum Namatio Epiſcopo, Eparchius ſucceſſit, vir, ſanctiſſimus, atq; religioſus Et quia eo tempore Eccleſia paruam intra muros vrbis poſſeſſionem habebat, ipſi Sacerdoti in ipſo, quod modò ſaluatorium dicitur, manſio erat, atq; ad gratias Deo nocturno tempore reddendas ad altarium Eccleſiæ conſurgebat. Factum eſt autem vt nocte quadam ingrediens, plenam Eccleſiam dæmonibus reperiret, ipſumq; principem in modum ornatæ mulieris in throni illius cathedra reſidentem. Cui ait Pontifex: O meretrix execranda, non ſufficit tibi loca cuncta varijs pollutionibus inficere, quòd & cathedram à Domino conſecratam fœtida ſeſſionis tuæ acceſſione coinquinas? Abſcede à domo Dei, ne à te ampliùs polluatur. Cui ait. Et quia mihi meretricis nomen imponis, multas tibi parabo inſidias ob deſideria mulierum. Et hæc dicens, ſicut fumus euanuit. Poſt hæc igitur Sacerdos tentatus eſt per commotionẽ corporis ad concupiſcentiam, ſed ſigno Crucis 1 ſanctæ munitus, nihil ei inimicus nocere potuit. Ferunt etiam ipſum in arce Cantobannici montis monaſterium collocaſſe, vbi nunc oratoriũ eſt, in quo ſe diebus quadrageſimæ ſanctæ recludebat, die aũt cœnæ Dominicæ cum magno pſallentio, comitantibus clericis, ciuibusq;, ad Eccleſiam ſuam reuertebatur. Quo migrante, Sidonius ex Præfecto ſubſtituitur, vir ſecundum ſeculi dignitatem nobiliſſimus, & ex primis Galliarum ſenatoribus, ita vt filiam ſibi Auiti Imperatoris in matrimonio ſociaret. Huius tempore cùm adhuc apud vrbem Aruernam Victorius, cuius ſupra meminimus, moraretur, fuit in monaſterio beati Cirici vrbis ipſius, Abbas, Abraham nomine, qui fide, atq; operibus Abrahæ illius prioris refulgebat, ſicut in libro vitæ eius ſcripſimus.

1 Signum ſanctæ Crucis ẽ magnũ munimen cõtra tentationes carnis.

DE SIDONIO EPISCOPO,

CAP. XXII.

SANCTVS verò Sidonius tantæ facundiæ erat, vt plerunq; ex improuiſo luculentiſſimè quæ voluiſſet, nulla obſiſtente mora, componeret. Contigit autem quadam die, vt ad feſtiuitatem baſilicæ monaſterij, cuius ſupra meminimus, inuitatus accederet, ablatoq; ſibi nequiter libello, per quẽ ſacroſancta ſolennia agere conſueuerat, is ita paratus ex tẽpore cunctũ feſtiuitatis opus explicuit, vt omnes mirarentur, nec putarent aſtantes hominem ibi locutum fuiſſe, ſed Angelum. Quod in præfatione libri, quem de Miſſis ab eo compoſitis ædidimus, coniunximus.

DE SANCTITATE SIDONII EPISCOPI.

CAP. XXIII.

1 De coniuge huius ſancti Epi idem dicas, quod ſuperius de vxore ſancti Namatij adnotatum eſt.

CVM autem eſſet magnificæ ſanctitatis, atq; vt diximus, ex ſenatoribus primis, plerunq; neſciente coniuge 1 vaſa argentea auferebat à domo, & pauperibus erogabat. Quod illa cùm cognoſceret, ſcandalizabatur in eum. Sed tamen dato egenis pretio, ſpecies domui reſtituebat. Cùmq; ad officium Dominicum fuiſſet mancipatus, & ſanctam ageret in ſeculo vitam, ſurrexerunt contra eum duo Presbyteri, & ablata ei omni poteſtate de rebus Eccleſiæ, arctum ei victum, & tenuem relinquentes, ad ſummam eum contumeliá redegerunt. Sed non longi temporis ſpatio multam eius iniuriam diuina voluit ſuſtinere clementia. Nam vnus ex his nequiſſimis, & indignis Presbyteris, cùm ante noctem minatus fuiſſet de Eccleſia velle eum extrahere, signũ ad matutinos audiens fuiſſe commotum, feruens felle contra ſanctum Dei ſurrexit, hoc iniquo corde explere cogitans, quod die præcedente tractauerat. Ingreſſus autem in ſeceſſum ſuum, dum ventrem purgare nititur, ſpiritum exhalauit. Expectabat autem puer à foris cum cereo dominum egreſſurum. Iamq; aduenerat lux, & ſatelles eius, id eſt alius Presbyter, mittit nuncium dicens: Veni, ne tardaueris, vt quæ die heſterna nobis conuenerant, pariter expleamus. Sed cùm reſponſa dare differret exanimis, eleuato puer velo oſtij, reperit dominum ſuper cellulam ſeceſſus defunctum. Vnde indubitatum eſt, non minoris criminis hũc reum eſſe, quàm Arrium illum, cui ſimiliter in ſeceſſu fuerunt interna depoſita, per partes inferiores egeſta, quia nec illud ſine hæreſi 2 poteſt accipi, vt in Eccleſia non obediatur Sacerdoti Dei, cui ad paſcendum oues commiſſæ ſunt; & ille ſe ingerat poteſtati, cui neq; à Deo, neq; ab hominibus aliquid eſt commiſſum. Dehinc beatus Sacerdos vno adhuc manente nihilominus inimico, ſuæ reſtituitur poteſtati.

2 Notent hũc locũ, qui hoc tempore omnia Eporum officia, & iura occupare volunt, ſiue ſeculares perſonæ, ſiue clerici.

Factum eſt autem poſt hæc, vt accedente febre ægrotare cœperit, qui rogauit ſuos, vt eum in Eccleſiam ferrent. Cùmq; illuc illatus fuiſſet, conueniebat ad eum multitudo virorum, ac mulierum, ſimulq; etiam & infantium plangentium, atq; dicentium: Cur nos deſeris, paſtor bone, aut cui nos, quaſi orphanos, derelinquis? Nunquid erit nobis poſt tranſitum tuum vita? Nunquid erit poſtmodum qui nos ſapientiæ ſale ſic condiat? aut ad Dominici nominis timorem talis prudentiæ ratione redarguat? Hæc & his ſimilia populis cum magno fletu dicentibus, tandem Sacerdos, Spiritu in ſe ſancto influente, reſpondit: Nolite timere, ò populi, ecce frater meus Aprunculus viuit, & ipſe erit Sacerdos veſter. Qui non intelligentes, putabant eum loqui aliquid in extaſi.

Quo migrante, Presbyter ille nequam, alter ex duobus, qui remanſerat, protinus omnem facultatem Eccleſiæ, tanquam ſi iam Epiſcopus eſſet, ardens cupiditate præoccupat dicens: Tandem reſpexit in me Deus, cognoſcens me iuſtiorem eſſe Sidonio, largitusq; eſt mihi hanc poteſtatem. Cùmq; per totam vrbem ſuperbus ferretur, adueniente die Dominico, qui imminebat poſt tranſitum ſancti viri, præparato epulo, iuſſit cunctos ciues in domo Eccleſiæ inuitari, deſpectisq; ſenioribus, primus recumbit in toro. Cui offerens pincerna poculum ait: Domine mi, vidi ſomnium, quod ſi permittis, edicam. Videbam hac nocte Dominica, & ecce erat domus magna, & in domo erat thronus poſitus, in quo

quaſi Iudex reſidebat cunctis poteſtate præſtantior,cui aſſiſtebant multi Sacerdotum in albis veſtibus, ſed & promiſcuæ populorum turbæ innumerabiles. Verùm cùm hæc trepidus cõtemplarer,vidi inter eos beatum aſtare Sidonium cùm Presbytero illo tibi chariſſimo, qui ante hos paucos annos de hoc mundo migrauit,attentè litigantem. Quo deuicto, iubet Rex,vt in imis carceris anguſtijs retrudatur. Ablato autem iſto,contra te quæſtionem cœpi, dicens, te in eo ſcelere,propter quod ille prior damnatus fuerat, fuiſſe participem. Verùm vbi Iudex,quẽ ad te traſmitteret, ſolicitè cœpit requirere,ego me inter reliquos occulere cœpi,& à tergo ſtatui,tractans apud memetipſum,ne fortè ego qui nequam ſum,homini mittar. Dum hæc mecum tacitus voluerem,amotis omnibus remanſi ſolus in publico,vocatusq́; à Iudice,propiùs accedo. Cuius virtutem, atq; ſplendorem contuens,cœpi hebes effectus titubare præ metu. Et ille; Ne timeas,puer,inquit,ſed vade,& dic Presbytero illi: Veni ad reſpondendum cauſæ,quia Sidonius te accerſiri deprecatus eſt. Tu verò ne moram facias ad eundum,quia ſub grandi teſtificatione mihi præcepit Rex ille hæc loqui, dicens: Si tacueris,morte peſſima morieris. Hæc eo loquente,exterritus Presbyter, elapſo de manu calice,reddidit ſpiritum,ac de recubitu ablatus mortuus, ſepulturæ mandatus eſt, poſſeſſurus infernum cum ſatellite ſuo. Tale iudicium ſuper contumaces clericos Dominus in hoc prætulit mundo,vt vnus Arrij ſortiretur mortem,alter tanquam Simon magus Apoſtoli ſancti oratione ab excelſa arce ſuperbiæ præceps allideretur. Qui non ambiguntur pariter poſſidere tartarum,qui ſimul egerunt nequiter contra ſanctum Epiſcopum ſuum.

Interea cùm iam Francorum terror reſonaret in his partibus, & omnes eos amore deſiderabili cuperent regnare, ſanctus Aprunculus Lingonicæ ciuitatis Epiſcopus,apud Burgundiones cœpit haberi ſuſpectus. Cùmq́; odium de die in diem creſceret,iuſſum eſt vt clam gladio feriretur. Quo ad eum perlato nuncio,nocte à caſtro Diuionenſi per murum dimiſſus Aruernos aduenit. Ibiq́; iuxta verbum Domini, quod poſuit in ore ſancti Sidonij, vndecimus datur Epiſcopus.

DE FAME IN BVRGVNDIA, ET ERDICII LIBERALITATE.

CAP. XXIIII.

SED tempore ſancti Sidonij magna Burgundiam fames oppreſſit. Cùmq́; populi per diuerſas regiones diſpergerentur,nec eſſet vnus,qui pauperibus alimoniam largiretur,Erdicius vnus ex Senatoribus Hunnis propinquus, magnam tunc rem in Deo confiſus feciſſe perhibetur. Nam inualeſcente fame, miſit pueros ſuos cum equis,& plauſtris per vicinas ſibi ciuitates,vt eos, qui hac inopia vexabantur,ſibi adducerent. At illi euntes,cunctos pauperes, quotquot inuenire potuerunt,adduxerunt ad domos eius. Vbi eos per omne tempus ſterilitatis paſcens,ab interitu famis exemit. Fueruntq́; (vt multi aiunt) pluſquã quatuor millia promiſcui ſexus. Adueniente autem vbertate,ordinata iterum reuectione,vnumquenq́; in locum ſuum reſtituit. Poſt quorum diſceſſum, vox ad eum de cœlis lapſa peruenit dicens: Erdici,Erdici,quia feciſti hanc rem,tibi,& ſemini tuo panis non deerit in ſempiternum,eo quòd obedieris verbis meis, &

famem meam refectione pauperum ſatiaueris. Quem Erdicium miræ fortitudinis fuiſſe multi commemorant. Nam quadam vice multitudinem Gotthorũ cum decem viris fugaſſe perſcribitur. Sed & ſanctus Patiens Lugdunenſis Epiſcopus ſimile huic in ipſa fame populis præſtitiſſe perhibetur beneficium. Extat enim vſq; hodie apud nos beati Sidonij epiſtola, in qua eum declamatoriè collaudauit.

QVOD GVNDEBALDVS AB AVITO FIDELITER AD FIDEM SVSCIPIENDAM ADMONITVS, OB LEVISSIMAM OCCASIVNCVLAM, PERMANSERIT IN ERRORE, ET DE AVITI PRAESTANTIA.

CAP. XXXIIII.

CVM autem cognouiſſet Gundebaldus Rex aſſertiones hæreticorum nihil eſſe, à ſancto Auito Epiſcopo Viennenſi Chriſtum filium Dei, & Spiritum ſanctum æqualem Patri confeſſus, clam vt chriſmaretur expetijt. Cui ait Sacerdos: Si verè credis hoc, quod nos ipſe Dominus edocuit, exequere. Ait enim: Si quis me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui eſt in cœlis. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui eſt in cœlis. Sic & ipſos ſanctos, ac dilectos ſuos beatos Apoſtolos, cùm de futuræ perſecutionis tentationibus loqueretur, edocuit dicens: Attendite vobis ab hominibus; tradent enim vos in concilijs, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos, & ante Reges, & Præſides ſtabitis in teſtimonium illis, & gentibus. Tu verò 1 cũ ſis Rex, & à nullo apprehendi formides, ſeditionem paueſcis populi, ne creatorem omnium in publico fatearis? Relinque hanc ſtultitiam, & quod corde te dicis credere, ore profer in plebe. Sic etenim & beatus Apoſtolus ait: Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Sic & Propheta ait: Confitebor tibi in Eccleſia magna, in populo graui laudabo te. Et iterum: Confitebor tibi in populis, Domine, pſalmum dicam tibi inter gentes. Metuis enim populum, ò Rex ignorans, nam ſatius eſt vt populus ſequatur fidem tuã, quàm tu infirmitati faueas populari. Tu enim es caput populi, non populus caput tuum. Si enim ad bellum proficiſcaris, tu præcedis cateruas militum, & illæ quò abieris ſubſequuntur. Vnde meliùs eſt vt te præcedente cognoſcant veritatem, quàm te pereunte permaneant in errore. Nam Deus non irridetur; nec enim diligit illum, qui propter terrenum regnum eum non confitetur in ſeculo. Iſta ille ratione confuſus, vſq; ad exitum vitæ ſuæ in hac inſania perdurauit, nec publicè

1 Notent hæc quidã Reges noſtri tpis, q propter timorẽ nobilium non audent reſiſtere hæreſibus.

publicè æqualitatem Trinitatis voluit confiteri.

Magnæ autem facundiæ tunc temporis erat beatus Auitus. Nanq; inſurgente hæreſi apud vrbem Conſtantinopolitanam, tum illa quam Eutices, tum ea, quam Sabellius docuit, id eſt nihil diuinitatis habuiſſe Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & rogante Gundebaldo Rege, ipſe contra eas ſcripſit. Extãt exinde nunc apud nos epiſtolæ admirabiles, quæ ſicut tunc hæreſim oppreſſerunt, ita nunc Eccleſiam Dei ædificant. Scripſit enim homeliarum librum vnũ de mundi principio, & de diuerſis alijs conditionibus libros ex verſibus cõpaginatos, epiſtolarum libros nouem, inter quas ſupradictæ continentur epiſtolæ. Refert in quadam homelia, quam de rogationibus ſcripſit, has ipſas rogationes, 2 quas ante Aſcenſionis 3 Dominicæ triumphũ celebramus, à Mamerto ipſius Viennenſis vrbis Epiſcopo, cui & hic eo tempore præerat, inſtitutas fuiſſe, dum vrbs illa multis terreretur prodigijs. Nam terræmotu frequenti quatiebatur, ſed & ceruorum, atq; luporum feritas portas ingreſſa, per totam, vt ſcripſit, vrbẽ nihil metuens oberrabat. Cumq; hæc per anni circulum gererentur, aduenientibus Paſchalis ſolennitatis diebus, expectabat miſericordiam Dei plebs tota deuotè, vt vel hic magnæ 4 ſolennitatis dies huic terrori terminũ daret. Sed in ipſa glorioſæ noctis vigilia, dum Miſſarum celebrarentur ſolennia, ſubitò palatium regale intramuraneum diuino igne ſuccenditur. Pauore omnibus perterritis, & ex Eccleſia egreſſis, atq; credentibus, vt aut hoc incendio vrbs tota conſumeretur, aut certè diſrupta tellure abſorberetur, ſanctus Sacerdos proſtratus 5 ante altare, cum gemitu, & lachrymis Domini miſericordiam precabatur. Quid plura? Penetrauit excelſa poli oratio Pontificis inclyti, reſtinxitq; domus incendium flumen profluentium lachrymarum. Cumq; hæc agerentur, appropinquante Aſcenſione (vt iam diximus) maieſtatis Dominicæ, indixit populis ieiunium, oſtendit orandi modum, edendi ſeriem, erogandi hilarem diſpenſationem. Ceſſantibus quoque exinde terroribus, per cunctas prouincias diſperſa facti fama cunctos Sacerdotes imitari commonuit, quod Sacerdos fecit in fide. Quæ rogationes vſq; nunc in Chriſti nomine per omnes Eccleſias in compunctione cordis, & contritione ſpiritus celebrantur.

2 Vide q̃ antiquus ſit rogationũ vſus, quas ante Aſcenſionẽ Domini celebramus, & quæ inſtitutionis origo.

3 Aſcenſionis Dominicæ triumphus.

4 Habes hîc ſanctum Paſcha, magnæ ſolẽnitatis diem, glorioſæ illius noctis vigilias, & Miſſarum in eadem celebrationem.

5 Oratio cum proſtratione, gemitu, & lachrymis miſericordiam Dei impetrauit.

DE QVINTIANI EPISCOPI GESTIS.

CAP. XXXVI.

MVLTI iam tunc ex Gallis habere Francos dominos ſummo deſiderio cupiebant. Vnde factum eſt, vt Quintianus Rutenorum Epiſcopus per hoc odium ab vrbe depelleretur. Dicebant enim ei, Quia deſiderium tuum eſt, vt Francorum dominatio poſſideat terram hanc. Poſt dies igitur paucos orto inter eum, & ciues ſcandalo, Gotthos, qui in hac vrbe morabantur, ſuſpicio attigit, exprobrantibus ciuibus, quòd vellet ſe Francorũ ditionibus ſubiugare; conſilioq́; accepto, cogitauerunt eum perfodere gladio. Quod cùm viro Dei nunciatum fuiſſet, de nocte conſurgens cum fideliſſimis miniſtris ſuis, ab vrbe Rutena egrediens Aruernos venit. Ibiq́; à ſancto Euphraſio Epiſcopo, qui quondam Aprunculo Diuionenſi ſucceſſerat, benignè ſuſceptus eſt, largitisq́; ei tam domibus, quàm agris, & vineis, ſecum illum retinuit dicens: Sufficit huius facultas Eccleſiæ, vt vtrunq; ſuſtineat, tantùm charitas, quã beatus Apoſtolus prædicat, permaneat inter Sacerdotes Dei. Sed & Lugdunẽſis Epiſcopus largitus eſt ei quandã poſſeſſionẽ Eccleſiæ ſuæ, quam in Aruerno habebat. Reliqua verò de ſancto Quintiano, tam inſidiæ, quas pertulit, quàm illa, quæ per eum operari Dominus dignatus eſt, ſcripta ſunt in libro vitæ eius.

DE BELLO CLODOVEI CVM ALARICO.

CAP. XXXVII.

IGITVR Rex Clodoueus ait ſuis: Valdè moleſtè fero, quòd hi Arriani partem teneant Galliarum. Eamus igitur cum Dei adiutorio, & ſuperatis illis, redigamus terram in ditionem noſtram. Cùmq́; placuiſſet omnibus hic ſermo, congregato exercitu, ad Pictauos dirigit. Ibi enim tunc Alaricus commorabatur. Sed quoniam pars militum per territorium Turonenſe tranſibat, pro reuerentia beati Martini dedit edictum, vt nullus de regione illa aliud quàm herbarum alimenta, aquamq́; ſumeret. Quidam autem de exercitu, inuento cuiuſdam pauperis fœno, ait Non'ne Rex herbam tantùm ſumi mandauit, & nihil aliud? Et hoc, inquit, herba eſt. Non enim erimus tranſgreſſores præcepti eius, ſi eam præſumimus. Cùmq; vim faciens pauperi, fœnum ei abſtuliſſet, factum illius peruenit ad Regem. Quo dicto citius gladio perempto, ait: Et vbi erit ſpes victoriæ, ſi beatus Martinus offenditur? Ipſe

verò Rex direxit nuncios ad beatam baſilicam dicens: Ite, & forſitan aliquod victoriæ auſpicium ab eodem ſancto ſuſcipietis. Tunc datis muneribus, quæ loco ſancto exhiberent, ait: Si tu, Dñe Deus, adiutor mihi es, & gentē hanc incredulam, ſemperq; æmulam tibi, meis manibus tradere decreuiſti, in ingreſſu baſilicæ ſancti Martini dignare propitius reuelare, vt cognoſcam, quia propitius dignaberis eſſe famulo tuo. Maturantibus autem pueris, & ad locum accedentibus iuxta imperium Regis, dum ſanctam ingrederentur baſilicam, hanc antiphonam ex improuiſo Primicerius, qui erat, incepit: Præcinxiſti me, Domine, virtute ad bellum, ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me. Et inimicos meos dediſti mihi dorſum, & odientes me diſperdidiſti. Quod ſatellites audientes, & Deo gratias agentes, & vota beato confeſſori promittentes, læti nunciauerunt Regi. Porrò ille cùm ad fluuium Vingennam cum exercitu aduenisset, per quem locum tranſire deberet penitus ignorabat. Intumuerat enim inundatione pluuiarum. Cùmq; illa nocte Dominum deprecatus fuiſſet, vt ei vadum, quo tranſire poſſet, dignaretur oſtendere, manè facto cerua miræ magnitudinis ante eos nutu Dei flumen ingreditur, Itaq; illa vadante, populus quò tranſire poſſet agnouit. Veniente autem Rege apud Pictauos, dum eminus in tentorijs commoraretur, pharus ignea de baſilicā ſancti Hilarij egreſſa, viſa eſt ei tanquam ſuper ſe aduenire, ſcilicet vt lumine beati confeſſoris adiutus Hilarij, liberiùs hæreticas acies, contra quas ſæpè idem Sacerdos pro fide conflixerat, debellaret. Conteſtatus eſt autem omnem exercitum, vt ne in via quidem aliquem ſpoliarent, aut res cuiuſquam diriperent.

Erat illis diebus vir laudabilis ſanctitatis Maxentius Abbas recluſus in monaſterio ſuo ob Dei timorem intra terminum Pictauenſem. Cuius monaſterij nomen lectioni non indidimus, quia locus ille vſq; hodie cellula ſancti Maxentij vocatur. Cuius monachi cùm hoſtium cuneum ad monaſterium cernerent appropinquare, Abbatē orant, vt de cellula ſua egrederetur ad conſulendum eis. Illoq; demorante in cellula, timore percuſſi eum aperto oſtio producunt de cellula ſua. At ille in occurſum hoſtium quaſi pacem rogaturus pergit intrepidus. Vnus autem ex his euaginatum gladium vt caput eius auferret librauit. Manus verò erecta diriguit, gladiusq; retroſum ruit. At ille ad pedes beati viri veniam depoſcens ſternitur. Quod videntes reliqui cum timore maximo ad exercitum redierunt, timentes ne & ipſi pariter interirent. Huius verò brachium beatus confeſſor cum oleo benedicto 1 contrectans, impoſito ſigno Crucis reſtituit ſanum. Eiuſq; obtentu monaſterium permanſit illæſum. Multas & alias virtutes operatus eſt, quas ſi quis diligenter inquireret, librum vitæ illius legens cunctas reperiet.

1 Oleo benedicto, & ſanctæ Crucis ſigno, læſum hominis brachiū reſtituit ſanitati.

Interea Clodoueus Rex cum Alarico Rege Gotthorum in campo Vodadenſi, decimo ab vrbe Pictaua milliario conuenit, & confligentibus iſtis, reſiſtunt viriliter illi. Cùmq; ſecundùm conſuetudinem Gotthi terga vertiſſent, ipſe Rex Clodoueus victoriam, Domino adiuuante, obtinuit. Habebat enim in adiutorium ſuum filium Sigiberti claudi, nomine Clodericum. Hic Sigibertus pugnans contra Alemānos apud Tulbiacenſe oppidum, percuſſus in geniculum claudicabat. Porrò Rex, confugatis Gotthis, Alaricum interfecit, duo autem ex aduerſo ſubitò aduenientes cum contis vtraq; ei latera feriunt. Sed auxilio tam loricæ, quàm velocis equi, ne periret exemptus eſt. Maximus ibi tunc Atuernorum populus, qui cum Apollinare venerat, & primi qui erant ex ſenatoribus corruerunt. De hac pugna Alamaricus filius Alarici in

Hiſpaniam fugit, regnumq́ patris ſagaciter occupauit. Clodoueus verò filiũ ſuum Theodoricum per Albigenſem ac Rutenenſem ciuitatem ad Aruernos dirigit. Qui abiens vrbes illas à finibus Gotthorum vſq; in Burgundionum terminum, patris sui ditionibus ſubiugauit. Regnauit autem Alaricus xxij annos. Clodoueus verò apud Burdegalenſem vrbem hyemem agens, cunctos theſauros Alarici à Tholoſa auferens Engoliſmam venit. Cui tantam Dominus gratiam tribuit, vt in eius contemplatione muri ſponte corruerẽt. Tunc excluſis Gotthis, vrbem ſuo dominio ſubiugauit. Poſt hæc patrata victoria, Turonos eſt regreſſus, multa ſanctæ baſilicæ beati Martini offerens munera.

EX LIBRO III ET IIII HISTORIARVM DIVI GREGORII TVRONENSIS.

DE INDIVIDVAE TRINITATIS CONFESSORIBVS PRISCIS, ET RECENTIBVS, DE'QVE EORVM SVCCESSIBVS.

PRAEFATIO.

VELIM ſi placet, parumper conferre, quæ Chriſtianis beatam confitentibus Trinitatem proſpera ſucceſſerint, & quæ hæreticis eandem ſcindentibus fuerint in ruinam. Omittamus autem qualiter illam Abraham veneratur ad ilicem, Iacob prædicat in benediſtione, Moyſes cognoſcit in ſente, populus ſequitur in nube, eandem'q; paueſcit in monte; vel qualiter eam Aaron portat in logio, aut Dauid vaticinatur in pſalmo, orans innouari ſe per Spiritum rectum, nec ſibi auferri Spiritum ſanctum, atq; ſe confirmari per Spiritum principalem; vbi & magnũ ego cerno myſterium, quòd ſcilicet quem hæretici minorem aſſerunt, principalem vox prophetica nunciauit. Sed his, vt diximus, omiſſis, ad noſtra tempora reuertamur. Arrius enim, qui huius iniquæ ſectæ primus, iniquus'q; inuentor fuit, interioribus in ſeceſſum depoſitis, infernalibus ignibus ſubditur. Hilarius verò beatus, indiuiduæ Trinitatis defenſor, propter hancin exilium deditus, & patriæ, & Paradiſo reſtauratur. Hanc Clodoueus Rex confeſſus, ipſos hæreticos adiutorio Dei oppreſſit, regnum'q; ſuum per totas Gallias dilatauit. Alaricus hanc denegans, à regno, & populo, atq; ab ipſa, quod maius eſt, vita ſeparatur æterna. Omnibus igitur verè credẽtibus, etſi inſidiante inimico aliqua perdãt, Dominus cẽtuplicata reſtituit. Hæretici verò nõ ſolũ nõ acquirunt melius, ſed quod videntur habere, aufertur ab eis. Probauit hoc Godegiſili, Gondobaldi, atq; Godomari interitus, qui & patriam ſimul & animas perdiderunt. Nos itaq; vnum, atq; inuiſibilem, immenſum, incomprehenſibilem, inclytum, perennem, atq; perpetuum Dominũ confitemur, vnum in Trinitate propter perſonarum numerum, id eſt Patris & Filij & Spiritus ſancti, & trinum in Vnitate propter æqualitatem ſubſtantiæ deitatis, omnipotentiæ, vel virtutis, qui eſt vnus, ſummus, atq; omnipotens Deus in ſempiterna ſecula regnans.

DE OBITV CHROTILDIS REGINAE, ET DE CLOTHARIO, QVI TERTIAM PARTEM FRVCTVVM ECCLESIIS AVFERRE VOLVIT.

CAP. I.

IGITVR Chrotildis Regina plena dierum, bonisq́ operibus prædita, apud vrbem Turonicam obijt, temporibus Iniurioſi Epiſcopi. Quæ Pariſios cum magno pſallentio deportata in ſacrarium ſancti Petri ad latus Clodouei Regis ſepulta eſt à filijs ſuis Childeberto, atq; Clothario Regibus. Nam baſilicam illam ipſa conſtruxerat, in qua & Genoueſa beatiſſima ſepulta eſt.

Deniq; Clotharius Rex indixerat, vt omnes Eccleſiæ regni ſui tertiam partẽ fructuum fiſco diſſoluerent. Cui rei, licet inuiti, cùm omnes Epiſcopi conſenſiſſent, atq; ſubſcripſiſſent, viriliter hoc beatus Iniurioſus reſpuens, ſubſcribere dedignatus eſt dicens. Si volueris res Dei tollere, Deus regnum tibi velociter auferet, quia iniquum eſt, vt pauperum ſtipe, quos tuo debes alere horreo, tua horrea repleantur. Et iratus contra Regem, nec vale dicens abſceſſit. Tunc cõmotus Rex, timens etiam virtutem beati Martini, miſit poſt eum cùm muneribus, veniam precans, & hoc quod fecerat damnans, ſimulq́; rogans, vt pro ſe virtutem beati Martini imploraret.

DE SANCTO GALLO.

CAP. V.

Deniq; cùm beatus Quintianus, ſicut ſupra diximus, ab hoc mundo migraſſet, ſanctus Gallus in eius cathedram, Rege opitulante, ſubſtitutus eſt. Huius tempore cùm lues illa, quam inguinariam vocant, per diuerſas regiones deſæuiret, & maximè tunc Arelatenſem prouinciam depopularetur, ſanctus Gallus non tantùm pro ſe, quantùm pro populo ſuo trepidus erat. Cùmq; die ac nocte Dominum deprecaretur, vt viuens plebem ſuam vaſtari non cerneret, per viſum noctis apparuit ei Angelus Domini, qui tam cæſariem, quàm veſtem in ſimilitudinem nimis candidam efferebat, aitq́; ad eum: Benè facis, ò Sacerdos, quòd ſic Dominum pro populo tuo ſupplicas. Exaudita eſt enim oratio tua, & ecce eris cum populo tuo ab hac infirmitate liberatus, nullusq́;, te viuente, in regione iſta ab hac ſtrage deperiet. Nunc autem ne timeas, poſt octo verò annos time. Vnde manifeſtum fuit, tranſactis his annis eum à ſeculo diſceſſurum. Expergefactus autem Deo gratias pro hac conſolatione agit, quòd eum per cœleſtem nuncium confortare dignatus eſſet. Rogationes illas inſtituit, vt media Quadrageſima pſallendo ad baſilicam ſancti Iuliani martyris itinere pedeſtri venirent. Sunt autem in hoc itinere quaſi ſtadia cccl x. Tunc etiam in ſubita contemplatione parietes & domorum, & eccleſiarũ ſigna-

ri videbantur. Vnde à ruſticis hæc ſcriptio Thau vocabatur. Cùm autem regiones alias, vt diximus, lues illa conſumeret, ciuitatem Aruernam, ſancti Galli intercedente oratione, non attigit. Vnde ego non paruam cenſeo gratiam quam ille meruit, vt paſtor poſitus oues ſuas deuorari, defendente Domino, non videret. Cùm autem ab hoc mundo migraſſet, & ablutus ɪ in Eccleſiā deportatus eſſet, Cato Presbyter continuò à clericis de Epiſcopatu laudes accepit. Qui omnem rem Eccleſiæ tanquam ſi iam eſſet Epiſcopus, in ſuam redegit poteſtatem.

ɪ Et ablutus in Eccleſiam deportatus eſſet.

DE OBITV SANCTI MEDARDI, ET EIVS SEPVLTVRA.

CAP. XIX.

TEMPORE quoq; Clotharij Regis, ſanctus Dei Medardus Epiſcopus, conſummato boni operis curſu, & plenus dierum, ſanctitate præcipuus, diem obijt. Quem Clotharius Rex cùm ſummo honore apud Sueſſionas ciuitatem ɪ ſepeliuit, & baſilicam ſuper eum fabricare cœpit, quam poſtea Sigilbertus filius eius expleuit, atq; compoſuit. Ad cuius beatum ſepulchrum vidimus vinctorum cōpedes, atq; cathenas diſruptas, confractasq; iacere. Quæ vſque hodie in teſtimonium virtutis eius, ad ipſum beati ſepulchrum reſeruantur.

ɪ Vide ſancti honorificam ſepulturā, & multa miracula ad ipſius tumulum in virtutis illius teſtimonium.

EX LIBRO QVINTO HISTORIARVM D. GREGORII TVRONENSIS.

DE ELEEMOSYNIS TYBERII CAESARIS.

CAP. XIX.

CVM autem Iuſtinus iam præamiſſo ſenſu amens effectus fuiſſet,& per ſolam Sophiam Auguſtam eius Imperium regeretur,populi Tyberium Cæſarem elegerunt, vtilem , ſtrenuum , atq; ſapiētem,eleemoſynarium,'inopumq́; optimum defenſorē. Qui cùm multa de theſauris,quos Iuſtinus aggregauit,pauperibus erogaret,& Auguſta illa eū frequentius increparet,quòd Rempublicam redegiſſet in paupertatem,diceretq́;:Quod ego multis annis congregaui,tu intra paruum tempus prodigè diſpergis : aiebat ille: Non deerit fiſco noſtro,tantùm pauperes eleemoſynam accipiant,aut captiui redimantur. Hic eſt enim magnus theſaurus,dicente Domino, Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, vbi neq; erugo,neq; tinea corrumpit,& vbi fures non effodiunt nec furantur. Ergo de eo,quod Deus dedit,congregemus theſauros in cœlo,& Dominus nobis dignabitur augere vel in ſeculo . Et quia , vt diximus , magnus,& verus Chriſtianus erat,dum hilari diſtributione pauperibus opē præſtat,magis ac magis ei Dominus ſubminiſtrauit. Nam deambulans per palatiū,vidit in pauimento domus tabulā marmoream , in qua Crux ¹ Dominica erat ſculpta,& ait : Cruce tua,Domine,frontem noſtram munimus,& pectora,& ecce Crucem ſub pedibus conculcamus. Et dicto citius iuſſit eam auferri. Defoſſa'q; tabula,atq; erecta,inueniunt ſubtus & aliam hoc ſignum habentem. Nūciantibusq; iuſſit,vt & aliam auferrent.Qua amota,reperiunt & tertiam; iuſſuq́; eius & hæc aufertur . Ea verò ablata,inueniunt magnum theſaurum habentem ſupra mille centenaria auri. Sublatumq́; aurum pauperibus adhuc abundantius quàm conſueuerat,ſubminiſtrabat,nec ei Dominus aliquid deficere permittebat pro bona voluntate eius . Quid autem ei Dominus in poſterum tranſmiſerit,non omittam. Narſes ille Dux Italiæ,cùm in quadam ciuitate domum magnam haberet , Italiam cum multis theſauris ingreſſus, ad ſupramemoratam vrbem aduenit , ibiq; in domo ſua occultè ciſternam magnam fodit , in qua multa millia centenariorum auri , argentiq; repoſuit . Eaq; interfectis conſcijs , vni tantummodo ſeni per iuramentum condita commendauit . Defuncto verò Narſete , hæc ſub terra latebant . Cùmq;

¹ Vides ſignū ſanctiſſimæ Crucis in omni materia ſculpi ſolitū? Videsquomodo Cruce Dominica frontem noſtrā & pectora munire ſoleamus?

ſupradictus

ſupradictus ſenex hujus eleemoſynas aſſiduè cerneret, pergit ad eum, dicens: Si mihi aliquid prodeſt, magnam rem tibi, Cæſar, edicam. Cui ille; Dic, ait, quod volueris; proderit enim tibi, ſi quicquam nobis profuturum narraueris. Theſaurum, inquit ille, Narſetis reconditum habeo, quod in extremo vitæ poſitus celare non poſſum. Tunc Cæſar Tyberius gauiſus mittit vſq; ad locum pueros ſuos. Præcedente verò ſene, hi ſequuntur attoniti. Peruenientesq́; ad ciſternam, & deoperientes eam ingrediuntur, in qua tantum aurum, argentumq́; reperiunt, vt per multos dies vix euacueretur à deportantibus. Ex quo ille hilariori erogatione diſpenſauit egenis.

DE IMPERIO TYBERII CAESARIS.

CAP. XXX.

DVM hæc geruntur in Gallijs, Iuſtinus impleto imperij decimo octauo anno, amentiam, quam incurrerat, cũ vita finiuit. Quo ſepulto Tyberius Cæſar arripuit iam olim aggreſſum imperium. Sed cùm eum ſecundùm loci conſuetudinem ad ſpectaculum Circi præſtolaretur populus proceſſurum, parare ei cogitans pro parte Iuſtiniani inſidias, qui tunc nepos Iuſtini habebatur, ille per loca ſancta proceſſit. Completaq́; oratione, vocato ad ſe Vrbis Põfice cũ Conſulibus, ac Præfectis, palatium eſt ingreſſus: Dehinc indutus purpura, diademate coronatus, ac throno imperiali impoſitus, cum immenſis laudibus imperium confirmauit. Factionarij verò operientes ad Circum, cùm cognouiſſent quæ acta fuerant, pudore confuſi ſine effectu regreſſi ſunt, nihil homini, qui in Deo ſpem poſuerat, nocere valentes. Tranſactis igitur paucis diebus, aduenien̄s Iuſtinianus pedibus ſe proiecit Imperatoris, quindecim ei centenaria auri deferens ob meritum gratiæ. Quem ille ſecundùm patientiæ ſuæ ritum colligens, in palatio iuſſit aſiſtere. Sophia verò Auguſta, inſidias ei tentauit tendere. Procedente nanq; eo ad villam, vt iuxta Imperialem ritum xxx diebus ad vindemiam iucundaretur, Sophia, vocato clam Iuſtiniano, voluit eum erigere in Imperium. Quo comperto, Tyberius curſu veloci ad Conſtantinopolitanam vrbem regreditur, apprehenſamq́; Auguſtam omnibus theſauris ſpoliauit, ſolum ei victus quotidiani alimentum relinquens. Segregatisq́; pueris eius ab ea, alios poſuit de fidelibus ſuis, mãdans prorſus vt nullus de anterioribus ad eam haberet acceſſum. Iuſtinianum verò obiurgatum tãto in poſterum amore dilexit, vt filio eius filiam ſuam promitteret, rurſumq́; filio ſuo filiam eius expeteret. Sed non eſt res ſortita effectum. Exercitus eius Perſas debellauit, victorq; regreſſus, tantam molem prædæ detulit, vt crederetur cupiditati humanæ poſſe ſufficere. Viginti Elephanti capti ad Imperatorem deducti ſunt.

DE MARTINO GALLICIENSI EPISCOPO.

CAP. XXXVII.

HOC tempore & beatus Martinus Gallicienſis Epiſcopus obijt, magnum populo illi faciente planctum. Hic in Pannonia ortus fuit, & exinde ad viſitanda 1 loca ſancta in Orientem properans, in tantum ſe literis imbuit, vt nulli ſecundus ſuis temporibus haberetur. Exinde Galliciam venit, vbi, cùm beati Martini reliquiæ portarentur, Epiſcopus ordinatur. In eo autem ſacerdotio impletis plus minus triginta annis, plenus virtutibus migrauit ad Dominum. Verſiculos, qui ſuper oſtium ſunt à parte meridiana in baſilica ſancti Martini, ipſe compoſuit.

1 Ecce peregrinationem ad loca ſancta Orientis.

DE MAVRILIO CADVRCORVM EPISCOPO.

CAP. XLII.

MAVRILIVS Cadurcenſis vrbis Epiſcopus grauiter ægrotabat ab humore podagrico, ſed ſuper hos dolores, quos ipſe humor commouit, magnos ſibi cruciatus addebat. Nam ſæpè candens ferrum tibijs, ac pedibus defigebat, quò faciliùs cruciatum ſibi amplius adiungeret. Sed cùm Epiſcopatum eius multi expeterent, ipſe Vrſicinum, qui quondam Referendarius Vltrogottho Reginæ fuerat, elegit. Quem dum adhuc viueret, benedici deprecans, migrauit à ſeculo. Fuit autem valde eleemoſynarius, & in ſcripturis Eccleſiaſticis admodum inſtructus, ita vt feriem diuerſarum generationum, quæ in libris veteris teſtamenti deſcribitur, quod à multis difficilè retinetur, hic plerunque memoriter recenſeret. Fuit autem & in iudicijs iuſtus, ac defendens pauperes de manu malorum iudicum, iuxta illud Iob: Conſeruaui egenum de manu potentis, & inopi, cui non erat adiutor, auxiliatus ſum. Os viduæ benedixit mihi, cùm eſſem oculus cæcorum, pes claudorum, & inualidorum pater.

DE ALTERCATIONE GREGORII CVM HAERETICO.

CAP. XLIII.

ENNITILDVS verò Rex Agilanem legatum ad Chilpericum mittit, virum nullius ingenij, aut diſpoſitionis ratione peritum, ſed tantùm voluntate in ſalica lege peruerſum. Quem cùm via Turonos detuliſſet, laceſſere nos de fide, & impugnare Eccleſiaſtica dogmata cœpit. Iniqua enim, inquit, fuit antiquorum Epiſcoporũ lata ſententia, quæ æqualem aſſeruit Filium Patri. Nam qualiter, inquit, poterit Patri eſſe æqualis in poteſtate, qui ait, Pater maior me eſt? Non eſt ergo æquum, vt ei ſimilis æſtimetur, quo ſe minorem dicit, qui in triſtitia mortis ingemit, qui poſtremò moriens ſpiritum ei quaſi nulla præditus poteſtate commendat. Vnde patet eum, & ætate, & poteſtate paterna minorem.

Ad hæc ego interrogo, ſi crederet Ieſum Chriſtum filium Dei eſſe, ſi eundem eſſe Dei ſapientiam, ſi lumen, ſi veritatem, ſi vitam, ſi iuſtitiam fateretur. Qui ait: Credo hæc omnia eſſe Filium Dei. Et ego: Dic ergo mihi: Quando Pater ſine ſapientia, quando ſine lumine, quando ſine vita, quando ſine veritate, quãdo ſine iuſtitia fuit? Sicut enim Pater ſine iſtis eſſe non potuit, ita & ſine Filio eſſe non potuit, quæ maximè ad Dominici nominis myſterium coaptantur. Sed nec Pater eſſet vtiq; ſi Filium non haberet. Quòd autem eum dixiſſe ais, Pater maior me eſt, ſcias hoc eum ex aſſumptæ carnis humilitate dixiſſe, vt cognoſcas non poteſtate, ſed humilitate te fuiſſe redemptum. Nam cùm dicit, Pater maior me eſt, oportet te meminiſſe, quod alibi ait: Ego & Pater vnum ſumus. Sed & mortis timor, & commendatio ſpiritus, ad infirmitatem corporis eſt referenda, vt ſicut verus Deus, ita & verus homo credatur. Tum Agilanes: Cuius quis implet voluntatem, non'ne eo & minor eſt? Semper ergo Filius minor eſt Patre, quia ille facit voluntatem Patris, nec Pater eius voluntatem facere comprobatur.

Ad hæc ego: Intellige quia Pater in Filio, & Filius in Patre in vna ſemper deitate ſubſiſtit. Nam vt cognoſcas Patrem Filij facere voluntatem, ſi in te fides Euangelica manet, audi quid ipſe Ieſus Deus noſter, cùm ad reſuſcitandum venit Lazarum, ait: Pater, gratias ago tibi, quoniam audiſti me, & ego ſciebam quia ſemper me audis, ſed propter turbam, quæ circunſtat, dixi, vt credant quia tu me miſiſti. Sed & cùm ad paſſionem venit, ait: Pater clarifica me claritate, quam habui apud temetipſum, priuſquam mundus fieret. Cui Pater de cœlo reſpondit: Et clarificaui, & iterum clarificabo. Aequalis eſt ergo Filius in deitate, non minor, ſed nec aliquid minus habens. Nam ſi Deum confiteris, neceſſe eſt integrũ fatearis, & nullius egentẽ. Si verò integrũ negas, Deũ eſſe nõ credis. Nimirum ipſe, inquit Agilanes, ex aſſumpto homine cœpit Filius Dei vocitari. Nam fuit tempus, quando non erat. Cui ego: Audi Dauid dicentem ex perſona Patris: Ex vtero ante luciferum genui te. Et Ioannes Euangeliſta ait: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc ergo Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, per quem facta ſunt omnia. Nam vos cæcati veneno perſuaſionis, nihil dignum de Deo ſentitis.

At ille: Nunquid & Spiritum ſanctum Deum dicitis, aut æqualem Patri, Filioq; decernitis? Ad quod ego: Vna in tribus eſt voluntas, poteſtas, operatio, vnus Deus in Trinitate, & trinus in vnitate. Tres perſonæ, ſed vnum regnum, vna maieſtas, vna potentia, omnipotentiaq;. Tunc ille: Spiritus ſanctus, inquit, quem æqualem profertis Filio, vtriſq; minor accipitur, quia & à Filio promiſſus, & à Patre legitur miſſus. Nemo enim promittit, niſi quod ſuæ dominationi ſubſiſtit, & nemo mittit niſi inferiorem ſe, ſicut ipſe ait in Euangelio: Niſi ego abiero, Paraclitus ille non veniet; ſi autem abiero, mittam illum ad vos. Ad hæc ego reſpondi: Benè Filius ante paſſionem ait, quia niſi ille ad Patrem victor remearet, ac proprio ſanguine redempto mundo, dignum Deo ex homine præpararet habitaculū, non poterat Spiritus ſanctus idem Deus in corpus pollutū, & originalis criminis labe infectū deſcendere. Spiritus enim ſanctus (ait Salomon) fugiet fictum. Tu autem, ſi ſpem aliquam reſurrectionis habes, noli loqui aduerſus Spiritum ſanctum, quia iuxta ſententiam Domini, in Spiritum ſanctum blaſphemanti non remittetur neq; in hoc ſeculo, neq; in futuro. At ille Deus eſt, qui mittit, non eſt Deus, qui mittitur.

Ad hæc ego interrogo, ſi crederet doctrinam Petri, & Pauli Apoſtolorum. Reſpondente autem eo: Credo: adieci: Cùm argueret Petrus Apoſtolus Ananiam fraudis furtiuæ, vide quid dicat: Cur tentauit ſatanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto? Non es enim mentitus hominibus, ſed Deo. Et Paulus cùm gratiarum ſpiritalium diſtingueret gradus; Hæc omnia, inquit, operatur vnus, atq; idem Spiritus, diuidens vnicuiq; prout vult. Qui enim quod voluit facit, in nullius redigitur poteſtatem. Sed vos, ſicut ſuperiùs dixi, nihil de Trinitate ſanctâ rectè ſentitis; verũ quàm iniqua ſit huius ſectæ peruerſitas, ipſius auctoris veſtri, ſcilicet Arrij, expreſſit interitus. Ad hæc ille reſpondit: Legem, quam non colis, blaſphemare noli. Nos enim quæ vos creditis & ſi non credimus, non tamen blaſphemamus, quia non deputatur crimini, ſi & illa, & illa colantur. Sic enim vulgato ſermone dicimus, non eſſe noxium ſi inter gentilium aras & Dei Eccleſiam quis tranſiens vtraq; veneretur.

Cuius ego ſtultitiam cernens, aio: Vt video, & gentilium defenſorem, & hæreticorum aſſertorem te eſſe manifeſtas, cùm & Eccleſiaſtica dogmata maculas, & paganorum ſpurcitiam prædicas adorari. Rectiùs certè faceres, ſi ea te armaret fides, quam Abraham ad ilicem, Iſaac in ariete, Iacob in lapide, Moyſes vidit in ſente; quam Aaron portauit in logio, Dauid exaltauit in tympano, Salamõ prædicauit in intellectu; quam omnes Patriarchæ, & Prophetæ, ſiue lex ipſa vel oraculis cecinit, vel ſacrificijs figurauit; quam & tunc præſens Martinus noſter ſuffragator, vel poſſedit in pectore, vel oſtendit in opere, vt & tu conuerſus crederes inſeparabilem Trinitatem, & accepta benedictione, purgatoq; à malæ credulitatis veneno pectore, delerentur iniquitates tuæ.

At ille furore commotus, & neſcio quid quaſi inſanus frendens ait: Ante anima ab huius corporis vinculis emigret, quàm ab vllo religionis veſtræ Sacerdote benedictionem accipiam. Et ego: Nec noſtram Dominus religionem ſiue fidem ita tepeſcere faciat, vt diſtribuamus ſanctum eius canibus, ac pretioſa margaritarum ſacra porcis ſqualentibus exponamus. Poſt hæc ille relicta altercatione ſurrexit, & abijt. Sed cùm in Hiſpanias reuerſus fuiſſet, infirmitate debilitatus, ad noſtram religionem neceſſitate conuerſus eſt.

DE IIS, QVAE CHILPERICVS REX SCRIPSIT.

CAP. XLIIII.

PEr idem tempus Chilpericus Rex ſcripſit indiculum, vt ſancta Trinitas non in perſonarum diſtinctione, ſed tantùm Deus nominaretur, aſſerens indignum eſſe, vt Deus perſona, ſicut homo carneus nominetur, affirmans etiam ipſum eſſe Patrem, qui eſt Filius, idemq; ipſum eſſe Spiritum ſanctum, qui Pater, & Filius. Sic, inquit, Prophetis, ac Patriarchis apparuit; ſic eum ipſa lex nunciauit. Cùmq; hæc mihi recitare iuſſiſſet; Ita, inquit, 1 volo, vt tu, & reliqui doctores Eccleſiarum credatis. Cui ego reſpondi: Hac credulitate relicta, bone Rex, hoc te oportet ſequi, quod 2 nobis poſt Apoſtolos alij doctores Eccleſiæ reliquerunt, quod Hilarius, Euſebiusq; docuerunt, quod & tu in baptiſmo es confeſſus. Tunc iratus Rex ait: Manifeſtum eſt mihi in hac cauſa Hilarium, Euſebiumq; validos inimicos haberi. Cui ego reſpondi: Obſeruare te conuenit, neq; Deum, neq; ſanctos eius habere offenſos. Scias verò quia in perſona alter eſt Filius, alter Spiritusſanctus. Non Pater aſſumpſit carnem, neque Spiritus ſanctus, ſed Filius, vt qui erat Dei filius, ipſe ad redemptionem hominis Filius haberetur & Virginis. Non Pater paſſus, neq; Spiritus ſanctus, ſed Filius, vt qui carnem aſſumpſerat in mundo, ipſe offerretur pro mundo. De perſonis verò quod ais, non corporaliter, ſed ſpiritualiter eſt ſentiendum. In his autem tribus perſonis vna gloria, vna æternitas, vna poteſtas. At ille commotus ait: Sapientioribus te hæc pandam, qui mihi conſentient. Et ego: Nunquam erit ſapiens, ſed ſtultus, qui hæc, quæ proponis, ſequi voluerit. Ad hæc ille frendens ſiluit. Non poſt multos verò dies, adueniente Saluio Albigenſi Epiſcopo, hæc ei præcepit recitari, deprecans vt ſibi conſentiens fieret. Quod ille audiens, ita reſpuit, vt ſi chartam, in qua hæc ſcripta tenebantur, potuiſſet attingere, in fruſta diſcerpſiſſet. Et ſic Rex ab hac intentione quieuit. Scripſit alios libros idem Rex verſibus, quaſi Sedulium ſecutus, ſed verſiculi illi nulli penitus metricæ conueniunt rationi. Addidit autem & literas literis noſtris, id eſt omega, ſicut Græci habent, ac thita, chi, pſi, zita, quarum characteres ſubſcripſimus, & hi ſunt, ſi ω, θ, χ, ψ, ζ: & miſit epiſtolas in vniuerſas ciuitates regni ſui, vt ſic pueri docerentur, ac libri antiquitus ſcripti, planati pumice reſcriberentur.

1 Vide Regis inſipiẽtiam. Vult ſcribere, & ſtatuere quæ non poteſt, nõ intelligẽs quæ loquitur, nec quæ affirmat. Ideóq; in hæreſes incidit, & blaſphemias Sic faciunt & q eum hoc tẽpore imitantur.

2 Nota in materia fidei id tenendũ, q poſt Apoſtolos alij doctores Eccleſiæ reliquerunt.

DE OBITV DALMATII EPISCOPI. CAP. XLVI.

Ecce veras Chriſtiãi Epi conditiones.

EO tempore & Dalmatius Rutenæ ciuitatis Epiſcopus migrauit à ſeculo, vir in omni ſanctitate præcelſus, abſtinens & à cibis, & à cõcupiſcentijs carnis, valde eleemoſynarius, & cunctis humanus, in oratione, in vigilijs ſatis ſtabilis. Eccleſiam conſtruxit, ſed dum eam ad emendationem ſæpius deſtruit, incompoſitam dereliquit. Poſt cuius obitum multi, vt fit, Epiſcopatum petebãt. Traſobadus verò Presbyter, qui quondam Archidiaconus eius fuerat, in hoc maximè intendebat, fidens quod filium ſuum Godoni, qui tunc Regis erat nutricius, commendauerat. Condiderat autem Epiſcopus teſtamentum, in quo Regis placitum qui poſt eius obitum acciperet indicabat, adiurans terribilibus ſacramentis, vt in Eccleſia illa non ordinaretur extraneus, non cupidus, non coniugali vinculo nexus, ſed ab his omnibus expeditus, & qui in ſolis Dominicis laudibus degeret, ſubſtitueretur. Traſobadus autẽ Presbyter exilium in ipſa vrbe clericis præparat. Reſidentibus autem illis ad menſam, vnus Presbyterorũ cœpit Antiſtitẽ memoratum impudicis blaſphemare ſermonibus, & vſq; ad hoc erupit, vt eum delirum, & fatuum nominaret. Hæc eo dicente, pincerna poculum oblaturus aduenit. At ille acceptum dum ori proximat, tremere cœpit. Laxatoq; de manu calice, ſuper alium, qui ipſi erat proximus, caput reclinans, reddidit ſpiritum. Ablatus igitur ab epulo ad ſepulchrũ, humo conteϐtus eſt. Poſt hæc relecto teſtamento Antiſtitis in præſentia Childeberti Regis, ac procerum eius, Theodoſius, qui tunc Archidiaconatu vrbis illius potiebatur, Epiſcopus ordinatus eſt.

EX LIBRO SEXTO HISTORIARVM DIVI GREGORII TVRONENSIS.

DE ABSTINENTIA, ET MIRACVLIS HOSPICII RECLVSI.

CAP. VI.

FVIT autem apud vrbem Nicenſem eo tempore Hoſpicius recluſus magnæ abſtinentiæ, qui conſtrictus cathenis ad purum corpus ferreis, indutus deſuper 1 cilicio, nihil aliud quàm purum panem 2 ſumebat cũ paucis dactylis. In diebus autem Quadrageſimæ de radicibus herbarũ Aegyptiarum, quibus Eremitæ vtuntur, exhibentibus ſibi illas negociatoribus alebatur. Et primùm quidem ius, in quo coctæ erant, hauriens, ipſas ſumebat in poſterum. Magnas autem per eum Dominus virtutes dignatus eſt operari. Nã quodam tempore reuelante ſibi Spiritu ſancto, aduentum Longobardorum in Gallias hoc modo prædixit. Venient, inquit, Longobardi in Gallias, & deuaſtabunt ciuitates ſeptem, eo quòd increuerit malitia Gallorum in conſpectu Domini, quia nullus eſt intelligens, nullus eſt qui faciat bonum, vt ira Dej placetur. Eſt enim omnis populus infidelis, periurijs deditus, furtis obnoxius, in homicidijs promptus, à quibus nullus iuſtitiæ fructus vllatenus gliſcit. Non decimæ dantur, non pauper alitur, non tegitur nudus, non peregrinus hoſpitio recipitur, aut cibo ſufficiente ſatiatur; ideo hæc plaga ſuperueniet. Nunc autem dico vobis, congerite omnem ſubſtantiam veſtram intra murorum ſepta, ne à Longobardis diripiatur, & vos ipſos firmiſſimis communite in locis. Hæc eo loquente omnes obſtupefacti, & valedicentes, cum magna admiratione ad propria ſunt regreſſi. Monachis quoq; dixit: Abſcedite & vos à loco, auferentes vobiſcum quæ habetis. Ecce enim appropinquat genus, quod prædixi. Dicentibus autem illis, Non relinquemus te, ſanctiſſime Pater, ait: Nolite timere pro me, futurum eſt enim, vt inferant mihi iniurias, ſed non nocebunt vſq; ad mortem. Diſcedentibus autem monachis, venit gens illa, & dum cuncta, quæ reperit, vaſtat, peruenit ad locum, vbi ſanctus Dei recluſus erat. At ille per feneſtram turris oſtendit ſe eis. Illi verò circumeuntes turrem, aditum, per quem ingrederentur ad eum, inuenire non poterant. Tunc duo aſcendentes detexerunt tectum, & videntes eum cinctum cathenis, indutumq; cilicio dicunt: Hic malefactor eſt, & homicidium fecit, ideo in his ligaminibus vinctus tenetur.

1 Nota ciliciũ habitũ multorum ſanctorum.

2 Vide miram victus parcitatẽ, & Quadrageſimæ rigidam obſeruantiam.

Vocatoq; interprete, ſciſcitatur ab eo quid mali fecerit, vt tali ſupplicio arctaretur. At ille fatetur ſe homicidam eſſe, omnisq; criminis reum. Tunc cùm vnus extraxiſſet gladium, vt caput eius tolleret, dextera eius in ipſo ictu ſuſpenſa diriguit, nec eam ad ſe potuit reuocare. Itaq; gladium laxans, terræ deiecit. Hæc videntes ſocij eius, clamorem in cœlum dederunt, flagitantes à ſancto, vt quid agi oporteret, clementer inſinuaret. Ipſe igitur impoſito ſalutis 3 ſigno, brachium ſanitati reſtituit. Ille autem in eodem loco conuerſus, tonſurato 4 capite fideliſſimus monachus nunc habetur. Duo verò duces, qui ſanctũ audierunt, incolumes patriæ redditi ſunt. Qui verò contempſerunt præceptũ eius, miſerabiliter in ipſa prouincia ſunt defuncti. Multi autem ex ipſis à dæmonijs correpti clamabant: Cur nos, ſancte, & beatiſſime, ſic crucias, & incendis? Sed impoſita ipſis manu, ſanabat eos.

3 Impoſito ſalutis ſigno, brachiũ ſanitati reſtituit.

4 Cũ quis monachus fiebat, ſemper caput tondebat, prout & modò fit.

DE TRANSITV HOSPICII,

ET CAETERIS MIRACVLIS EIVS.

CAP. VII.

POST hæc homo erat Andegauenſis incola, qui per nimiam febrem lo quelam pariter, auditumq; perdiderat. Et cùm febré conualuiſſet, ſurdus permanebat, ac mutus. Igitur Diaconus quidam ex prouincia illa Romam directus eſt, vt beatorum Apoſtolorum 1 pignora, vel reliquorum ſanctorum, qui vrbem illam muniunt, exhiberet. Qui cùm ad parentes infirmi illius perueniſſet, rogant vt eũ ſibi comitẽ itineris ſumere dignaretur, cõfiſi, quòd ſi beatiſſimorum Apoſtolorum adiret ſepulchra, protinus poſſet affe qui medicinam. Euntibus autem illis, venerunt ad locum, vbi ſanctus Hoſpicius habitabat. Quo ſalutato, ac deoſculato, cauſas itineris Diaconus pandit, ac proficiſci Romã indicat, ſeſeq; his, qui ſancto viro de naucleris amici eſſent, commendari depoſcit. Cũmq; ibi adhuc moraretur, ſenſit vir beatus per Spiritum, Domini adeſſe virtutem. Et ait Diacono: Infirmum, qui comes tui nũc eſt itineris, rogo vt meis conſpectibus repræſentes. At ille nihil moratus, velociter ad metatum vadit, inuenitq; infirmum febre plenum, qui per nutum aures ſuas dare tinnitum indicabat. Eleuatumq; duxit ad ſanctum Dei. At ille apprehenſa manu cæſarie, attraxit caput illius in feneſtram. Aſſumpto verò oleo benedictione 2 ſanctificato, tenens manu ſiniſtra linguam eius, ori, verticiq; capitis infudit, dicens: In nomine Domini mei Ieſu Chriſti aperiantur au res tuæ, reſeretq; os tuum virtus illa, quæ quondam ab homine ſurdo, & muto noxium eiecit dæmonium. Et hæc dicens, interrogat nomen. Ille verò clara voce ait: Sic dicor. Cùm hæc vidiſſet Diaconus, ait: Gratias tibi immenſas re fero, Chriſte, qui talia per ſeruũ tuum dignaris oſtendere. Quærebam 3 Petrũ, & quærebam Paulum, Laurentiumq;, vel reliquos, qui Romã proprio cruore illuſtrant; hîc omnes reperi, hîc cunctos inueni. Hæc eo cum maximo fletu, & admiratione dicente, vir Dei omni intentione vanam vitans gloriam, ait: Sile, ſile, dilectiſſime frater. Non hæc ego facio, ſed ille, qui mundum ex nihilo condidit, qui ad bonum hominem ſuſcipiens, cæcis viſum, ſurdis auditum, mutis præſtat eloquium, qui leproſis cutem priſtinam, mortuis vitam, & omnibus infirmis affluentem medicinam indulget. Tunc Diaconus gaudens, & valedicens, abſceſſit

1 Vide quantã reuerentiam, priſci Patres reliquijs ſanctorũ exhiberent. Habes etiam quòd ſancti vrbes muniunt.

2 Oleo benedicto, inuocatióeq; diuini nominis adhibita, ſãctus ſurdũ, & mutum curat.

3 Ecce quomodo Petrus, & Paulus, Laurentiuſq; Romã proprio ſanguine illuſtrant.

abſceſſit cùm omnibus ſuis.

Quibus diſcedentibus, homo quidam Dominicus (ſic enim erat viro nomen) à natiuitate cæcus aduenit ad iſtius miraculi veritatem probandam. Qui dum in monaſterio duobus, aut tribus menſibus reſideret, orationi, ac ieiunijs vacãs, tandem vocat eum ad ſe vir Dei, & ait: Vis recipere viſum? Cui ille: Voluntas, inquit, mea erat ignota cognoſcere. Nam quæ ſit lux ignoro. Vnum tantùm ſcio, quòd ab hominibus collaudatur. Ego autem ab initio ætatis meæ videre non merui. Tunc cum oleo 4 benedicto ſuper oculos eius Crucem ſanctam faciens, ait: In nomine Ieſu Chriſti Redemptoris noſtri aperiantur oculi tui. Et ſtatim aperti ſunt oculi eius, & erat admirans cernensq; mirabilia Dei, quæ in hoc mundo videbat. Dehinc mulier quædam, vt ipſa declamabat, tria habens dæmonia, ad eum adducta eſt. Quam cùm tactu ſacro benedixiſſet, atq; ex oleo ſancto Crucem fronti eius impoſuiſſet, eiectis dæmonibus, purgata diſceſſit. Sed & aliam puellam à ſpiritu immundo vexatam benedictione ſanauit.

4 Oleo benedicto, & Crucis ſignaculo, atque nominis Domini Ieſu inuocatione, cæco lumẽ reſtituit, & à muliere tria dæmonia expellit.

Cùm autem iam dies obitus eius appropinquaret, vocauit ad ſe Præpoſitum monaſterij dicens: Exhibe ferramentum, & irrumpe parietem, & mitte nuncios ad Epiſcopum ciuitatis, vt veniat ad me ſepeliendum. Die enim tertio ab hoc egredior mundo, & vado in requiem deſtinatam, quam mihi Dominus repromiſit. Hæc eo dicente, miſit Præpoſitus ad Epiſcopum ciuitatis Nicenſis, qui ei hæc nunciarent. Poſt hæc Creſcens quidã venit ad feneſtram, & videns eum cathenis vinctum, & vermibus plenum, ait: O domine mi, qualiter tam valida tormenta tolerare potes? Cui ipſe ait: Confortat me ille, pro cuius nomine hæc patior. Dico autem tibi, quia iam abſoluor ab his vinculis, & vado in requiẽ meã. Adueniente aũt die tertio, depoſuit cathenas, quibus vinctus erat, & proſtrauit ſe in 5 orationem, & cùm diutiſſimè cùm lachrymis oraſſet, collocans ſe ſuper ſcamnum, extenſis pedibus, eleuatisq; ad cœlum manibus, gratias agens Deo, tradidit ſpiritum. Et ſtatim omnes vermes illi, qui ſanctos artus perforabant, euanuerunt. Adueniens autem Auſtodius Epiſcopus, beatum corpus ſtudioſiſſimè ſepulturæ mandauit. Hæc omnia ab eius ore cognoui, quem ſuperiùs mutum, & ſurdum ab eo ſanatum expoſui. Qui multa mihi & alia de eius virtutibus narrauit. Verùm ea non recenſui, quia audiui vitam eius à multis fuiſſe conſcriptam.

5 Orat ſanctus cum proſtratione, lachrymis, & manuum eleuatione, & moritur.

EX LIBRO VI. HISTORIARVM

DE TRANSITV FERREOLI EPISCOPI, ET EPARCHII RECLVSI.

CAP. VIII.

EO tempore Ferreolus Vcecenſis Epiſcopus, magnæ vir ſanctitatis obiſt, plenus ſapientia, & intellectu, qui libros aliquos epiſtolarum quaſi Sidonium ſecutus compoſuit. Poſt cuius obitum Albinus ex Præfecto per Diuamium Rectorem prouinciæ, extra Regis conſilium, ſuſcepit Epiſcopatum. Quo non ampliùs quàm tribus vtens menſibus, cùm eſſet remouendus, defunctus eſt. Iouinus iterum, qui quondam prouinciæ Rector fuerat, regium de Epiſcopatu præceptum accepit. Sed præuenit eum Marcellus Diaconus, Felicis ſenatoris filius. Qui conuocatis comprouincialibus, per conſilium Diuamij Epiſcopus ordinatus eſt. Sed & ipſe vi pulſatus deinceps à Iouino, concluſus in ciuitate, per vim ſe defenſare nitebatur. Sed cùm non valeret, muneribus vicit. Obijt & Eparchius recluſus Engoliſmenſis vir magnificæ ſanctitatis, per quem Deus multa miracula oſtendit, de quibus relictis plurimis pauca perſtringam.

Petragoricæ vrbis incola fuit, ſed poſt conuerſionem clericus factus, Engoliſmam veniens, cellulam ſibi ædificauit. In qua collectis paucis monachis, in oratione morabatur aſſiduè; et ſi ei aliquid auri, argentiq́; offerebatur, aut in neceſſitatibus pauperum, aut in redemptione captiuorum diſtribuebat. Panis in cellula illa, eo viuente, coctus nunquam fuit, ſed à deuotis, cùm neceſſitas exegiſſet, inferebatur. Magnam verò cateruam populorum de oblationibus deuotorum redemit; puſtularum malarum venenum Crucis ſigno ſæpè compreſſit; dæmones de obſeſſis corporibus oratione abegit; & iudicibus plerunq; vt culpabilibus ignoſcerent, dulcedine profuſa imperauit potius, quàm rogauit. Nam ita erat dulcis alloquio, vt ei negare non poſſent, quod fuiſſet deprecatus.

Quodam verò tempore dum pro furto quis ad pendendum deduceretur, qui & in alijs multis ſceleribus, tam in furtis, quàm in homicidijs accuſabatur ab incolis crimínoſus, & hæc ei nunciata fuiſſent, miſit monachum ſuum ad deprecandum iudicem, vt ſcilicet culpabilis ille vitæ concederetur. Sed inſultante vulgo, atq; vociferante, quòd ſi hic dimitteretur, neq; regioni, neq; iudici poſſet eſſe conſultum, dimitti non potuit. Interea extenditur ad trocleas, virgis, ac fuſtibus cæditur, & patibulo condemnatur. Cùmq; id mœſtus monachus Abbati nunciaſſet; Vade, inquit, à longe, & ſcito quòd quem homo redimere noluit, Dominus ſuo munere donabit. Tu verò cùm eum cadere videris, protinus apprehenſum adducito in monaſterium. Monacho verò iuſſa complente, ille 1 proſternitur in oratione, & tãdiu in lachrymis ad Deum fudit preces, quouſq; appenſus diſrupta trabe cum cathenis, terræ reſtitueretur illæſus. Tunc monachus apprehenſum eum Abbatis conſpectibus incolumem repræſentat. At ille Deo gratias agens, Comitem accerſiri iubet, dicens: Semper me benigno animo ſolitus eras audire, fili dilectiſſime, & cur hodie induratus hominem, pro cuius vita rogaueram, non laxaſti? At ille: Libenter te, inquit, audio, ſancte Sacerdos; ſed inſurgente vulgo aliud facere non potui, timens ſuper me ſeditionem moueri. Cui ille; Tu, inquit, me non audiſti, Deus autem audire dignatus eſt, & quem tu tradidiſti morti, miſericorditer

1 Ecce oratio cum proſtratione, & lachrymis, & mirabilis eius effectus.

ille vitæ reſtituit. En,inquit,coram te aſtat ſanus. Hæc eo dicente,proſternitur ille ad pedes Comitis ſtupentis, quòd videbat viuere,quem in mortis interitu reliquiſſet. Hæc ego ab ipſius ore Comitis cognoui. Sed & alia multa fecit,quæ inſequi longum putaui. Poſt quadraginta quatuor verò annos recluſionis ſuæ,parumper febre pulſatus,tradidit ſpiritum. Protractuſq; à cellula, ſepulturæ mandatus eſt. Magnus autem conuentus de redemptis ab ipſo in eius proceſſit exequijs.

DE DOMNOLO CENOMANNORVM EPISCOPO.

CAP. IX.

DOMNOLVS verò Cenomannorum Epiſcopus ægrotare cœpit. Hic tempore Clotharij Regis apud Pariſios ad baſilicam ſancti Laurentij gregi monaſteriali præfuerat, ſed quoniam Childeberto ſeniore vinente,ſemper Clothario Regi fidelis extitit,& nuncios eius ad ſpeculandum miſſos crebriùs occulebat,præſtolabatur Rex locum,in quo Põtificatus honorẽ ei tribueret. Migrante autem Auennienſis ciuitatis Pontifice, iſtum illuc dare deliberauerat. Sed beatus Domnolus hæc audiens,ad baſilicam ſancti Martini Antiſtitis,quò tunc Clotharius Rex ad orationem venerat,acceſſit, & nocte tota in vigilijs excubans, per priores,qui aderãt Regi,ſuggeſtionẽ intulit,vt nõ quaſi captiuus ab eius elongaretur aſpectu,nec pmitteret ſimplicitatẽ illius inter ſenatores ſophiſticos,ac iudices philoſophicos fatigari,aſſerens hunc locũ humilitati ſibi fore potiùs quàm honori. Ad hæc Rex annuens, migrãte Innocentio Cenomannorum Epõ,ipſum Eccleſiæ illi Antiſtitẽ deſtinauit. Iam verò aſſumpto Epiſcopatu talem ſe, tantumq; præbuit,vt in ſummæ ſanctitatis culmen euectus, debili vſum greſſuum, cæco reſtitueret viſum. Qui poſt xxij Epiſcopatus annos,dum ſe cerneret morbo regio,calculoq; grauiſſimè fatigari, Teodulphum Abbatem in locum ſuum elegit,cuius voluntati Rex præbuit aſſenſum; ſed nõ multo poſt tempore, mutata ſententia,in Badechiſilum domus regiæ maiorem transfertur electio. Qui tonſuratus,per gradus,quos clerici ſortiuntur,aſcendens, poſt xl dies migranti Sacerdoti ſucceſſit.

DE OBITV CHRODINI DVCIS.

CAP. XX.

EO anno Chrodinus obijt,vir magnificæ bonitatis,& pietatis, eleemoſynarius valde,pauperumq; refector profluus,ditator Eccleſiarum,clericorumq; nutritor. Nam ſæpè de nouo fundans villas,ponẽs vineas,ædificans domos,culturas faciens, vocatis Epiſcopis,quorum erat parua facultas,dato epulo,ipſas domos cum cultoribus,& culturis,cum argento, periſtromatibus,vtenſilibus,miniſtris,& famulis benignè diſtribuebat, dicens: Sint hæc Eccleſiæ data,vt dum de his pauperes reficiuntur,mihi veniam obtineant apud Deum. Multa autem & alia bona de hoc viro audiuimus, quæ inſequi longum eſſet. Tranſijt autem ætate ſeptuagenaria.

Bonus Dux ditabat Eccleſias villis, vineis, & famulis, vt ex hoc veniam peccatorum ſuorum conſequi poſſet.

EX LIBRO VI. HISTORIARVM

DE PVELLIS MONASTERII PICTAVENSIS.

CAP. XXIX.

IN monaſterio beatæ Radegundis puella quædam, nomine Diſciola, virgo prudens, & timens Deum, quæ beati Saluij Albigenſis Epiſcopi neptis erat, obijt hoc modo. Cùm ægrotare cœpiſſet, & ei aſſiduè ſorores aliæ deſeruirent, venit dies ille, quo migraret à corpore,& circa horam nonam ait ſororibus: Ecce iam leuiorem me ſentio,ecce nihil doleo; nunc igitur non eſt neceſſe ſolicitudini veſtræ,vt mihi curæ aliquid impendatis,ſed potiùs diſcedite à me,quò faciliùs ſopori relaxer. Hæc audientes ſorores eius,receſſerũt parumper à cellula,& poſt paululum aduenerunt. Deniq; ſtantibus illis coram ea,expectabant quid ab ea elocutionis audirent. Ipſa autem expanſis manibus benedictionem à neſcio quo efflagitans, ait: Benedic inquit,mihi ſancte,ac famule Dei excelſi. Ecce enim iam tertiò fatigaris hodie mei cauſa. Et cur,ſancte,pro infima muliercula crebras iniurias ſuſtines? Interrogantibus verò illis,ad quem hæc verba proferret, penitus non eſt effata. Tunc facto paruo interuallo,emiſit vocem magnam cum riſu,& ſic tradidit ſpiritum. Et ecce quidam energumenus,qui tunc ad beatæ Crucis gloriam mundãdus venerat,arrepta manibus cæſarie,colliſit ſe in terram,dicens: Heu heu heu nobis,qui tale damnũ perpeſſi ſumus. Saltem licuiſſet priùs cauſas adducere,& ſic de poteſtate noſtra fuiſſet ablata hæc anima. Inquirentibus verò his,qui aderant,quod eſſet hoc verbum,quod loquebatur,reſpondit: Ecce animam puellæ Michaël Angelus ſuſcipit,& ipſe eam ad cœlos vehit; princeps verò noſter, quem vos diabolum nominatis,nihil in ea participat. Poſt hæc corpus aquis ablutum, 1 ita candore niueo refulgebat,vt nullum linteum reperire Abbatiſſa potuiſſet in promptu,quod corpore candidius cerneretur. Induta tamen linteis mundis,ſepulturæ mandata eſt. Poſt hæc & alia puella huius monaſterij viſum vidit, quod ſororibus retulit. Putabat,inquit,ſe iter aliquod conficere,& erat ei deſiderium,vt ad fontem viuum gradiens perueniret. Cùm'q; viam neſciret,vir quidam ei ſe obuium obtulit,dicens: Si vis ad fontem viuum accedere,ego ero præuius itineris tui. At illa gratias agens, ſequebatur præcedentem. Quibus ambulantibus,peruenerunt ad fontem magnum,cuius aquæ tanquam aurum ſplendebant,herbæ verò in modum diuerſarum gemmarum vernante luce radiabant. Et ait vir ad eam. Ecce fontem viuum,quem multo labore quæſiſti. Satiare nunc ab eius fluentis,vt fiat tibi fons aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam. Cùm'q; illa vellet ex his aquis haurire,ecce ab alia parte veniebat Abbatiſſa, & denudatam puellam induit veſte regia; quæ tanta luce,auro'q;, ac monilibus refulgebat,vt vix poſſet conſpici,dicente ſibi Abbatiſſa: Sponſus enim tuus mittit tibi hæc munera. Hæc cùm puella vidiſſet,cõpuncta eſt corde,& poſt dies paucos rogauit Abbatiſſam,vt ſibi, in quam includeretur,cellulã præpararet. Illa igitur velociter perfecta; Ecce,inquit, cellula, quid nunc deſideras? Puella vero petijt vt recludi permitteretur. Quod cùm ei præſtitum fuiſſet,congregatis virginibus cum magno pſallentio,accenſis lampadibus,tenente ſibi beata Radegunde manu,ad locum vſq; perducitur. Et ſic vale faciens omnibus,& oſculans ſingulas quaſq; recluſa eſt. Obſtructo'q; aditu, per quem ingreſſa fuerat,ibi nunc orationi,ac lectioni vacat.

1 Vide conſuetudinem lauandi corpora poſt mortem.

DE

DE OBITV TYBERII IMPERATORIS.

CAP. XXX.

HOC anno Tyberius Imperator migrauit à ſeculo, magnum luctum relinquens populis de obitu ſuo. Erat enim ſummæ bonitatis, in eleemoſynis promptus, in iudicijs iuſtus, in iudicando cautiſſimus, nullum deſpiciens, ſed omnes in bona voluntate complectens, omnes diligens. Ipſe quoq; diligebatur ab omnibus. Hic cùm ægrotare cœpiſſet, & ſe iam victurũ deſperaret, vocauit Sophiam Auguſtam, dicens: Ecce iam impletum ſentio tempus vitæ meæ, nũc conſilio tuo eligam, qui Reipublicæ præeſſe debeat. At illa Mauritium quendam elegit, dicens: Valde ſtrenuus, & ſagax eſt vir iſte. Nam & ſæpius contra inimicos Reipublicæ dimicans, victorias obtinuit. Hæc autẽ dicebat, vt iſto tranſeunte, huius coniugio necteretur. Sed Tyberius poſtquam conſenſum cognouit Auguſtæ de huius electione, iuſſit exornari filiam ſuam ornamentis imperialibus, & vocato Mauritio ait: Ecce cum conſenſu Sophiæ Auguſtæ ad imperium eligeris, in quo vt firmior ſis, filiam meam tradam tibi. Et accedente puella, tradidit eam pater Mauritio dicẽs: Sit tibi imperium meum cum hac puella conceſſum. Vtere ea felix, memor ſemper, vt æquitate, & iuſtitia delecteris. At ille, accepta puella, duxit eam ad domum ſuam. Et tranſacta ſolennitate nuptiarum, Tyberius obijt. Igitur celebrato iuſtitio, Mauritius indutus diademate, & purpura, ad circum proceſſit. Acclamatis'q; ſibi laudibus, largitus populo munera in imperio confirmatur.

DE ETHERICO EPISCOPO, ET CLERICI CVIVSDAM LIBIDINE.

CAP. XXXVI.

ETHERIVS verò Lixoenſis Epiſcopus, hoc ordine à ciuitate ſua & expulſus eſt, & receptus. Clericus quidam extitit ex Cenomannica vrbe luxurioſus nimis, amator'q; mulierum, & gulæ, ac fornicationi, omni'q; immunditiæ valde deditus. Hic mulieris cuiuſdam ſæpiùs ſcorto commixtus, comam capitis totõdit, mutatoq; fœmineo habitu, ſecũ in aliam ciuitatem deduxit, vt ſuſpicio adulterij auferretur, cum inter incognitos deueniſſet. Erat enim mulier ingenua genere, & de bonis orta parentibus. Cognoſcentes autem poſt dies multos propinqui eius quæ acta fuerant, ad vlciſcendam ignominiam generis ſui velociùs properant, repertum'q; clericum vinctum cuſtodiæ mãcipant, mulierem verò igni conſumunt. Et ſicut cogit auri ſacra fames, clericum ſub pretio venundare procurant, ea videlicet ratione, vt aut eſſet qui redimeret, aut certè morti addiceretur obnoxius. Cùm'q; hæc Etherio Epiſcopo delata fuiſſent, miſericordia motus, datis viginti aureis, cum ab imminenti exemit

interitu. Igitur poſtquam vitæ donatus eſt, profert ſe literarum eſſe doctorem promittens Sacerdoti, quòd ſi ei pueros delegaret, perfectos eos in literis redderet. Gauiſus auditu Sacerdos, pueros ciuitatis collegit, ipſiq; delegat ad docendum. Deniq; cùm iam honoraretur à ciuibus, & Pontifex ei aliquid terræ, vinearumq; largitus fuiſſet, ac per domos parentum eorum, quos erudiebat, inuitaretur, reuerſus ad vomitum, vnius pueruli matrem immemor anterioris iniuriæ concupiſcit. Quod cùm pudica viro mulier declaraſſet, coniuncti affines eius grauiſſimis clericum tormentis ſubdentes, interimere voluerunt. Quem Sacerdos iterum miſericordia motus, caſtigatum verbis lenibus liberauit, honoriq; reſtituit.

Sed mens læua nunquam ad bonitatem potuit inclinari, ſed potiùs factus eſt eius inimicus, à quo ſæpiùs fuerat de morte redemptus. Coniunctus eſt enim Archidiacono ciuitatis, qui ſe Epiſcopatu dignum iudicās, Epiſcopū moliebatur occidere. Locatoq; clerico, qui eum bipēne percuteret, ipſi vbiq; diſcurrunt, muſſitant, amicitias clam illigant, proferunt præmia, vt ſi Sacerdos obiret, ipſe ſuccederet. Sed miſericordia Domini anticipauit eorum perfidiam, crudelitatemq; iniquorum hominum veloci pietate repreſſit. Die enim, quo Sacerdos operarios in agro aggregauerat ad ſulcandum, clericus antedictus cum ſecure inſequitur Sacerdotem, nihil de his penitus ſcientem. Tandem verò hæc aduertens; Quid tu, inquit, me attentiùs cum hac bipenne perſequeris. At ille timore perterritus, ad genua viri prouoluitur, dicens: Fortis eſto, Sacerdos Dei. Nam ſciàs me emiſſum ab Archidiacono, ac præceptore, vt te ſecuri percuterē. Quod cùm ſæpius facere voluiſſem, & ictum dextra ſuſpenſa librarem, tegebantur tenebris oculi mei, & aures obſerabantur, totumq; corpus tremore quatiebatur; ſed & manus abſq; virtute erant, & quæ optabam, implere non poteram. Cùm verò manus depoſuiſſem, nihil mali ſentiebam omnino. Cognoui igitur quòd tecum eſt Dominus, eò quòd non potui aliquid tibi nocere. Hæc eo dicente, fleuit Sacerdos, imponens ſilentium clerico, reuerſuſq; domum cœnaturus diſcubuit. Cœna verò exacta, in ſtratu ſuo quieuit, habens circa lectum ſuum multos lectulos clericorum.

Deniq; diffiſi hi de clerico, nefas tamen perficere cogitantes, noua argumenta machinantur, per quæ aut eum vi extinguerent, aut certè crimen, quo à ſacerdotio diuelleretur, imponerent. Interea quieſcentibus cunctis, media ferè nocte cubiculū Sacerdotis irrūpunt exclamātes voce magna, atq; dicentes, vidiſſe ſe mulierem à cubiculo egredi, ipſamq; ob hoc dimiſſam, quòd ad Epiſcopum feſtinaſſent. Sanè pars hæc & conſilium diaboli fuit, vt in tali ætate crimen imponerent Sacerdoti, qui erat ferè lxx annorum. Nec mora, alligatur Sacerdos cathenis ab eius manibus, de cuius collo ſæpiùs vincula diſcuſſerat, & arduæ cuſtodiæ mancipatur ab eo, quem à cœnoſis carceribus plerunq; liberauerat. At ille cognoſcens inimicos ſibi vehementer inualuiſſe, Domini miſericordiam cum lachrymis in vincula compactus exorat. Mox opprimuntur ſomno cuſtodes, ſolutiſq; diuinitus vinculis, de cuſtodia procedit innoxius, noxiorum frequentiſſimus liberator. Deniq; dilapſus, ad regnum Gunthranni Regis tranſijt. Quo diſcedēte, liberiùs iam coniuncti ſatellites ad Regem Chilpericum properant pro Epiſcopatu petendo, multa crimina de Epiſcopo proloquentes, & addentes iſta: In hoc cognoſce, Rex glorioſiſſime, vera eſſe hæc, quæ dicimus, quia mortem pro ſceleribus timens, ad fratris tui tranſijt regnum. Quod ille non credens, hos ad ciuitatem redire iubet.

Dum hæc agerentur, mœſti ciues de Paſtoris abſentia, cognoſcentes omnia, quæ contra eum acta fuerant, per inuidiam, & auaritiam perpetrata, apprehenſo cum ſatellite Archidiacono, iniuriæ eos ſubdentes, ad Regē iuerunt, vt reciperēt

Sacerdotem ſuum. At Rex legatos fratri ſuo dirigit, aſſerens nihil ſe criminis in Epiſcopo reperiſſe. Tunc Gunthrannus Rex vt erat benignus, & profluus ad miſerandum, multa ei munera contulit, dans etiam epiſtolas ad omnes Epiſcopos regni ſui, vt peregrinum aliquo pro Dei intuitu munere conſolarentur. Tūc circumiens ciuitates, tanta ei à Sacerdotibus Dei collata ſunt, tā in veſtibus, quàm in auro, vt vix ciuitati quæ meruerat poſſet inferre. Impletumq́; eſt illud, quod ait Apoſtolus, Quia diligētibus Deum omnia concurrunt in bonum. Nam huic peregrinatio diuitias attulit, & exilium opes multas inuexit. Poſt hæc regrediēs, à ciuibus tali honore ſuſceptus eſt, vt præ gaudio flerent, & benedicerēt Deum, qui tandem Eccleſiæ tantum reſtituiſſet Sacerdotem.

DE MORTE LVPENTII ABBATIS GABALLITANI.

CAP. XXXVII.

LVPENTIVS verò Abbas baſilicæ ſancti Priuati martyris vrbis Gaballitanæ, à Brunilchilde Regina accerſitus aduenit. Accuſatus enim (vt fertur) fuerat ab Innocentio ſupradictæ vrbis Comite, quòd ſcelestum aliquid effatus de Regina fuiſſet. Sed diſcuſſis cauſis, cùm nihil de crimine læſæ maieſtatis conſcius eſſet inuentus, dimiſſus eſt. Verùm vbi viā carpere cœpit, iterum ab antedicto Comite captus, & ad Ponteconem villam deductus, multis ſupplicijs eſt affectus. Dimiſſusq́; iterum vt rediret, cùm ſuper Axonam fluuium tentorium tetendiſſet, iterum irruit ſuper eum inimicus eius. Cuius vi oppreſſi amputatum caput in culleum oneratum lapidibus poſuit, & flumini dedit, reliquum verò corpus vinctum cum ſaxo immerſit gurgiti. Poſt dies verò paucos apparuit quibuſdam paſtoribus; & ſic extractus à flumine, ſepulturæ mandatus eſt. Sed dum neceſſaria funeris pararentur, & ignoraretur à populo quis eſſet, præſertim cùm caput truncati non inueniretur, ſubitò adueniēs aquila, leuauit culleum à fundo fluminis, & in ripa depoſuit. Admirantesq́; qui aderant, apprehenſo culleo, dum ſollicitè quid contineret inquirunt, caput truncati reperiunt; & ſic cum reliquis artubus eſt ſepultum. Ferunt autem lumen ibi diuinitus nunc apparere. Et ſi infirmus ad hunc tumulum fideliter deportatus fuerit, acceptа ſoſpitate recedit.

DE ALTERCATIONE AVCTORIS HVIVS OPERIS CVM OPPILA LEGATO.

CAP. XL.

LEGATVS verò, Oppila nomine, de Hiſpanijs aduenit, multa munera Chilperico Regi deferens. Timebat enim Rex Hiſpanorum ne Childebertus exercitum ad vlciſcendam ſororis ſuæ iniuriam commoueret, quia ille apprehenſum filium ſuum Herminichildum, qui ſororē Childeberti Regis acceperat, retruſerat in cuſtodiam.

1 Nota diem ſanctum Paſchæ, in quo fit generalis communio.

Igitur cùm die ſancto Paſche 1 hic legatus Turonos aduenifſet, ſciſcitati ſumus, vtrum noſtræ religionis eſſet. Reſpondit, ſe hoc credere quod Catholici credunt. Exinde procedens nobiſcum ad Eccleſiam, miſſarum ſolennia tenuit, ſed neq; pacem cum noſtris fecit, neq; de ſacrificijs ſacris communicauit; cognitumq; eſt mendacium eſſe quod dixerat, ſe eſſe Catholicū. Nihilominus ad cōuiuium inuitatus affuit. Cùmq; ego ſolicitus requirerem, quid crederet, reſpondit: Credo Patrem & Filium & Spiritum ſanctum vnius eſſe virtutis. Cui ego reſpondi: Si hæc vt aſſeris credis, quæ obſtitit cauſa, vt de ſacrificijs, quæ Deo offerimus, communicare differres. Et ille; Quia, inquit, gloriam non rectè reſpondetis. Nam iuxta Paulum Apoſtolum nos dicimus: Gloria Deo Patri per Filium: vos autem dicitis: Gloria Patri, & Filio, & Spirituiſancto: cùm doctores Eccleſiarum doceant, Patrem per Filium nunciatum fuiſſe in mundo, ſicut ipſe Paulus ait: Regi ſeculorum immortali, inuiſibili, ſoli Deo honor, & gloria in ſecula ſeculorum, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Et ego reſpondi: Patrem per Filium annunciatum, nulli catholico eſſe incognitum reor. Sed ſic prædicauit Patrem in ſeculo, vt & ſe virtutibus oſtenderet Deum, & quia mundus Patriarchis, atq; ipſi latori legis non crediderat, ſaltē vel Filio crederet. Ideóq; neceſſe eſt, vt ſub ſignificatione perſonarum gloria detur Deo. Dicimus ergo: Gloria Deo Patri, qui miſit Filiū; gloria Deo Filio, q ſanguine ſuo redemit mundum; gloria Deo Spirituiſancto, qui ſanctificat hominem iam redemptum. Nam tu qui dicis: Gloria Patri per Filium: adimis gloriam Filio, quaſi ipſe non ſit glorioſus cùm Patre, propterea quòd eum annunciauit in mundo. Nunciauit, vt diximus, Filius Patrem in mundo, ſed multi nō crediderunt, dicente Ioanne Euangeliſta: In propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem eum receperunt, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius. Nam tu, qui Paulo Apoſtolo derogas, & ſenſum eius non intelligis, percipe quàm cautè loquatur, & iuxta vt recipere quis poteſt, ac aduerte, qualiter prædicat inter gentes incredulas, vt nulli onus graue videatur imponere, ſicut quibuſdam dicit: Lac vobis potum dedi, non eſcam. Nondum enim poteratis, ſed nec adhuc quidem poteſtis, perfectorum enim eſt ſolidus cibus. Sed & alijs dicit: Nihil vobis prædicaui, niſi Chriſtum, & hunc crucifixum. Nunc autem quid dicis tu, ò hæretice? Quia Paulus Chriſtum tantùm crucifixum prædicauit, reſurrexiſſe tu dubitas? Aduertē potiùs cautelam eius, & vide aſtutiam, quid ſcilicet alijs dicat, quos robuſtiores videbat in fide. Et ſi, inquit, nouimus Ieſum Chriſtum crucifixum, nunc

autem

autem iam non nouimus. Nega ergo tu accuſator Pauli, ſi tanta mentem dementia cœpit, quia nec crucifixus eſt. Sed quæſo, relinque iſta, & audi conſilium melius; adhibe collyria oculis lippis, & lucem prædicationis Apoſtolicæ percipe. Secundùm enim homines loquebatur Paulus humilitùs, vt nos ad celſiora fidei faſtigia ſubleuaret, ſicut alibi ait: Omnibus omnia factus ſum, vt omnes lucrifacerem. Nunquid homo mortalis non eſt daturus gloriam Filio, quem ipſe Pater non ſemel, ſed bis, & tertiò glorificauit e cœlo? Auſculta quid de cœlis loquitur, cùm idem Filius, deſcendente Spiritu ſancto, ſub Ioannis manu baptizaretur. Hic eſt, inquit, Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Certè ſi oppilatas habes aures, vt iſta non audias, crede Apoſtolis, quid in monte audierint, cùm transfiguratus Ieſus in gloria loqueretur cum Moyſe, & Elia. Nempe de nube ſplendida Pater ait: Hic eſt Filius meus chariſſimus, ipſum audite.

Ad hæc hæreticus reſpondit: Nihil in his teſtimo nijs Pater de gloria loquitur Filij, ſed tantùm ipſum Filium monſtrat. Et ego: Si iſta ſic recipis, proferam tibi aliud teſtimonium, in quo Pater reddidit Filium glorioſum. Veniente nanque Domino ad paſſionem, cùm ille diceret: Pater clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te: quid ei reſpondit de cœlo? Non'ne ait: Et clarificaui, & iterum clarificabo? Ecce ergo Pater glorificat eum propria voce, & tu ei gloriam conaris adimere. Voluntatem enim oſtendis, ſed poteſtas nulla ſuppetit Nam qui Pauli Apoſtoli accuſator exiſtis, audi ipſum, immò Chriſtum in ipſo loquentem: Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Quòd ſi nunc communis eſt cum Patre gloria, & in ipſa, qua nunc Pater eſt, gloria commoratur, qualiter eum tu quaſi inglorium inhonoras? Aut cur non erit ei reddenda gloria inter homines, qui pari gloria cum Patre regnat in cœlis? Confitemur ergo Chriſtum Filium Dei Deum verum. Ideóq; quia deitas vna, & vna eſt gloria.

Poſt hæc, dato ſilentio, ab altercatione ceſſatum eſt. Ille verò ad Chilpericum Regem accedens, oblatis muneribus, quæ Rex Hiſpanorum miſerat, in Hiſpaniam eſt reuerſus.

EX LIBRO SEPTIMO HISTORIARVM DIVI GREGORII TVRONENSIS.

DE OBITV SALVII EPISCOPI.

CAP. I.

LICET ſit ſtudium hiſtoriam proſequi,quam priorum librorum ordo reliquit,tamen priùs aliqua de beati Saluij Epiſcopi obitu expoſcit loqui deuotio, qui hoc anno obijſſe probatur. Hic diu,vt ipſe referre erat ſolitus, in habitu ſeculari cōmoratus,cum iudicibus ſeculi mūdiales cauſas eſt executus, nunquam tamen ſe in his concupiſcentijs obligans,quibus adoleſcentium animus ſolitus eſt implicari. Iam cùm diuini ſpiramenti odor interna viſcerum attigiſſet,relicta ſeculari militia,monaſterium expetiuit, intellexitq; vir iam tunc diuinitati deditus, melius eſſe paupertatem cum Dei timore,quàm ſeculi prætereuntis lucra ſectari. In quo monaſterio diu ſub regula 1 à patribus inſtituta verſatus eſt. Iam verò cùm in robore maiori tam intellectus,quàm ætatis euectus eſſet, defuncto Abbate, qui huic monaſterio præerat,alendi gregis ſuſcipit officium. Et qui ſe magis fratribus publicum pro correctione reddere debuerat,fit aſſumpto honore remotior, illico nanq; ſibi ſecretiorem cellulam quærit. In priore verò vt ipſe aſſerebat, ampliùs,quàm nouem vicibus nimia exæſus abſtinentia,pellem corporis demutauit.

1 Ecce quomodo priſciquoq; monachi habuerunt regulas,& conſtitutiones viuendi.

Deniq; accepto honore,cùm ſolita parſimonia orationi,& lectioni vacaret,illud plerunq; reuoluebat,meliùs ſibi fieri,ſi eſſet inter monachos occultus, quàm accepto nomine Abbatis in populis. Quid plura? Includitur valedicens fratribus,ſibi'q; ipſis valedicentibus. In qua incluſiōe in omni abſtinentia magis q̃ prius egerat commoratur,ſtudens pro charitatis obſequio,vt cum quiſq; veniſſet extraneus,& orationem tribueret,& eulogias gratia pleniſſima miniſtraret, quæ multis infirmis plerunq; ſalutem integram detulerunt.

Quodam autem tempore febre nimia exhauſtus,anhelus iacebat in lectulo. Et ecce ſubitò magno lumine cellula clarificata contremuit. At ille extenſis

ad cœlum manibus, cum gratiarum actione ſpiritum exhalauit. Mixto igitur vlulatu monachi cum ipſius genitrice corpus defuncti extrahunt, aqua *a* abluunt, veſtimentis induunt, & feretro ſuperponunt, atq; in pſallentio, fletu'q; labentem exigunt noctem. Manè autem facto funeris officio præparato, corpus moueri cœpit in feretro. Et ecce malis rubeſcentibus, vir quaſi de graui ſomno ſuſcitatus excutitur; apertis'q; oculis, & manibus eleuatis, ait: O' Domine miſericors, quid feciſti mihi, vt me in hunc tenebroſum mundanæ habitationis locum redire permitteres, cùm mihi melior eſſet in cœlo tua miſericordia, quàm iſtius mundi vita nequiſſima? Stupentibus autem ſuis, & interrogantibus quid fuerit tale prodigium, nihil eis reſpondit. Surgens autem de feretro, nihil'q; mali ſentiens de incommodo, quo laborauerat, triduo abſq; cibi, ac poculi perſtitit alimẽto. Die autem tertio conuocatis monachis, & matre, ait: Audite, ò dilectiſſimi, & intelligite, quia nihil eſt, quod cernitis in hoc mundo, ſed iuxta id quod Salomon Propheta cecinit, Omnia vanitas. Fœlix verò eſt ille, qui ea agere poteſt in ſeculo, vt gloriam Dei cernere mereatur in cœlo. Et cùm hæc diceret, dubitare cœpit, vtrum loqueretur amplius, an ſileret. Quo tacente, coactus fratrũ precibus, vt quid vidiſſet exponeret, ait:

a Corpus defuncti aqua abluunt, veſtimentis induunt, & feretro ſuperponunt.

Cùm me ante hos quatuor dies contremiſcente cellula exanimem vidiſtis, apprehenſus à duobus Angelis in cœlorum excelſa ſublatus ſum, ita vt non ſolùm hoc ſqualidum ſeculum, verumetiam nubes, lunam, ſolem, & ſidera ſub pedibus habere putarem. Deinde per portam luce iſta clariorem, introductus ſum in illud habitaculum, in quo omne pauimentum erat, quaſi aurum, argentum'q; tenitens, lux ineffabilis, amplitudo inenarrabilis, quam ita multitudo promiſcui ſexus obtexerat, vt longitudo, ac latitudo cateruæ prorſus peruideri non poſſet. Cùmq; nobis via inter comprimentes ab his, qui præcedebant, Angelis pararetur, peruenimus ad locum, quem iam de longinquo contemplabamur, ei'q; ſuperpendebat nubes omni luce lucidior, in qua non ſol, non luna, non aſtrũ cerni poterat, ſed ſuper his omnibus qddã naturali luce ſplẽdidius effulgebat. Et vox procedebat de nube, quaſi vox aquarum multarum. Ibi etiam me peccatorem humiliter ſalutabant viri in veſte ſacerdotali, ac ſeculari, cos'q; mihi qui præcedebant, enarrauerunt eſſe martyres, ac confeſſores, quos hîc ſummo excolimus famulatu.

Stans igitur in loco, in quo iuſſus ſum, operuit me odor nimiæ ſuauitatis, ita vt ab hac ſuauitate refectus nullum adhuc cibũm, pôtum'q; deſiderem. Et audiui vocem dicentem: Reuertatur hic in ſeculum, quoniam neceſſarius eſt Eccleſijs noſtris. Vox autem ſolùm audiebatur; nam qui loqueretur, penitus cerni non poterat. Et ego proſtratus ſuper pauimentum, cùm fletu dicebam: He heu, Domine, cur mihi hæc oſtendiſti, ſi ab his fruſtrandus eram? Ecce hodie eijcis me à facie tua, vt reuertar ad ſeculum fragile, & huc vltra redire non valeam. Ne quæſo, Domine, auferas miſericordiam tuam à me, ſed deprecor vt permittas me hîc habitare, ne illuc decidens peream. Et ait vox, quæ loquebatur mihi: Vade in pace, ego enim ſum cuſtos tuus, donec reducam te in hunc locum. Tunc relictus à comitibus meis, deſcendens cum fletu per portam, qua ingreſſus fueram, huc ſum regreſſus.

Hæc eo loquente, ſtupentibus cunctis qui aderant, cœpit iterum ſanctus Dei cum lachrymis dicere: Væ mihi, quia tale myſterium auſus ſum reuelare. Ecce enim odor ſuauitatis, quam de loco ſancto hauſeram, & in quo per hoc triduum ſine vllo cibo, potu'q; ſuſtentatus ſum, receſſit à me. Sed & lingua mea grauibus, eſt operta vulneribus, & ita tumefacta, vt omne os meũ videatur implere. Et ſcio quia nõ fuit beneplacitũ Dño Deo meo, vt hæc arcana vulgarẽtur. Sed tu noſti,

Domine,quia in ſimplicitate cordis hæc feci,non in iactantia mentis.Sed quæſo indulgeas,& non me derelinquas iuxta pollicitationem tuam. Et hæc dicẽs ſiluit, & accepit cibum,ac potum.

Ego verò hæc ſcribens,vereor ne alicui legẽti ſint incredibilia,iuxta id, quod Saluſtius hiſtoriã ſcribens ait,vbi de virtute,atq; gloria bonorũ tractat:Quæ ſibi qſq; facilia factu putat,æquo animo accipit,ſupra ea veluti ficta pro falſis ducit. Nam teſtor Deum omnipotentem,quia ab ipſius ore omnia,quæ retuli, audita cognoui. Poſt multum verò tempus ipſe vir beatus cellula ſua extractus, ad Epiſcopatum electus,& inuitus eſt ordinatus. In quo,vt opinor,decimum annum cùm ageret,inualeſcente apud Albigenſem vrbem inguinario morbo, & maxima iam parte de populo illo defuncta,cùm iam pauci de ciuibus remanerent,vir beatus,tanquã bonus paſtor nunquã ab illo recedere voluit,ſed ſemper hortabatur eos, qui relicti erant, orationi 3 incumbere,ac vigilijs inſtanter inſiſtere,& bona ſemper tam in operibus, quàm in cogitatione verſare, dicens: Hæc agite, vt ſi vos Deus de hoc mũdo migrare voluerit,non in iudicium,ſed in requiem introire poſſitis.

3 O' sãcta boni paſtoris doctrina. Hortabatur populũ ad orationes, & vigilias, necnõ ſemp ad uerſanda bona tã in operibus, quàm in cogitatione.

Cùm autem,vt credo,iam reuelante Domino,tempus ſuæ vocationis agnoſceret, ipſe ſibi ſarcophagum compoſuit,corpus abluit,veſtem induit, & ſic intentum ſemper cœlo beatum ſpiritum exhalauit. Fuit autem magnæ ſanctitatis,minimæq; cupiditatis,aurum nunquam habere volens. Quod ſi fortè coactus accepiſſet,protinus pauperibus erogabat. Huius tempore cùm Mummolus patricius multos captiuos ab ea vrbe duxiſſet, proſecutus ille, omnes redemit. Tantamq; ei Dominus gratiam cùm populo illo tribuit,vt ipſi etiam, qui captiuos duxerant,& de pretio ei concederent,& iniquum minuerent. Sicq; patriæ ſuæ captiuos libertati priſtinæ reſtaurauit. Multa alia de hoc viro bona audiui, ſed dũ ad hiſtoriæ cœptum reuerti cupio,plurima prætermitto.

DE RELIQVIIS SANCTI SERGII MARTYRIS.

CAP. XXXI.

ERAT tunc temporis Gundoualdus in vrbe Burdegalenſi, à Bertrãno Epiſcopo valde dilectus. Inquirenti autem quæ ei auxilium præbere poſſent,narrauit quidam,quòd aliquis in partibus Orientis Rex, ablato ſancti Sergij martyris pollice,in dextero brachio corporis ſui ſeruaſſet. Cùmq; ei neceſſitas ad debellandum inimicos obueniſſet,in hoc cenſiſus auxilio,vbi lacerti dexteri erexiſſet vlnam,protinus multitudo hoſtium,quaſi martyris oppreſſa virtute,labebatur in fugam.

1 Nota miram virtutem reliquiarum ſancti martyris Sergij.

Hæc audiens Gundoualdus,inquirere diligentiùs cœpit,quiſnam eſſet in eo loco,qui reliquias ſancti Sergij martyris meruiſſet accipere. Interea proditur ab Epiſcopo Bertranno Eufronius negociator per inimicitiam, quia inuitum aliquando eum totonderat inhians in facultates eius. Quod ille deſpiciens, ad aliam vrbem tranſiens, cæſarie creſcente regreditur. Ait ergo Epiſcopus: Eſt hic quidam Syrus,Eufronius nomine,qui de domo ſua Eccleſiam faciens, huius ſancti reliquias collocau't. Et plurima ex his ſigna,virtute martyris opitulante,conſpexit.Nam 2 cùm tempore quodam Burdegalenſis ciuitas maximo

2 Vide & aliud miraculum.

flagraret incendio, hæc domus circundata flammis, nullatenus eſt aduſta. Iſta eo dicente, ſtatim Mummolus patricius curſu rapido cum Epiſcopo Bertranno ad domum Syri accedit, vallatoq́; homine pignora ſibi ſancta præcepit oſtendi. Negat ille tamen, cogitansq́; , q̃ pro malitia aliqua ei hæ pararentur inſidiæ, ait: Noli tangere ſenem, nec ſancto inferre iniuriam, ſed acceptis à me centum aureis abſcede.

Illo verò inſiſtente, vt ſanctas videret reliquias, ducentos aureos obtulit, & nec ſic obtinuit eum recedere, niſi ipſa pignora viderentur. Tunc Mummolus eleuari ad parietem ſcalam iubet, erant enim in ſublimi pariete contra altarium reconditæ in capſula, diaconumq́; ſuum ſcandere præcepit. Qui per gradus ſcandens ſcalæ, apprehendens capſam, ita tremore concuſſus eſt, vt nec viuens putaretur ad terrã poſſe reuerti. Attamen acceptã, vt diximus, capſulam, quæ de pariete pendebar, detulit. Qua perſcrutata, Mummolus os de ſancti digito reperit, quod cultro ferire non metuit. Poſito enim deſuper cultro, cum de alto percutiebat. Cùmq́; poſt multos ictus vix frangi potuiſſet, diuiſum in tres portiones, diuerſas in partes dilabitur. Credo quòd non erat acceptum Martyri, vt hæc ille contingeret. Tunc flente vehementiùs Eufronio, proſternũtur [3] omnes in orationem deprecantes vt Deus dignaretur oſtendere, quæ ab oculis fuerant humanis ablata. Poſt orationem autem repertæ ſunt particulæ, quarum vna Mummolus aſſumpta abſceſſit.

[3] Proſternuntur in orationem oẽs, & ita orantes exaudiũtur.

EX LIBRO OCTAVO HISTORIARVM D. GREGORII TVRONENSIS.

DE THEODORO EPISCOPO, ET PLAGA SVPER RATHARIVM.

CAP. XII.

CVM Rex maxima intentione Theodorum Epiſcopũ iterum perſequi conaretur, & Maſſilia iam in Childeberti Regis dominationem reuocata fuiſſet, Ratharius illuc quaſi Dux à parte Regis Childeberti dirigitur. Sed poſtpoſita actione, quæ ei à Rege iniuncta fuerat, Epiſcopum vallat, fideiuſſores requirit, & ad præſentiã Regis Gunthranni direxit, vt ſcilicet ad ſynodum, quæ Matiſcone futura erat, quaſi ab Epiſcopis damnandus adeſſet. Cùmq; hoc feciſſet, egrediente Epiſcopo à ciuitate, ſtatim res Eccleſiæ diripit. Et alia quidem ſibi vendicat, alia ſub ſigillorum munitione concludit. Verùm non defuit vltio diuina, quæ ſeruos ſuos ab ore canum rabidorũ defenſare conſueuit. Nã protinus famulos eius ſæuiſſimus inuadit morbus, exhauſtosq; febre perimit. Filius quoq; eius ab hoc incommodo defecit, quem in ſuburbano Maſſiliæ cùm grãdi gemitu ſepeliuit. Fuitq; talis domui eius plaga, vt cùm ab vrbe illa eſt digreſſus, vix ad patriam ſuam regredi poſſe putaretur. Theodorus verò Epũs à Gunthranno Rege detentus eſt. Sed nihil ei Rex nocuit. Eſt enim vir egregiæ ſanctitatis, & in oratione aſſiduus, de quo mihi Magnericus Treuirenſis hæc retulit.

Ante hos annos cùm ad præſentiam Childeberti Regis ita ſub ardua cuſtodia duceretur, vt quandocunq; ad vrbem aliquam veniſſet, neq; Epiſcopum, neq; quenquam de ciuibus videre permitteretur, cùm eſſet Treuiris, nunciatum eſt Epiſcopo hunc iam in naui poſitum clam abduci; ſurrexitq; Sacerdos triſtis, ac velociter proſecutus, reperit eum ad littus, cauſaturq; cum cuſtodibus, cur tãta eſſet impietas, vt non liceret fratri fratrem aſpicere. Quem tandem viſum oſculatus eſt, atq; indulgens aliquid veſtimenti, diſceſſit; veniensq; ad baſilicam ſancti Maximini, proſternitur 1 ſepulchro, illud Apoſtoli Iacobi retinens, Orate pro inuicem, vt ſaluemini; fuſaq; diu oratione cum lachrymis, vt fratrem dignaretur Dominus adiuuare, egreſſus eſt foras. Et ecce mulier, quam ſpiritus erroris agitabat, clamare Sacerdoti cœpit, ac dicere: O ſceleſte, & inueterate dierum, qui pro inimico noſtro Theodoro orationem fundis ad Dominum, ecce nos quotidie quærimus qualiter ab his Gallijs extrudatur, qui nos quotidianis

1 [Sa]cerdos pro[ſter]nitur ad [ſ]epulchrum ſancti Maximini, & diu ibi orat cum lachrymis.

incendijs cōburit, & tu pro eo rogare non deſinis? Satius certè tibi erat res Eccleſiæ tuæ diligenter inquirere, ne pauperibus aliquid deperiret, quàm pro hoc tam intentè depoſcere. Et aiebat: Væ nobis, qui eum non poſſumus expugnare. Et quamuis dæmonijs credi non debeat, tamen qualis eſſet Sacerdos, de quo hæc dæmon condolens declamabat, apparuit. Sed ad cœpta redeamus.

DE CONVERSIONE VVLFILAICI.

CAP. XV.

PROFECTI in itinere ad Exoſium caſtrum acceſſimus, Vulfilaicum Diaconum nacti, & ad monaſterium eius deducti, benigniſſimè ſuſcepti ſumus. Eſt enim hoc monaſterium millibus octo ab antedicto caſtro, in montis cacumine collocatum, in quo monte magnam baſilicam ædificauit, quam beati Martini, & reliquorum ſanctorum reliquijs 1 illuſtrauit. Commorantes autem petere ab eo cœpimus, vt nobis aliqua de conuerſionis ſuæ bono narraret, vel qualiter ad clericatus officium adueniſſet, quia erat genere Longobardus. Sed nolebat exponere, vanam tota intentione cupiens gloriam euitare. Quem ego terribilibus ſacris coniurans, pollicitus primò vt nulli quæ referebat expanderem, rogare cœpi, vt nihil mihi de his quæ interrogabam occuleret. Cùmque diutiſſimè reluctatus fuiſſet, victus tandem tam precibus, quàm obſecrationibus meis, hæc effatus eſt.

1 Ecce quomodo ſanctorū reliquiæ baſilicas illuſtrant.

Dum eſſem, inquit, puer, & paruulus, audito beati Martini nomine, neſciens adhuc an martyr, an confeſſor eſſet, vel quid boni in mundo geſſiſſet, vel quæ regio beatos artus tumulo meruiſſet accipere, iam in eius honorem vigilias celebrabam, ac ſi aliquid numiſmatis inter manus adueniſſet, eleemoſynam faciebā. Iamque in maiori ætate proficiens, literas diſcere ſtudui. Ex quibus prius ſcribere potui, quàm ordinem ſcriptarum literarum ſcirem. Deinde Aridio Abbati coniunctus, ab eoque edoctus, beati Martini baſilicam adij. Reuertensque ille mecum, parumper pulueris beati ſepulchri pro benedictione ſuſtulit. Quem in capſula poſitum ad collum meum appendit. Deuectis autem nobis ad monaſteriū eius Lemouicino in termino, acceptam capſulam in oratorio ſuo locauit. Factū eſt autem, vt non ſolùm totam capſam repleret puluis, verumetiam foris inter iūcturas, vbi aditum reperire potuit, ſcateret. Ex hoc mihi miraculo animus magis accenſus eſt, totam 2 ſpem meam in eius virtute defigere. Deinde territorium Treuiricæ vrbis expetij, & in quo nūc eſtis monte habitaculū, quod cernitis, proprio labore conſtruxi. Reperi autem hîc Dianæ ſimulachrum, quod populus hic incredulus quaſi Deum adorabat. Columnam etiam ſtatui, in qua cum grādi cruciatu ſine vllo motu pedum perſtabam. Itaque cùm hyemis tempus aduenſſet, ita rigore 3 glaciali vrebar, vt vngulas pedum meorum ſæpius vis frigoris excuteret, & in barbis meis aqua gelu connexa, candelarum more dependeret. Magnam enim hyemem regio illa perſæpe noſcitur ſuſtinere.

2 Hæc locutio eſt per exceſſum. Nā omnis ſpes noſtra in Deo primū & ſēper defixa eſſe debet, deinde in virtute ſāctorum.

3 Vide quātis cruciatibus ſemetipſos ſāncti affligere cōſueuerunt, vt carnis cōcupiſcētiam edomarent.

Sed cùm nos ſolicitè interrogaremus, quis ei cibus, aut potus eſſet, & qualiter ſimulachra mōtis illius ſubuertiſſet, ait: Potus, cibusque meus erat parūper panis, 4 & oleris, ac modicū aquæ. Porrò vbi ad me multitudo vicinarū ciuitatū cōfluere cœpit, prædicabam iugiter nihil eſſe Dianā, nihil ſimulachra, nihilque, quā videbatur exercere, culturā, indigna etiā eſſe ipſa, quæ inter pocula, luxuriasque profluas cantica proferebant; ſed potius Deo omnipotenti, qui cœlū fecit ac terrā, dignū eſſe ſacrificiū laudis impēdere. Orabā etiam ſæpiùs, vt ſimulachris Dūs dirutis

4 Ecce quanta viri abſtinentia. Cibus fuit panis, & olus, aqua verò potus.

dignaretur populum ab hoc errore diſcutere. Flexit Domini miſericordia mētem ruſticam, vt inclinaret aurem ſuam in verba oris mei, vt ſcilicet relictis idolis Dominum ſequeretur. Tunc conuocatis quibuſdam ex eis, ſimulachrū hoc immenſum, quod elidere propria virtute non poteram, cum eorū adiutorio poſtea metui eruere. Iam enim reliqua ſigillorum, quæ faciliora fuerant, ipſe confregeram. Conuenientibus igitur multis ad hanc Dianæ ſtatuam, miſſis funibus trahere cœperunt, ſed nihil labor eorum proficere poterat. Tunc ego ad baſilicam propero, proſtratusq́ ſolo diuinā miſericordiam cum lachrymis flagitabam, vt quia id humana induſtria euertere non valebat, virtus illud diuina deſtrueret. Egreſſus verò poſt orationem, ad operarios veni, apprehenſoq́ funε, vt primo nixu trahere cœpimus, protinus ſimulachrū ruit in terrā; q̄d confractum cum malleis ferreis in puluerem redegi. Ipſa quoq; hora cùm ad cibum capiendum veniſſem, ita omne corpus meum à vertice vſq; ad plantam pedis puſtulis malis repletum eſt, vt locus, quem vnus digitus tegeret, vacuus inueniri non poſſet. Ingreſſus autem baſilicam ſolus, denudaui me coram ſancto altario. Habebam enim ampullam oleo plenam, quam de ſancti Martini baſilica detuleram. Ex qua proprijs manibus omnes artus perunxi, moxq́; ſopori locatus ſum. Expergefactus verò circa medium noctis, cùm ad curſum reddendum ſurgerem, ita corpus totum incolume reperi, ac ſi nullum ſuper me vlcus apparuiſſet. Quæ vulnera non aliter, niſi per inuidiam inimici emiſſa cognoui. Et quia ſemper ipſe inuidet, Deum quærentibus nocere conatur. Aduenientibus autem Epiſcopis, qui me magis ad hoc cohortari debuerant, vt cœptum opus ſagaciter explicare deberem, dixerunt mihi: Non eſt æqua hæc via, quam ſequeris, nec tu ignobilis Symeoni Antiocheno, qui in columna vitam duxit, poteris comparari. Sed nec cruciatum hunc te ſuſtinere patitur loci poſitio. Deſcende potiùs, & cùm fratribus, quos congregaſti tecum, inhabita. Ad quorum verba, quia Sacerdotibus non obedire aſcribitur crimini, deſcendebam, fateor, & ambulabam cum eiſdem, ac cibum pariter capiebam. Quadam verò die prouocās me Epiſcopus longiùs ad villā, emiſit operarios cum ſcalpris, & malleis, ac ſecuribus, & eliſerunt columnam, in qua ſtare ſolitus eram. Poſtridie autem veniēs inueni omnia diſſipata, fleuiq́; vehemēter; ſed erigere nequiui, quæ deſtruxerant, ne dicerer contrarius iuſſionibus Sacerdotum. Et ex eo tempore cum fratribus, ſicut nunc habito, habitare contentus ſum.

Proſtratus ſolo orat diuinam miſericordiam cū lachrymis.

DE VIRTVTIBVS, AC MIRACVLIS QVIBVSDAM SANCTI MARTINI.

CAP. XVI.

QVEM cũ de virtutibus beati Martini,quas in eo loco operatus eſt, aliquam vt declararet expoſcerem,hæc retulit. Franci cuiuſdam nobiliſſimi in gente ſua viri filius mutus,ſurdusq; erat; qui cùm adductus fuiſſet à parentibus ad hanc baſilicam, iuſſi eum cum Diacono meo,& alijs miniſtris intra ipſum templum ſanctum in lectulo requieſcere. Et per diẽ quidem orationi vacabat,nocte autem in ipſo,vt diximus, ſtrato dormiebat. Apparuit autem mihi,miſerante Deo,in viſione beatus Martinus dicens: Eijce agnum de baſilica,quia iam ſanus factus eſt. Manè autem facto, ad me cogitantem quod eſſet hoc ſomnium,venit puer,& emittens vocem,gratias agere Deo cœpit,conuerſusq; ad me ait: Gratias ago Deo omnipotenti, qui mihi & eloquium reddidit,& auditum. Ex hoc ſanus redditus, domum redijt.

Alius verò,qui plerunq; in furtis,diuerſisq; ſceleribus commixtus,peierare cõſueuerat,cum aliquando à quibuſdam pro furto argueretur, ait: Ibo ad baſilicam beati Martini,& ſacramentis me purgãs,innocens reddar. Quo ingrediente,elapſa ſecure de manu eius, ad oſtium ruit graui cordis dolore perculſus. Confeſſusq; eſt miſer verbis proprijs,quæ venerat excuſare periurijs. Alius ſimili modo cùm de incendijs domus vicini ſui argueretur,ait: Vadam ad templum ſancti Martini,& fide data,inſons redibo ab hoc crimine. Manifeſtum autem erat hunc domum illam incendio concremaſſe. Cùm igitur ad Eccleſiam veniſſet,ille qui ſacramenta dabat, conuerſus ad eum,dixit ei: Quantum vicinorum dictat aſſertio,non eris innocens ab hoc ſcelere. Sed tamen Deus vbiq; eſt, & virtus eius ipſa eſt forinſecus,quæ habetur intrinſecus. Tamen ſi ita te vana fiducia cœpit,quòd Deus, vel ſancti eius periuria nõ vlciſcantur,ecce templum ſanctum ècontra,iura verum;ſecus enim calcare limen ſacrum non permitteris. At ille,eleuatis manibus,ait: Per omnipotentem Deum,& virtutem beati Martini Antiſtitis eius iuro,quòd hoc incendium non admiſi. Datis itaq; ſacramentis dum recederet,viſum eſt ei quaſi ab igne circundari. Et ſtatim ruens in terram,clamare cœpit,ſe à beato Antiſtite vehementer exuri. Aiebat autem miſer: Teſtor Deum, quia ego vidi ignem de cœlo cadere,qui me circundans validis vaporibus conflat. Et dum hæc diceret,ſpiritum exhalauit. Multis hæc vltio documento fuit, ne in loco 1 hoc auderent vlteriùs peierare.

Plurima quidem de his virtutibus hic Diaconus retulit, quæ ſequi longum putaui.

1 Vide in ſanctis locis nõ eſſe peierandum, nã diuina vltio ſtatim inſequitur delinquẽtes.

DE INCENDIO VRBIS PARISIACAE.

CAP. XXXIII.

EXTITIT autem in his diebus apud vrbem Pariſiacam mulier, quæ diceret incolis: Fugite ab vrbe, & ſcitote eam incendio cõcremandam. Quæ cùm à multis irrideretur, quòd hæc aut ſortium præſagio diceret, aut vana aliqua ſomniaſſet, aut certè dæmonij meridiani hæc inſtinctu proferret, reſpondit illa: Nequaquam eſt ita vt dicitis. Nam in veritate loquor, quia vidi per ſomnium à baſilica ſancti Vincentij venientem virum illuminatum, tenentem manu cereum, & domus negociantium ex ordine ſuccendẽtem. Deniq; poſt tertiam noctem quòd hæc mulier eſt effata, inchoante crepuſculo, quidam è ciuibus accenſo lumine in promptuarium eſt ingreſſus. Aſſumptis'q; ab eo quæ neceſſaria erant, abſceſſit, lumine ſecus cupellam olei derelicto. Erat autem domus hæc prima ſecus portam, quæ ad meridiem pãdit egreſſum. Ex quo lumine apprehenſa domus, incendio concrematur: de qua & aliæ apprehendi cœperunt. Tunc irruente igne ſuper vinctos carceris, apparuit eis beatus Germanus, & comminuens trabem, atq; cathenas, quibus vincti tenebantur, reſerato carceris oſtio, vinctos abire permiſit incolumes. Illi verò egreſſi, ſe ad baſilicam ſancti Vincentij, in qua ſepulchrum habetur ſancti Antiſtitis, contulerunt.

> Tu qui dicis ſanctos eſſe emortuos, vide num hoc opus ſit hominis mortui an potius cũ Dño in magna virtute viuentis, & regnantis.

Igitur cùm per totam ciuitatem huc atq; illuc flante vento flamma ferretur, totis'q; viribus regnaret incendium, appropinquare ad aliam portam cœpit, in qua beati Martini oratorium habebatur, quod ob hoc aliquando factum fuerat quòd ibi lepram maculoſi hominis oſculo depuliſſet. Vir autem, qui ipſum intextis virgultis in ſublime conſtruxerat, confidens in Domino, nec de beati Martini virtute diffiſus, ſe res'q; ſuas intra eius parietes ambiuit, dicens: Credo certè, & fides mea eſt, q̃ ſãctus repellat ab hoc loco incẽdiũ qui ſæpiùs incẽdijs imperauit, & in hoc loco leproſi hominis cutem oſculo medente purgauit. Appropinquante autem illuc incendio, ferebantur validi globi flãmarum, qui percutientes parietem oratorij protinus tepeſcebant. Clamabat autem populus viro, & mulieri: Fugite, miſeri, vt euadere poſſitis. Ecce iam ignium pondus ſuper vos irruit, ecce fauillæ incendij cum carbonibus, tanquam validus imber ad vos vſq; diſtenditur. Egredimini ab oratorio, ne eum eodẽ incendio concrememini. At illi orationem fundentes, nequaquam ab his vocibus mouebantur. Sed nec mulier ſe vnquam à feneſtra, per quam interdum flammæ ingrediebantur, amouit, quæ erat ſpe firmiſſima de virtute beati Antiſtitis præmunita. Tanta'q; fuit virtus beati Pontificis, vt non ſolùm hoc oratorium cum alumni proprij domo ſaluaret, verumetiam nec alijs domibus, quæ in circuitu erant, nocere flammis dominantibus permiſerit. Ibi autem ceſſauit incendium, quod ab vna parte pontis cœperat deſæuire. Ab alia verò parte tam validè cuncta conflagrauit, vt amnis finem imponeret.

DE TENTATIONE RECLVSORVM.

CAP. XXXIIII.

ET quia princeps tenebrarum mille habet artes nocendi, quod de recluſis Deo deuotis nuper geſtum fuerit pandam. Vennocus brito Presbyterij honore prædìtus, cuius in alio libro meminimus, tanta ſe abſtinentia dedicauit, vt indumento de pellibus ſolùm vteretur, & cibũ de herbis agreſtibus incoctis ſumeret, vini verò tantùm vas ad os poneret, ita vt magis putaretur libare oſculo, quàm haurire. Sed cùm eidem deuotorum largitas frequenter exhiberet vaſa hoc plena liquore, didicit (quod peius eſt) extra modum haurire, & intantum diſſolui potione, vt plerunq; ebrius eſſet. Vnde factum eſt, vt inualeſcente temulentia, tempore procedente à dæmonio correptus, per energiã vexaretur, intantum vt accepto cultro, vel quocunq; genere teli, ſiue lapidem, vel fuſtem potuiſſet arripere, poſt homines inſano furore diſcurreret. Neceſſitas igitur exegit, vt cathenis vinctus cuſtodiretur in cellula. In hac verò damnatione per duorum annorum ſpatia debacchans, ſpiritum exhalauit.

Alius quoq; Anatholius Burdegalenſis, puer, vt ferunt, annorum xij, cùm eſſet famulus cuiuſdam negociatoris, petijt ſibi ad recluſionem licentiam tribui. Sed reſiſtens diu dominus, putans eum implere non poſſe in hac ætate, quod nitebatur appetere, tandem victus precibus famuli, facultatem tribuit, vt id, quod flagitabat, impleret. Erat autem ibi crypta ab antiquis transuoluto, eleganti'q; opere expoſita, in cuius angulo erat cellula parua de quadratis lapidibus clauſa, in quam vix vnus ſtans homo recipi poſſet. In hanc cellulam puer ingreditur, in qua per octo, aut eo ampliùs annos commoratus, tenui cibo, potu'q; contẽtus, vigilijs, orationibus'q; vacabat. Poſt hæc pauorem validum perpeſſus, clamare cœpit, intrinſecus ſe torqueri. Vnde factum eſt, vt adiuuante eũ (credo) diabolicæ partis militia, amotis quadris, quibus concluſus tenebatur, eliderct parietem, in terram collidens palmas, & clamans, ſe à ſanctis Dei peruri. Cùm'q; diutiſſimè in hac inſania teneretur, & ſancti Martini crebriùs confiteretur nomen, ac diceret, ſe potiùs ab eo, quàm à ſanctis alijs cruciari, Turonos adducitur. Sed malignus ſpiritus, credo ob virtutem, atq; magnitudinem ſancti compreſſus, nequaquam hominem vexauit. Itaq; in loco ipſo vnius anni curriculo tranſacto, cùm nihil mali pateretur, reuerſus eſt. Sed rurſus ea, quibus caruerat, incurrit.

EX LIBRO NONO HISTORIARVM DIVI GREGORII TVRONENSIS.

DE CONVERSIONE RICHAREDI REGIS.

CAP. XV.

IGITVR eo tempore in Hiſpania Richaredus Rex compunctus miſeratione diuina, conuocatis Epiſcopis religionis ſuæ ait: Cur inter vos, & Sacerdotes illos, qui ſe Catholicos dicunt, ingiter ſcandalum propagatur, & cùm illi per fidem ſuam ſigna multa oſtendant, vos nihil tale agere poteſtis? Qua de re conuenite, quæſo, ſimul, & diſcuſſis vtriuſq; partis credulitatibus, quæ vera ſunt cognoſcamus, & tunc aut accepta illi à vobis ratione, ea credant quæ dicitis, aut certè vos ab illis veritatem agnoſcentes, quæ prædicauerint, credite. Quod cùm factum fuiſſet, congregatis vtriuſq; partis Epiſcopis, propoſuerunt hæretici illa, quæ ſæpiùs ab ipſis dicta iam ſcripſimus. Similiter reſponderunt Epiſcopi noſtræ religionis ea, cū quibus hæreticorum partem plerunq; victam libris ſuperioribus demonſtrauimus. Cùm ergo Rex diceret, quòd nullum ſignum ſanitatis ſuper infirmos ab hæreticorum oſtenderetur Epiſcopis, ac in memoria replicaret, qualiter tempore genitoris ſui Epiſcopus, qui ſe iactabat per fidem non rectā cæcis reſtituere lumē, tacto homine, & cæcitati perpetuæ damnato, diſceſſiſſet cō fuſus (quod in libro miraculorum pleniùs declarauimus) vocauit ad ſe ſeorſum Sacerdotes Dei, quibus perſcrutaris, cognouit vnum Deum ſub diſtinctione coli perſonarum trium, id eſt Patris & Filij & Spiritus ſancti, nec minorem Filium Patre Spirituq; ſancto, neq; Spiritum ſanctum minorem Patre vel Filio, ſed in vna æqualitate, atq; omnipotentia hanc Trinitatem verum Deum fateri. Tunc intelligens veritatem Richaredus, poſtpoſita altercatione, ſe catholicæ legi ſubdidit, & accepto ſignaculo 1 beatæ Crucis cùm chriſmatis vnctione, credidit Ieſum Chriſtum Filium Dei æqualem Patri cùm Spiritu ſancto regnantem in ſecula ſeculorum. Amen.

1 Cū Rex prius Arrianus eſſet, ſuſcepiſſe innuit ſacrū baptiſma Chriſtiano ritu, in quo mos ſemper fuit verticem ſancto Chriſmate inungi.

Deinde nuncios mittit ad prouinciam Narbonenſem, vt illis narrantibus ea, quæ ille geſſerat, ſimili credulitate populus ille conuerteretur. Erat autem tunc temporis Arrianæ ſectæ Epiſcopus Athalogus, qui ita per poſitiones vanas, ac interpretationes falſas ſcripturarū, Eccleſias Dei conturbabat, vt putaretur quòd ipſe eſſet Arrius, quem proieciſſe in ſeceſſum exta hiſtoriographus narrauit Euſebius. Sed cùm hæc populus vrbis ſuæ credere nollet, & ad conſentiendum ei paucorum faueret adulatio, commotus felle, ac in cellulam ſuam ingreſſus, inclinato ſuper lectulum capite, nequam ſpiritum exhalauit. Sicq; hæreticorum populus in ipſa conſiſtens prouincia, inſeparabilem Trinitatem confeſſus ab errore diſceſſit.

EX LIBRO DECIMO HISTORIARVM D. GREGORII TVRONENSIS.

DE INVNDATIONE TYBERIS, ET DE BEATO GREGORIO PAPA.

CAP. I.

ANNO igitur quintodecimo Childeberti, Diaconus noſter ab vrbe Roma cũ ſanctorũ pignoribus veniens retulit, quod anno ſuperiore, menſe nono, tanta inundatione Tyberis fluuius vrbem Romam obtexerit, vt ædes antiquæ diruerentur. Horrea etiam Eccleſiæ ſubuerſa ſunt, in quibus nonnulla millia modiorum tritici periere. Multitudo quoq; ſerpentium cum magno dracone in modũ trabis validæ, per huius fluuij alueum in mare deſcendit. Sed ſuffocatæ beſtiæ inter ſalſos maris & turbidos fluctus, littori eiectæ ſunt. Subſecuta'q; eſt è veſtigio clades, quam inguinariam vocant. Nam medio menſe xi adueniens, primum omnium, iuxta illud, quod in Ezechiele Propheta legitur: A ſanctuario meo incipite: Pelagium Papam perculit. Quo defuncto, magna ſtrages populi hoc morbo facta eſt. Sed quia 1 Eccleſia Dei abſq; rectore eſſe non poterat, Gregorium Diaconum plebs omnis elegit.

1 Vide Papam rectorem eſſe Eccleſiæ Dei.

Hic enim de Senatoribus primus, ab adoleſcentia deuotus Deo, in poſſeſſionibus proprijs ſex in Sicilia monaſteria congregauit, Septimum intra vrbis Romæ muros inſtituit, tantam illis delegans terrarum copiam, quanta ad victum quotidianum præbendum ſufficeret. Reliqua vendidit cum omni præſidio domus, ac pauperibus erogauit. Et qui ante ſerico contextu, ac gemmis micantibus ſolitus erat per vrbẽ procedere trabeatus, nunc tenui contectus veſtitu, ad altaris Dominici miniſterium conſecratur, ſeptimus'q; Leuita ad adiutorium Papæ aſciſcitur. Tanta inſuper ei abſtinentia 2 in cibis, vigilantia in orationibus, ſtrenuitas in ieiunijs erat, vt infirmato ſtomacho vix conſiſtere poſſet. Literis grammaticis, dialecticisq́;, ac rhetoricis ita eſt inſtitutus, vt nulli in vrbe ipſa putaretur eſſe ſecundus.

2 Ecce abſtinẽtia, oratiões, & ieiunia magni Pontificis Gregorij.

Hunc apicem attentiùs fugere tentans, ne quod prius abiecerat, rurſum accipiendo, de adepto honore iactantia quædam ſubreperet, epiſtolam ad Imperatorem Mauritium dirigit, cuius filium ex lauachro ſancto ſuſceperat, conteſtãs eum, & multa prece depoſcens, ne vnquam conſenſum præberet populis, vt ſe huius honoris gloria ſublimarent. Sed Præfectus vrbis Romæ germanus eius, anticipauit nuncium, & comprehenſo eo, ac diſruptis Epiſtolis, conſenſum, quẽ populus præbuerat, Imperatori direxit. At ille gratias Deo agens pro amicitia ipſius Diaconi, quòd tanti honoris locum repeririſſet, facta præceptione ipſum iuſſit inſtitui. Cùmq́; in hoc eſſet vt benediceretur, & lues populum deuaſtaret, verbum ad plebem pro agenda pœnitentia in hunc modum exorſus eſt.

ORATIO BEATI GREGORII PAPAE AD PLEBEM.

CAP. II.

OPortet, fratres dilectiſſimi, vt flagella Dei, quæ metuere ventura debuimus, ſaltem præſentia, & experta timeamus. Conuerſionis nobis aditum dolor aperiat, & cordis noſtri duritiam ipſa, quam patimur, pœna diſſoluat. Vt enim Propheta teſte prædictũ eſt, Peruenit gladius vſq; ad animam. Ecce etenim cuncta plebs cœleſtis iræ mucrone percutitur, & repentina ſinguli cęde vaſtantur, nec languor mortem præuenit, ſed languoris moras, vt cernitis, mors præcurrit. Percuſſus quiſq; ante rapitur, quàm ad lamenta pœnitentiæ conuertatur. Penſate ergo qualis ad conſpectum diſtricti iudicis peruenit, cui non vacat flere quod fecit. Habitatores quiq; non ex parte ſubtrahuntur, ſed pariter corruunt; domus vacuæ relinquuntur, filiorum funera parentes aſpiciunt, & ſui eos ad interitum hæredes præcedunt. Vnusquiſq; ergo noſtrum ad pœnitentiæ lamenta confugiat, dum flere ante percuſſionem vacat. Reuocemus ante oculos mentis quicquid errando commiſimus, & quod nequiter egimus, flendo puniamus. Et præueniamus faciẽ eius in confeſſione, & ſicut Propheta admonet, leuemus corda noſtra cũ manibus ad Deũ. Ad Deũ quippe corda cũ manibus leuare eſt, orationis noſtræ ſtudiũ cum merito bonæ operationis erigere. Dat profectò, dat tremori noſtro fiduciam qui per Prophetam clamat: Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat. Nullus autem de iniquitatum ſuarum immanitate deſperet; veternoſas nanq; Niniuitarum culpas triduana pœnitentia abſterſit, & conuerſus latro vitæ præmia etiam in ipſa ſententia ſuæ mortis emeruit. Mutemus igitur corda, & ꝓſumamus nos iã percepiſſe quod petimus. Citius ad precẽ iudex flectitur, ſi à prauitate ſua petitor corrigatur. Imminẽte ergo tantæ animaduerſionis gladio, nos importunis fletibus inſiſtamus. Ea nãq; q̃ ingrata eſſe hominibus importunitas ſolet, iudicio veritatis placet, quia pius, & miſericors Deus vult à ſe precibus veniã exigi, qui quãtum meremur nõ vult iraſci. Hic etenim per Pſalmiſtã dicit: Inuoca me in die tribulationis tuæ, eripiã te, & magnificabis me. Ipſe ergo ſibi teſtis eſt, quia inuocãtibus miſereri deſiderat, qui admonet, vt inuocetur. Proinde, fratres chariſſimi, cõtrito corde, & correctis operibus, ab ipſo feriæ quartæ primo diluculo, ſeptiformem letaniam [3] iuxta diſtributionem inferiùs deſignatam, deuota ad lachrymas mente veniamus, vt diſtrictus iudex cùm culpas noſtras nos punire conſiderauerit, ipſe à ſententia propoſitæ damnationis parcat. Clerus igitur egrediatur ab Eccleſia ſanctorum martyrum Coſmæ, & Damiani cum Presbyteris regionis ſextæ. Omnes verò Abbates cum monachis ſuis, ab Eccleſia ſanctorum Martyrum Geraſij & Prothaſij cum Presbyteris regionis quartæ. Omnes Abbatiſſæ cum congregationibus ſuis, egrediantur ab Eccleſia ſanctorum Martyrum Marcellini & Petri cum Presbyteris regionis primæ. Omnes infantes ab Eccleſia ſanctorum martyrum Ioannis & Pauli cum Presbyteris regionis ſecundæ. Omnes verò laici ab Eccleſia Protomártyris Stephani cum Presbyteris regionis ſeptimæ. Omnes mulieres viduæ ab Eccleſia ſanctæ Euphemiæ cũ Presbyteris regionis quintæ. Omnes autem mulieres coniugatæ egrediantur ab Eccleſia ſancti martyris Clementis cum Præsbyteris regionis tertiæ. Vt de ſingulis Eccleſijs exeuntes cum precibus, & lachrymis, ad beatæ Mariæ ſemper

[3] Vide antiquiſſimum vſum litaniarum.

virginis genitricis Domini noſtri Ieſu Chriſti baſilicam congregentur, vt ibi diutius cum fletu, ac gemitu Dominum ſupplicantes, peccatorum noſtrorum veniam promereri valeamus.

Hæc cùm dixiſſet, congregatis clericorum cateruis pſallere iuſſit per triduũ, ac deprecari Domini miſericordiam. Hora igitur tertia veniebant omnes chori pſallentium ad Eccleſiam, clamantes per plateas vrbis Kyrieeleiſon. Aſſerebat autem Diaconus noſter, qui aderat, in vnius horæ ſpatio, dum voces plebs ad Dominum ſupplicationis emiſit, octoginta homines ad terrã corruiſſe, & ſpiritum exhalaſſe. Sed non deſtitit Sacerdos tantus prædicare populo, ne ab oratione ceſſarent. Ab hoc etiam Diaconus noſter reliquias ſanctorum, vt diximus, ſumpſit, dum adhuc in Diaconatu degeret. Qui cùm poſt electionẽ latibula fugæ præpararet, capitur, trahitur, & ad beati Apoſtoli Petri baſilicam deducitur, ibiq; ad Pontificalis gratiæ officium conſecratus, Papa Vrbi datus eſt. Sed noluit Diaconus noſter niſi poſt Epiſcopatum eius confirmatum redire, & niſi prius qualiter ordinatus eſſet, præſenti contemplatione ſuſpiceret.

CONTRA SADVCAEORVM SECTATORES RESVRRECTIONEM NEGANTES. CAP. XIII.

HIS autem diebus extitit quidam de Presbyteris noſtris Saducææ malignitatis infectus veneno, dicens non eſſe futuram reſurrectionem. Cumq; nos eam ſacris literis prædicatam, & Apoſtolicæ traditionis auctoritate monſtratam affirmaremus, reſpondit: Manifeſtum eſt hoc celebre ferri, ſed certi non ſumus, vtrum ſint mortui reſurrecturi, an non, præſertim cùm Dominus iratus primo homini, quem manu ſacra plaſmauerat, dixerit: In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Quid ad hæc reſpondebitis, qui reſurrectionem futuram prædicatis, cùm in puluerem redactum hominem reſurgere vlteriùs diuinitas non permittat?

Cui ego: Quid de hac cauſa vel ipſius Domini & Redemptoris noſtri, vel patrum prædeceſſorum verba loquantur, nullum catholicorum neſcire reor. Nam in Geneſi cùm patres obirent, aiebat dominus: Tu autem congregaberis ad populum tuum, ſepultus in ſenectute bona. Et ad Cain dicitur: Quia vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Vnde liquidò apparet viuere animas poſt egreſſum corporis, atq; reſurrectionem futuram intentis virtutibus præſtolari. Sed & de Iob ſcriptum eſt, quia reſurrecturus eſt in reſurrectione mortuorum. Et Propheta Dauid licet ex perſona Domini, tamen reſurrectionem præuidens, ait: Nũquid qui dormit, nõ adijciet, vt reſurgat? Hoc eſt, Qui mortis ſomno opprimitur, non eſt venturus ad reſurrectionem? Et Eſaias quòd de ſepulchris reſurrecturi ſunt mortui, docet. Sed & Ezechiel Propheta cùm oſſa arida obtecta cute, ac neruis ſolidata, venis refecta, flante ſpiritu animata, & reformatum hominem enarraret, manifeſtiſſimè reſurrectionem futuram edocuit. Sed & illud manifeſtum fuit reſurrectionis indiciũ, quod Eliſæi oſſa tãgens extinctũ cadauer, virtutis effectu reuixit. Quod ipſius Dñi, qui eſt primogenitus mortuorum, reſurrectio manifeſtauit, qui morti mortem intulit, & de ſepulchro vitam mortuis reformauit.

Ad hæc Presbyter: Quòd Dominus in aſſumpto homine mortuus fuerit, ac

reſurrexerit, non ambigo. Illud tamen, quòd reliqui ſurgant mortui, non admitto. Cui ego: Et quæ fuit neceſſitas Filio Dei de cœlo deſcendere, carnem aſſumere, mortem adire, inferna penetrare, niſi vt hominem, quem plaſmauerat, non permitteret in morte perpetua derelinqui? Sed & iuſtorum animæ, quæ vſq; ad paſſionem eius infernali ergaſtulo tenebantur incluſæ, eo veniente laxatæ ſunt. Nam deſcendens ad inferos, dum tenebras noua luce perfudit, animas eorum ſecũ, ne illo exilio ampliùs cruciarentur, eduxit, iuxta illud: Et in ſepulchro eius reſurgent mortui. Tum Presbyter ait: Nunquid poſſunt oſſa in fauillam redacta iterum animari, & hominem viuentem proferre? Et ego: Nos credimus quia quantumlibet in puluerem redigatur homo, & aquis, vel terra venti vehementis impetu diſpergatur, nõ ſit difficile Deo ipſum ad vitam reſuſcitare. Presbyter reſpondit: Hîc maximè vos errare puto, cùm aſſerere verbis leuibus tentatis acerrimam ſeductionem, vt dicatis à beſtijs raptum, aquis immerſum, piſciũ faucibus deuoratum, in ſtercus redactum, & per ſecretum digeſtionis eiectum, aut aquis labentibus deiectum, aut terra computreſcente abolitum, ad reſurrectionem venturum.

Tunc ego: Obliuioni apud te traditum eſt, vt opinor, quid Ioannes Euangeliſta, qui ſuper pectus Domini recubuit, ac diuini myſterij arcana rimauit, in Apocalypſi dicat. Tunc, inquit, reddidit mare mortuos ſuos. Vnde manifeſtũ eſt, quia quicquid humani corporis piſcis abſorbuit, ales rapuit, beſtia deglutiuit, à Domino coniunctum, in reſurrectione reparandum erit, quia non erit difficile ei perdita reparare, qui ex nihilo non nata creauit; ſed ita hæc in integritate ſolida, ſicut prius fuerant, reparabit, vt corpus, quod fuit in mundo, aut pœnam iuxta meritum ferat, aut gloriam. Sic enim Dominus in Euangelio ait: Quia Filius hominis veniet in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis, & tunc reddet vnicuique ſecundùm opera ſua. Sed & Martha cùm de reſurrectione fratris Lazari dubitaret, ait: Scio quia reſurget in reſurrectione in nouiſſimo die. Cui Dominus ait: Ego ſum reſurrectio, & vita.

Ad hæc Presbyter; Quomodo, ait, in pſalmo dicitur: Quia non reſurgũt impij in iudicio? Et ego reſpondi: Non reſurgunt, vt iudicent, ſed reſurgunt vt iudicentur. Nec enim ſedere cum impijs iudex poteſt cauſas ſuorum inquiſiturus actuum. Et ille, Dominus, inquit, in Euangelio dixit: Qui non crediderit, iã iudicatus eſt, vtiq; quia peribit reſurrectioni. Et ego reſpondi: Iudicatus eſt quidem, vt ad ſupplicium æternum perueniat, quia non crediderit vnigenitum Filium Dei, tamen reſurrecturus eſt in corpore, vt ipſum ſupplicium, in quo peccauit, corpore patiatur. Nec enim poteſt iudicium fieri, niſi prius reſurgant mortui, quia ſicut illos, qui defuncti ſunt ſancti, 1 cœlum, vt credimus, retinet, de quorum ſepulchris ſæpiùs virtus illa procedit, vt de his cæci illuminentur, clau di greſſum recipiant, leproſi mundentur, & alia ſanitatum beneficia infirmis petentibus tribuantur, ita credimus & peccatores in illo infernali carcere vſq; ad iudicium retineri.

1 Sicut ſancto rũ animæ vſq; ad diẽ reſurrectionis ſeruantur in cœlo, ſic & peccatorum retinentur in inferno.

Et Presbyter ait: In pſalmo legimus, Spiritus pertranſijt ab homine, & non erit, & non cognoſcet ampliùs locum ſuum. Ego autem dixi: Hoc eſt, quod ipſe Dominus per parabolam ad diuitem, qui flammis tartareis cruciabatur, dicebat: Recepiſti tu bona in vita tua, ſimiliter & Lazarus mala. Non autẽ cognouit diues ille purpuras ſuas, & byſſum, nec delicias conuiuij, quas ei vel aër, vel terra, vel mare protulerat, ſicut nec Lazarus vulnera putredinis, quæ iacẽs ante ianuam ſemper ferebat, cùm hic in ſinu Abrahæ requieſceret, ille autẽ cruciaret̃ in flãmis. Presbyter dixit: In alio pſalmo legimus: Quia exijt ſpiritus eorũ, & reuertetur in terrã ſuã, in illa die peribũt oẽs cogitationes eorũ. Ad hæc ego: Benè ais, qa cũ egreſſus fuerit ab hoĩe ſpiritus, et iacuerit corpus mortuũ, non

non cogitat de his, quæ in mundo reliquit, ac ſi verbi cauſa dicas: Non cogitat ædificare, plantare, agrum excolere, non cogitat congregare aurum, argentum vel reliquas diuitias mundi. Periſt enim hæc cogitatio à corpore mortuo, quia non eſt ſpiritus in eo.

Sed quid tu de reſurrectione dubitas, quam Paulus Apoſtolus, in quo, vt ipſe ait, Chriſtus loquebatur, euidenter exprimit dicens: Conſepulti enim ſumus Chriſto per baptiſmum in mortem, vt ſicut ille mortuus eſt, & reſurrexit, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Et iterum: Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. Canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur. Et iterum: Stella autem differt à ſtella in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum. Item illic: Seminatur in corruptione, ſurgit in incorruptione, & reliqua. Item illic: Omnes nos repræſentari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq; propria corporis ſui prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. Ad Theſſalonicenſes autem euidentiſſimè reſurrectionem deſignat, dicens: Nolo vos ignorare de dormientibus, vt non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent. Si enim credimus, quod Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit, ita & Deus eos, qui dormierunt per Ieſum, adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui viuimus, qui reſidui ſumus, in aduentu Domini nõ præueniemus eos, qui dormierunt. Quoniam ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcender, & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgẽt primi. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aëra, & ſic cum Domino erimus. Itaq; conſolamini inuicem in verbis iſtis. Plurima enim ſunt de his teſtimonia, quæ hanc cauſam affirmant.

Sed ignoro quid tu ambigas de reſurrectione, quam ſancti expectant pro merito, quam peccatores metuunt pro reatu. Hanc enim reſurrectionem & illa, quæ cernimus, elementa demonſtrant, ideſt dum arbores in æſtate folijs tectæ, hyeme veniente nudantur, ſuccedente autem verno tempore, quaſi reſurgentes in illud quod prius fuerant, foliorum tegmine veſtiuntur. Hæc oſtendunt & illa, quæ iaciuntur ſemina terris, quæ commendata ſulcis ſi fuerint mortua, cum multiplici fructu reſurgunt. Sicut ait Paulus Apoſtolus: Stulte tu, quod ſeminas, non viuificatur, niſi prius moriatur. Quæ omnia ad fidem reſurrectionis mundo manifeſtata ſunt. Si enim reſurrectio futura non eſt, quid proderit iuſtis bene agere, quid nocebit peccatoribus malè? Decidant ergo cuncti in voluptatibus ſuis, & faciat vnuſquiſq; quæ placuerit, ſi iudicium futurum non erit. Vel illud, improbe, non formidas, quod ipſe Dominus beatis Apoſtolis ait? Cùm venerit, inquit, Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eós ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat agnos ab hœdis. Et ſtatuet oues quidem ad dexteram, hœdos autem ad ſiniſtram. Et illis dicet: Venite, benedicti, percipite regnum: his autem: Diſcedite à me, operarij iniquitatis. Atq; vt ipſa ſcriptura docet, ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam. Putas'ne erit reſurrectio mortuorum, aut iudicium operum, quam oſtendit Dominus? Reſpondeat ergo nobis Paulus Apoſtolus, ſicut & alijs incredulis, dicens: Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt & fides noſtra. Ad hæc contriſtatus Presbyter, à conſpectu noſtro diſcedens, pollicitus eſt credere in reſurrectionem iuxta ſeriem ſcripturarum ſanctarũ, quas ſupra memorauimus.

EX LIBRO X. HISTORIARVM

DE MIRACVLOSA EVERSIONE MEDIETATIS ANTIOCHIAE.

CAP. XXIII.

ANNO xvi Childeberti, Gunthranni autem xxx regum, quidam Epiſcopus de tranſmarinis partibus ad Turonicam vrbem aduenit, nomine Simon. Hic nobis euerſionem Antiochiæ vrbis enunciauit, aſſerens ſe de Armenia in Perſidē captiuatum fuiſſe. Rex enim Perſarum irrupto Armeniorum termino, prædas egit, Eccleſiasq; igni ſuccendit, & hunc Sacerdotem cum populo ſuo captiuum abduxit. Tunc etiam & baſilicam ſanctorum xl martyrum, qui in illa regione paſſi ſunt, oppleta ligni congerie, pice, tergoribusq; ſuillinis immixtis, ac ſuppoſitis ardentibus titionibus, ſuccendere niſi ſunt, ſed nequaquam ignis apparatum incendij comprehendit; ſicq; videntes magnalia Dei, receſſerunt ab ea. Audita autem Epiſcopus quidam iſtius memorati Sacerdotis abductione, direxit pretium per homines ſuos ad Regem Perſarum. Quo ille ſuſcepto, relaxauit à ſeruitutis vinculo Epiſcopum iſtum. Ex ijs ergo diſcedens regionibus, Gallias eſt aggreſſus, vt aliquid conſolationis à deuotis acciperet, qui nobis, vt præfati ſumus ſuperiùs, hæc retulit.

Homo erat in Antiochia valde deuotus in eleemoſynis, coniugem, ac liberos habēs, nec vnquā ei in omni vita ſua dies præterijt, poſtquam quiddam propriū habere cœpit, in quo ſine pauperibus epulum prælibaſſet. Hic vna die cùm circuiſſet vrbem vſq; ad veſperum, & reperire non potuiſſet egenum, cum quo cibum capere poſſet, egreſſus extra portam, cùm nox irrueret, reperit virum in veſte alba cum duobus alijs ſtantem, quem aſpiciens quaſi Loth ille antiqua memoratus hiſtoria, territus ait: Et forſitan peregrinus eſt dominus meus? Dignetur cum ſocijs accedere ad domum ſerui ſui, & ſumpto epulo quieſcere in ſtrato; manè autem proficiſcemini viam, quam volueritis. Cui ille, qui erat ſenior, tenens ſudarium in manu ſua, ait: Non poteris, ô homo Dei, hanc vrbem ſeruare, ne ſubuertatur. Et eleuans manum excuſſit ſudarium, quod tenebat, ſuper medietatem vrbis, & ſtatim corruerunt omnia ædificia, & quodcunq; ibi ſtructū fuit, ibiq; oppreſſi ſunt ſenes cum infantibus, viri cū mulieribus, atq; vterq; ſexus interijt. Quod ille cernens, tam de perſona viri, quàm de ſoni vehementia hebes effectus, ruit in terram, & factus eſt velut mortuus. Eleuansq; iterum vir ille manum cum ſudario quaſi ſuper aliam medietatem vrbis, apprehenſus eſt à duobus ſocijs, qui cum eo erant, atq; obſecratus terribilibus ſacramentis, vt indulgeret medietati vrbis, ne rueret. Mitigato igitur furore, ſuſtinuit manum ſuam, atq; eleuans hominem, qui corruerat in terram, ait: Vade ad domum tuam, ne timeas, filij enim tui cum vxore, & omni domo tua ſalui ſunt, nec quiſquam ex eis perijt. Cuſtodiuit enim te oratio 1 aſſidua, & eleemoſynæ, quas quotidie exerces in pauperes. His dictis, diſceſſerunt ab oculis eius, nec ei apparuerunt vltra. Ille autem reuerſus in vrbem reperit vrbis medietatem dirutam, atq; ſubuerſam cū hominibus, pecoribusq;, ex quibus nonnulli à ruinis deinceps extracti ſunt mortui. Pauci debilitati repeti ſunt viui. Veruntamen nec illa caſſa fuerunt, quæ viro huic ab ipſo, vt ita dicam, Angelo Domini ſunt enunciata. Nam veniens omnem domum ſuam incolumem reperit. Tantùm funera

1 Vide quantū poſſint apud Deū oratio, & eleemoſyna.

propinquorum, quæ in alijs domibus effecta fuerant, lamentabatur. Protexit verò eum in medio iniquorum dextera Domini cum domo ſua, ſaluatusq́; eſt à periculis mortis, velut memoratus Loth quondam in Sodomis.

DE CONVERSIONE, MIRACVLIS, AC OBITV ARE-DII ABBATIS.

CAP. XXVIII.

INTEREA fuit quidam, nomine Aredius, qui hoc anno terras relinquēs, vocāte Dño, migrauit A ad cœlum. Lemouicinæ vrbis incola fuit, nō mediocribus regionis ſuæ ortus parentibus, ſed valde ingenuis. Hic Theodoberto Regi traditus, aulicis, & palatinis adiungitur. Erat autē tunc tēporis apud vrbem Treuiricam vir eximiæ ſanctitatis Nicetius Epiſcopus, qui non ſolùm 1 in prædicatione admirabilis facundiæ, verumetiam in operibus bonis, ac mirabilibus, celeberrimus habebatur in plebe. Qui intuens puerum in Regis palatio, neſcioquid in vultu eius cernens diuinum, præcepit ei ſe ſequi. At ille, relicto Regis palatio, ſecutus eſt eum. Cùmq; ingreſſi in cellulam de ijs, quæ ad Deum pertinent, confabularentur, expetijt adoleſcens à beato Sacerdote, se corrigi, edoceri, inſtrui, ac in diuinis voluminibus ab eodem exerceri. Cūq; in huius ſtudij flagrantia cum Antiſtite memorato degeret, tonſurato iam capite, quadam die pſallentibus clericis in Eccleſia, deſcendit columba à camera, quæ leuiter volitans circa eum, reſedit ſuper caput eius, illud indicans, vt opinor, cum Spiritus ſancti gratia iam repletum. Quam cùm ille non ſine pudore conaretur abigere, hæc paululum circumuolans, iterum ſuper caput eius, aut ſcapulam reſidebat, quæ non modò ibi, ſed etiam cùm in cellulam Epiſcopi ingrederetur, iugiter comitabatur eum. Quod per dies plurimos factum non ſine admiratione Epiſcopus animaduertebat.

Exinde vir Dei, Spiritu, vt diximus, ſancto repletus, ad patriam, genitore, ac germano defunctis, regreditur, conſolaturus Pelagiam genitricem, quæ nullū conſanguineum præter hanc ſobolem ſpectabat. Vbi cùm 2 ieiunijs, atq; orationibus vacaret, deprecatur eam, vt omnis cúra domus, id eſt ſiue correctio familiæ, ſiue exercitium agrorum, ſiue cultus vinearum ad eam aſpiceret, ne ſibi aliquod accideret impedimentum, quo ab oratione ceſſaret, vnum tantùm ſibi priuilegium vendicans, vt ad Eccleſias ædificandas ipſe præeſſet. Quid plura? Conſtruxit 3 templa Dei in honorem ſanctorum, expetiuitq́; eorum pignora, ac ex familia propria tonſuratos inſtituit monachos, cœnobiumq́; fundauit, in quo non modò 4 Caſſiani, verumetiam Baſilij, & reliquorum Abbatum, qui monaſterialem vitam inſtituerunt, celebrantur regulæ, beata muliere victum, atque veſtitum ſingulis miniſtrante. Nec minus hæc tamen impedita hoc onere in Dei laudibus perſiſtebat,

A Ecce quomodo animæ sāctorū relinquentes mūdū, migrant ad cœlum.

1 Nota optimū docendi genus, nō ſolū prædicare verbo, ſed ēt bonis opibus.

2 Cùm ieiunijs & orationibus vacaret.

3 Nota, ſāctus vir tēpla Dei in honorē sāctorū ædificat, & cœnobiū fundat.

4 Nota etiā, in quo nō modò Caſſiāi, verūetiā Baſilij, & reliquorū Abbatū, qui monaſterialē vitā inſtituerunt, ſeruantur regulæ.

ſed aſſiduè in eis verſabatur,& ſi quiddam operis exerceret, ſemper orationem Domino,tanquam odorem incenſi acceptabilis,offerebat. Interea ad ſanctum Aredium cœperunt infirmi confluere,quos,manus ſingulis cum vexillo Crucis imponens,ſanitati reddebat. Quorum ſi ſingillatim nomina ſcribere velim, nec numerum percurrere valeam,nec vocabula memorare. Vnum tamen noui,quòd quicunq; ad eum æger aduenit, ſoſpes abſceſſit. De maioribus verò miraculis parua proponimus.

5 Proſtratus in orationē,diutiſſimè preces fudit ad Dominum, moxq; vndā aquæ copioſam,& perpetuam impetrauit.

Quodam tempore dum cum genitrice iter ageret,& ad ſancti Iuliani martyris baſilicam properaret,venerunt veſpere in quendam locum. Erat autem locus ille aridus,& abſq; fluentis currentibus infœcundus. Dixitq; ad eum mater eius: Fili, aquam non habemus, & qualiter hîc nocte præſenti quieſcere poſſumus? At ille proſtratus 5 in orationem,diutiſſimè preces fudit ad Dominum,& erigens ſe defixit virgam in terra, quam manu gerebat, eamq; cùm bis,aut tertio vertiſſet ad ſe,lætus extraxit,moxq; vnda aquæ ſecuta eſt tam valida,vt non ſolùm ipſis de præſenti,ſed etiam pecoribus affatim deinceps pocula miniſtraret.

6 Sanctus vir Deo gratias agit, ꝙ ante obitum ſuū beati Antiſtitis Martini ſepulchrum deoſculari ꝓmeruiſſet.

Nuperrimo autem tempore cùm iter carpere cœpiſſet, nimbus ad eum pluuiæ aduenire cœpit. Quod ille cernens,paululum ſuper equum,in quo ſedebat, caput inclinans, manus extendit ad Dominum. Conſummata verò oratione, diuiſa eſt nubes in duas partes,ac in circuitu maxima deſcendit pluuia, ſuper eum autem,ac ſocios eius,nulla ſi dici fas eſt,gutta deſcendit. Viſtrimundo verò,cognomento Tattoni, ciui Turonico dentes grauem inferebant dolorem, ex quo etiam maxilla intumuerat. Quod cùm beato viro oſtendiſſet, ille manum ſuper locum doloris poſuit; ſtatimq; dolor fugatus,nuſquam deinceps ad iniuriam hominis excitatus eſt. Hæc ipſe,qui paſſus eſt,retulit. De his verò ſignis, quæ per virtutem ſancti Iuliani martyris,Martiniq; confeſſoris beati,in eius manibus Dominus operatus eſt,pleraq; in libris miraculorum ſcripſimus.

7 Ecce quomodo ſāctus vir ſanctos Dn̄i ex teſtamēto in bonis ſuis hæredes reliquit, hoc eſt eorum Eccleſias.

Poſt has verò,& multas alias virtutes, quas Chriſto cooperante compleuit, aduenit Turonos poſt feſtiuitatem ſancti Martini,ibiq; paululum commoratus, dixit nobis,ſe aut longæuo tempore adhuc in hoc mundo retineri, aut certè velocius diſſolui. Et vale dicens abſceſſit, gratias 6 agens Deo, quòd priuſquam obiret,ſepulchrum beati Antiſtitis oſculari promeruiſſet. Cùmq; ad cellulam acceſſiſſet,teſtamento condito,ordinatiſq; omnibus, ac ſancto Martino, 7 Hilarioq; Antiſtitibus hæredibus conſtitutis,ægrotare cœpit,ac dyſenteriæ morbo grauari. Sexta verò ægrotationis eius die, mulier quæ à ſpiritu immundo ſæpius vexata,à ſancto emundari non poterat,ligatis per ſe à tergo manibus,clamare cœpit,ac dicere: Currite ciues,exilite populi,exite obuiam martyribus,confeſſoribuſq;,qui ad exceſſum beati Aredij conueniunt. Ecce adeſt Iulianus 8 à Brinate,Priuatus ex Mimate,Martinus à Turonis,Martialiſq; ab vrbe propria. Adeſt Saturninus à Toloſa,Dionyſius ab vrbe Pariſiaca,nonnulli & alij, quos cœlum retinet,quos vos vt Confeſſores,& Dei Martyres adoratis. Hæc cùm in exordio noctis clamare cœpiſſet, à domino ſuo reuincta eſt. Quæ nequaquam potuit retineri, ſed rumpens vincula,ad monaſterium cum his vocibus properare cœpit. Moxq; beatus vir ſpiritum tradidit, non ſine teſtimonio veritatis, quòd ſit ſuſceptus ab Angelis. Mulierem namq; in exequijs ſuis cum alia muliere nequiori ſpiritu vexata,vt eſt ſepulchro tectus, à nequitia infeſti dæmonis emundauit. Et credo quòd ob hoc Dei nutu eaſdem in corpore poſitus non potuit emundare,vt exequiæ illius hac virtute glorificarentur. Poſt celebratum verò funus,mulier quædam rictu paruulo ſine vocis officio ad eius acceſſit tumulum;quo oſculo delibato,elocutionis meruit recipere beneficium.

8 Vide hîc, nū ſancti Dei poſſint amor tui dici.

DE PESTILENTI ANNO, ET DE DIEI DOMINICI CELEBRATIONE.

CAP. XXIX.

HOC anno menſe ſecũdo, tam in Turonico, quàm in Nannetico, grauis populum lues attriuit, ita vt modico quilibet ægrotus capitis dolore pulſatus animam funderet. Sed factis 1 rogationibus cum grandi abſtinentia, & ieiunio, ſociatis etiam eleemoſynis, auerſo diuini furoris impetu, morbus mitigatus eſt. Apud Lemouicinam verò vrbem ob Dominici diei iniuriã, pro eo quòd in eo publicam operam 2 exercerent, pleriq; igne cœleſti conſumpti ſunt. Sanctus enim eſt hic dies, qui in principio lucem conditam primus vidit, ac Dominicæ reſurrectionis teſtis factus emicuit. Ideoq; omni fide obſeruari debet, ne fiat in eo vllum opus publicum. In Turonico etiam nonnulli ab hoc igne, ſed non die Dominico ſunt aduſti. Siccitas quoq; immẽſa fuit, quæ omne pabulum herbarum euertit. Vnde factum eſt, vt grauis morbus in pecoribus, ac iumentis inualeſcẽs, parum, vnde ſumeretur origo, relinqueret, ſicut Abacuc Propheta vaticinatus eſt. Abſcindetur de ouili pecus, & non erit armentum in præſepibus. Non modò enim in domeſticis, verumetiam in ipſis ferarum immitium generibus hæc lues graſſata eſt. Nam per ſaltus ſyluarum multitudo ceruorum, & reliquorum animantium proſtrata per inuia perijt. Segetes exiguæ, vineæ verò ſteriles fuerunt. Quercuum fructus oſtenſi effectum non obtinuerunt.

1 Vide ſacrarũ rogationum cum abſtinẽtia, ieiunio, & eleemoſynis antiquũ vsũ, & quomodo diuini furoris impetum auertunt.

2 Ecce quanta Dominicæ diei sãctitas, & quali reuerentia obſeruari debeat, quamque atrox vindicta in eos facta ſit, qui tali die operã publicã exercuerunt.

LIBER DIVI GREGORII TVRONENSIS ARCHIEPISCOPI IN GLORIAM CONFESSORVM.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS BERGOMENSIS SYNCERO LECTORI.

OCTO ſe ſcripſiſſe libros diuus Gregorius Turonenſis Archiepiſcopus in præfatione ſequentis voluminis perhibet, quorum hic extremus in gloriam Confeſſorum æditus, modò tibi legendus proponitur, cùm ſeptem alij tum in præcedentibus noſtris Tomis de vitis ſanctorũ inſcriptis, tũ in præſenti poſiti habeantur. Et hic profectò dignus qui inter cæteros cenſeatur. Adeò nanq; varietate ſua legentis animũ recreat, adeò Chriſti gloriam prædicat, adeò ſanctorum ſplendorem illuſtrat, vt ſine hoc reliqui omnes manci quodammodo, & mutili eſſe videantur. Mira quidem res eſt, quomodo hi libelli ad manus noſtras peruenerint. Nam partem eorum, cùm Pariſijs ageremus, iam annos xij nacti ſumus; partem anno præterito, vt iam dixi, Vilnæ, quæ magni Ducatus Lithuaniæ metropolis eſt, cùm venales publicè exponerentur, fortuitò familiares mei, & paruo quidem ære, comparauerunt. Lege ergo & hoc ſancti viri volumen, & ora Deum, vt & hunc Octauum noſtrum Tomum, qui reſiduum vitarum ſanctorum continet, ad deſideratum finem perducere dignetur. Nam hîc tandem quieſcere eſt animus, alijsq; poſt nos genus hoc palæſtræ, in quo ſe exerceant, demandare. Nos enim ſatis pro parte noſtra hucuſq; in eo deſudaſſe arbitramur. Vale in Chriſto optime lector.

PRAEFATIO

DIVI GREGORII

TVRONENSIS:

INDECORVM ſatis mihi inſipienti, reprobo, imperito, atque inerti videtur illud aggredi, quod non poſſum adimplere. Sed quid faciam, cùm occulere non patiar, quæ de beatorum virtutibus vel ipſe ſæpiùs inſpexi, vel per relationē bonorum virorum, & certæ fidei, euidenter geſta cognoui? Sed timeo ne cùm ſcribere cœpero, quia ſum ſine literis rhetoricis, & arte grammatica, dicat mihi aliquis: Vt quid tu, idiota, auſu ruſtico, nomen tuum inter ſcriptores indi æſtimas? Aut cur opus hoc tuum à peritis accipi putas, cui ingenium aptius, nec vlla literarum ſcientia ſuppeditat? Qui nullum argumentum vtile in literis habes, qui nomina diſcernere neſcis, ſæpiùs pro maſculinis fœminina, pro fœmininis neutra, pro neutris maſculina ponens, qui ipſas quoque præpoſitiones, quas Grammaticorum obſeruari ſanxit auctoritas, loco debito plerunque non locas? Nam pro ablatiuis accuſatiuos, & rurſum pro accuſatiuis ablatiuos ponis. Putas'ne videbitur, quòd bos piger palæſtre ludum exerceat? aut aſinus ſegnis inter ſpheriſtarum ordinem celeri volatu diſcurrat? Vel certè nunquid poterit coruus nigredinem ſuam albentium columbarum pennis obtegere? Aut obſcuritas picei liquoris lacteum colorem imitari? Nempè vt iſta fieri poſſibile non eſt, ita nec tu poteris inter ſcriptores alios haberi. Sed tamen reſpondebo illis, & dicam, quia opus veſtrum facio, & per meam ruſticitatem veſtram prudentiam exercebo. Nam, vt opinor, vnum hoc beneficium vobis hæc ſcriptura præbebit, ſcilicet quòd quæ nos incultè & breuiter ſtylo nigrante deſcribimus, vos poteritis lucidè, ac ſplendidè ſtante verſu in in paginis prolixioribus dilatare. Igitur in primo libello inſeruimus aliqua de miraculis Domini, ac ſanctorum Apoſtolorum, reliquorumque martyrum, quæ hactenus latuerunt, & Deus ad corroborandam fidelium fidem quotidie dignatur augere, quia valde moleſtum erat vt traderentur obliuioni. In ſecundo poſuimus de virtutibus ſancti Juliani. Quatuor verò libellos de virtutibus ſancti Martini conſcripſimus. Septimum de quorundam Feliciorum vita. Octauum hunc ſcribimus de miraculis Confeſſorum,

ſpecialiùs legentem poſcentes,vt quia nobis (vt ſæpè teſtati ſumus)nec ars ingenium ſuppeditat, nec ſermonem facundia, veniam temeritati meæ libenter indulgeat,quem non iactantia mundi erigit, vt ſcribat,ſed deprimit pudor vt ſileat, attamen amor,timor'q; Chriſti impellit vt referat. Et quoniam primum libellum de Domini miraculis inchoaui, ſtatui & huic libello de ſanctorum Angelorum virtutibus adhibere principium.

DE VIRTVTIBVS ANGELORVM.

CAP. I.

IGITVR dum in Atuerno territorio commorarer, vir mihi fidelis retulit, & ſcio quia vera narrauit, nã euidenter cognoui geſta fuiſſe quæ dixit; q ſcilicet diues quidam iuſſit ex annonis aqua infuſis, atq; decoctis, meſſoribus poculum præparari. Hanc autem coctionem Oroſius à coquendo Cœliam vocari narrauit. Quod cùm præparatum fuiſſet, & in vaſe reconditum, atq; ille apud vrbem moras innecteret, vt mos ſeruorum eſt, maxima parte exhauſta, exiguam reliquerunt. Ille igitur hoc neſciens inuitare meſſores iubet, vt eo ab vrbe redeunte, hos ſegetem decidere reperiret. Quo facto, iam'q; operarijs in ſegetem collocatis circiter ſeptuaginta, aduenit dominus fundi, perſcrutans'q; qualitatem, ac quantitatem potus, perparum reperit. Tunc pudore confuſus, & ſibi factum ad verecundiam reputans, vt potus deficeret operarijs, qui vt ipſe arbitrabatur, ſuper quinq; modiorum menſuram aſcenderat, quid ageret, quò ſe verteret, in ambiguo deprehendebat. Tamen, inſpirante Domino, conuerſus ad vaſculum, nomina 1 Angelorum ſanctorum, quæ ſacræ docent lectiones, ſuper aditum eius deuotè inuocat, orans vt virtus eorum paruitatem hanc in abundantiam conuertere dignaretur, ne operarijs deficeret, quod haurirent. Mirum dictu, tota die ab hoc extractum eſt, & nunquam defuit bibentibus; ſed vſquequo nox finem operandi fecit, omnibus fuit in abundantia miniſtratum.

1 Sanctorũ nomina Angelorum ſuper vaſis oſtium inuocat, & ſtatim maxima inuocationis eiuſdẽ virtus apparuit.

DE SANCTO HILARIO PICTAVENSI EPISCOPO.

CAP. II.

HILARIVS beatiſſimus quarto exilij anno ad vrbem propriam eſt regreſſus, impleto'q; operis boni curſu migrauit ad Dominum. Ad cuius beatum ſepulchrum multæ quidem virtutes oſtenſæ narrãtur, quas liber vitæ eius continet; ſed præcipuè duo leproſi in eodem loco mũdati ſunt. Mons autem erat in Gabalitano territorio, cognomento Helarum, lacum habens magnum, ad quem certo tempore multitudo ruſticorum quaſi libamina lacui illi exhibens, linteamina proijciebat, ac pannos, qui ad vſum veſtimẽti virilis præbentur. Nonnulli lanæ vellera, plurimi etiam formas caſei, ac ceræ, vel panis, diuerſas'q; ſpecies, vnuſquiſq; iuxta vires ſuas, quas dinumerare perlõgum puto. Veniebant autem cum plauſtris potum, cibum'q; deferentes, mactantes animalia, & per triduum epulantes. Quarta autem die cùm diſcedere deberent, anticipabat eos tempeſtas cum tonitruo, & coruſcatione valida, & in tãtum imber ingens cum lapidum violentia deſcendebat, vt vix ſe quiſquam eorũ putaret euadere poſſe. Sic fiebat per ſingulos annos, & inuoluebatur inſipiens populus in errore.

Poſt multa verò tempora quidam Sacerdos ex vrbe ipſa, Epiſcopatu aſſumpto, acceſſit ad locum, prædicauitq́; turbis, vt deſiſterent ab his, ne cœleſti ira conſumerentur; ſed nequaquam eius prædicatio à cruda ruſticitate recipiebatur. Tunc inſpirante diuinitate, Sacerdos Dei baſilicam in honorem beati Hilarij Pictauenſis eminus ab ôra ſtagni ædificauit, in qua reliquias eius locauit, dicens populo: Nolite, filioli, nolite peccare ante Dominum, nulla eſt enim religio in ſtagno. Nolite maculare animas veſtras in his ritibus vanis. Sed potius cognoſcite Deum, & 1 amicis eius venerationem impendite; adorate autem ſanctum Hilarium Dei Antiſtitem, cuius hîc reliquiæ ſunt conditæ; ipſe enim poteſt pro vobis apud Dei miſericordiam interceſſor 2 aſſiſtere. Tunc homines compuncti corde, conuerſi ſunt, & relinquentes lacum, omnia, quæ ibidem proijcere erant ſoliti, ad ſanctam baſilicam conferebant, & ſic ab errore, quo vincti fuerant, relaxati ſunt. Sed & tempeſtas deinceps à loco illo prohibita eſt. Nec vltra in hac ſolennitate, quæ Dei erat, nocuit, poſtquam beati Confeſſoris ibidẽ ſunt reliquiæ collocatæ.

1 Vides quòd ſanctis tanquam amicis Dei veneratione impendimus, nõ autẽ tanquam Deo?

2 Ecce quomodo ſãcti ſunt pro nobis interceſſores apud Dei miſericordiam.

DE SANCTO EVSEBIO

VERCELLENSI EPISCOPO.

CAP. III.

EVſebius verò Vercellenſis Epiſcopus magnum huic Hilario adiutorium contra hæreſes fuit, qui viuere 1 ſe poſt tumulos præſentibus virtutibus manifeſtat. Nam in die natalis ſui cùm multi infirmi ſanentur, energumeni præſertim rotatu valido per totam Eccleſiam debacchantes, & nimio confitentes ſe torqueri cruciatu, eleuati in aëra lychnos, qui ad officium luminis ſuccenduntur, manu verberantes effringunt, vt eo perfuſæ liquore, illico diſcedente dæmone, illorum perſonæ purgentur. Scitq́; tunc populus tot infirmos eſſe mundatos, quot viderit lychnos effractos. Sed & omnia, quæ ſubditione baſilicæ eius habentur, pia protectione conſeruat, ne exinde quicquam auferatur ab aliquo. Nam videres inter hoſtes iniquos, greges pecorum, iumentorumq́;, & ouium, nullatenus à quoq; attingi, cùm vox ſonuerit: Confeſſoris ſunt hæc Euſebij.

1 Virtutibus, & ſignis manifeſtat ſe ſancti poſt tumulos viuere.

¶ Huius ſancti reliquias mater mea in oratorio domus ſuæ locauit. Factum eſt autem quadam die per hyemem, dum collocutione hilari pro longinquitate noctis diutius ante focum, qui multa lignorum ſtrue compoſitus fuerat, reſideret, vt familia iam dormiente ſurrexerit, & ſe lectulo haud procul ab ipſo igne locauerit. Dormientibus autem cunctis, ſcintillæ flammarum ad trabes vſq; conſcendunt, à quibus apprehenſa vna earum validè cœpit flammas ſpargere. Sed credo virtute ſancti illius, cuius reliquiæ in domo erãt, flamma contra naturam deſurſum incuruata retorquetur, nec ad tectum, vt mos eſt, extenditur, ſed deorſum fluit, vt putares non flammam, ſed vellera lanæ de trabe pendere; nec exurebat trabem, ſed tantũ ardẽs per ipſam vagabatur, donec expergefacta materfamilias, vocatis ſeruientibus, aqua ſuperpoſita reſtinxit incendium, quo facile omnis domus, cunctis dormientibus, exuri potuiſſet, ſi virtus beati defuiſſet.

DE SANCTO MARTINO TVRONICO EPISCOPO, ET DE SEPVLCHRO SANCTI GATIANI.

CAP. IIII.

GATIANVM autem Epiſcopum à Romanis [1] Epiſcopis ad vrbem Turonicam tranſmiſſum, primumq́; Turonicis Pontificem datum fama ferente cognouimus. Ad cuius tumulum beatus Martinus cùm ad orationem [2] veniſſet, poſt effuſas preces, dicto etiam capitello, ait: Benedic mihi, vir Dei. Hæc eo dicente, vox ad eum delapſa auditur dicens: Te ego deprecor benedicas mihi, ſerue Domini. Et facta iterum oratione diſceſſit. Admirabantur autem qui aderant eo tempore, & dicebant eum habitare tunc in Martino, qui quondam Lazarum vocauit ex monumento.

1 Vide hîc Romanæ Eccleſiæ primatũ, quæ primos Ep̃os ciuitatibus trãſmittere ſolita erat.

2 Nota ſanctũ Martinum oraſſe ad tumulũ ſancti Gatiani.

DE EODEM, ET DE SEPVLCHRO VITALINAE VIRGINIS.

CAP. V.

SIMILE huic factum apud Arthonam Aruernenſem vicum referre ſæpiùs ſenes viros audiui. Vitalina quædam religioſa in hoc loco quieſcit. Ad cuius beatus Martinus tumulum veniens dedit ſalutationem; & illa [1] vt ſibi dignaretur benedicere flagitauit. Poſtquam autem expleuerunt orationem, conuerſus vir beatus: Dic, ait, ſanctiſſima virgo, ſi iam Domini præſentiam meruiſti. Quæ ait: Reſtitit mihi vna cauſa, quæ facilis in ſeculo videbatur. Sexta enim feria, qua Redemptorem mundi paſſum nouimus, aquis ablui caput. Recedens autem beatus Confeſſor à tumulo virginis, ait ſuis: Væ nobis, qui in hoc mundo verſamur. Si hæc virgo Chriſti ſacrata hinc offendiculum meruit, quòd ſexta feria abluit caput, quid nos faciemus, quibus quotidie fallax ſeculum peccare perſuadet? Multa autem in eo vico vir beatus operatus eſt, quæ inſequi longum putaui.

1 Ex hoc loco ſcire poſſumus, nũ ſancti etiã poſt mortem viuant.

Egreſſus autem vir Dei ab Arthonenſi vico, ad vrbem Aruernam greſſum direxit. Audientes autem ſenatores vrbis, qui tunc in loco illo nobilitatis Romanæ ſtemmate refulgebant; quòd ſcilicet vir ſanctus appropinquaret vrbi, egreſſi ſunt in occurſum eius cum equis, & carrucis, cum curribus, atq; rhedis. At ille aſello impoſitus ſuper ſtratum viliſſimum reſidens, cùm aduenisset in cacumen montis Beleuatenſis, de quo vici Rigomagenſis poſitio conſpicitur, vidit hos cum his pompis ad ſe accedere; dixitq́; Quid ſibi volunt hi, qui nobis cũ hoc apparatu appropinquant? Reſpondit vnus, qui prior acceſſerat: Senatores Aruerni veniunt in occurſum tui. Cui ille; Non eſt meum, inquit, vt cum hac iactantia ingrediar vrbem eorum. Et confeſtim retorto retrorſum

aſelli freno,via,qua venerat,regredi cœpit. At illi conſequentes eum ſupplici ter deprecabantur,vt ad vrbem accederet,dicentes: Audiuimus famam ſanctitatis tuæ,multi ſunt autē infirmi, quos te oporteat viſitare. Cúmq́; id obtinere non poſſent,impoſitis manibus ſuper infirmos,qui aduenerant, ſanitati reſtituit, & ad vicum Arthonenſem regreſſus eſt. Extat autem in hoc loco cancellus,in quo dicitur ſtetiſſe. Poſt hæc accedens ad tumulum virginis,ait: Gaude nunc,Vitalina ſoror beatiſſima, poſt triduum enim maieſtati Dominicæ præſentaberis. Et diſceſſit ab eo loco. Poſt hæc multis per viſum virgo oſtenſa eſt,& beneficia petita præbuit,& diem obitus ſui,in quo commemoratio eius celebraretur,edixit. De quo non aliter ſentiendum eſt,niſi quia beati Antiſtitis obtentu, Dominicæ maieſtatis præſentiam 2 meruiſſet,vt hæc deinceps ageret.

Quodam autem tempore celebratis in eius honorem 3 vigilijs,cū Archipreſbyter loci Eulalius clericos conuiuio inuitaſſet, Eudatius verò alius Presbyter viduis,ac pauperibus reliquis edulium præpararet,& vni piſces deeſſent, alteri vinum bonum,commonitus piſcator quidam per viſum à virgine eſt, vt Archipresbytero piſcium copiam deferret. Surrexitq́; è lectulo,atq; inuenit immanem piſcem in lapſo ſuo,quem,vbi viſus fuit, exhibuit. Eudatio autem Presbytero apparuit,ſcilicet per viſum,dicens: Vade,& ſub vna arbore atrij inuenies vnum trientem,ipſum donans vinum dignum epulis pauperum comparabis. At ille nulli quæ viderat narrauit; ſed abijt,inquiſiuit,& reperit,coēmptoq; vino pauperes Chriſti refecit. Sicq́; virtus virginis vtriq; apparens,de ſpeciebus,quæ deerant,vtroq; loco plantauit.

2 Vide hîc orationes viuorum prodeſſe animabus defunctorū.

3 Nota quòd etiā olim celebrabantur ſanctorum vigiliæ.

DE LAPIDE, IN QVO SANCTVS MARTINVS SEDIT.

CAP. VI.

Plurima quidē fecit hic ſanctus in hoc ſeculo,quorū ſcriptores eius vitæ multa prætererierunt,dum faſtidium arcere detrahentium adniſi ſunt, ne non crederentur ab his,qui bonorum ſanctitatem linguis veneficis impugnare ſæpiùs volunt. Sed nos,qui quotidie,indigni quidem, miracula cernimus ad eius ſepulchrum,quia non eſt opus ſanis medicus, ſed qui malè habent,abſurdum duximus,ſi ea,quæ euidenter ab eo priùs geſta cognouimus, ſileamus. Quòd ſi quis eſt adhuc infidelis æmulus,qui hæc non credat, accedat ad baſilicam,& videbit quotidie,& noua agi,& quæ facta dudum fuerunt iterari. Et quia tertium de eius operibus libellum ſcripſimus,ne & hic liber ab eius virtutibus ſit immunis,ſcribere in eodem aliqua de his,quæ nobis euidēter ſunt comperta,curauimus,quia multa ſunt, ſicut ſæpè teſtati ſumus, quæ haſtenus latuerunt. Extat nunc in ipſa ſuperiùs memorata baſilica,quam in eius honore fideles ædificauerunt,lapis,ſuper quem vir beatus dicitur ſediſſe. Poſt multum autem tempus Leo quidam Presbyter,vt ſibi ſepulchrum deponeret, lapidem ſanctum à loco dimouit,nec mora ad domum ſuam cum tremore rediens,correptus à febre die tertia expirauit. Cognitumq́; eſt,offenſum Antiſtitem habuiſſe. Hoc autē noſtro tempore geſtum recolimus.

DE ARBORE ERECTA.

CAP. VII.

FVIT & in Nobiliacenſi pago vrbis Turonicæ arbor, quæ ab impulſu venti ruens viam publicam impediebat. Quod iter cùm vir beatus ageret, viantium motus miſericordia, facto deſuper ſigno Crucis, erexit eam. Quæ vſq; nunc ſtare iuxta viam erecta viſa eſt etiam præmortua, quia ſpoliata cortice, viuebat tamen ad honorem viri. De quo cortice multi fideliter euellentes, vt dilutam eo aquam ſumebant, mox medicamina capiebant. Vidimus autem & nos hanc arborem erectam.

Signo Crucis diuus Martinus inclinatam arborē erexit.

DE ORATORIO MARTINIACENSIS PRAEDII.

CAP. VIII.

TVRONICO oppido oratorium erat propinquum, ſitum in villa Martiniacenſi, in quo ferebatur, ſepiùs oraſſe Martinum. Deniq; Guntharus Abbas, dum gregi monaſteriali præeſſet, & viam, qua haud procul ab oratorio inceditur, caſu contingente tereret, oratione facta tranſibat. Poſt aſſumptum verò Epiſcopatum aggerem ipſum præteriens, venit ante oratorium, ſed diſtulit ad orationem in loco deſcendere. Tunc illico equus cōuerſum habens caput ad oratorium, in media reſtat via. Dehinc verberatur calcibus, loris agitur, vrgetur ſtimulis, ſed tanquam æneus non mouetur. Tunc Sacerdos ſentit ſe virtute diuina teneri, & deſcendens facta oratione, & equo poſtea aſceuſo præterijt. Velim, ò ſonipes, ſi tibi os Dominus, vti quondam fecit aſinæ, reſeraret, diceres, quid vidiſti ſpectabile, vt non incederes, quid amabile, vt oſtium cellulæ contemplareris, quid formidabile, vt aſcenſorem orare compelleres. Nempe altiore voce clamares: Claritatem Martini cernens, moueri non ſum auſus, niſi meus occurſum debitum præponeret dominus.

DE OLEO SEPVLCHRI SANCTI MARTINI.

CAP. IX.

DVM verò quadā vice mecū reſideret in cellula Aridius Presbyter ex Lemouicino, vir sūmæ bonitatis, ac sāctitatis, ſolicitus eſſe cœpi, an aliqua in oratorio miracula, vbi reliqas beati Antiſtitis collocauerat, oſtēderentur; qui ita retulit: Eo tēpore, quo beatus Eufronius erat Epūs, ad Turonicam vrbem venit, in qua diu commoratus, plenam ampullulā olei de ſepulchro ſancti Antiſtitis abſtulit. Regreſſusq́; domum, dum fatigatus ex itinere reſideret, & viæ labores matri referret, illa ſubito ictu percutitur tam grauiter, vt nec anhelitum reſumere poſſet. Conuerſus verò ad oratorium, in quo beati Antiſtitis reliquiæ tenebantur, deductaq́; in vigilijs nocte, manè [1] oleo, quod attulerat, locum infirmitatis inunxit, ſedatoq́; dolore conualuit. Poſt hæc quidam manum inflatam à ſpina percuſſam detulit, quæ protinus vt oleo delibuta eſt, incolumitati donatur. Mulier, quæ ſenſum perdiderat, & quibuſdam horis dæmonium putabatur habere, hoc oleo tacta, ſanata eſt. Abbas verò quidam eiuſdem cellulæ proximus, hoc oleo cæci oculos attigit, qui protinus viſum recepit. Sed & cùm multos energumenos exinde reſtituiſſet ſanitati, vni, qui atrociorem (vt credo) dæmonem habebat, ſuper caput de oleo poſuit, qui illico dæmonem per fluxum ventris egeſſit. Et alteri in vngula pollicis dæmonium deſcendit; quo viſo, Presbyter ſuper digitum oleum infudit, moxq́; diſrupto corio, ſanguine defluente diſceſſit. Hæc ille de oleo retulit.

[1] Vide mira de oleo ſepulchri ſancti Martini.

DE VVA EX VITE, QVAM IPSE PLANTAVIT, ET DE CERA SEPVLCHRI.

CAP. X.

DE vua quoq; ex vite, quam ſanctus plantauerat, adiecit, quòd aſſumptā eam in ampullulā recondidit, quam aqua compleuit. Non poſt multū verò tempus venit ad eum homo, cuius os à puſtula mala tumefactū, caputq́;, & oculi inflati ob nimium venenum præcludebantur. Cui ille infuſa in os aqua [1] de ampullula vuæ, omnis tumor, ac dolor, gutta decidēte diſceſſit. Aſſerebat autem grana vuæ illius in ipſa aqua poſt quatuor annos adhuc viridia perdurare. De cera verò, quam de ſepulchro tulerat, adiecit, quòd ſurda, & muta, quæ (vt credo) dæmonium habebat, ad eum acceſſit, in cuius aure de ipſa cera poſuit. Poſtridie autem illa veniens, gratias pro accepta ſanitate retulit Sacerdoti.

[1] Ecce quomodo etiam res exteræ ſanctorum ſanitates præſtant.

DE VIRTVTIBVS EIVS TERNODORENSIBVS OSTENSIS.

CAP. XI.

INTRA terminum autem Ternodorenſis caſtri Lingonicæ ciuitatis erat Presbyter greſſu debilis. Cùmq; per viam pergeret, quæ ad Dei Eccleſiam ducit, obuium habuit ſenem cum puero. Erat autem vterq; clericus, datoq; ſibi inuicem ſalutationis occurſu, dixit ſenex ad Presbyterum. Vis ſanus fieri? Cui ille: Et quid humanum genus amplius concupiſcit habere, quàm vt ſoſpes viuat in corpore? Tunc ſenex facto beatæ Crucis ſignaculo 1 ſuper poplitem, dixit Presbytero: In nomine Domini Ieſu Chriſti, extende pedem tuũ. Quem Presbyter ſine mora extendens, ſanum ad ſe reduxit, & gratias agens, iter, quo pergebat, agere cœpit. Vocato autem eo puer, qui cum ſene erat, ait: Sciſne Presbyter, quis eſt, qui te reddidit ſanitati? Ignoro, ait. Cui ille: Sanctus Martinus Turonicæ vrbis Antiſtes ipſe te virtute 2 ſua ſanitati reſtituit. Tu verò in loco, in quo ſanctum ſtare vidiſti, oratorium ſine mora ædifica, erit enim populis ſalubre, ſi quæ loquor expleueris. Nec moratus Presbyter oratorium in eodem ſitu conſtruxit. In quo nunc, & nuper multi paralytici greſſum, cæciq; viſum recipere meruerunt.

1 Signo Crucis debilitatẽ pedis ſanctus ſenex ſanat.

2 Vides quòd ſancti virtute ſua miracula faciunt. Sua autem intellige, quam Deus illis dat.

DE MONASTERIO EIVS IN HISPANIA.

CAP. XII.

IN Hiſpanijs autem hoc nuper factum cognoui. Cùm Lennichildus Rex contra filium ſuum ambularet, atq; exercitus eius, vt aſſolet, grauiter loca ſancta concuteret, monaſterium erat ſancti Martini inter Saguntũ, atq; Carthaginem Spartharium. Audientes autem monachi, quòd hic exercitus ad locum illum deberet accedere, fugam ineunt, & derelicto Abbate ſene, in inſula maris ſeſe abſcondunt. Aduenientibus autem Gotthis, ac diripientibus res monaſterij, quæ ſine cuſtode remanſerant, Abbatem ſenio incuruatum, ſed ſanctitate rectum offendunt. Extractoq; vnus gladio quaſi amputaturus ceruicem eius, reſupinus ruit, ac ſpiritum exhalauit. Reliqui verò hæc videntes, timore perterriti fugerunt. Quod cùm Regi nunciatum fuiſſet cum teſtificatione, præcepit, omnia, quæ ablata fuerant, monaſterio reſtitui.

DE HAERETICO, QVI HOMINEM ILLVMINARE VOLVIT.

CAP. XIII.

CERNENS autem præfatus Rex tanta miracula per ſeruos Dei, qui noſtræ religionis erant, fieri, vocauit vnum Epiſcoporum ſuorũ, dixitq́ſ ſecretiùs ad eum: Quamobrem vos, vt iſti, qui ſe Chriſtianos dicunt, non oſtenditis ſigna in populos ſecundùm fidem veſtram? Dicit ei Epiſcopus: Sepiùs ego cæcis lumen reddidi, & ſurdis auditum. Nunc etiam hæc poſſum facere, quæ dicis. Et vocato ad ſe vno de hæreticis, clanculo ait ad eum: Accipe decem aureos, & clauſis oculis reſide in loco, vnde nobis eſt tranſitus, & prætereuntem me cum Rege exclama in virtute, vt perditum lumen mea tibi credulitate reſtituam. Cùmq́ hic accepta pecunia feciſſet quod ſibi fuerat imperatum, procedit Epiſcopus Cirola Regis ad dextram, conſtipatus hæreticorum caterua. Exclamat iſte cæcatus pecunia, vt fide Epiſcopi reciperet oculos ſuos. At iſte cum non minima arrogantia imponens manus ſuper oculos eius, ait: Secundùm fidem meam fiat tibi. Hæc eo dicente, ita obſerati ſunt oculi hominis cum dolore, vt non ſolùm viſum perderet, verumetiam dolum, quem auaritia impellente finxerat, publicaret.

Ecce morem hæreticorũ, fallere, inſidiari, & mentiri.

DE ALTERCATIONE HAERETICI CVM CATHOLICO.

CAP. XIIII.

Retulit alius vir fidelis, ſpectaſſe ſe Chriſtianum cum hæretico pro fide noſtra certantem. Altercantibusq́; diu de diuinis ſcripturis, cùm flecti non poſſet hæreticus, vt agnoſceret veritatem, ait noſtræ religionis vir: Si ſcripturarum ſacrarum teſtimonia te ad credendum minimè mouent, vel virtutem indiuiduæ Trinitatis miraculis experire. Eſt in digito meo annulus aureus, ego eum in ignem iacio, tu candentem collige. Proiectumq́; inter prunas annulum ita igniri permiſit, vt eis ſimilis cerneretur. Conuerſus autem ad hæreticum ait: Si vera eſt proſecutio tua, ſume eum ab igne. Illo autẽ renuente, ait vir: Immenſa Trinitas Deus, ſi aliquid indignum te credo, oſtende. Certè ſi recta eſt fides mea, nihil mihi præualebũt hæc incendia ſæua. Et ablatum ab igne annulum diutiſſimè palma ſuſtinuit, & nihil nocumẽti accepit; ſed magis confuſo hæretico, catholicos reliquos feruore ſuæ fidei roborauit.

Ecce quomodo miracula quãq; facit Deus ad cõfundẽdos hæreticos, & cõfirmandos fideles.

DE VENANTIO ABBATE.

CAP. XV.

HAVD procul à baſilica beati Martini Venantius Abbas requieſcit, vir magnificæ ſanctitatis, qui multis infirmis in corpore poſitus opem accommodauit, cõpletoq́ tempore à ſeculo migrans, iugiter ſe in æternum viuere virtutibus proprijs manifeſtat. Nam ſi quis typos frigoriticos incurrens, nocte 1 vna ad eius tumulum deprecans vigilauerit, mox cõpreſſo morbo adipiſcitur medicinam. Nam inter reliqua, quæ ibidem geſta vidimus, mulierẽ quandam à quarto typo correptam ſanatam aſpeximus. Quæ diuturno tẽpore ab hoc detenta contagio, neq; cibum, neq; ſomnum capere poterat, ſed ita omni corpore deciderat, vt vix in ea vllum vitale ſpiraculum remaneret. Ad huius tandem ſepulchrum gemitibus, & oratione pernoctans, vſq; ad lucis aduentum perdurauit immobilis. Manè verò ſopori ſe collocans, cùm expergefacta fuiſſet, nihil mali ſentiens, ſanata diſceſſit. Huius autem ſancti vitam nos ſcripſimus.

1 Vide antiquũ morem viſitandi ſanctorũ ſepulchra, vigilandi nocte apud ea, & gratias ſanitatũ orationibus impetrãdi.

DE SANCTA POPPVLA.

CAP. XVI.

FVIT & beata Poppula valde religioſa, quæ cùm ſæpius à parentibus flagitaret, ſe in monaſterio locari puellarum, eò quòd in domo parẽtum, curis ſeculi impedientibus, Deo ſeruire non poſſet, & illi præ amore nollent eam à ſe ſeparari, totondit comam capitis ſui, indutaq́; virili habitu Turonicam diœceſim adiens, in congregationem ſe contulit monachorum, ibiq́; in ieiunijs, ac orationibus degens, virtutibus deinceps multis emicuit. Erat enim tanquam vir inter viros, nec vlli erat cognitus ſexus eius. Parentes autem requirentes eã, nunquam reperire potuerunt. Interim Abbate monaſterij, ad quod venerat, defuncto, monachi propter eius virtutes aſſiduas hanc eligunt ignorantes ſexum. Quod illa totis viribus renuit. Triginta autem annos in monaſterio fuit, à nullo agnita quid eſſet. Ante tertium autem diem quàm ab hoc mũdo migraret, id monachis patefecit; & ſic defuncta, ab alijs mulieribus abluta ſepulta eſt, multis deinceps virtutibus manifeſtãs ſe eſſe ancillã Dei. Nam & frigoritici, & alijs morbis oppreſſi, ſæpè ad eius tumulum ſanitati redduntur.

DE OPERTORIO CVIVSDAM SEPVLCHRI.

CAP. XVII.

IN alio autem pago Turonico erat inter vepres, & rubos ſepulchrũ poſitũ. In quo ferebatur Epiſcopum quendam fuiſſe ſepultum, nomen autem ignorabant. Contigit verò vt cuiuſdam pauperis filius moreretur; quo ſepulto, cũ opertoriũ ſarcophagi pater non inueniret, ad hunc locũ acceſſit, ablatoq́ de hoc ſepulchro operculo, quod tam magnum erat, vt tribus duceretur paribus boum, texit corpuſculum filij de furto alterius ſepulchri. Quod cum feciſſet, ſurdus, mutus, cæcus, ac debilis eſt effectus. Manſitq́ in hoc ſupplicio integrum ferè annum. Dehinc apparuit ei quidam Sacerdos per viſum dicens: Ego ſum qui tibi, tuisq́ membris vim intuli, ô vir, quia detexiſti me, auferendo opertorium tumuli mei. Vade nunc, ſi vis ſanus fieri, iube ipſum velociter reportari. Quod ſi nolueris, protinus morieris. Ego enim ſum Benignus Epiſcopus, qui in hanc vrbem peregrinus adueni. At ille ſuis innuens, acceſſit ad monumentum filij ſui, eleuatumq́ lapidem plauſtro impoſuit, & reportatum ſarcophago reddidit, & illico ſanus effectus eſt. In redeundo autem ita lapis leuis erat, vt quẽ tria paria boum auexerant, boues deinceps duo reueherent.

Ex hoc loco maximè perſpicere potes, nũ ſancti verè viuant, an poſſint emortui dici, & quantam poſt mortem habeant illi poteſtatem.

DE DVARVM VIRGINVM TVMVLIS.

CAP. XVIII.

INTRA iſtum autem terminum Turonicum erat mons paruulus, ſentibus, rubis, vitibusq́ repletus agreſtibus, & tanta denſitate labruſcæ contextus, vt vix aliquis intro poſſet irrumpere. Ferebat autem fama, duas Deo ſacratas virgines quieſcere in illo loco. Sed cùm in vigilijs dierum feſtorum lumen accenſum diuinitus à fidelibus ſæpiùs cerneretur, quidam audacior, & animi fretus ſecuritate, ad locum accedere ſub obſcura nocte non metuit. Vbi cereum miri candoris immenſo lumine fulgurãtem aſpiciens, admiratus diu, diſceſſit, alijsq́ quæ viderat nunciauit. Tunc vni de incolis loci ſe virgines per viſum oſtendunt, exponunt ſe ibidem eſſe ſepultas, ac ſine tecto imbrium iniuriam diutius ferre non poſſe, quapropter ſi ſibi vellet eſſe conſultum, inciſis vepribus tegmen tumulis adhiberet. Expergefactus verò, irruentibus alijs cogitationibus, tradidit obliuioni quæ viderat. Alia verò nocte apparuerũt ei iterũ vultu minaci terribiliter cõminãtes, quòd niſi locũ tegeret, anno pſenti ab hoc ſeculo migraret.

Territus igitur vir ille viſu, accepta ſecure vepre ſucciſa, tumulos detexit, inuenitq́; magnas de cereis guttas in modum Libani odore nectareo fragrare. Tūc deputatis bobus, & plauſtro lapides congregat, & data æſtate, oratorium ſuperædificat; explicitoq́; opere beatum Euphronium, qui tunc Turonicam regebat Eccleſiam, ad benedicendum inuitat. Sed ille iam defeſſus ſenio ſeipsū excuſat dicens: Vides, fili, q̃uo ſenuerim, & hyems ſolito aſperior ingruat, deſcendant pluuiæ, ac venti cuncta turbine perflent, inflentur flumina, & ipſe quoq; viæ à frequentatione imbrium madefactæ, penè in lutum ſint diſſolutæ. Nunc non conuenit ætati meæ iſta mala properare itinera. Hæc audiens vir ille diſceſſit à conſpectu Sacerdotis valde mœrens. Verùm vbi Sacerdos membra quieti locauit, vidit duas virgines aſtare ſibi, quarum ſenior triſti vultu ſic infit: In quonam tibi ingratæ extitimus, beatiſſime Pontifex? Quid moleſtiæ intulimus regioni tibi à Deo commiſſæ. Cur nos deſpicis? Cur ad conſecrandum locum, quem nobis vir fidelis ædificauit, venire diſſimulas? Veni nunc, obſecramus per nomen omnipotentis Dei, cuius nos ſumus ancillæ. Hæc effata genas lachrymis rigabat obortis. Expergefactus verò ſenex, vocat Eccleſiaſticæ domus rectorem, dicens: Peccaui non eundo cum homine; ecce enim vidi duas virgines me ob id increpantes, & vereor Dei offenſam incurrere, ſi illuc diſtulero ambulare. Accelerans igitur iter, viam ingreditur. Eūnte verò illo, quieuit pluuia, Auſtrorumq́; violentia ſæua ſuccubuit. Itaq; feliciter confecto itinere, à benedicto loco cum pace regreſſus eſt. Referebat autem plerunq; vultum, inceſſumq́; virginum. Vnam quidem dicebat prolixiorem, alteram minori ſtatura, non merito, vtranq; tamen mirè candidam, quarum vnam Mauram, Brittam alteram vocitabat, dicens ſe ab earum ore hæc nomina cognouiſſe.

F Et hîc habes ſanctos non rectè dici emortuos; & oratoriorum dedicationes ritè p agi, cū ex ſāctorū reuelatione præcipiantur.

QVID SANCTVS EVPHRONIVS DE CHARIBERTO REGE PRAEDIXIT.

CAP. XIX.

IPSE quoq; Pontifex cùm à multis crebriùs vrgeretur, vt ad occurſum Chariberti Regis deberet accedere, & inneſtens moras ire differret, tandem commotus à ſuis ait: Ite, præparate iter, vt eamus ad occurſum Regis, quem viſuri non ſumus. Igitur imponens plauſtris neceſſaria, caballis ad iter præparatis, ait: Reuertantur plauſtra, laxentur equi. Non modò hoc iter incedimus. Dicentibus autem ſuis, quæ eſſet hæc leuitas, vt quæ tam inſtanter parari iuſſerat, tam facilè deturbaret, ait ſecretiùs: Princeps, ad quem nos ire compellitis, obijt, nec viuentem, ſi abierimus, inueniemus. Stupefacti audientes diem notant, & ſancti verba taciti ſeruant. Venientibus autem ab vrbe Pariſiaca hominibus, ea hora Regem tranſiſſe nunciant, qua Sacerdos plauſtra de itinere iuſſerat reuocari.

DE DEDICATIONE ORATORII NOSTRI.

CAP. XX.

DE oratorio autem noſtro, in quo reliquiæ ſancti Saturnini martyris, Martini Antiſtitis, Illidij confeſſoris, & aliorum ſanctorum collocatæ ſunt, pro inſtructione credentium narrare aliqua non pigebit, quali ſcilicet ſe virtus beati Martini reuelatione reuelauit, ita vt appareret multis ignitus globus ille terribilis, qui quondam, eo ſolennia celebrante, emerſerat paucis viſibilis, à capitis arce prorumpens. Concepit enim, inſpirante diuinæ pietatis inſtinctu, animus, vt cellulam valde elegãtem, quam ſanctus Euphronius ad vſum promptuarij habuerat, ad opus orationis 1 fideliter dedicarem. Qua diligenter compoſita, & altari 2 ex more locato, ab baſilicam ſanctam vigilijs noctem vnam duximus. Manè verò venientes ad cellulam, altare, quod erexeram, ſanctificauimus. Regreſſi q; ad baſilicam ſanctas eius reliquias cum Saturnini, Iuliani q; martyrum, & etiam beati Illidij, exinde ſolenniter, radiantibus cereis, crucibus q;, admouimus. Erat autem Sacerdotum, ac Leuitarum in albis veſtibus non minimus chorus, & ciuium honoratorum ordo præclarus, ſed & populi ſequentis ordinis magnus conuentus. Cùm q; ſacroſancta pignora pallijs, ac mappis exornata in excelſo deferremus, peruenimus ad oſtium oratorij. Ingredientibus autem nobis ſubitò repleuit cellulam illam fulgor terribilis, ita vt præ timore, & ſplendore nimio aſtantium oculi clauderentur. Diſcurrebat autem per totam cellulam, tanquam fulgur, nõ paruum nobis ingerens metum. Nec quiſquam ſcire poterat quid hoc eſſet, niſi quòd omnes pauore proſtrati ſolo iacebant. Tunc ego; Nolite, inquã, timere, virtus eſt enim ſanctorum, quã cernitis. Præterea aũt rememoramini libiũ vitæ beati Martini, & recolite qualiter

1 Ecce dedicari oratoria ad oratiõis vsũ.

2 Vide hîc oẽs illas ceremonias in Oratorij dedicatione adhibitas, q̃ hodie ẽt in cõſecratione Eccleſiarũ obſeruari ſolẽt, ne qs dicat hæc nouitia eſſe inuenta.

verba ſacrata promenti de capite globus ignis egreſſus, vſq; ad cœlos viſus eſt conſcendiſſe. Ideo ne terreamini, ſed ipſum nos cùm ſanctis reliquijs credite viſitaſſe. Tunc timore poſtpoſito, magnificauimus Deum dicentes: Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus & illuxit nobis. Sed illud anterius miraculum viſum eſt paucis, iſtud apparuit populis vniuerſis. In illo fuit virtutis indicium, in iſto gratiæ ſupplementum. Illud fuit tunc occultum propter iactantiam, iſtud manifeſtatum eſt cunctis ad gloriam. Ibi de more feſti ua fideliter acta Domino nunciabantur; hîc oratorium, quod ad laudem Domini proficeret, illuſtratione ſanctorum pignorum conſecratur. Ergo fideliter, vt oportet, à nobis quærendus eſt, & orandus ille, vt viſitet hunc populum, qui plerunq; orationis vota per hunc ſacrum ignẽ ſuſtulit in excelſum. Hunc enim ignem, vel cùm de monacho orante narraui, vel cùm Brachionem Abbatem à pignoribus ſanctorum vidiſſe egreſſum ignem expoſui, myſticum eſſe puto, eò quòd non exurat, ſed illuminet. Nec diuinæ maieſtatis arbitror illum vacare gratia, qui ſe vel prodere, vel tegere quibuſdam poteſt.

DE SEPVLCHRO SANCTI SOLENNIS.

CAP. XXI.

ET licet de Turonica vrbe aliqua iam ſcripſerimus, tamen quoniam nuper beati Solennis Sepulchrum aſpeximus, ſilere nequiuimus, quod apud Malliacenſe monaſterium comperimus in cacumine montis conſtitutum, & ab antiquis vallatum ædificijs iam dirutis. Nam ferunt quòd in eo loco, cùm crypta adhuc haberetur occulta, & nulli Chriſtianorum locus ille eſſet reuelatus, per ſingulas Dominicarum ſolennitatum noctes ab habitatoribus lumen cernebatur accenſum; ſed nullus ſciebat quid ſibi hoc vellet myſterium; tantùm ſuſpicio detinebat homines aliquid ibidem retineri diuinum. Interea aduenerunt duo energumeni ex baſilica ſancti Martini, qui colliſis in ſe palmis clamare cœperunt dicentes: Hic requieſcit Solẽnis beatiſſimus in crypta abdita. Reſerate igitur ſepulchrum amici Dei. Quod cùm repereritis, velis 1 tegite, lumen accendite, cultumq; debitũ ei exhibete. Erit regioni huic ſalubre, ſi quæ loquimur adimpleueritis. Et hæc dicentes cum clamore magno, effodere tellurem vngulis nitebantur. Tunc videntes incolæ quæ gerebantur, accepto ſarculo effodientes aperuerunt cryptam, in qua per ſeriem graduum deſcendentes, repererunt ſepulchrum magnum, de quo teſtabantur illi adhuc mente infirmi, hoc eſſe ſepulchrum Solennis beatiſſimi. Qui mox ſenſu diſceſſerunt recepto. Poſt hæc autem cœperunt ad eum diuerſorum morborum ægroti confluere, & accepta ſanitate redire incolumes. Sed & Litthomeris vrbis ipſius indigena, cùm à quartani typi ægrotatiõne fatigaretur, acceptis ex hoſpitiolo cereis, illiſq; manu propria per totã noctẽ ibi detẽtis, vigilias 2 celebrauit. Facto igitur manè, rediuit ad propria, nec vltra ab hoc morbo frigoritionis, vel confractionis vllius pertulit grauitatem.

1 Mira res. Dæmoniaci clamãt, ſanctos colẽdos, eorum ſepulchra ornãda, & lumina ante eos accendenda, & noſtri tẽpis hæretici id impudẽter negãt.

2 Vides antiquũ morem cõfugiẽdi ad ſanctorũ ſepulchra pro ſanitatibus obtinẽdis, vigilãdi apud eos per integras noctes in orationibus, & cereos ante ipſos accendendi?

DE MAXIMO ABBATE.

CAP. XXII.

Fuit quidam religioſus, & virtutibus, & nomine Maximus, & vt liber vitæ eius docet, quam verſu conſcriptam legimus, noſtri fuit Martini diſcipulus. Qui occulere quod erat cupiens, apud inſulam Barbaram monaſterij Lugdunenſis peregrinari expetijt. Manifeſtatus autem & ibi, ad patriam redire diſpoſuit. Deniq; cùm Ararim fluuium tranſire cuperet, nauis impleta demergitur, ac ipſe Sacerdos aquis operitur habens ad collum cũ Euãgeliorum libro miniſterium quotidianum, id eſt patenulam paruam cum calice. Sed pietas diuina non pertulit perire quod ſuum eſt; nam ita de hoc periculo, Domino iubente, reſtitutus eſt littori, vt nec vitæ damna perferret, nec rerum detrimenta lugeret. Impletumq; eſt illud, quod Pſalmographus, Spiritusſancto influente, cantauit: Cùm ceciderit iuſtus, non collidetur, quia Dominus firmat manum eius. Et iterum: Non necabit Dominus animam iuſti. Deinde ad caſtrum Cainonenſe vrbis Turonicæ veniens, monaſterium collocauit. Quod caſtrum cùm ab Egidio obſideretur, & populus vicini pagi ibidem eſſet incluſus, hoſtis effoſſum à latere montis puteum, quem obſeſſi ad vſum habebant bibendi, obturat. Quod cùm antedictus Dei famulus, qui tunc cum reliquis intra caſtri munitionem concluſus erat, cerneret, videretq; populum conſumi penuria, orationem nocte tota fudit ad Dominum, vt reſpiciens populum hoſtes improbos effugaret, & non pateretur incluſos ſitis ardore conſumi. Tunc reuelante ſibi Spiritu ſancto ait ad plebem: Quisquis habet vaſculum, exportet foras in plateam, & deprecetur Dominum. Dabit enim vobis hodie largitas eius aquas in abundantia, vt non deficiatis vos, & paruuli veſtri. Hæc eo dicente, nubes ſubitò texerunt cœlum, & deſcendit imber magnus cum tonitruis & coruſcationibus ſuper caſtrum, duplex populis beneficium præbens, pluuijs arcens ſitim, fragoribus effugans hoſtem. Impletaq; ſunt vaſa omnium, & ſatiati ſunt cuncti. Sicq; obtentu Sacerdotis fugatis aduerſarijs, populus ſaluatus à caſtro diſceſſit. In monaſterio autem loci illius plenus dierum tranſijt, ibiq; ſepultus eſt. Ad cuius ſepulchrum ſæpiùs infirmi ſanantur. Puerulus autem vnus ex familia Eccleſiæ Turonicæ in valetudinem corruit. Is cùm anhelitus difficultate occumberet, ac in extremis poſitus putaretur ſpiritum exhalare, ad eius baſilicã deportatus, protinus extincta febre, ſanitati eſt redditus. Sed & puella de his mancipijs ſimili ſorte febricitans, cùm ante cancellos monumenti fuiſſet expoſita, ipſa die incolumitati eſt reſtituta. Ad nos verò cùm horum notitia deueniſſet, puerum, humiliatis capillis, huic monaſterio ceſſimus. Puellam verò, mutata veſte, cœtui ſanctimonialium coniungi præcepimus ad ſeruiendum Domino.

Vide virtutẽ orationis ſancti viri.

DE IOANNE RECLVSO.

CAP. XXIII.

QVIESCIT haud procul ab hac baſilica Ioannes quidam Presbyter, natione Brito, qui in ſumma religione vitam duxit, & per cuius manus Dominus multa ſigna ſanitatum dignatus eſt operari. Qui ob amorem diuinum ab aſpectibus ſe hominum cohibens, paruulam oratorij cellulam habebat ante ipſam Cainonenſis vici Eccleſiam, ibiq́; in viridariolo, quod manu propria excolebat, lauros arbores plantauerat, quæ nūc vaſtis columnarum ſtipitibus amœnitate iocundarum frondium tenduntur. Sub earum vmbraculo vir ſanctus conſidens, aut legebat aliquid, aut ſcribebat. Cuius poſt obitum cùm arbores illæ, vt diximus, patulis diffuſæ ramis obumbrarēt locum viridarii, vna ex his vetuſtate feneſcens exaruit. Tunc cuſtos loci, effoſſa cum radicibus columna, incìſisq́; ipſis cum ramis, ex ea ſcamnum adaptat, in quo interdū aut reſideret laſſus, aut aliquid ſecure decideret, cùm neceſſitas exegiſſet. Quod cùm per duos annos, aut ferè amplius in hoc vſu habuiſſet, tactus (vt credo) inſpiratione diuina dolore cordis ait: Væ mihi quia peccaui, cùm arbore illa, quam talis Sacerdos propria manu plantauit, ego ad diuerſas neceſſitates vtar, ac ſeſſiones. Et hæc dicens, accepto ſarculo effoſſa humo, & inciſis ſcamni pedibus, poſuit ipſum ſub terra, repleuitq́; foſſam humo. Mirum dictu, adueniente verno tempore, ſicut reliquæ arbores flores, ita & hæc columna, quæ viri manu, vt ita dixerim, ſepulta fuerat, rediuiua in ſoſpitate viteſcens, nouas frondes emiſit. Extant de ea hodie quoq; virgulta in quinum, ſenumq́;, aut ferè amplius pedum altitudine, quæ annis ſingulis incrementum ſumentia à Domino ſubleuantur.

DE MONEGVNDE RELIGIOSA.

CAP. XXIIII.

APVD ipſam vero vrbem Turonicam beata Monegundis obijt. Fuit autem ex Carnoteno territorio, quæ relinquens tam patriam, quàm parentes, ad hoc tantùm Turonos expetijt, vt orationi vacaret; per quam Deus crebrò miracula oſtendere eſt dignatus. Nam ſi quis puſtulam malam incurriſſet, & ad eam veniens orationem precaretur, confeſtim illa proſternebatur ad ſupplicandum 1 Dominum, & colligens folia cuiuslibet oleris, aut pomi, ſaliua illinebat, faciens'q; Crucem ſuper vlcus, imponebat folium, & confeſtim ita omne venenum euaneſcebat, vt nihil penitus letiferi ægrotus vltra perferret. Quartanarijs quoq;, & gulam dolentibus, data benedicta aqua ſæpiùs 2 medebatur. Ad cuius nunc ſepulchrum 3 aſſiduè infirmi confluunt, & ſanantur. Nam quanti frigoritiones paſſi, quanti à puſtulis malis veneno ingraſſante præmortui, quanti dyſenteria ibi ſint ſanati, viritim non poteſt explicari. Sed licet multa ex his in libro, quem de eius vita conſcripſimus, memorauerimus, quæ deinceps geſta ſunt tacere nequiuimus. Probati Archidiaconi noſtri famula grauiter à quartano typo quatiebatur, & iam prope annum in hac febre ægrotabat. Quæ inter manus parentum depoſita ſuper tumulum ſanctum, domum incolumis eſt relata.

1 Oratione, foliis'q; ſaliua illitis, ac Crucis ſigno, ſancta ægrotorũ vlcera ſanabat.

2 Vide mirum effectũ aquæ benedictæ.

3 Infirmi cõfugientes ad ſãctæ ſepulchrum curãtur.

DE SANCTO SENOCH ABBATE.

CAP. XXV.

SENOCH Abbatis vita dudum à nobis ſcripta fuit. In quo libello multis eiuſdem virtutibus memoratis, finem fecimus. Sed quoniam ad eius tumulum virtus apparuit, ſileri à nobis abſurdum fuit. Nautulfus igitur puer nimia cæcitate detentus, & ipſam adhuc adoleſcentiam ætatis primæ ab hoc contagio deturpatam iugiter deflens, huius ſancti tumulum 1 expetijt, atq; proſtratus, & humili prece ſubnixus, flagitat ſibi eius ſuffragio lucem perditam reuocari. Quatriduum in hoc precatu perdurans, reſeratis oculis illuminatus abſceſſit. Sed & nunc multi frigoriticorum, aliorum'q; morborum detenti incommodo, vt de pallio eius aut decerpſerint fimbrias, aut contigerint, mox ſanantur. Hactenus de Turonicis.

1 Orat puer cæcus proſtratus ad ſãcti tumulũ, & lucẽ oculorum impetrat.

DE

DE SANCTO SYMEONE A' COLVMNA.

CAP. XXVI.

SYMEON verò confeſſor, qui in columna pagi Antiochenſis dicitur ſtetiſſe, frequenter incolis tribuit ſanitates. Et quia, vt legitur in eius vitæ libro, nullam vnquam mulierem poſt conuerſionem oculis attentis inſpexit, poſtquam columnæ editiori ſe ſanctitate feruens innexuit, non modò extraneæ mulieri, verumetiam nec propriæ matri ſe videndum permiſit. Et nunc ergo locum ipſum ab huius ſexus defenſat acceſſu. Nam ferunt quandam mulierem indutam fuiſſe veſte virili, & in baſilicam ingredi voluiſſe columnæ. Tractauit ſecum miſera agere poſſe per indumentum, vt latere poſſet altiſſimū, ignorans illud Apoſtoli: Quia Deus non irridetur. Et licet veniens ad templum, erexerit pedem, vt ſanctum ingrederetur limen, tamen protinus retrorſum ruens cecidit, & mortua eſt. Satisq; fuit populis, ne hoc vltra mulier vlla præſumeret, cùm in iſtam cerneret vltionem ſeuerè irrogatam.

DE SEPVLCHRIS PRAESBYTERORVM IN BASILICA SANCTI MARTIALIS.

CAP. XXVII.

IGITVR ſanctus Martialis Epiſcopus à Romanis 1 miſſus Epiſcopis in vrbe Lemouicina prædicare exorſus eſt. Euerſisq; ſimulachrorum ritibus, repleta iam credulitate Dei vrbe, migrauit à ſeculo. Erant tunc temporis cum eo duo Presbyteri, quos ſecum ab Oriente adduxit in Gallias. Verùm vbi completi ſunt dies eorum, vt & ipſi vocarentur de hoc ſeculo, coniunctis ſarcophagis, in eadem crypta, in qua ſanctus Epiſcopus, ſunt ſepulti, & vnus quidem parieti proximus, alter verò contiguus erat, ſuper terram tamen vterq; ſtabat, ſed non poterat alteri propter illum, qui primus erat, honor 2 impendi, hoc eſt non ipſe palla expandi poterat, non lumen accendi. Quod cùm incolæ loci moleſtè ferrent, quodam manè accedentes ad cryptam, inuenerunt ſepulchra diuerſis parietibus eſſe locata, & ſic acceſſus liber ad vtrunq; ſepulchrum patuit.

1 Si Romani Pontifices ſāctū Martialē ad vrbē Lemouicenſem miſerūt Epm ſeqtur quòd Ro. Eccleſia cūctarū quæ per mundū ſunt, mater eſt, & magiſtra.

2 Ecce qūo etiā antiqtus ſancti honorabantur, & lumina ante eorum ſepulchra accendebantur.

DE MIRACVLIS AD SEPVL GHRVM EIVS FACTIS.

CAP. XXVIII.

1 Celebratis vigilijs in ipſa nocte feſtiuitatis, dum attentè iuxta ſepulchrũ orat.

PVELLA quædam, cui, neſcio quo exiſtente peccato, manus vna diriguerat, ac digiti palmæ defixi erant, ad eius ſepulchrum aduenit, confiſa de virtute confeſſoris, quia poſſet eius interceſſio manum aridam abſoluere, cuius prædicatio populum vanis ſuperſtitionum ritibus irretitum abſoluit. Celebratis ergo 1 vigilijs, in ipſa nocte feſtiuitatis, dum attentè iuxta ſepulchrum orat, manum ſuam directis digitis, populo teſte, ſanatam miratur attonita.

DE SANCTO DETREMONIO EPISCOPO ARVERNO.

CAP. XXIX.

1 Proſtratus ad ſancti tumulum orat, & ſigno Crucis ſuper fauces per Presbyterum facto, loquelæ vsũ ruſticus recuperat.

QVIDAM loquelam emeruit hoc modo. Hic, vt cruda operatur ruſticitas populorum, iuramentũ mendax in Eccleſia protulit, moxq́ rigente lingua mutus effectus eſt, ita vt non vocis humanæ, ſed bidentis mugitum ſimulare videretur. Adueniens autem ad Detremonij Epiſcopi tumulum, proſternitur 1 ad orationem, ſenſitq́, vt poſtea aſſerebat, tanquam ſi aliquis guttur eius tangeret (quod, vt credo, virtus erat Dominici Confeſſoris) egreſſusq́ Presbyterum, qui aderat, nutu deprecabatur, vt ſignũ Crucis faucibus clauſis imponeret. Quod cùm Presbyter feciſſet, iterum proſternitur ad orationem, protinusq́ eleuatus vocis officio reddito, omnia, quæ pertulerat, proprio patefecit eloquio.

DE SANCTO AVSTREMONIO EPISCOPO ARVERNO.

CAP. XXX.

PER ſanctum autem Auſtremonium,qui & ipſe à Romanis 1 Epiſcopis cum Gatiano beatiſſimo,& reliquis,quos memorauimus,eſt directus, primùm Aruerna ciuitas verbum ſalutis accepit,eoq́; prædicante,Saluatorem mundi,Redemptoreḿq; omnium Chriſtum Dei filium credere cœpit. Huius autem ſepulchrum apud Iſiodorenſem vicum habetur,cui cruda ruſticitas licet ſciens quis in eo quieſceret,nullum tamen exhibebat honoris cultum.Poſt longa verò annorũ curricula, Cautinus,qui ipſius Aruernæ vrbis modò prælatus eſt,in diaconatu ſuo Eccleſiam vici illius rexit. Igitur dum nocte quadam in lectulo cellulæ ſuæ,quæ huic baſilicæ adhærebat,decumberet, audiuit pſallentium reſonantes voces ,& ſurgens vidit templum magno ſplendere lumine,& obſtupefactus aſpicit intrinſecus (erat enim cellula illa in ſuperiore cõtra feneſtras templi) & ecce circa tumulum multitudo albatorum tenentium cereos,& pſallentium. Quod diutiſſimè cernens,poſtmodum diſceſſit ; & ſtatim facto manè iuſſit tumulum cancello vallari,ac palliolis nitentibus obuelari,præcepitq́; reuerentiam loco illi impendi. Ex hoc tempore oratio ſuper tumulum funditur,& auxilia Antiſtitus impetrantur. Hæc ab ipſius Epiſcopi ore audiui.

1 Nota & hũc Epũm miſſũ fuiſſe in Gallias cũ alijs à Romanis Epiſcopis.

DE EO, QVI EVLOGIAS ACCEPIT A' SACERDOTE.

CAP. XXXI.

MAgna quidem gratia eſt,ſi Sacerdotium dignè cuſtodiatur in actu. Si enim homini iniquo,ac perſecutori iuſtitiæ tantum contulit Sacerdotium,vt prophetiam mereretur,id eſt Caiphæ,qui prophetauit vnum oportere mori pro populo,ne gens tota periret,quantò magis timentibus Deum,& ſanctè,ac purè ſacerdotium cuſtodientibus tribui poteſt à maieſtate diuina? ita vt etiam iuxta Iacobum proſit infirmis eum oratione viſitatio Sacerdotis,& plerunq; conferat præſidium ſola tantùm eulogiarum porrectio eius manu,ſecundùm illud,quod apud Aruernos geſtum in adoleſcentia mea in veritate cognoui. Quidam Presbyter ſolitarius iter carpens,ad hoſpitiolum cuiuſdam pauperis Lemouici manſionem expetijt.Qua accepta , iuxta morem Sacerdotum nocte à ſtratu ſuo conſurgens, orationi aſtitit. Sed & homo, quem neceſſitas compellebat lignum ex ſyluis euehere,valde maturè ſurrexit . Acceptum verò homo ille panem non priùs comedit , quàm à Sacerdote benediceretur, aut ab eo eulogias acciperet ; quibus acceptis, abijt . Cùmq; ad amnem adhuc ante lucem veniſſet,impoſito plauſtro cum bobus in pontone, qui ſuper amnem locatus erat,tranſmeare cœpit in alterum littus. Verùm vbi in medium amnis deuenit,audiuit vocem dicentem: Merge,merge,ne moreris. Cui reſpondens vox alia ait: Sine tua quidem admonitione quæ proclamas feciſſem , ſi res ſacra meis conatibus non obſtaret.Nam ſcias eum eulogijs Sacerdotis eſſe munitum,ideo ei nocere non poſſum. At ille vocem audiens,& perſonam nullius cernens,ac de ſe verba iactari cognoſcens,conſignans ſe Cruce 1 Dñica gratias Deo agit,quòd ſibi pars aduerſa præualere non potuit . Tunc in littus vlterius progrediens,cum optato onere domum regreſſus eſt ſaluus.

1 Conſignans ſe Cruce Dominica.

DE DVOBVS AMANTIBVS.

CAP. XXXII.

1 Vides aliquos matrimonio inuicē cōiunctos cœlibē vitā duxiſſe?

DVOS fuiſſe apud Aruernum, virum ſcilicet & puellam, refert antiquitas, qui coniuncti coniugio, non 1 coitu, & in vno ſtratu quieſcētes, non ſunt ab alterutro polluti in voluptate carnali. Poſt multos verò annos cùm eis eſſet latenter vita caſtiſſima, ex conſenſu pari vir tonſuratus eſt ad clericatum, puella verò religioſum induit veſtimentum. Factum eſt autem, vt impletis diebus puella migraret à ſeculo. Itaq; vir eius præparata ſepultura, exhibuit corpuſculum ad ſepeliendum. Cùmq; eam ſepulchro reconderet, arcanum, quod inter eos conuenerat, eleuatis manibus ad cœlum pandit, dicens: Gratias tibi, rerum omnium artifex, ago, quòd ſicut mihi eam commendare dignatus es, ita tibi reddidi ab omni voluptatis contagio impollutam. At illa ſubridens ait: Sile, ſile, vir Dei, quia non eſt neceſſe proloqui noſtrum nemine interrogante, ſecretum. Igitur ea obtecta opertorio, vir ille receſſit. Non poſt multum verò tempus & ipſe migrauit à ſeculo, ſepultusq; eſt in loco ſuo. Erāt autem in vna quidem baſilica, ſed apud diuerſos parietes vtrunq; ſepulchrum habebatur, & vnum quidem ad Meridiem, alterum ad Aquilonem. Manè autem facto, inuenta ſunt coniuncta eſſe ſepulchra, quæ vſq; hodie ſic perdurant. Idcirco nunc incolæ duos amantes illos vocitant, & ſummo venerantur honore.

DE AMABILE PRESBYTERO.

CAP. XXXIII.

1 Magnū miraculū, quo Dux contēptor cōpulſus eſt ad beati viri tumulū orationē fundere.

FVIT etiam in ſupradicta Aruerna vrbe admirabilis ſanctitatis Amabilis quidam vici Ricomagenſis Presbyter, qui virtutibus magnis præcellens, ſæpè ſerpentibus dicitur imperaſſe. Ad huius tumulum cùm Dux Victorius deſpexiſſet 1 orare, affixum è regione equum nequaquam poterat amouere. Quem cùm flagris, ſtimulis'q; vrgeret, & ille quaſi æneus ſtaret immobilis, tandem aliquando Dux à ſuis commonitus, qui, vt ita dicam, ipſi pecudi ſimilis erat factus, ad orationem deſcendit. Cùmq; fideliter oraſſet, quò voluit iuit. Ad huius etiā ſepulchrum energumenū vidi mundatū. Periurantem verò diriguiſſe ferunt, & illum ipſum, cùm crimen confeſſus fuiſſet, illico abſolutum.

DE GEORGIA RELIGIOSA.

CAP. XXXIIII.

Aiunt etiam fuiſſe in ea vrbe puellam quandam religioſam, atq; deuotã Deo, quæ ruri commanens, quò ab vrbica frequentia ſummota, liberius dignas Deo laudum hoſtias exhiberet, quotidie [1] ieiunijs, & orationibus inſiſtebat. Factum eſt igitur vt migrans ab hoc mundo, ad baſilicam oppidi cauſa ſepeliendi portaretur. Verùm vbi leuato feretro corpus per vicum ferri cœpiſſet, adueniens grex magnus columbarũ ſuper eam volare cœpit, atq; illuc volitando ſequi, quò hæc à proximis ferebatur. Quæ in baſilicam delata, grex totus ſuper tectum ædis ipſius viſus eſt conſediſſe. Illaq; ſepulta, ad cœlos euolauere columbæ. Vnde non immeritò Georgia nuncupata eſt, quæ ſic exercuit mentem cultura ſpiritali, vt adepto virginitatis ſexageſimi fructus prouentu, egrediens è ſeculo, cœleſtibus honoraretur exequijs.

[1] Quotidie ieiunijs, & orationibus inſiſtebat.

DE SEPVLCHRO EFFRACTO IN BASILICA SANCTI VENERANDI.

CAP. XXXV.

IN baſilica autem ſancti Venerandi, quæ ſancti Illidij Eccleſiæ eſt proxima, tranſuoluta cellula à parte occidentis fuit, in qua multa ex marmore pario ſepulchra ſculpta ſunt. In eis verò nonnulli virorum ſanctorum, ac mulierum aliquæ religioſarum quieſcunt; nanq; non ambigitur eos eſſe Chriſtianos, quia ipſæ hiſtoriæ ſepulchrorum ſunt de virtutibus Domini, & Apoſtolorũ eius. Eo quoq; tempore, quo Georgius Vaionorum ciuis, Aruernæ vrbis comitatu potiebatur, pars tranſuolutionis illius, quæ per longinquæ incuriæ negligentiam pluuijs erat infuſa, ſuper vnum eorundem ſarcophagorum ruit, opertoriũq; eius impulſum in fruſta comminuit, in quo apparuit puella iacens, ita mẽbris omnibus ſolidata, quaſi nuper ab hoc ſeculo fuiſſet aſſumpta. Nã facies, manusq; eius cũ reliquis artubus integræ erant cũ ingenti etiã comæ longitudine, ſed credo eam aromatibus fuiſſe conditam. Veſtimentum autem, quod artus tegebat exanimes, ab aquarum vi erat illæſum, nullaq; putredine reſolutum, aut nigredine quacunq; fuſcatum. Quid plura? Ita apparebat integra, vt dormiens potius quàm mortua putaretur. Autumabant autem quidam noſtrorum ob candorem veſtimenti holoſerici, in albis eam tranſiſſe. Aiebant etiam annulos, murenulaſq; aureas circa eam repertas, & clam, ne Epiſcopus ſentiret, ablatas. Nulla tamen ætas temporis noſtri, cuius meriti, generiſq;, aut nominis fuerit, aut opinione, aut lectione cognouit. Dum autem hoc corpuſculum per anni vnius ſpatium detectum iaceret, nec eſſet qui reſpectu humanitatis huic adhiberet ſepulchro tegumen, contigit vt vxor antedicti Comitis, poſt obitum viri grauiter ægrotaret, ac diuturna tandem valetudine liberata, oculorum lumine mulctaretur. Quæ laxata febre vocat medicos, diuerſa adhibet ſtudia, largitur & præmia. Sed nullis potuit modis ab eiſdem elicere medelam, donec tandem aliquando pietas

Domini commota reſpiceret. Apparuit enim ei perſona quædam per viſum noctis, dicens: Si vis viſioni priſtinæ reſtaurari, perge quantocyus, & require lapidem mundum, ac ſarcophagum puellæ quieſcentis, qui in baſilica ſancti Venerandi detectus habetur, citius tege, & mox detectis viſibus oculorũ tuorum, clarè cuncta proſpicies. Poſtquam igitur vas illud clauſit opertorio, protinus apertis oculis lumen recepit ex integro. Vnde non ambigitur eſſe eam nobilis meriti, quæ talia præſtare potuit ægrotanti.

DE ALIIS SEPVLCHRIS SANCTORVM IN EADEM BASILICA.

CAP. XXXVI.

SVnt autem in hoc loco multa ſepulchra, quæ, vt diximus, fidelium eſſe probantur. Habetur enim ibi tumulus huic à læua contiguus, longitudine, latitudine, altitudine, omniq́ꝫ poſitione eidem conſimilis, in cuius fronte ſuperiore habetur ſcriptum: Sanctæ memoriæ Gallæ. Eſt & illud nihilominus ſepulchrum eius, qui ibi ſculptus eſt, meritis glorioſum, inter egreſſum baſilicæ sãcti Illidij, & ingreſſum templi beati Venerandi, in edito poſitum, in quo ferunt Alexandrum quendam religioſum fuiſſe ſepultum; ex eo autem frequens infirmorum neceſſitas, eraſo 1 puluere, atqꝫ hauſta potione, extemplo conſequitur ſoſpitatem. Inde igitur tam frequens hauritur medicamentum, vt pro aſſiduis beneficiorum commodis transforatum ab aſpicientibus cernatur. E regione autem huius ſepulchri, ſi ingrediaris per oſtium in baſilicam ſancti Venerandi, in dextera parte ſepulchrum paruulum contemplaberis, ſuper terram ſitum, & ruſticiori formatum lapide; ſed ignotum eſt omnibus quis quieſcat in eo. Haberi autem in eo diuinum aliquid, res ipſa, quã dicturus ſum, pandit. Medicus quidam, vt ipſi oculis noſtris inſpeximus, ſuper ipſum ſolitus erat conſidere; ſed credo eum, vt fragilitas humana præbet, in aliquod indignum facinus obuolutum, quia virtute quieſcentis cum ſonitu magno excuſſus, longè proiectus eſt, ſepulchrumq́ꝫ medium crepuit, quod vſqꝫ nunc ita cernitur. Indignum quippe ſe hominem humatus exiſtimauit, qui ſuper hos artus deberet facere ſeſſionem. In hac autem baſilica & beatus martyr Liminius eſt ſepultus, cuius agonis hiſtoria cùm ab incolis teneatur, nullus tamen ei cultus venerationis impenditur. Sunt enim ibi vt diximus, illuſtrium meritorum viri, quorũ nomina ignota incolis, ſcripta tamen, vt credimus, retinentur in cœlis.

1 Miracula hæc, quæ apud ſanctorũ tumulos Deus operatur, eorum vitæ ſanctitatẽ, & innocentiam comprobãt.

DE SANCTORVM VENERANDI, NEPOTIANIQVE EPISCOPORVM SEPVLCHRIS.

CAP. XXXVII.

EST ibi & ſepulchrum ipſius ſancti Venerandi Epiſcopi, à quo hæc ædes nomen accepit, ſub analogio compoſitum, ſuper quod caput per feneſtellam quicunq; vult immittit, precans quæ neceſſitas cogit; obtinetq; mox effectum, ſi iuſtè petierit. Ibi & ſanctus Nepotianus Epiſcopus requieſcit, qui fuit in ſeculo ſummæ vir ſanctitatis, obtinens nunc à Domini potentia quæ ab eo fuerint implorata. Sæpè enim ſuper hæc ſepulchra frigoriticorum oratio fuſa deſideratam obtinet medicinam.

DE MONACHO, QVEM ORANTEM ABBAS ASPICIEBAT.

CAP. XXXVIII.

MAgna quondam fuerunt mundi luminaria, quæ vt ſol radijs, ita mundum virtutibus illuſtrabant. Aiunt enim in quodam monaſterio fuiſſe monachum, qui cùm apud alios iuxta regulas 1 monaſteriorum ordini, & lectioni inſiſteret, ſecretiùs tamen, atq; peculiariùs omnipotenti Deo ſacrificia reddebat orationum. Nam poſt impletum in oratorio curſum, eleuabatur clam à præſentia fratrum, & abiens inter condenſos rubos, buxosq;, & ilices, vbi iam ſpes erat quod à nullo niſi à ſolo inſpiceretur Deo, proſternebat 2 ſe in orationem. Verùm poſtquam decumbens Dominum diutiſſimè deprecatus fuiſſet, eleuans ſe ab humo, erectis ad cœlum palmis, atq; luminibus, pſalmorum tacitè ſeriem recitabat, & in tanta compunctione cœlo erat intentus, vt riui lachrymarum ab eius oculis vehementer effluerent. Quod cùm vnus fratrum cautiùs proſequens præuidiſſet, Abbati non ſiluit. Ille verò attētus quando ad hæc agenda is properaret, proſecutus eſt à longè, & proſtratus ſolo expectabat quid fidelis diſcipulus exerceret. Porrò attentus à longè vidit miraculum magnum. Nam ab vtraq; parte oris eius flamma proceſſerat, & in lōgum paulatim deducta, quaſi funiculus ſuper eum aſcendit; coniunctaq; ſimul pharum magnam effecit, quæ vſq; ad cœlos videbatur ſcandere. Et quanquam in ſublime producta excreſceret, non tamen comæ capitis erat noxia. Stupens viſu Abbas compreſſit ſe paulùlum. Ille igitur, completa oratione, ad monaſterium redijt. Abbas autem per viam aliam eſt ſecutus, multis poſtmodum opprobrijs monachum arguens ad vanam gloriam coërcendam, non tamen indicans quæ vidiſſet.

1 Iuxta regulas monaſteriorum ordini, & lectioni inſiſteret. Habebant ergo etiā antiqui monachi regulas, & conſtitutiones.

2 Vide oratione cū proſtratione, itemq; cùm eleuatiōe manuū, & oculorum ad cœlum.

DE IGNE, QVI E' RELIQVIIS SANCTORVM SAEPE' PRORVPIT. CAP. XXXIX.

MYSTICVM, vt opinor, hic ignis contiñet ſacramentum,& tenebræ ſenſus mei eum intelligere non queunt, qualiter apparens, lumen tantum præbeat, nec quicquam adurat. Vnum tamen ſcio, quòd iuſtis, aut ſuper iuſtos apparent iſta. Nam Moyſi in rubo, reliquisq́; patribus apparebat in holocauſto. Beati quoq; Martini prorumpens è capitis vertice, cœlorum ardua penetrauit. Et Brachionem Abbatem ſæpius audiui referẽtẽ, ſicut in libro vitæ eius ſcripſimus, ꝙ dũ in antedicti Pontificis baſilica nocturnas excubias celebraret, & reliquiæ ſanctorum à peregrinis delatæ ſuper altare haberentur, ſubitò globus ignis ab eiſdem emergens, vſq; ad cameram templi viſus eſt conſcendiſſe; ſed non multis, vt ipſe aiebat, oſtenſus eſt. Sic & in dedicatione oratorij noſtri apparuit, ſicut ſupra memorauimus.

DE VISIONIBVS PRO PATRIS MEI INFIRMITATE. CAP. XL.

SED nec illud abſurdum eſt credere, quòd ſæpiùs per viſiones apertas Dominus reuelare dignatur, qualiter aut honorentur ſancti, aut infirmi medicamina conſequantur. Nam recolo in mea infantia, cùm pater meus ab infirmitate humoris podagrici laboraret, & ardore febrium, ac doloribus multis attenuatus lectulo decubaret, vidiſſe me in viſu perſonam dicentem mihi: Legiſti'ne librum Ieſu Naue? Cui ego: Nihil aliud literarum præter notas agnoui, in quarum nunc ſtudio conſtrictus affligor. Nam hic liber proſſus an ſit ignoro. Et ait: Vade, facitoq́; haſtulam paruulam ex ligno, quod hoc nomen recipere poſſit, ſcriptumq́; ex atramento ſub paterni capitis fulcrum colloca. Erit enim ei præſidium, ſi quod loquor impleueris. Manè autem facto matri quæ videram indicaui. Illa verò iubet impleri viſionis præcepta. Quod cùm feciſſem, ſtatim genitor ab infirmitate conualuit. Decurſo quoq; alterius anni curriculo, iterum ab hoc incommodo capitur, accenditur febris, intumeſcunt pedes, dolore peſſimo nerui intorquentur. Hæc eo perferente, dum cum magno gemitu in ſtratu decumberet, vidi iterum perſonam in viſione interrogantem me, ſi librum Thobiæ cognitum haberem. Reſpondi, quòd nõ legeram. Qui ait: Noueris hunc fuiſſe cæcum, cuius filius Angelo comite dum iter ageret, in flumine piſcem cœpit. Cuius, indice Angelo, cor, iecurq́; ſuſtollens, patris ſubfumigat oculos, qui ſtatim, fugatis tenebris, lumen recepit. Vade igitur tu, & fac ſimiliter, & accipiet refrigerium dolorum genitor tuus. Hæc matri cùm referrẽ, confeſtim pueros ad amnẽ dirigit, piſcis capitur, ſubtracta ſunt de extis quæ iuſſa fuerant, & prunis impoſita. Cùm primum igitur fumus odoris patrem attigit, protinus tumor, dolorq́; diſceſſit.

DE

DE SANCTO GERMANO ALTIſIODORENSI EPISCOPO.

CAP. XLI.

GERMANVS autem glorioſus Confeſſor in vrbe Rauenna obijt, inde verò leuatus, poſt dies ſexaginta ad ciuitatem Altiſiodoram delatus, ſepulturæ mandatus eſt. Tempore autem Tendechildæ Reginæ Nunninus quidam Tribunus ex Aruerno de Francia poſt reddita Reginæ tributa reuertens, Altiſiodorenſem vrbem adiuit cauſa tantùm religionis, prouolutus 1 ad beati ſepulchrum cùm diutiſſimè oraſſet, extracto de vagina enſe, lapidem, qui ſuper venerabile ſepulchrum habebatur, nemine vidente percuſſit. De quo excuſſa particula modica, tanquam æneus diriguit, ita vt nullum membrum poſſet mouere, aut vocem emittere. Videntes autem eum pueri ſic iacere, neſciebant quid ei eueniſſet. Accedens verò vnus eorum, cùm eum interpellaſſet, nullum ab eodem reſponſum accepit. Tunc ille vt erat rigidus, in corde ſuo intelligens ſe damnatum, vouit dicens: Scio me præſumptuoſum extitiſſe, beatiſſime Confeſſor; ſed deuotio exegit, vt præſumerem; & ideo ſi 2 me dignaris abſoluere, & ad propria cum tua gratia redire permiſeris, in baſilica has reliquias condens, feſtiuitatem tuam deuotiſſimè annis ſingulis celebrare curabo. Cuius clauſum murmur vir ſanctus intelligens, eum abſoluit, & abire permiſit incolumem. Itaq; veniens, reliquias illas in eccleſia poſuit, & ſancti feſta per ſingulos annos fideliter celebrauit. Quodam autem tempore ad ſupradictam baſilicam, in qua reliquiæ conditæ ſunt, cum Auito Epiſcopo acceſſimus. Quò cùm ſanctus Pontifex ieiunus ingreſſus fuiſſet hora quaſi decima, omnes, qui enim eo eramus, odorem liliorum, & roſarum naribus hauſimus. Quod nobis beati Pontificis præſtitum merito non ambiginus: erat enim menſis nonus.

Actum eſt hoc in vico Muſiacas.

1 Prouolutus orat ad beati Germani ſepulchrum.

2 Ecce votum ſub conditione, & illius adimpletio.

DE HILARIO DIVIONENSI SENATORE.

CAP. XLII.

APVD caſtrum Diuionenſe quidam ex Senatoribus habitauit, habens coniugem, ex qua & filios dicitur ſuſcepiſſe. Is omnem domum ſuam ita in caſtitate, atq; omni puritate tam animi, quàm corporis excolebat, vt nullus ibi adulterium exercere præſumeret, eſſetq; impletum in hac domo, quod dudum ſancto repletus ſpiritu Apoſtolus prædicauit: Honorate connubium, & toros immaculatos. Hac itaq; tam inter dominos, quàm inter famulos caſtitate pollente, obijt vir ille, qui qualis, quantusq; fuerit iuxta ſeculi dignitatem, ſepulchrum eius hodie patefacit, quod marmore pario ſculptum renitet. Eo autem defuncto, & iuxta humanam conſuetudinem ſepulturæ mancipato, mulier deducto anni circulo ægrotauit, obijt, atq; abluta est. Et quoniam ſepulchrum illud tam immenſum erat, vt & ipſam iuxta imperium viri ſuſciperet, amoto opertorio dum locaretur in tumulo, ſubitò eleuata vir dextera, coniugis ceruicem amplectitur. Quod admirans populus depoſito receſſit opertorio, cognouitq; quæ eis caſtitas, qui timor in Deum, quæ etiam inter ipſos dilectio fuiſſet in ſeculo, qui ſe ita amplexi ſunt in ſepulchro.

Nota antiquam cõſuetudinem lauandi corpora poſt mortem, antequã ſepeliantur.

DE SANCTA FLORIDA, ET SANCTA PASCHASIA.

CAP. XLIII.

IN hac autem baſilica & ſancta Florida quieſcit, quæ, vt ferunt incolæ, veſte mutata, religioſa valde fuit. Eſt haud procul & alia baſilica, in qua Paſchaſia ſancta quieſcit. Hæc fertur appáruiſſe ſtructoribus baſilicæ ſancti Benigni martyris, qui in ea habetur, hortans vt operi cœpto inſiſterent, ſcirentq; ſe martyris adiutorio adiuuari. Quæ in baſilicam regreſſa nuſquam comparuit.

DE SANCTO TRANQVILLO

[illegible]

CAP. XLIIII.

IN hoc loco & Tranquillus beatus Confeſſor requieſcit, ſuper terram ſepulchrum habens, de quo magnum beneficium præſtatur petentibus. Nam de muſco ſupernato medicamina populi promerentur, Vnde & ego magnū experimentum tuli. Nam cùm manus meæ minutis efferuiſſent puſtulis, & dolores peſſimos ob hoc grauiter ſuſtinerem, de hoc muſco tactas, quieſcente humore, protinus retuli ſanas.

DE SANCTO SEVERINO EPISCOPO BVRDEGALENSI.

CAP. XLV.

HABET & Burdegalenſis vrbs patronos venerabiles, qui ſæpius ſe virtutibus manifeſtant, ſanctum in primis Seuerinum Epiſcopum in ſuburbano murorum ſumma excolens fide. Et licet iam dixerimus in prologo libri huius, quòd ea tantum ſcriberemus, quæ Deus poſt obitum ſanctorum ſuorum, eis obtinentibus, eſt operari dignatus, tamen non puto abſurdum duci, ſi de illorum vita memoremus aliqua, de quibus nulla cognouimus eſſe cōſcripta. Sāctus igitur Seuerinus, vt ipſorum Burdegalenſium clericorum fidelis relatio profert, de partibus Orientis ad eandem deſtinatur vrbem. Dum autem iter ageret, & Eccleſiam Burdegalenſem Amandus Epiſcopus regeret, apparuit ei Dominus in viſu noctis dicens: Surge, & egredere in occurſum famulo meo Seuerino, & honora [1] eum ſicut honorari ſcriptura ſancta docet Dei amicos; melior eſt enim te, meritisq; ſublimior. Exurgens autem Amandus Epiſcopus, accepto bacillo in manu ſua, perrexit in occurſum eius, nihil de viro ſancto ſciēs, niſi quæ Dominus reuelarat. Et eccę ſanctus Seuerinus veniebat quaſi obuiam ei. Tūc appropinquantes, ac proprijs ſe nominibus ſalutantes, ruunt pariter in amplexus, deoſculatiq;, ac fuſa oratione, Eccleſiam cum magno pſallentio ſunt ingreſſi. Quem deinceps intantum dilexit, ac veneratus eſt Amandus Epiſcopus, vt eum in locum ſuum ſubſtitueret, ac ipſe quaſi iunior haberetur. Deniq; poſt paucos annos obijt beatiſſimus Seuerinus, quo ſepulto, Amandus Epiſcopus recepit locum ſuum, quem ei non dubium eſt per obedientiam redditum, quam in Dei ſanctum exercuit. Illum igitur incolæ, cognita eius ſanctitate, patronum ſibi aſciſcunt. Quòd ſi quandoq; vrbem aut morbus obrepat, aut hoſtilitas obſideat, aut aliqua percellat calamitas, protinus cōcurrētes populi ad baſilicam sācti, indictis ieiunijs [2] vigilias celebrant, deuotiſſimè orationem fundentes, & mox ab imminenti calamitate ſaluantur. Vitam tamen huius, poſtquam hæc ſcripſimus, à Fortunato Presbytero conſcriptam cognouimus.

[1] Hoc modo honorantur ſancti quaſi amici Dei.

[2] Ieiunijs, vigilijs, & orationibus impetrant populi liberationem à calamitate.

DE ROMANO EIVSDEM VRBIS PRESBYTERO.

CAP. XLVI.

HABETVR in hoc territorio & ſanctus Romanus Presbyter, quem vt ſcripta vitæ eius edocent, Martinus noſter ſepulturæ locauit. Eſt autem ſepulchrum eius contiguum Blauienſi caſtello, ſuper littus amnis Garonnæ, in quo ſæpiùs naufragio perituri, virtute eius ſaluati ſunt, proclamantes inter fluctus torrentis vndoſi: Miſerere noſtri, ſancte 1 Romane Confeſſor Dei. Mox enim, ſedata tempeſtate, optato littore potiti ſunt. Nec enim fas eſt, vllum perire naufragio, qui eius baſilicam amnis de medio cõtemplari meruerit. Quod & nos in grãdi neceſſitate experti ſumus. Nam cùm imber crebeṙrimus per multos defluens dies, amnem Garonnam extra littora eieciſſet, atq; impellente vento validis fluctibus exundaret, eleuarenturq; fluctuũ mõtes validi, qui nõ paruũ intuẽtibus ingererent metũ, exoratus beatus Confeſſor obtinuit, ſicut credimus, virtutis ſuæ ſuffragio, vt compreſſis fragoribus, planum præberet flumen alueum. Et ſic ingreſſi nauem, ad ripam alteram ſine periculo ſumus deuecti.

1 Ecce ſancti inuocatio, & ad inuocationem auxilij exhibitio.

DE DVOBVS PRESBYTERIS PSALLENTIBVS.

CAP. XLVII.

SVNT etiam ſub eiuſdem territorij vico ſepulti duo Presbyteri, vt res ipſa declarat, egregiæ ſanctitatis viri. Nã eos poſt ſepulchra 1 viuere, ipſius rei miraculum, quæ geritur, manifeſtiſſimè docet. In vna quidem ſunt ſepulti baſilica, ſed apud diuerſos parietes. Nam vnius eorum ſepulchrum à parte Auſtri, alterius habetur ad Aquilonem. Igitur cùm ad implendum officium clerici pſallentium incipiũt exercere, & choris à ſe factis Domino turba canora cõcinere, miſcetur publico vox 2 vtriuſq; pſallentio, & vnus quidem chorus vnius vocis adiutorio adiuuatur, alius verò alterius vocis modulamine conualeſcit. Tantæq; eſt ſuauitatis hic concentus, vt audientium ſæpè mulceat attentos auditus. Probatur & per hos pleraq; indulgeri beneficia, ſi fidelis oratio præmittatur. Agitur autem hoc in vico Vodollacenſi.

1 Vide ſanctos & poſt mortem viuere.

2 Nota pro cõfirmatione cantus Eccleſiaſtici, q in baſilicis habetur.

DE ECCLESIA REONTIENSI.

CAP. XLVIII.

HAVD procul à Reontio villa eſt, in qua cũ eſſet Eccleſia Catholica, aduenientibus Gotthis, illam ad ſuæ ſectæ immunditiam tranſtulerunt. Eſt autem ſecus eam domus magna. Cùmq; aduenisſet vigilia Paſchæ, & hæreticorum ſacerdotes paruulos in Eccleſia noſtra tingerent, vt negato ſcilicet Sacerdoti orthodoxo libero aditu baptizãdi, faciliùs ad hãc ſectam populus implicaretur, Sacerdos ille orthodoxus ſagaci intentione, dum ij in Eccleſia noſtra eſſent, præparato miniſterio in domo eorum baptizare cœpit. Sed præcurrente diuina vltione de infantulis, quos ibi hæretici tinxerãt, id eſt bis denis, nullus ad diei terminum pertingere potuit viuens. Quod videntes hæretici, & domum ſuam Eccleſiam fieri timentes, Presbytero ſuam Eccleſiam reddiderunt. De his verò, quos ille baptizauit, nullus eo tempore eſt defunctus, niſi quem Dominus poſt legitimam ætatem vocare dignatus eſt.

DE IVSTINO, ET SIMILINO PRESBYTERIS.

CAP. XLIX.

INTRA terminum autem Beorretanæ vrbis, in vico Sexciacenſi ſanctus Iuſtinus Presbyter quieſcit. Qui cùm multis virtutibus polleat, ſæpiùs ad ſepulchrum eius energumeni declamantes mundantur. Huic meritis, ac ſanctitate propinquus eſt Similinus, qui eiuſdem ordinis officium in Eccleſia habuit, & apud Taluam vicum huius territorij quieſcit, ſimilibus florens virtutibus.

DE SANCTO SEVERO PRESBYTERO.

CAP. L.

HIS vrbe,& termino ſociatus eſt ſanctus Seuerus,& ipſe Presbyter ordinatus,nobili ſtirpe progenitus. Nam in rure Sexciacenſi, quod in eius ſeſſione ſubſiſtebat , duas Eccleſias ædificauit , & templa Dei ſanctorum reliquijs communiuit . Cùm autem dies Dominicus aduenîſſet , celebratis Miſſis vno in loco,ad alium pergebat. Erat autem inter vtraſq; Eccleſias ſpatium quaſi viginti millium. Hoc ei erat opus per ſingulos Dominicos dies. Factum eſt autem quadam Dominica, dum hoc iter tereret , & velociùs cornipedē calce verberãs properaret, vt caput eius ramus Meſpili arboris percuteret. At ille iniuriam ſentiens,ait : Areſcere te iubeat Deus, cuius nutu de terrâ egreſſa es : & confeſtim aruit arbor vſq; in ipſis virtutis ſuæ radicibus. Ille verò accedens quò ibat,celebratis Dei laudibus , fuit in eodem loco tribus diebus. Quarta autem die regreſſus,cùm vidiſſet arborem aridam, ait: Væ mihi,qui in amaritudine cordis maledixi huic arbori,ecce enim qualiter aruit. Et deſcendens proſtrauit [1] ſe ad radices eius,& ait ad dominum: Deus omnipotens,cuius nutu omnia gubernantur,cuius imperio non nata creantur,creata viuunt , mortua reformantur , cuius ſalubre præceptum tenentes , victuros nos poſt mortem corporis huius credimus per futuram reſurrectionem , tu præcipe vt reuireſcat hæc arbor,& ſit ſicut antea . Et ſtatim quaſi per aliquam venarū diſpoſitionem humor à terra conſurgens,per totos arboris patulæ ramos vberi irrigatione diffunditur,laxans'q; nodos arentes,prorumpentibus folijs,reuixiſſe ab aſtantibus eſt viſa . Magna quoq; illi fuit virtus,ac eleemoſyna,ita vt quemadmodū ſuperiùs dictū eſt,de domibus proprjis Eccleſias faceret,ac facultates ſuas in cibos pauperum erogaret . In vna verò earum ſepulchrum ſuum depoſuit,in qua & ſepultus eſt. Solitus erat etiam flores [2] liliorum , tempore , quo naſcūtur,colligere,ac per parietes huius ædis appendere .

[1] Vide orationē cū proſtratione, & eius mirabilem effectum.

[2] Ecce quomodo priſci quoq; patres floribus Eccleſias exornabant.

DE LILIO SEPVLCHRI EIVS.

CAP. LI.

VNde qualis fuerit vita eius in hoc ſeculo,ita Domino cooperante,clareſcit,vt euidentibus nunc prodigijs deſignetur. Igitur lilia,quæ diximus ab eo collecta,atq; in baſilica ſepulchri [1] eius poſita,prætereunte tēpore,laxatis deorſum florum filis,arente coma emarcuerunt,& ita exſiccata videntur,vt ſi contingantur manu,putentur in puluerem extemplo reſolui, totum'q; annum in hac ariditate perdurant . Adueniente verò die,quo confeſſor migrauit à corpore,in rediuiua viriditate reſurgunt, videas'q; folijs paulatim reuirētibus ipſos flores attolli, & ſine vllo aquæ,ac telluris humore,in ea ſpecie, qua quondam fuerant,renouari . Et ſic beatus confeſſor profert nouos flores è tumulo,qui cùm ſanctorum reliquis,vt palma,floret in cœlo .

[1] Ecce magnū miraculū in ſignū ſanctitatis viri beati.

DE SEPVLCHRIS, QVAE ELEVANTVR.

CAP. LII.

SVB terminoquoq; vici Iullenſis ſunt tres Presbyteri conſepulti, vt fertur per antiquam reuelationem, nullius cōſanguinitatis propinqui vinculo, ſed tantùm in amore Dei ſocij, ac è cœlo fratres effecti, qui vnius loci ſpatiū ſepulchris iuxta poſitis aſſiduitate miraculorum illuſtrant. Hi cùm per multorum annorum curricula in his, vbi ſepulti ſunt, loculis quieſcerent, ſciſſo nuper paui mento, quod calce, atq; comminuta teſta, quaſi ſilex duriſſima, fuſum erat, vnius ſepulchri cacumen apparuit. Quo paululum eleuato, tellus ſciſſa apicem alterius patefecit; illoq; emicante, ſecutus eſt tertius tumulus; qui nunc iuxta initium oſtenſionis ſuæ gradatim eleuantur 1 ſuper terram. Et nunc iam primus liber à mole terrena, liberum ſe viſibus præſtat humanis. Duo adhuc ſequuntur, atque annis ſingulis proficiunt ad egreſſum. O admirabile myſteriū Deitatis, quod artuum ſepultorum puritatem manifeſtat ſeculo, dum prodit è paui mēto, & ꝑparat ad reſurrectionē non verini nūquā morituro dandos, ſed luci Solis claritati æquandos, ac Dominici corporis conformatione clarificandos. Sūt autem hæc ſepulchra intra terminum, quem ſuperiùs diximus, apud vicum Atroam.

1 Vide & aliud miraculum præcedenti non inferius.

DE SEPVLCHRO THEOMASTI EPISCOPI.

CAP. LIII.

THeomaſtus quoq; iuxta expoſitionē nominis ſui admirabilis ſāctitate, Moniciacenſis vrbis fuiſſe fertur Epiſcopus; de qua vrbe neſcio quare demolitus, Pictauum oppidum petijt, ibiq; præſentem vitā in bona perdurans confeſſione finiuit. Cui quæ ſit merces in 1 cœlo, ad eius oſtēditur tumulū, eūq; inhabitare paradiſum prodit virtus egrediens de ſepulchro. Illudq; etiā in eo veraciter oſtenditur, quod Dominus Ieſus Chriſtus in Euangelio Marthæ dicit: Qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, viuet, & omnis, qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Hic ergo ſuper terram ſepulchrum habet ante ipſum atrium beati Hilarij, de quo tumulo eraſus à multis paluis, & hauſtus, ita dolori dentium, febriumq; medetur, vt qui hauſerit miretur effectum. Nam hæc benedictio tam aſſiduè experitur, vt iam in vno loco ſarcophagus appareat transforatus.

1 Cui quæ ſit merces in cœlo, ad eius oſtenditur tumulum.

DE LVPIANO CONFESSORE.

CAP. LIIII.

Ad ſepulchrum ſācti maxima ſūt oſtenſa mira cula.

INtra ipſum Pictauorū terminū, qui adiacet mari Oceano, ideſt in vico Ratiatenſi, Lupianus quidam in albis tranſiens requieſcit. Hic fertur à beato Hilario Antiſtite donum baptiſmatis ſuſcepiſſe; ſed mox, vt diximus, migrauit à corpore. Cui à Deo bonorum omnium largitore tanta eſt gratia attributa, vt ad eius ſepulchrum cæcus viſum, paralyticus greſſum, mutus mereretur eloquium.

DE MELANIO REDONENSI EPISCOPO.

CAP. LV.

MELANIVS autem Redonicæ vrbis Epiſcopus, poſt innumerabilium ſigna virtutum iugiter intentus cœlo, emicuit ſeculo; ſuper cuius ſepulchrum mira Chriſtiani fabricam celſitudine leuauerunt. Sed inſtinctu maligni, qui ſemper bonis aduerſatur operibus, quodam tempore ab igne comprehenditur. Palla verò erat lignea, quæ ſanctum Confeſſoris tegebat ſepulchrum. Illico igitur vbi tignorum congeries flamma dominante truncatur, ruunt tegulæ cum ligaturis, & reliquo tecti apparatu, vnaq; è trabibus flammato capite impetu ruinæ præpulſa, ſuper tumulum ſancti ruit. Quæ non modò ſuccendere pallam, verumetiam conterere inter ſe & lapidem ſepulchri potuerat. Ruit inſuper & immenſa multitudo carbonum. Alia quoq; vela, quæ vel parietibus, vel oſtijs dependebant, ad primum flammæ flatum exuſta ſunt. Hæc verò palla non ſolum non vſta, verumetiam nec in ſuperficie ab igne dedecorata eſt. Igitur expleto incendio, ingrediuntur populi cum eiulatu magno, & vſq; ad ſepulchrum Antiſtitis properant, inter fletus & lachrymas noua gaudia percepturi. Remouent à tumulo ligna cum flammis, apprehenſumq; tumuli velum, excuſſis prunis, mirantur omnes illæſum.

DE VICTORIO CENOMANENSI EPISCOPO.

CAP. LVI.

VIctorius Cenomanorum Epiſcopus magnis ſe virtutibus ſæpiùs declarauit. Nam ferunt quadam vice dum ciuitas ipſa cremaretur incendio,& validis globis flammæ huc illucq́; impellente vento propellerentur,hic quaſi paſtor bonus non perferens Eccleſiaſticas caulas ab inſidijs ſatanæ deuaſtari,obuiam ſe turbini obtulit;eleuataq́; manu facto ſigno Crucis è contra, illico omne ceſſauit incendium. Liberata'q; ciuitas gratias paſtori retulit,eò quòd non permiſerit res ſuas ab imminenti igne vaſtari. Ad huius quoq; ſepulchrum ſæpiùs infirmi ſanantur. Nota miram virtutem ſigni ſanctæ Crucis.

DE MARTINO ABBATE SANTONICORVM.

CAP. LVII.

MArtinus Santonicæ Vrbis Abbas,Martini,vt ferunt,noſtri diſcipulus, apud vicum vrbis ipſius in monaſterio,quod ipſe poſt magiſtri dogmata ædificauit,in pace quieſcit. Ad cuius tumulum quædam è pagenſibus manus contractas deferens,retulit ſanas. Alius,qui exuſtis febre neruis,poplitibus'q; intortis greſſu caruerat, vt ad ſepulchrum ſanctū proſtratus eſt,nouum robur ſumens,ariditate ſublata,incolumis relatus eſt,multos ipſi deinceps ſeruiens annos. Huius ſepulchrum Palladius Epiſcopus cùm nō valuiſſet cum multis, opitulante adiutorio confeſſoris,cum quinq; Abbatibus mouit,compoſuitq́; quomodo voluit.

DE BIBIANO EIVSDEM VRBIS EPISCOPO.

CAP. LVIII.

IN ſuburbano quoq; vrbis huius Bibianus Antiſtes quieſcit, cuius virtutum præſtantiam liber, qui iam de eius vita ſcriptus tenetur, enarrat. Nunc autẽ exoratus crebrò languentibus tribuit ſoſpitatem. Vnde videtur vt de tantis miraculis vel vnum fari præſumam. Mulier quædam, cuius manus aruerant, vnguibusq; iam ſauciatæ, contractis neruis, opus operandi perdiderant, ad beati ſepulchrum deuota proſternitur, factaq; oratione, manus reintegratas, laxatis digitorum filis, ad agendas Domino gratias meruit eleuare.

Ad beati ſepulchrũ deuota proſternitur, factaq; oratione liberatur.

DE TROIANO EIVSDEM SANTONICAE CIVITATIS EPISCOPO.

CAP. LIX.

TRoianus item Pontifex ipſius Santonicæ ciuitatis, ſancto huic Bibiano coniũctus cœlo, vicinus ei eſt & tumulo. Magnæ enim virtutis fuiſſe dicitur hic Sacerdos. Quodam verò tempore, dum inter obſcura noctium tempora loca ſancta, quæ tunc in circuitu vrbis habebantur, vno tantùm Subdiacono comite circuiret, apparuit ei globus magnus luminis quaſi de cœlo deſcendens. Cognita autem vir Dei re, ait comiti: Ne ſequaris penitus, donec ego te vocem. At ille terræ deuolutus, ſpectabat haud procul quid'nam miraculi ageret Dei ſeruus; erat enim ager publicus, in quo conſtiterat. Appropinquante verò lumine, cucurrit Sacerdos ad occurſum eius, & vſq; ad terram ſe humilians ait: Benedic, quæſo, mihi, beate Pontifex. Cui ille, qui aduenerat ait: Tu mihi benedic, Sacerdos Dei Troiane. Et dato ſibi oſculo, facta oratione, locuti ſunt diutiſſimè ſimul. Subdiaconus verò Antonius ſpectans vidit lumen, quod apparuerat, eadem, qua venerat, via reuerti. Vocans itaq; ad ſe Subdiaconum Epiſcopus ait: Accede nunc, vt explicemus cœptum iter ad viſitanda sãctorum loca. Tremens verò Subdiaconus ait: Quæſo, domine, ne deſpicias humilitatẽ meam, ſed indica mihi quæ videris, animaduerti enim neſcio quid fuiſſe diuinum. Cui ille: Dicam tibi, ſed tu nemini dixeris, nam ſcito, quòd in quacunq; die hæc publicaueris, ab hoc mundo migrabis. Sanctum, inquit, Martinũ Turonicum vidi, & ipſe locutus eſt mihi. Caue ergo ne cui vulgare audeas arcana Dei. Igitur Sacerdos impleto vitæ huius curſu obijt. Subdiaconus verò plenus dierum ægreferens quòd virtus ſancti Troiani occuleretur, conuocato Epiſcopo, clericis, ac quibuſdam ſenioribus, omnia, quæ à ſancto audierat, & qualiter myſterium luminis viderat, quòd manifeſtiſſime fidem Troiani, Martiniq; gloriam patefecit, ex ordine reſerauit; nec quicquam ex iis occuluit, adijciens hæc: Et vt probetis vera eſſe quæ loquor, finito ſermone, finẽ facio vitæ. Quibus dictis, clauſis oculis obijt, non ſine admiratione aſtantium. Magnæ igitur (vt diximus) virtutis fuit beatus Troianus Antiſtes, & honorabilis inter cunctos

Vide beatum Epũ pergere ad viſitanda ſanctorũ loca.

ciues vrbis ſuæ. Hic fertur dum eſſet in corpore, ſi nouum (vt aſſolet) amphibalum induiſſet, cum quo procedens diœceſim circuiret, fimbriæ huius veſtimenti à diuerſis diripiebantur; ſalubre enim omnis homo computabat quicquid ab eo rapere potuiſſet. Qui ſepultus in terris, cœlo ſe viuere multis virtutibus manifeſtat. Nam energumeni, frigoritici, cæteriq; infirmi, plerunq; ad eius tumulum exorantes, accepta incolumitate, recedunt.

Qui ſepultus in terris, cœlo ſe viuere multis virtutibus manifeſtat.

DE SEPVLCHRO DIVINITVS AMOTO IN EADEM VRBE.

CAP. LX.

HAud procul ab huius confeſſoris æde erat oratoriũ paruulum, & in angulo, vnde arcus oriebatur, erat magnus ſarcophagus, in quo ferebatur ſepultos fuiſſe duos, ſponſum ſcilicet, & ſponſam, qui poſt baptiſmum in albis poſiti à ſeculo diſceſſerunt. Hos etiam affirmabat antiquitas fuiſſe ex genere ſãcti Pictauenſis Hilarij. Hoc ergo ſepulchrum tali in loco ſitum, non modò iter obſtruebat ingredientium, verumetiam ne paries, qui à ſtillicidio infuſus fuerat, emendaretur, quia eſſet contiguus, inhibebat. Qua de cauſa Palladius Pontifex ciuitatis, qui ex genere quondam diuitis Palladij deſcenderat, remouere ipſum à loco nitebatur ſummo ſtudio, ita vt coniunctis ampliùs quã trecentis viris, cum funibus trahere, & vectibus impellere conaretur, poſitis iã lapidibus, ſuper quos hic ſarcophagus locaretur. Deniq; impenduntur totæ vires trahentium, ſed non valent mouere ſepulchrum. Frons tota ſudore perfunditur, ſed opus validum non impletur. Voces dantur hortantium, atq; dicentium: Eia age trahe funem: ſed non mouetur omnino ſepulchrum. Quid plura? Laſſantur omnes in opere, & intercedente nocte, petunt cuncti dari quieti. Statim verò vbi tranſactis nocturnis tenebris nouum illuxit mane, anxiùs cogitatione Sacerdos, rogat iterum procedere ſuos ad oratorium. Ipſe autem anticipans cunctos, ingrediensq; inuenit ipſum ſuper illos quos compoſuerat, lapides omni firmitate ſubſiſtere. Admiransq; Dominum glorificat, qui potenti virtute perfecit, quod manus humana nequiuerat. Horum tamen nomina nulli ſunt reuelata.

DE SANCTO NICETIO LVGDVNENSI EPISCOPO.

CAP. LXI.

NIcetius quoq; confeſſor in vrbe Lugdunenſi vir totius ſanctitatis, conuerſationis caſtiſſimæ, charitatis eximiæ, vita perfunctus eſt. Cuius eleemoſynæ, atq; humilitas, ne inueſtigari quidem, ne dum enarrari à nobis poſſunt. Qui poſtquam beatum ſpiritum præmiſit ad cœlos, poſitus in feretro ad baſilicam, in qua ſepultus eſt, ferebatur, & ecce vnus puerulus diuturna cæcitate grauatus, cum reliquis plangens adminiculo ſuſtentante ſequebatur. Factum eſt autem cùm graderetur, perlata eſt vox in aure eius ſecretius dicens: Appropinqua feretro, & cùm ſubter ingreſſus fueris, protinus recipies viſum. Ille verò interrogabat hominem, qui eum trahebat, quis eſſet, qui hæc verba auribus ſuis inferret. Negat ille quenquam videre, qui ei loquatur. Cùmq; bis & tertiò hæc vox aures illius verberaſſet, cognouit aliquid noui gerendum, & ſe ad feretrum poſtulat duci. Accedens autem, & inter albentium Diaconorum turbam perlapſus, quò iuſſus fuit ingreditur. Deniq; vt nomen ſancti inuocare 1 cœpit, illico reſeratis oculis, lumen recepit. Poſthæc puer erat aſſiduus in baſilica, ad ſepulchrum ſancti deſeruiens, & lumen accendens; ſed à quibuſdam ciuitatis maioribus opprimebatur, atq; fatigabatur, vt nec victus alimoniam poſſet habere. Cùmq; ſæpius hæc ad beatum quereretur ſepulchrum, apparuit ei ſanctus per viſum dicens: Vade ad Gunthrannum Regem, & ei quid patiaris, diligenter enarra. Ipſe enim tibi præbebit veſtitum, & alimentum, eripietq; te de manu inimicorum. Deniq; hac admonitione firmatus puer, ad Regem accedens, quæ ſuggeſſit obtinuit. Sed & nunc ad ſepulchrum beati confeſſoris multa miracula 2 Chriſto auſpice tribuuntur. Nam & miſerorum ibi cathenæ rumpuntur, cæci illuminantur, dæmones effugantur, ſanitati redduntur paralytici, perferentes ardores febrium liberantur. In quo loco tam frequenter oſtenduntur miracula, vt ex ordine ſcribi longum ſit. Retulit tamen mihi vir fidelis, quatuor ibi cæcos ante paucos dies fuiſſe illuminatos, & quòd hominem, quem claudum olim nouerat, incolumem nuper aſpexit.

1 Vt nomen ſancti inuocare cœpit, illico reſeratis oculis lumen recepit.

2 Hæc miraculorum multitudo ſanctitati beati viri teſtimonium fert.

DE SEPVLCHRO HELII EIVSDEM VRBIS EPISCOPI.

CAP. LXII.

DVM quadam vice ad occurſum ſupradicti Pōtificis ambulaſſem, & loca ſancta Lugdunenſis oppidi circuirem, vir ille, qui nos præcedebat, ad cryptam beati Helij inuitat ad orationem, dicens: Quia magnus Sacerdos in hoc loco quieſcit. Cúmq; oratione facta, ſancti tumulum admirarer; & tacitus de meritis eius aliquid interrogare cogitarē, aſpicio in oſtio eſſe ſcriptū, qualiter ſepulchri violator cadauer examine ſpoliare voluerit. Inquirenti verò cauſam, ſi hæc vera eſſent, quæ in oſtio picta cernebantur, vir mihi talia retulit: Sanctus Helius tempore paganorum in hac vrbe fuit Epiſcopus, qui defunctus ſepultus eſt à fidelibus. Nocte autem ſequenti veniens quidam paganus, lapidem, qui ſarcophagum tegebat, reuoluit, erectum'q; contra ſe corpus ſancti conatur ſpoliare. At ille extenſis 1 lacertis constrictum ad ſe hominem fortiter amplexatur; & vſq; mane populis aſpectantibus, tanquam deuinctum loris, ita miſerum brachijs detinebat. Igitur iudex loci violatorem ſepulchri iubet abſtrahi, ac legalis pœnæ ſententia cōdemnari; ſed non laxabatur à ſancto. Tunc intelligens voluntatem defuncti, fecit iudex de vita promiſſionem; mox'q; vinctus laxatur, & ſic incolumis redditur. O verè ſanctam vltionem pietate permixtam. Retinuit hominem, vt argueret; ſed tradi non permiſit ſupplicio, quem iam reddiderat emendatum.

1 Tu qui ſanctos vocas e mortuos, conſidera num hoc factū ſit mortui hominis.

DE FILIA LEONIS IMPERATORIS.

CAP. LXIII.

LEONIS autem Romani Imperatoris filia cùm à ſpiritu vexaretur immundo,& per loca ſancta duceretur,aſſiduè clamabat nequam ſpiritus: Non hinc egredior,niſi Archidiaconus Lugdunenſis adueniat, & niſi ipſe me de hoc vaſculo,quod acquiſiui,eijciat,nullatenus hinc ſum egreſſurus. Audiens hæc Imperator,dirigit ſuos ad eum. Quem illi repertum ſuppliciter exorant,vt cum eis ad viſitandam puellam Romam dignaretur accedere. Ille verò contradicens,& ſe indignum,per quem Chriſtus miracula oſtenderet,eſſe vociferans,admonitus Epiſcopi ſui conſilio, cum eiſdem nuncijs iter dirigit,& ad Imperatorem veniens,cum honore ſuſcipitur. Audiens autem de infirmitate puellæ,ſe ad baſilicam beati Petri Apoſtoli confert,ibiq; continuato cũ 1 vigilijs,& orationibus triduano ieiunio,quarta die per inuocationẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti,& Crucis vexillum,immundum ſpiritum à corpore puellæ depellit. Qua ſanata,tria ei centenaria auri Imperator offert. Sed ille vir altioris ſpiritus,caducas diuitias reſpuit,dicens: Si me tuis muneribus locupletare deſideras,illud,quod cunctæ proficiet ciuitati,largire. Tributum,ait,in tertio circa muros milliario populis condona,hocq; vtriuſq; animabus ſalubre beneficium erit. Aurum verò tuum neceſſarium non habeo. Pauperibus illud pro tua,tuorumq; felicitate diſpenſa. Quod ille non abnuens,pauperibus erogat,& tributum petitum ciuitati concedit. Vnde vſq; hodie circa muros vrbis illius in tertio milliario tributa non redduntur in publico.

1 Continuato cũ vigilijs,& orationibus triduano ieiunio, per inuocationẽ Domini, & Crucis vexillũ, immundum ſpiritũ à corpore puellæ Archidiaconus expulit.

Poſt diſceſſum verò beati Archidiaconi, ait Imperator ſuis: Si iſte Deum pluſquam pecuniam diligit,dignè Eccleſia illa,cuius nobis miniſter obſecutus eſt,noſtris 2 muneribus illuſtrari debet. Tunc capſam ad ſancta Euangelia recludenda,patenamq;,& calicem ex auro puro, pretioſisq; lapidibus præcepit fabricari. Quod miro perfectum opere per hominem certum dirigit Eccleſiæ. Sed nuncius ille,qui hæc exhibebat, inter alpes poſitus ad aurificis cuiuſdam domum diuertit. Cùmq; ab eo aurifex ſciſcitaretur,quid negocij gereret,rem ſecretiùs,ac ſimpliciter pandit: Et ille; Si inquit,meo conſilio conniuentiã praebueris,multa nobis hæc ratio poterit lucra deferre. Ad hæc ille diabolo inſtigante ſeductus, & (vt fertur inter ruſticos ſermo vulgatus,quòd inhiantes auro,ac circunuentionis fallacias inferentes ſæpius animi coniunguntur) ſtatim huius conſilij effectus eſt ſectator. Tunc ille deceptor fecit ſimiles de argento ſpecies,vt nihil aliud quàm aurum puriſſimum putarentur,& ſic opera,quæ cũ gemmis,filisq; aureis fuerant ſuperpoſita,ſtudioſiſſimè cum clauis affixit. Veruntamen calicem non comminuit,quia cataclĩza in ipſo fuerant ſolidata. Deniq; portitor cum hac fraude Lugdunũ aduenit, vbi oblatis donis, ab Epiſcopo muneratur;regreſſusq; ad ſocium, aurum de ſpeciebus figuratũ recipere flagitat. Artifex verò adhuc non eſſe totum paratum pronunciat,ſed ſub ipſa expliciturum ſe nocte pollicetur. Exacta igitur cœna,cùm in cellula, qua hæc operabatur,pariter reſiderent,concuſſa ſubito à terræmotu ſuper eos corruit,diſrupta q; terra ſub pedibus eorum,ipſos pariter cum pecunia deglutiuit, qui deſcenderunt viuentes,ac vociferantes in tartarum. Vltusq; eſt Deus velociter fraudem Eccleſiæ ſuæ. Ego verò has ſpecies,quæ mirabiliter abſorptæ nõ

2 Donare munera pretioſa Eccleſijs, quæ diuino cultui inſeruiant, eſt opus bonum.

fuerant, in Eccleſia Lugdunenſi ſæpiſſimè vidi. Sit hoc populis documentum, vt nullus res Eccleſiæ aut 3 appetere, aut fraudare nitatur. Nam aliter, videbit Dei iudicium ſuper ſe velociter imminere.

3 Nullus res Eccleſiæ, aut appetere, aut fraudare nitatur, nã videbit ſuper ſe Dei iudiciũ velociter imminere.

DE MVLIERE, QVAE EPIPODII MARTYRIS CALCEAMENTA COLLEGIT. CAP. LXIIII.

Requieſcit in ſuburbano murorum vrbis ipſius mulier, quæ dicitur collegiſſe calceamentum beati martyris Epipodij, quod de pede eius cecidit, cùm ad martyrium duceretur, ad cuius tumulum ſæpiùs frigoritici, cæteriq; infirmi ſanantur. Eraſum enim de tumulo ipſo puluerẽ hauriunt, incolumesq; diſcedunt.

DE ALIA MVLIERE, CVI VIR OBLATIONIS CAVSA APPARVIT. CAP. LXV.

Dvos in hac vrbe fuiſſe ferunt, virum ſcilicet, & coniugem eius, ſenatoria ex gente pollentes, qui abſq; liberis defuncti, hæredem 1 Eccleſiã dereliquerunt. Sed vir prius obiens in baſilica ſanctæ Mariæ ſepultus eſt, mulier verò per annum integrum ad hoc templum degens, aſſiduè orationi vacabat, celebrari faciens quotidie Miſſarum ſolennia, & offerri 2 oblationẽ pro memoria viri, non diffiſa de Domini miſericordia, quòd haberet defunctus requiem in die, qua Dominus oblationem pro eius anima delibaſſet, ſemper ſextarium gazeti vini præbẽs in ſacrificium baſilicæ ſanctæ. Sed Subdiaconus nequam reſeruans gulæ gazetum, acetum vehementiſſimum offerebat in calice, muliere non ſemper ad communicandi gratiam accedente. Igitur cùm fraudem hanc Deo placuit reuelare, apparuit vir mulieri dicens: Heu, heu, dulciſſima coniunx, defluxit labor meus in ſeculo, vt nunc acetum in oblatione delibem. Cui illa; Verum, inquit, eſt, quia charitatis tuæ non immemor ſemper gazetum potentiſſimum obtuli pro requie tua in ſacrario Dei mei. Expergefacta autem admirans viſionem, eandemq; obliuioni non tradens, ad matutinas ſecũdùm conſuetudinem ſurrexit. Quibus expletis, celebratisq; Miſſis, accedit ad poculum 3 ſalutare, quæ tam feruens acetum hauſit ex calice, vt putaret ſibi dentes excuti, adeò nequiter fuerat defraudata. Sed nec hoc miraculum ſine bono probi illius geſtum puto.

1 Olim viri boni Eccleſias hæredes inſtituebant.

2 Nota Miſſas prodeſſe animabus defunctorum.

3 Quod mulier ex ſalutari poculo in cõione ſumpſerit, fuit ex cõſuetudine illius tpis. Hoc aũt nũc minimè licet per Conſtantienſis Concilij decretum.

DE MEMMIO, SEV MEMNICO CATHALAVNENSI EPISCOPO.

CAP. LXVI.

Cathalaunenſis verò vrbis proprius extat patronus Memmius Antiſtes, qui cùm adhuc maneret in corpore mortali, mortuū dicitur ſuſcitaſſe. Ad cuius nunc ſepulchrum ſæpiùs confractas miſerorū cathenas, atq; compedes vidimus. Sed & nos propriè virtutem eius experti ſumus. Quodam enim tempore dū in vrbe illa commoraremur, puer vnus ex noſtris à febre corripitur, fatigatur vomitu, ac cibum, potumq; ſimul exhorret, nobis verò magna moleſtia generatur, quòd huius pueri infirmitas itineri noſtro moras inneſteret. Nec mora, baſilicam ſancti adeo, ſepulchro proſternor, pro puero effuſis lachrymis deprecor, vt qui laborantibus vinctis, diſruptis compedibus, reſpectu pietatis plerunq; conſolationem exhibuit, huic febricitanti medelæ refrigeria miniſtraret. Mirum dictu, in ipſa nocte à ſancti virtute viſitatus infirmus, manè facto incolumis ſurrexit à lectulo.

1 Sepulchro proſternor, pro puero effuſis lachrymis deprecor.

DE LVPO TRICASSINORVM EPISCOPO.

CAP. LXVII.

Lupum Antiſtitem apud Tricaſſinorum Campaniæ vrbem ſepultū nulli habetur incognitum, ad cuius baſilicam Mauri cuiuſdam ſeruus, negligentia admiſſa, confugit. Frendens verò dominus eius de veſtigio proſecutus, ingreſſus baſilicam, nec in oratione proſtratus, blaſphemias in ſanctum euomere cœpit, ac dicere: Num tu, Lupe, ſeruum meum auferes? Propter te non licebit mihi in eum vltionem debitam exercere? Et iniecta manu ſeruum trahere cœpit dicens: Non mittet hodie hic Lupus manum ſuam de ſepulchro, vt eruat te de manibus meis. Hæc dicente miſero, extemplò lingua, quæ in ſanctum blaſphemias effudit, diuinitus 1 ligatur, atq; mutatus homo debacchare cœpit, per totam ædem dans mugitum, vt pecus. Cùmq; hæc ſuis nunciata fuiſſent, apprehenſum duxerunt domum ſuam. Vxor verò eius multa munera in baſilicam poſuit; ſed hic tertia die cum graui cruciatu vitam finiuit. Quo defuncto, mulier quæ dederat recepit; ſeruus tamen euaſit liber.

1 Habes hîc non eſſe ſanctis detrahendū, aut in eos blaſphemias iactandas. Quod ſi fiat, ſeuera vltio expectanda eſt.

DE AVENTINO MINISTRO EIVS. CAP. LXVIII.

HVic Antiſtiti famulabatur Auentinus quidam religioſus, ad quem poſt huius obitum captiui quidam fecere confugium, quorum domino Auẽtinus pretium obtulit. Ille verò obligans ſe ſacramento ait: Nunquam hæc niſi in pago meo ſum accepturus: deditq; dexteram ſuã, quòd ſi illuc pecuniam tranſmitteret, ipſe confeſtim captiuos à vinculo ſeruitutis abſolueret. Tranſmiſſo itaq; pretio, oblitus dominus fidei ſuæ, dum captiuos abſoluere diſſimulat, ipſe ligatur. Nam ſtatim ſummitas digiti ex manu, quæ fidem fecerat, dolere grauiter cœpit. Deinde paulatim dolor accreſcens, per manum, brachiumq; totum extenditur. Quid plura? Truncatum ad ipſam iuncturam cubiti brachium cùm cecidit, & hic ſpiritum exhalauit. Vxor verò eius poſt hæc voluit eos iterum ad ſeruitium reuocare, ſed capitis dolore percuſſa, virum ſecuta eſt. Et ſic hi in ingenuitate perpetua abſq; vllius ſcripturæ munitione manſerunt.

DE MARCELLINO EPISCOPO. CAP. LXIX.

HAbet & Ebrudenenſis vrbs patronum proprium Marcellinum Antiſtitẽ, per quem, dum adhuc in corpore moraretur, multa Chriſtus miracula operatus eſt. Hic enim feciſſe dicitur lauachrum ad baptizandum, in quo natali Domini, & Dominica cœna, aqua dicitur diuinitus exoriri, vnde etiam ad aliud lauachrum, in quo conſuetudo priſca baptizari inſtituit, aqua defertur, non tamen cumulatur, vt de illis fontibus Hiſpaniæ ſupra retulimus. Ad huius ergo ſancti ſepulchrũ lychnus 1 aſſiduè lumen præbet, qui accenſus ſemel multis noctibus ſine vllo additamento perdurat; & plerunq; contingit, vt extinctus à vento diuinitus iterum accendatur. Ex quo oleo plerunq; infirmi medicamenta ſuſcipiunt.

1 Ex hoc miraculo conſtat gratum eſſe Deo, quòd lumina accẽdantur ante ſepulchra ſãctorum.

DE MARCELLO EPISCOPO DIENSI. CAP. LXX.

FVIT autem & Marcellus Dienſis vrbis Epiſcopus magnificæ ſanctitatis, ad cuius nihilominus tumulum lychnus accenſus diururno ſpatio lucere ſolet, Præſtatq́ ex oleo virtus Domini medicinam infirmis.

DE METRIA AQVENSIVM CONFESSORE. CAP. LXXI.

AQVENSIBVS eſt conceſſus inclytus athleta Metrias, vir in corpore iuxta hiſtoriam magnæ actionis, magnificæq́ ſanctitatis, & licet conditione ſeruus, liber tamen iuſtitia, qui (vt ferunt legentes certaminis eius textum) peracto curſu boni operis, à ſeculo victor abſceſſit, ſæpius ſe in cœlis 1 degere virtutibus manifeſtis oſtendens. Tempore igitur quodam cùm Franco Epiſcopus huius municipij Eccleſiam gubernaret, Childericus, qui tūc primus apud Sigilbertum Regem habebatur, villam eius expetijt dicens; Quia iniuſtè ab Aquenſi Eccleſia retinetur. Et dicto citius conuenitur Epiſcopus. Datisq́ fideiuſſoribus in præſentia Regis aſſiſtit, clamans, & obſecrans, vt Rex ab huius cauſæ audientia præſentiam ſuam auerteret, ne cœleſti iudicio condemnetur, addens: Scio enim virtute Metriæ viri beati, quòd velociter in peruaſorem ſuum Deus irrogabit vltionem. Deniq; coniuncti audito res cauſam diſcutiunt. Inſurgit Childericus, atq; improperans Iniurijs exacerbato Epiſcopo, quòd res fiſci ditionibus debitas iniquo ordine retineret, extrahi vi à iudicio iubet, & tandem ablata per iudicium præſentium villa, trecentis condemnauit. Fauebant ei omnes, nec quiſquam contra voluntatem eius audebat decernere, ſed tantùm quod ei libuiſſet. Deniq; condemnatus, ſpoliatusq́ Sacerdos ad vrbem redijt, atq; proſtratus 2 in orationem coram ſepulchro ſancti, dicto pſalmi capitello ait: Non hîc accendetur lumen, neq; pſalmorum modulatio canetur, glorioſiſſime ſancte, niſi priùs vlciſcaris ſeruos tuos de inimicis ſuis, res'q; tibi violenter ablatas Eccleſiæ ſanctæ reſtituas. Hæc cum lachrymis effatus, ſentes cum acutis aculeis ſuper tumulum proiecit, egreſſusq́, clauſis oſtijs, ſimiliter in ingreſſu alias collocauit. Nec mora corripitur peruaſor 3 à febre, decumbit lectulo, exhorret cibum, faſtidit & potum, profert æſtuans iuge ſuſpirium, cui etiam ſi ab ardore febris interdum ſitis accederet, aquam tantùm, & nihil aliud hauriebat. Quid plura? In hac ægrotatione integrum ducit annum, ſed mens praua non flectitur. Interea labitur cæſaries cuncta cum barba, & ita omne caput remanſit nudum, vt putares eum olim ſepultum, nuper eiectum fuiſſe poſt funera de ſepulchro. His & talibus miſer afflictus malis, ſerò recogitat dicens: Peccaui eo quòd expoliauerim Eccleſiam Dei, atq; Epiſcopo ſancto intulerim iniuriam. Nunc autem ite quantocyus, & reddita villa, ſexcētos aureos ſuper tumulum ſancti deponite; eſt enim mihi ſpes, quòd res reddita

1 Vide ſanctorum animas in cœlo degere.

2 Nota proſtratus in oratione coram ſepulchro ſancti.

3 Hoc exēplo deterreri deberent q̄ prædia Eccleſiarum auferūt, & Epiſcopis vim inferūt.

tribuat ægrotanti medelam. Quod audientes homines eius, accepta pecunia, fecerunt ſicut eis fuerat imperatum. Reddiderunt agrum, ſolidosq́ue ſuper ſepulchrum ſerui Dei poſuerunt. Sed cùm hoc feciſſent, ſtatim ille in loco, quo erat ſpiritum exhalauit, lucratusq́ue eſt detrimentum animæ per adeptionem acquiſitionis iniquæ. Epiſcopus autem obtinuit ultionem de inimico Eccleſiæ, quam promiſerat futuram per Athletæ Dei virtutem.

DE SERVATIO TVNGRENSIVM EPISCOPO.

CAP. LXXII.

SEruatius verò Tungrenſis Epiſcopus tempore Hunnorum, cùm ad diripiendas prorumperent Gallias, fuiſſe memoratur, qui & ſepultus refertur iuxta ipſum pontem aggeris publici, circa cuius ſepulchrum quamuis nix defluxiſſet, nunquam tamen marmor, quod ſuper erat poſitum, humectabat. Et cùm loca illa nimij frigoris gelu ligentur, & nix uſque in trium, & quatuor pedum craſſitudinem terram operiat, tumulum ullatenus non attingit. Datur enim intelligi verum Iſraelitã hunc eſſe. Nam ſicut illis inter muros aquarũ aquæ non erant perniciei, ſed ſaluti; ita & circa huius iuſti tumulum nix decidens, non humoris cauſa eſt, ſed honoris. Videre enim licet in circuitu montes niueos eleuari, nec tamen attingere terminum monumenti. Non autem miramur, ſi terra operiatur niue, ſed admiramur quòd attingere auſa non eſt locum beati ſepulchri. Plerunque etiam deuotio, ſtudiumq́ue fidelium oratorium conſtruebat de tabulis ligneis, leuigatisq́ue, ſed protinus aut rapiebàtur à vento, aut ſponte ruebant. Et credo idcirco iſta facta eſſe, quòd expectabatur qui dignam ædificaret fabricam in honorem Antiſtitis glorioſi. Procedente verò tempore adueniens in hanc urbem Monulphus Epiſcopus, templum magnum in eius honorem conſtruxit, compoſuit, ornauitq́ue, in quod multo ſtudio, & veneratione translatum corpus magnis nunc virtutibus pollet.

Templũ magnum in honorem ſancti Seruatij Epiſcopus conſtruxit.

D. GREGORII TVRONENSIS
DE COEMETERIO AVGVSTVDVNENSIS VRBIS.
CAP. LXXIII.

Coemeterium apud Auguſtudunenſem vrbē locum quendam Gallica lingua vocitauit, eò quòd ibi fuerint multorum hominum cadauera tumulata. Inter quæ quòd ſint quorundam fidelium, dignarumq́ Deo perſonarum ſepulchra, frequens occulti pſallentij myſterium docet, cū plerunq; multis appareant in ipſo vocum præconio reddentes omnipotenti Deo gratiarum debitam actionem. Nam audiui, quòd duo ex incolis loci, dum loca ſancta orandi gratia circumire diſponerent, audiunt in baſilica ſancti Stephani, quæ huic coniungitur cœmeterio, pſallentium ſonum. Admirantesq; dulcedinem modulaminis appropinquant ad oſtium templi, autumantes à quibuſdam religioſis vigilias celebrari. Ingredientes autem, & orationi diutiſſimè incumbentes, conſurgunt, pſallentij chorum conſpiciunt, nihilq; lucere per templum, ſed propria claritate cuncta proſpiciunt ſplendere; de perſonis verò nullam prorſus agnoſcunt. Deniq; cùm eſſent attoniti, & ſtupore perculſi, vnus de pſallentibus accedit ad eos, dicens: Execrabilem rem feciſtis, vt nobis arcana orationū Deo reddentibus adeſſe præſumeretis. Diſcedite ergo, & ad domos veſtras abſcedite, alioquin ab hoc mundo migrabitis. Ex quibus vnus diſcedens abijt, alter verò, qui in loco remanſit, poſt non multos dies à ſeculo migrauit.

DE SEPVLCHRO CASSIANI EPISCOPI.
CAP. LXXIIII.

In hoc cœmeterio vidi beati Caſſiani Sacerdotis magni ſepulchrum à multis infirmis eraſum, quod penè transforatū eo tempore cernebatur. Abluūt enim ſe ex hoc puluere ægroti, & protinus virtutis magnitudinē ſentiunt. Vbi & Simplicius ipſius (vt aiunt) vrbis Epiſcopus eſt ſepultus, cui crimen adulterij ſæua populorum obiecit inſania.

DE REVTITIO EPISCOPO,

CAP. LXXV.

SED quia de his aliquid proloqui iuuat, priùs de ſancto Reutitio, quia prior obijt, ſermo habendus eſt. Fuit autem nobiliſſimis parentibus, & literarum acumine clarus, qui tranſacta adoleſcentia vxorem ſimili morum honeſtate præclaram ſortitus eſt, cum qua ſpiritalis dilectionis 1 connubentia, non luxuria copulatur. Concurrunt eleemoſynæ, vigiliæ celebrantur, & opus Dei per eos inceſſabiliter exercetur. Igitur longo poſt tempore mulier declinans caput ad lectulum, beati viri auribus extrema verba profert dicens: Deprecor, piiſſime frater, vt poſt diſceſſum tuum percurſo æui tempore, in illo, quo ego collocor, ſepulchro ponaris, vt quos vnius caſtitatis dilectio vno conſeruauit in toro, vnius retineat ſepulchri conſortium. Hæc effata lachrymãs ſpiritum 2 emiſit ad cœlos. At Reutitius Epiſcopatum Auguſtudunenſis vrbis, populo eligẽte, ſortitur, qui talem ſe præbuit in religione, vt morum bonitas Pontificatus gratiæ æquaretur, & ad diem obitus per diuerſos gratiarum ſpiritualiũ gradus plena perfectione, conſummationeq́; veniret. Quo 3 abluto, & ſuper feretrũ poſito, mouere ipſum nequibant officia famulantiũ. Tunc in ſtupore mentis defixi, audiunt à quodam ſene, vxorem coniuraſſe virum, vt ambos vnum ſepulchrum ſuſciperet. Sermone verò hoc vulgato, confeſtim ſuſtollitur feretrum, allatoq́; eo prope ſepulchrum, reſumit Sacerdos ſpiritum, alloquiturq́; ſociam dicens: Recordare, dulciſſima coniunx, quæ à me fueras deprecata. Nunc ſuſcipe expectatum diu fratrem, & coniungere artubus impollutis, quos non luxuria polluit, ſed caſtitas vera mundauit. Hæc eo dicente, mirum in modum commoto ſepulchro, vno loco oſſa virginis conglobantur. Beatus verò Sacerdos receptus in pacis ſomno, eiuſdem ſepulchri tectus eſt opertorio. Huic Caſſianus, cuius ſupra meminimus, ſucceſſit. Poſt hunc Egemonius cathedram Pontificatus aſſumpſit.

1 Vides aliquot ſanctorũ cõiugatos cœlibẽ cum vxoribus vitam duxiſſe? Et noſtri tẽporis hæretici dicũt poſſibile nõ eſſe ſeruari virginitatem.

2 Hæc effata lachrymans, ſpiritum emiſit ad cœlos.

3 Vide antiquam cõſuetudinem lauandi mortuos ante ſepulturam.

DE SIMPLICIO EPISCOPO.

CAP. LXXVI.

QVO decedente, beatus Simplicius Eccleſiæ ipſi præponitur. Fuit autem de ſtirpe nobili, valde diues in opibus ſeculi, ac nobiliſſimæ coniugi ¹ ſociatus. His fuit caſtiſſima in ſeculo vita, ſoli Deo cognita, mortalibus autem ignota. Erant enim ambo iuſti, & in eleemoſynarum ſemina, ac vigiliarum tolerantiam promptiſſimi. Interea propter illam, vt diximus, ſeculi dignitatem Simplicius, decedente Egemonio, à populis eligitur, ſed à Deo pro caſtitatis, & ſanctitatis gloria deſtinatur. Accepto itaq; Pontificatus ordine, beata vxor, quæ priùs fuerat non libidine, ſed caſtitate viro coniuncta, non paſſa eſt à ſtratu Pontificis ſubmoueri, ſed in illa puritatis caſtitate, qua priùs, viri caſtiſſimi torum adibat, ſecura de conſcientia mentis ſanctæ, atq; ſciens ſe vri non poſſe ab incentiui ignis ardore. Sed ſæua dæmonis inuidia contra ſanctos Dei probroſa excitat bella, & quos inſtinctu ſuo deſtruere non potuit, nititur verbis ſubdolis infamare. Quid plura? In illo Dominici Natalis die cõmouentur ciues in ſcandalum, & ad beatã virginem rapido curſu concurrunt, dicentes: Incredibile eſt mulierem viro iunctam pollui non poſſe, ſed nec vir poterit artubus mulieris iunctus à coitu abſtinere; ſic etenim Salomonis prouerbia proferunt: Nemo, qui tangit picem, mundus poterit eſſe; neq; enim in ſinu ignem quis geſtans, non cremabitur. Ergo videmus vos vno in toro recumbere, & ſuſpicari aliud non poſſumus, niſi quòd miſceamini ſimul. His cõmota virgo ſanctiſſima, aggreditur Pontificem ſimili caſtitate pollentem, refert'q; coram omni populo ſermones, quos audierat. Arculam puella tunc plenam, vt fieri ſolet pro iniuria hyemis, carbonibus retinebat. Vocat famulam, expanſoq; pallio prunas ardentes ſuſcipit, & ferè horæ vnius ſpatio tenens, Sacerdotem poſtea euocat dicẽs: Accipe & tu mitiorẽ ſolito ignem, nequaquã tuis velaminibus nociturum, vt oſtendant in nobis hæ flammæ extinctas flammas eſſe luxuriæ. Suſcipiente verò Pontifice, nihil offenſum eſt velamen eius ab igne. Hoc miraculo populus, qui erat tunc incredulus, credidit Deo, & inter ſeptem dies amplius quàm mille homines ſacri innouatione lauachri ſunt renati. Quos ſuſcipiens Eccleſia, gaudens cœleſti regno per hos milites copulauit.

¹ Intellige cõiugatũ virũ ad Epalẽ cathedrã euectũ, eo modo quo in Latina Eccleſia fieri cõſueuit, quoniam tam ipſe, quàm vxor eius profeſſi ſunt velle in continẽtia viuere, alioquin promotus non fuiſſet. Et huius rei certiſſimũ ſignum eſt, qđ poſtea populus ſcãdalizatus eſt, videns eos vnà cohabitare. Nam ſi licuiſſet Epõ nuptijs operã dare poſt adeptũ Epatũ, populus non accuſaſſet, nec conqueſtus eſſet cũ virgine.

DE SIMVLACHRO BERE-CYNTHIAE. CAP. LXXVII.

FErunt etiam in hac vrbe ſimulachrũ fuiſſe Berecynthiæ,ſicut ſancti martyris Simphoriani paſſionis declarat hiſtoria. Hanc cùm in carpento pro ſaluatione agrorum,ac vinearum ſuarum miſerò gentilitatis more deferrent,affuit ſupradictus Simplicius Epiſcopus,haud procul aſpiciens cantantes,atq; pſallentes ante hoc ſimulachrum,gemitumq; pro ſtultitia plebis ad Deum emittens,ait: Illumina,quæſo,Domine,oculos huius populi,vt cognoſcat quia ſimulachrum Berecynthiæ nihil eſt. Et facto ſigno 1 Crucis contra illud, protinus ſimulachrum in terram ruit,ac defixa ſolo animalia,quæ plauſtrũ, quo hoc vehebatur,trahebant,moueri non poterant. Stupet vulgus innumerum, & deam læſam omnis caterua conclamat. Immolantur victimæ,animalia verberantur,ſed moueri non poſſunt. Tunc quadringenti de illa ſtulta multitudine aiunt ad inuicem: Si virtus eſt vlla deitatis,erigatur ſponte,iubeatq; boues, qui telluri ſunt ſtabiliti,procedere. Certè ſi moueri nequit,manifeſtum eſt nihil eſſe diuinitatis in ea. Tunc accedentes,& immolantes vnum de pecoribus,cùm viderent deam ſuam nullatenus poſſe moueri,relicto gentilitatis errore, inquiſitoq; Antiſtite loci,conuerſi ad vnitatem Eccleſiæ,& cognoſcentes veri Dei magnitudinem,ſancto ſunt baptiſmate conſecrati.

1 Et facto ſigno ſanctæ Crucis contra illud, protinus ſimulachrum in terrã ruit.

DE EPISCOPO, SVPER CVIVS PECTVS AGNVS APPARVIT. CAP. LXXVIII.

SED quoniam ſuperiore capitulo expoſuimus,qualiter caſtitas diligentes Deũ ornauerit,venit in memoriã,& ea dicere, quæ Felicẽ Nanneticum referentem,dum de his confabularemur audiui. Aiebat enim fuiſſe Antiſtitem in ciuitate ſua cum coniuge. Is cùm ad honorem ſacerdotij acceſſiſſet,lectulum,iuxta ordinem 1 inſtitutionis catholicæ ſequeſtrauit. Quod mulier valde moleſtè tulit. Cùmq; diebus ſingulis cum eo ageret,vt in eodẽ ſtratu quieſcerent,nec acquieſceret Pontifex rem tam improbam aggredi, quam Canonum decreta non admittebant,quadam die accenſa furore ait intra ſe: Non puto eſſe abſq; aliqua conſcientia viri mei,quòd ab amplexu eius taliter ſum repulſa; ſed ibo, & videbo ne fortè alia mulier cum eo decumbat, pro cuius me amore deſpiciat. Et ſtatim affuit in cubiculum Epiſcopi,inuenit'q; eum poſt meridiem dormientem. Accedens autem ante lectulum eius,vidit agnum immenſæ claritatis ſuper pectus eius quieſcentem. Tunc timore perterrita,velociter ſe à lectulo ſancti remouit,nec adiecit vltra quærere,quid vir Deo plenus ageret in occultis,ſed cognouit manifeſtiſſimè illud cum ſeruis Dei impleri,quòd ipſe Dominus ſuis fidelibus eſt polliceri dignatus dicens. Ecce enim vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſeculi.

1 Vides q; ſecũdũ ordinẽ catholicæ Eccleſiæ promotus ad Epiſcopatum non vtitur vxore priùs habita? Qđ qui faceret, rem improbã aggrederet, & à ſacris Canonibus prohibitam. Et hoc modo intellige vbicunq; inueneris apud Latinos Epiſcopum, aut Presbyterum coniugatum

DE REMIGIO REMENSIVM EPISCOPO.

CAP. LXXIX.

REmigius verò Remenſis vrbis Epiſcopus, qui, vt ferunt, ſeptuaginta, aut eò ampliùs in Epiſcopatu annos expleuit, & oratione ſua defunctæ cadauer puellæ obtinuit ſuſcitari, plerúq; infirmis ſanitatum gratiam porrigit, & in peruaſores ſæpiſſimè vltor exiſtit. Erat enim haud procul à baſilica campus tellure fœcundus (tales autem incolæ Olcas vocant) qui datus baſilicæ ſanctæ fuerat. Hunc vnus ex ciuibus peruaſit, deſpiciens hominem, qui eũ loco ſancto contulerat. Qui cùm ab Epiſcopo, ac loci Abbate crebrò conuentus fuiſſet, vt quem iniuſtè peruaſerat, redderet, paruipendens verba quæ audiebat, pertinaci direpta defenſabat intentione. Deniq; cauſa extitit, & non deuotio, vt Remenſem vrbem adiret. Properat ad ſancti baſilicam, arguitur iterum ab Abbate pro inuaſione campi; ſed nihil dignum ratione reſpondet. Explicitiſq; negocijs, aſcenſo equo, domum redire diſponit, ſed obſtat 1 nimium ſui eius Sacerdotis iniuria. Nam ſauciatus, & fœdatus ſanguine corruit in terrã; obligatur lingua, quæ locuta fuerat campum tolli; clauduntur oculi, qui concupierant; manus contrahuntur, quæ apprehenderant. Tunc balbutiens, & vix ſermonem explicare potens ait: Deferte me ad baſilicam ſancti, & quantumcunq; ſuper me auri eſt, ad ſepulchrum eius proijcite, peccaui enim auferendo res eius. Aſpiciens autem dator campi hunc cum muneribus venientem, ait: Ne accipias, quæſo, ſancte Dei, munera eius, quæ nunquam accipere conſueuiſti; ne ſis, deprecor, adiutor eius, qui inflammante concupiſcentia rerum tuarum nequam poſſeſſor extitit. Nec diſtulit ſanctus audire vocem pauperis ſui; nam homo ille, licet dediſſet munera, rediens tamen domum, emiſit ſpiritum, recepitq; Eccleſia res ſuas.

Sed nec illud ſilere placuit, quòd illo geſtum eſt tempore, cùm lues inguinaria populum proximæ Germaniæ deuaſtaret. Cùm enim omnes terrerentur huius cladis auditu, concurrit Remenſium populus ad ſancti 2 ſepulchrum, congruum huius morbi flagitare remedium. Itaq; accenſis cereis, lychniſq; non paucis, in hymnis, pſalmiſq; cœleſtibus per totam excubat noctem. Manè autẽ facto, quid adhuc precatui deſit, in tractatu rimatur. Reperiuntq;, reuelãte Deo, qualiter oratione præmiſſa, adhuc maiori propugnaculo vrbis propugnacula muniri deberent. Aſſumpta igitur palla de beati ſepulchro, componunt in modum 3 feretri, accenſiſq; ſuper Cruces cereis, atq; cereoferalibus, dant voces in canticis, circumeunt vrbem cum vicis, nec prætereunt vllũ hoſpitium, quod non hac circuitione concludant. Quid plura? Non poſt multos dies fines huius ciuitatis lues aggreditur memorata, veruntamen vſq; ad eum locum accedens, quò beati pignus acceſſit, velut ſi cõſtitutũ cerneret terminum, intro ingredi non modò non eſt auſa, ſed etiam ſi quæ in principio peruaſerat, huius virtutis repulſu reliquit.

1 Diſce ex hoc loco, non inuadendas res ſanctis donatas, quoniã nimis potenter ſciunt iniurias ſibi illatas vindicare.

2 Vide vigilias per totã noctem à populo duci cùm hymnis, & pſalmis, accenſis cereis, & lychnis ante ſepulchrũ ſancti.

3 Ecce quomodo etiã antiq processiones faciebant cũ reliquijs ſanctorũ, cũ crucibus, & cereis accẽſis, cãtantes Deo, & vrbes circũluſtrãtes. Videq; hîc mirũ talium proceſſionũ effectum.

DE SANCTO VRSINO BITVRIGVM EPISCOPO.

CAP. LXXX.

Biturigia verò vrbs primùm à ſancto Vrſino, qui à diſcipulis Apoſtolorum Epiſcopus ordinatus in Gallias deſtinatus eſt, verbum ſalutis accepit; illeq́; Eccleſiam Biturigenſem primùm inſtituit, rexitq́;. Hic migrans à ſeculo, in campo inter reliqua ſepulchra populorum ſepulturæ locatus eſt; non enim adhuc populus ille nouerat Sacerdotes Domini venerari, eisq́; reuerentiam debitam exhibere. Vnde factum eſt, vt increſcente terra, plantata deſuper vinea omnem memoriam de primo vrbis Sacerdote conuelleret, & vſq; ad tempus illud, quo Probianus Epiſcopus vrbis illius eſt ſubrogatus, nullus de eo ſermo haberetur. Fuit autem quidam Auguſtus nomine, de domo Deſiderati quondam Epiſcopi, cuius manus, ac pedes ita contracti erant, vt non aliter, niſi de geniculis, atq; cubitis ſuſtentaretur, ſi aliquò proceſſurus vellet incedere. Is inſpirante Deo, de eleemoſynis deuotorum apud Brias vicum in honorem ſancti ac beatiſſimi Martini Antiſtitis oratoriū ædificauit, cuius cū in ipſum reliquias detuliſſet, ſtatim directis membris ſanus effectus eſt. Deinde, collectis ſecum paucis monachis, ſub regula monaſterij degens, ſemper orationi vacabat. Vnde factum eſt, vt in ſequenti accerſitus ab Epiſcopo, Abbas ordinaretur in baſilica ſancti Symphoriani, quam memoratus Pontifex fabricauerat ante conſpectum Biturigæ vrbis. Nec tamen ob id monachos, quos prius congregauerat, reliquit, ſed inſtituens eis Præpoſitum ipſe vtraſq́; cellulas gubernabat.

Deniq; cùm apud hanc baſilicam moraretur, apparuit ei ſanctus Vrſinus per viſum 1 noctis dicens: Defoſſa humo, inquire corpuſculum meum, ego enim ſum Vrſinus huius vrbis primus Epiſcopus. Qui ait: Quò ibo, aut vbi quæram ſepulchrum tuum, cùm ignorem locum, vbi ſis poſitus? At ille apprehendens eius manum, duxit ad locum, & ait: Sub harum vitium radicibus corpus meum habetur. Expergefactus Abbas narrauit hæc Sacerdoti ſuo; ſed ille paruipendens quæ à Presbytero dicebantur, nullum inquirendi ſtudium poſuit. Interea beatus Germanus Pariſiacæ vrbis Epiſcopus affuit, ſuſceptusq́; ab Epiſcopo, poſt cœnā domus Eccleſiaſticæ cùm ſe ſopori dediſſet, Vrſinus apparuit vtriq; ſimul per viſum, Epō ſcilicet, & Abbati, duxitq́; eos ad locū ſepulchri, deprecans, vt auferrent eum à loco illo. Expergefacti igitur ſimul ad vigilias conueniunt in ipſam ſancti Symphoriani baſilicam, expletisq́; officijs matutinis, refert Epiſcopus Abbati quæ viderat, confeſſusq́; eſt & ipſe vidiſſe ſimiliter. Itaq; in ſequenti nocte accedentes illuc cum vno tantùm clerico, qui cereum ferebat, venerunt ad indicatum locum, eumq́; fodientes vſq; in profundum, ſepulchrū reperiunt, quo erecto, amotoq́; opertorio, viderunt ſanctum corpus tanquam dormientis hominis nulla putredine reſolutum. Quod admirantes, & iterum componentes, indicant Epiſcopo, data die, quæ viderant. Tunc illi conuocatis Abbatibus, & clero, cum honore, atq; pſallentio, leuauerunt beatum ſepulchrum. Et quia vectes illi, quibus ferebatur, valde longi erant, cùm veniſſent ad porticum, non poterant flecti in ingreſſu eius, vt ad oſtium ædis ſine labore accederent. Tunc beatus Germanus eleuata voce, ait: Sancte Dei Sacerdos, ſi voluntas tua eſt in hanc baſilicam ingredi, ſentiamus leuamen adiutorij tui. Et ſtatim amiſſo pondere, ita in ſumma leuitate factus eſt ſarcophagus, vt relictis vectibus, pauci

1 Ex his apparitionibus ſcire poſſumus, nū ſācti etiā poſt mortem viuant, & an rectè hi vocentur emortui.

manibus ferrent,quem vſq; ad locum illum multi detulerant. Et ſic celebratis miſſis,gaudēte'q; populo,iuxta altare ſepelitur,multis ſe deinceps virtutibus manifeſtans.

DE MARIANO RECLVSO.

CAP. LXXXI.

1 Vide miram ſancti viri abſtinentiam.

FVit autem in Tenni termino Marianus Eremita,cui non erat alter 1 cibus,niſi poma agreſtia;& ſi ei aliquotiens à quibuſdam mel delatum fuiſſet,aut ſi ipſe reperire potuiſſet in ſyluis,hoc ei erat cibus. Qui cùm plerunq; viſitaretur à plurimis,quodam tempore à quærentibus non poterat inuenir. Inueſtigantes autem eum viri,qui venerant,deprehenſo veſtigio,inuenerunt locum,in quo flexo genu aquam hauſit à fluuio; & exinde progreſſi reperiunt eū ſub vna arbore malo iacentē mortuū. Vnde celebre ferebatur in populo,eum pcipitatū ex arbore,ſpiritū exhalaſſe; ſed euidenter nō eſt cognitū, quoniam à nullo refertur viſum. Tunc viri,qui aduenerant,eleuantes eum,attulerunt ad vicum Euannenſem. Quem 2 ablutum,dignis'q; indutum veſtibus, ſepelierunt in Eccleſia. Feſta verò obitus eius per ſingulos celebrantes annos, atq; conuenientes populi,crebrò ab infirmitatibus ſanabantur.

2 Nota conſuetudinē abluēdi corpora mortuorum. Nota ēt feſti celebrationē annuā in die obitus.

Quidam autem de vicinis annonas diu infeſtas aqua, ac germine producto conflatas,facto igne ſuper vimina contexta coquere parat ad pocula facienda. Accedens autem vnus vicinorum eius ait:Quid tu,ò homo,detineris in opere? An ignoras quòd ſolennitas eſt beati Mariani? Qui cum furore reſpondit:Putas,ò tu,qui hæc loqueris,quia homo eliſus ex arbore propter compendia gulæ, angelorum ſit relatus conſortio,& vt ſanctus debeat adorari? Melius eſt, crede mihi,opus neceſſarium in domo exercere, quàm talem ſanctum excolere. Quod ille audiens diſceſſit,& cum reliquis ad baſilicam ſancti abijt,relicto domi vicino in opere laborante. Nec mora 3 flante vento apprehenditur domus incendio,exuritur omnis,nec quicquam de ſubſtantia reſtat hominis. Exinde eleuati globi flāmarum ſuper hoſpitiola,quæ circumlocata erant,huius hominis areā, ſepes,tuguriola vel porcorū,vel pecudum,ac reliqua quæ ad eum pertinebant, flamma percuſſit,nec quicquam remanſit huic miſero,quòd non fuerit igni ſuccenſum. Quòd ſi eueniſſe quis fortuitò putat, admiretur, quòd nulli vicinorū circummanentium nocuit. Quid nunc agis,ò cruda ruſticitas,quæ ſemper in Deum,& eius amicos murmuras,vt tibi exinde damnum acquiras?

3 Diſce ex hoc loco ſanctos venerari,& illis non detrahere.

Alterius autē hominis boues malitia furis abſtulerat,qui apprehēſo veſtigio, & eo inter infuſos aqua viarū tramites,ad pfūdas luti voragines perdito,ad ſancti recurrit ſepulchrum,fuſa'q; oratione,dum de baſilica fuiſſet egreſſus, aduertit hominem per aggerem publicum venientem,qui boues illos ante ſe cum caballo ex itinere laſſo proſequēs adducebat;errauerat enim à via,& quaſi amēs factus,in illam partem,de qua egreſſus fuerat, mente turbata redibat. Cognoſcit vir ille boues,quos perdiderat,eoſ'q; recipiens, hominem abſq; calumnia redire permiſit,quia cognouit hoc ſibi per virtutem ſancti Mariani præſtitū, cùm in illa hora repererit perditū,qua eius adiuit plenus fide ſepulchrum. Quæ poſtquam geſta ſunt,diligentiore cura confeſſorem Dei cœpit excolere Bituriga.

DE EVSICHIO RECLVSO.

CAP. LXXXII.

FVIT in hoc territorio & Euſichius multarum vir virtutum, qui tanquã Eremita inter ſpinarum condenſitatem ab hominum ſe familiaritate remouerat. Is aurum, vel diuitias mundi huius, tanquam ſtercora, exhorrebat. Ad hunc cùm diuerſi propter diuerſas infirmitates venirent, plerunq; ei infantes, quibus fauces intumuerant, deferebant. Quos ille tactu blandiſſimo pertractans aiebat, quaſi ſpiritali ioco delectatus: Meritò hæc gula doloribus quatitur, quæ inglurire non deſinit. Sed in Trinitatis nomine ſignum Crucis 1 imponens, infirmas fauces à doloribus, & tumoribus liberabat. Quartanarijs verò tam præſens beneficium erat, vt aquam 2 tantùm benedictam ad bibendum tribuens, continuò eos redderet ſanitati.

1 Signo Crucis infirmas infantiũ fauces à doloribus, & tumoribus liberabat.

2 Vide effectũ aquæ benedictæ.

Habebant clerici eius duo vaſa apum. Cùmq; vnus ex vicinis eius quartani typi vexaretur ardore, ad eum veniens ſolitam ab eodem accipiens medicinam, ſanus eſt redditus; & redire domum cupiens, vaſa illa eminus cernit in arbore. Inflammante autem protinus cupiditate, quæ radix malorum eſſe deſcribitur, ſtatuit ea furtim auferre. Inuentoq; ſimili ſibi ſocio, nocte arborem illam petit. Cùm verò in eam aſcendiſſet, vt ſocio porrigens vaſa deponeret, ecce ab alia parte ſenex aduenit. Quo viſo ille, qui ad terram erat, fugam petijt, nec ſocio quid caueret expoſuit. Senex verò ſub arbore ſtetit, & vas vnum, quod fur porrexit, accepit. Cùmq; & alterum vellet auferre, ait Sacerdos: Sufficiat nũc, fili, iſtud, alterum verò ei, qui circa ipſum laborauit, reſerua. Qua ille voce perterritus, ſe ad terram iactat. At ille apprehenſum eum ad cellulam deducens, ait: Cur, fili, diabolo præcedente tu ſequeris? Non'ne heſterno die ad me veniens, benedictionem Domini accepiſti? Si verò melle delectabaris, à me petiſſes, & ego ſine vllo improperio, & tuo impedimento, vt tibi foret copia, tribuiſſem. Tunc & alijs multis verbis arguens eum, fauum ei mellis largitus eſt; & illæſum abire permiſit, dicens: Caue ne vltra repetas, quia furtum ſatanæ pecunia eſt.

Ad hunc verò ſenem Childebertus in Hiſpaniam abiens, venit. Cùmq; ei quinquaginta aureos obtuliſſet, ait ſenex: Quid mihi iſta profers? Illis, qui ea pauperibus largiantur, tribue; mihi enim hæc neceſſaria non ſunt. Sufficit mihi vt pro meis peccatis Dominum merear deprecari. Et adiecit: Vade, & victoriam obtinebis, & quod volueris ages. Tunc Rex pauperibus pecunias erogans, vouit, 3 quòd ſi eum Dominus cum ſua gratia de itinere illo reduceret, in honorem Dei baſilicam in eo loco ædificaret, in quo ſenis membra quieſcerent. Quod poſtea adimpleuit.

3 Nota votum ſub conditione, & illius impletionẽ.

DE MAXIMO REGENSI EPISCOPO.

CAP. LXXXIII.

1 Hæc ſigna, quæ ad ſanctorũ tumulos fiunt, ſanctitatẽ vitæ illorum atteſtantur.

MAximus Regenſis Epiſcopus, atq; Confeſſor ſæpiùs ſe incolis in multis virtutibus manifeſtat. Ad cuius ſepulchrum 1 non ſolùm cæci illuminantur, ſed etiam & alia malorum genera eius virtutibus depelluntur. Nuper autem quæ geſta cognoui, referam. Puerulus erat quaſi annorum trium, adhuc à matris depẽdens vberibus. Hic à febre correptus, dum genitricis manibus baiulatur, taliter eſt afflictus, vt nec papillam, nec alium cibum ſumere poſſet. Interea dum per triduum grauiter agens, amatorum baiularetur in vlnis, ait quidam ex famulis: Vtinam ad ſepulchrum beati Maximi hic paruulus deferretur, confidimus enim de eius meritis, quòd poſſit eum ſanitati priſtinæ reſtituere. Sed dum defertur, inter amatorum manus ſpiritum anhelus emiſit. Quod cernentes parentes eius, flentes, ac clamantes proiecerunt eum ante ſepulchrum beati Maximi confeſſoris, clauſiſq; oſtijs relinquunt corpus exanime. Nocte verò in lamentatione deducta, cùm redditus terræ dies alius illuxiſſet, reſeratis ædis ſacratæ oſtijs, infantulum erectum ſuper cancellos ſepulchri trahentem ſe, atq; ambulare conantẽ aſpiciunt. Nondum enim ei erat ætas perfecta, vt rectè poſſet incedere. Quod admirantes parentes gauiſi ſunt. Suſcepitq; eum mater mœſta cum gaudio, ac domui reſtituit ſanum. Ipſum autem iam puerum adultum vidi, qui nobis hæc retulit.

DE VALERIO EPISCOPO.

CAP. LXXXIIII.

VALERIVS beatus confeſſor Conſoranenſis primus Epiſcopus,hoc ſe reuelauit modo. Nam oratorium ſuper ſe conſtructum priùs habuit, ſed per incuriam effracto, obliuioni datum eſt,quo in loco quieſceret. Hoc tantum ab incolis ferebatur,quòd fuiſſet ante ſanctum altare ſepultus. Adueniens autem Theodorus Epiſcopus, oratorio ipſo in maiori ſpatio ampliato,magnam effecit baſilicam. Deinde ſanctum venerabilis viri corpus inquirens,reperit duo ſepulchra,ſed neſciebat vtrũ ipſorum eſſet Sacerdotis illius. Tunc conuocato clero,vigilias 1 tota celebrat nocte, deprecans vt ſibi beatus confeſſor,quo in loco iaceret,exponeret. Impleuitq; duas ampullas vino,& poſuit ſuper vtrunq; tumulum, dicens: In qua falerna fuerint ampliata,ipſam manifeſtum ſit eſſe Valerij Antiſtitis ſepulturã. Data verò luce,egreſſus de baſilica,& oſtijs ſigillis munitis,dedit membra ſopori. Surgens autem ad horam tertiam,venit ad ſanctam baſilicam,reſeratisq; oſtijs cum clero,& populo,reperit ampullam vnam parum vini habentem,alteram verò in tantum ore patulo exundare, vt totum beati Pontificis allueret monumentum. Per hoc itaq; cognouit Sacerdos,quis eſſet Valerij Epiſcopi tumulus. Sed euidentiùs adhuc ſcire cupiens detegit monumentum,amotoq; opertorio reperit venerabile corpus valde integrum. De quo non cæſaries deciderat, non barba fuerat diminuta,neq; aliquid in cute corruptum aſpiciebatur,aut tetrum; ſed erãt omnia illæſa,ac ſi nuper fuiſſent recondita. Tantusq; odor ſuauitatis fragrabat è tumulo,vt non dubitaretur ibi quieſcere Dei amicum. Lauri etiam folia ſub ſe habebat fracta; de quibus 2 aſſumens Epiſcopus,multis infirmis præbuit medicinam. De veſtimentis igitur eius reliquias ſumpſit, rurſumq; operto tumulo, venerandum deinceps Antiſtitem honorauit,multa miracula de his pignoribus cernens in poſterum.

1 Vigilias, & orationes tota nocte agit cũ clero Epiſcopus, & ſãcti reuelationem obtinet.

2 Vides quomodo & res externæ ſanctorũ ſanctæ ſunt, & beneficia fidelibus præſtãt?

DE SYLVESTRO CAVILLONENSI EPISCOPO.

CAP. LXXXV.

Beatiſſimus verò Syluester Cauillonenſem rexit Eccleſiam, qui quadraginta duobus annis ſacerdotio miniſtrato, plenus dierum, atq; virtutum migrauit ad Dominum. Habuit autem lectulum funibus ſubtilibus innexum; ſub quo cùm ſemel, atque iterum infirmi, ſiue quartanarij, ſiue varijs febribus oppreſſi, ſubderentur, ſtatim virtute diuinitus indita ſanabantur. Idcirco hic lectulus in Eccleſiæ ſacrarium deportatus ſimili virtute nitefcit. Multi enim (ſicut oculis proprijs inſpexi) abſciſſis de funibus illis particulis in longinquum deferebant, ipſisq; ſuper infirmos locatis, ſanitatis adeſſe beneficium contuebantur. Nam mater mea ab hoc deciſam particulam, vt puellæ à frigorijs febricitanti collo dependi fecit, morbo extemplò depreſſo, puellam ſanam aſpexit.

Et hic nota vt in proxima notula.

DE DESIDERATO EIVSDEM TERRITORII RECLVSO.

CAP. LXXXVI.

In hac vrbe fuit & Deſideratus Presbyter, quem ego apud monaſterium Gurthonenſe vidi, virum ſanctitate magnificum, qui ſæpius frigoriticis, dolore dentium laborantibus, alijsq; morbis orando finem impoſuit. Non enim vſq; quaq; recluſus erat, ſed qui voluiſſet videbat eum in cellula. Hic (vt diximus) eximijs illuſtratus virtutibus reliquit ſeculum. Quod audiens Benedictus Agricolæ Epiſcopus miſit Archidiaconum ſuum, vt beatum vrbis cœmeterio deferret. Sed reſiſtentibus monachis, quòd iuſſus fuerat non impleuit. Poſt hæc ædificato Xenodochio leproſorum in ſuburbano, Sacerdos in eius baſilicam, collectis Abbatibus, & omni clero, beatum corpus tranſtulit, & in baſilica ſuperius memorata ſummo ſtudio ſepeliuit. Qui ſe nunc viuere cum Chriſto magnis virtutibus manifeſtat.

Si ſancti cũ Chriſto viuunt, quomodo poſſunt ab aliquibus emortui nuncupari?

DE IOANNE ABBATE.

CAP. LXXXVII.

FVIT in Ternodorenſi pago in parochia Lingonicenſi vir ſanctitate præcipuus Ioannes Abbas, iuxtà ſui nominis etymologiam, diuina gratia præuentus. De quo fertur, quia cùm monaſterium ædificare vellet, quòd Reomanum núcupatur, & fratres nimiam aquæ penuriam paterẽtur, reperit puteũ immani profunditate altum, vbi peſſimus ſerpens Baſiliſcus habitabat. Hic itaque, diuina inuocatione peremptо ſerpente, ac mundato puteo, ipſum potabilẽ fratribus reddidit. De qua aqua & nos, cùm Lugdunum pergeremus, à fratribus illius monaſterij benignè ſuſcepti, cauſa miraculi hauſimus. Cuius etiam hauſtu plurimi frigoritici curantur. Fertur & de præfato viro tale miraculum.

Quidam fratricida pro enormitate criminis ferreis circulis alligatus præceptum habuit, vt ſeptem annis loca ſanctorum peragrando circuiret. Hic cùm Romam veniſſet, reuelatione diuina comperit, non aliter ſe poſſe abſolui, niſi ad ſancti corporis reliquias Ioannis Reomanenſis Abbatis perueniret. Hic ergo paſſim luſtrando loca tandem deuenit ad baſilicam, vbi haud longè à monaſterio ſacratiſſimum corpus eius locatum eſt. Ibiq; [1] orationibus, ac vigilijs incubans, vinculis omnibus abſolutus eſt. Vixit vir hic iuſtus, & religioſus, ſicut legiſlator Moyſes, centum viginti annis, cuius nec oculus caligauit, nec dens motus eſt. Fuit autem inſtitutor viri memorabilis, de quo in ſuo loco narrabimus.

[1] Orationibus ac vigilijs incubans.

DE SEQVANO ABBATE,

CAP. LXXXVIII.

MAGNAE autem virtutis fuit & ille Sequanus Lingenici Abbas territorij, qui viuens ſæpè homines à vinculo diabolici nexus abſoluit, & poſt obitum ad ſepulchrum ſuum ergaſtulari cathena reuinctos, liberos meritis ſuis abire permiſit. Deniq; Gunthrannus Rex cornu, cuius voce vel moloſſos colligere, vel illa cornutorum arboreorum armẽta effugare conſueuerat, furto ablatum perdidit; quæ res multos in vincula cõiecit, & nonnullos facultate priuauit, ex quibus tres viri memorati Confeſſoris monumentum petierunt. Quo Rex comperto, iuſſit eos cathenis, atq; compedibus necti. Factum'q; eſt ita. Media verò nocte lux in baſilica humana luce clarior oritur, diſſiliunt ferrearum compedum repagula, cathenarum'q; diſruptis baſibus, vincti laxantur. Quo audito Rex exterritus, velociùs eos liberi arbitrij poteſtati donauit.

DE MARCELLO PARISIORVM EPISCOPO.

CAP. LXXXIX.

MARCELLVS verò Pariſiacæ vrbis Epiſcopus, qui quondam (vt in eius vita legitur) ſerpentem immenſum hoc depulit ab oppido, nunc in ipſius ciuitatis vico quieſcit. Ad cuius tumulum cùm Ragnimodus Presbyter, qui nunc eius municipij habetur Sacerdos, quartano typo veniens decubaſſet, tota'q; die ieiunio, & orationi vacaſſet, facto iam veſpere obdormiuit. Expergefactus verò poſt paululum à ſomno, incolumis ſurrexit à tumulo.

DE

DE GERMANO EIVSDEM VRBIS EPISCOPO.

CAP. XC.

INgrediente autem Chilperico Rege in vrbem Pariſiacam, poſtridie quàm ipſe ingreſſus eſt ciuitatem, paralyticus, qui in porticu baſilicæ ſancti Vincẽtij, in qua beatus Germanus requieſcit in corpore, reſidebat, ſanatur. Manè autem facto, ſpectante populo gratias beato Antiſtiti referebat. Nam ſæpè ibi & greſſus paralyticorum, & cæcorum viſus, virtute ſancti reſtituuntur. Et rarò aduenit eius 1 ſolennitas, quin ibi eius virtus oſtendatur.

1 Solennitas ſãcti Germani Epiſcopi.

DE GENOVEFA VIRGINE SANCTISSIMA.

CAP. XCI.

EST ibi & ſancta Genoueſa in baſilica ſanctorum ſepulta Apoſtolorum, quæ in corpore poſita tantùm in virtute præualuit, vt mortuum ſuſcitaret. Ad cuius tumulum ſæpiùs petitiones datæ ſuffragium obtinent. Sed & frigoriticorum febres, eius virtute ſæpiſſimè reſtringuntur.

DE SEPVLCHRO BEATI LVSORIS. CAP. XCII.

IN Dolenſi autem Biturigi termini vico beatus Luſor Leucadi quondam ſenatoris filius requieſcit, qui fertur in albis migraſſe à ſeculo. In crypta verò poſitus, ſuper pauimentum ſepulchrum habet ex marmore pario mirabiliter exculptum. Factum eſt autem, vt quadam vice ſanctus Germanus Pariſiacæ vrbis Epiſcopus ad hunc tumulum vigilias 1 celebraret, haud procul formulam habens, in qua genua, cùm neceſſitas cogeret, deflectebat. Factũ eſt autem in vna vigiliarum nocte, dum pſalmos lectionis Dauidicæ decantarẽt, ſtationis labore laſſi clerici, quaſi pro aliquo releuamine ſe ſuper ſepulchrum ſancti defixis vlnarum compagibus ſuſtentarent. Contremuit illico beati tumulus Confeſſoris, & ſibi iniuriam irrogari præſenti vibratione fatetur. At Germanus Pontifex terrore perterritus, amoueri deſuper præcepit ſomnolentos dicẽs: Abſcedite, ò ſegnes, procul à tumulo, ne ſancto Dei moleſtia inferatur. Quibus amotis, tremorem illum deinceps non ſenſerunt. Sed nec illud placuit prætermittere, quòd cuidam pauperi idem Luſor beatus per viſum apparuit, præcepitq́; cellulam emundari, in qua (vt ferunt) infantiæ vagitus egeſſerat. Sed cùm pauper ille bis commonitus agere iuſſa differret, apparuit ei tertiò dicens: Si feceris quæ præcipio, vnum trientem pro obedientiæ famulatu recipies. Ille verò conſurgens, cellula ſcopis mundata, & aqua abluta, herbisq́; reſperſa, ſtabat attentus, pollicitam promiſſionem operiens, donec nutu Dei aduertit trientem in pauimento lucere, quem colligens lætus abſceſſit.

1 Sanctus Germanus ad beati tumulum vigilias celebrabat, & clerici eius pſalmos Dauidicos decãtabant.

DE MAXIMINO TREVIRORVM EPISCOPO.

CAP. XCIII.

EST & apud vrbem Treuiricam in ſuburbano ſanctus Maximinus magnus cum Domino populis ſuis 1 aduocatus, ad cuius tumulũ ſæpè cernuntur miracula glorioſa. Tempore enim Theodoberti Regis, Arboaſtis quidam Presbyter cum Franco quodam contendebat, Rege præſente. At dum hæc agerentur, Rex ipſe loca ſancta, quæ ſub vrbis illius vicis habentur, cauſa viſitabat orationis. Cùm autem videret Rex orationem Presbyteri eſſe callidam, conuerſus ad eum; Si vera ſunt, inquit, quæ proſequeris, hoc ſuper tumulum Maximini Antiſtitis ſacramento confirma. Audeo, ait Presbyter, quæ precipis adimplere. Et ſtatim ponens manus ſuper ſanctum ſepulchrum dixit: Huius ſancti virtute 2 opprimar, ſi aliquid falſi loquor de his, quæ proſecutione mea contra hunc Francum adduco. Fremente autem barbaro, & quaſi contra ſanctum Dei furibundo, egreſſi ſunt de baſilica. Cùmq; per viam pariter pergerent, ſubitò delapſus in terram Presbyter, mortuus eſt. Laudauitq; deinceps barbarus virtutem ſancti, cui priùs detraxerat. Sic quoq; Archidiaconus vrbis ipſius, cùm à Nicetio Epiſcopo pro adulterij crimine pulſaretur, ſacramento ſe ad huius ſancti ſepulchrum purificari expetijt. Ingreſſusq; primùm cryptæ limen, reſtitit quaſi ſtupens; dehinc deſcendens per gradus, ad aliud oſtium venit; cùmq; ad tertium accedere vellet, protinus febre correptus, greſſum ampliùs figere non audens, crimen quo imputabatur, in diſcrimine mortis poſitus, eſt confeſſus, deprecans populum, vt pro ſe vel ſancti Antiſtitis, vel Epiſcopi ſuffragia flagitaret. Sed ſtatim vt confeſſus fuit, ab impulſu febris erutus, ſui Antiſtitis eſt in charitate receptus.

1 Vides ſãctos apud Dominum eſſe aduocatos noſtros?

2 Diſce ex hoc loco, ante ſãctorum ſepulchra non peierare.

DE NICETIO EIVSDEM VRBIS EPISCOPO.

CAP. XCIIII.

NIcetius autem (vt ſupra diximus) ipſius vrbis Epiſcopus, eleemoſynæ, charitatis, ſanctitatisq́; totius refulſit merito, dum in corpore commoratus eſt. Hic à ſeculo migrans, ad baſilicam ſancti Maximini prædeceſſoris ſui ſepultus eſt. Ad cuius nunc tumulum vinctorum cathenæ franguntur, ac energiam incurſionis diabolicæ patientes, extruſis dæmonibus, liberãtur; cæcorumq́; oculi plerunq́;, remotis tenebris, lumine infunduntur. Nam de periurijs quid dicam? Si quis enim ibi falſum iuramentum proferre auſus fuerit, illico diuina vltione 1 corripitur. Nec quiſquam hoc vel loqui audet, ſi conſcientia torquente reum ſe eſſe cognouerit, quòd ibi ſacramentum præſumat exoluere.

1 Ecce quomodo diuina vltio eos corripit, qui ante ſanctorũ tumulos peierare audent.

DE MEDARDO SVESSIONENSI EPISCOPO.

CAP. XCV.

MEdardus verò glorioſus Confeſſor iuxta vrbem Sueſſionicam quieſcit, ad cuius ſepulchrum ſæpè compedes miſerorum confractas aſpeximus. Poſt ſcriptum autem de mirabilibus eius librum, mulier manu debilis deuotè expetijt beati præſidia Sacerdotis. Deniq; cum reliquis vigilijs fide integra celebrat, confiſa ab eius virtute manus, quas habuit ligatas, poſſe diſſolui, qui infelicium cathenas potentia eximeret. Factum eſt autẽ dum Miſſæ celebrarentur, vt reſolutis neruorum arentibus ligaturis, gratias confeſſori referens, & ad ſanctum altare accedens, gratiam benedictionis acceperit incolumis. Et quia priuſquam templum ædificaretur, erat ſuper ſepulchrũ ſancti cellula minutis contexta virgultis, & dedicato templo hæc fuit amota, dignum eſt, vt de ipſius ligni tenuitate magnum aliquid proferamus. Nam ſæpius de eo 1 haſtulæ factæ parum acutæ dolori dentium remedia contulerũt. Hæc audiens Charimeris, qui nunc referendarius Hildeberti Regis habetur, dũ hoc dolore laboraret, baſilicam ſancti expetijt, vt ſumens ex ligno, à virtute ſancti medicinam mereretur accipere. Sed veniens oſtium reperit obſeratum. Confiſus ergo quia virtus beati vbiq; ſit præſens, extracto cultro haſtulam excutit ab oſtio. Statimq́; vt dentes attigit, noxius dolor abſceſſit. Habetur apud nos & baculus eius, de quo plerunq; infirmi medicamina ſunt experti.

1 Vide quomodo res etiam exteræ ſãctorũ fidelibus beneficia præſtant.

DE ALBINO ANDEGAVORVM EPISCOPO.

CAP. XCVI.

ALBINVS autem Confeſſor, cuius nuper vitæ liber à Fortunato eſt conſcriptus Presbytero, obtinet & ipſe, impertiente merito, ſuum oſtendi mira ad ſepulchrum. Aderat igitur dies ſolennitatis, in quo paralyticus membris omnibus debilis, euectus plauſtro, ante vitream abſidem, qua ſancta concluduntur membra, ſedebat. Is datus ſopori, vidit virum ad ſe venientem, & dicentem ſibi: Quouſq; dormitas, & ſanus fieri non deſideras? Qui ait: Vtinam merear ſanus fieri. Dixitq; ei vir: Cùm ſignum ad curſum horæ tertiæ audieris inſonare, ſurge continuò, & ingredere baſilicam, ad quam veniſti. Futurum eſt enim, vt ipſa hora beatus Martinus cum Albino contribuli ingrediatur baſilicam, & oratione facta ad eius ſolennitatem Turonis accedere debeat. Si enim eo momento præſens fueris, ſanus efficieris. Nec moratus ille, commoto ſigno, accedit ad tumulum ſancti. Cùmq; Dauidici carminis laudationem clerici canere cœpiſſent, odor ſuauitatis in baſilicam ſancti aduenit, & hic directis pedibus incolumis eſt erectus. Quod non à paucis, ſed à pleriſq; viſum regio ipſa teſtatur. Sic & apud Cromenſem vicum mulier à natiuitate cæca, inuocans nomen a ſancti ipſa die illuminata eſt.

a Ecce quomodo ad nominis ſancti inuocationem cæca mulier ſanata eſt.

DE HOSPITIO CONFESSORE,

CAP. XCVII.

FVIT in regione Nicenſi Hoſpitius magnus Dei famulus, qui multis virtutibus præditus ab hoc mundo migrauit. Cùmq; ſepeliretur, quidam iuxta ipſum ſepulchrum manum ponens, parum pulueris eleuauit, quod in linteo inuoluens rudi, ſecum ſuſtulit. Progreſſusq; poſtridie nauem, quæ Maſſiliam ire parabat, offendit in littore. Sed hic Lirinenſe monaſterium expetere cupiebat. Viri autem, quorum erat nauis, Iudaica erant à ſtirpe progeniti. Qua exiſtente cauſa, noluit vir indicare naucleris quæ ferebat. Deniq; poſtquam progreſſi contra Lirinenſe monaſterium deuenerunt, nauis in medio pelagi reſtitit, flantibusq; ventis, nullam 1 mouetur in partem. Stupentibus verò Iudæis quid hoc eſſet, homo ille veritatem aperuit, dicens: Reliquias beati Hoſpitij mecum habeo, & nunc Lirinum adire deſidero, quod vobis indicare metui. Nunc autem ſcio quia eius virtute retinetur nauis veſtra, nec hinc moueri prorſus poterit, niſi conſenſum illuc veniendi præbeatis, quò ego ire diſpoſui. Quod audientes viri ſtupore permoti, mutatis velis, flante vento ſecundo, virum in inſula Lirinenſi depoſuerunt, ac poſtmodum quò voluerunt, liberè abierunt.

1 Vide quantā poteſtatē habeant ſancti, cùm parum pulueris nauim in medio mari retinere potuerit.

DE EREMITA, CVI CALDARIA LIGNEA FVIT.

CAP. XCVIII.

ECCE quales, quantasq; ſuis congregat diuitias mundi paupertas, vt eis non ſolùm quæ voluerint, Redemptor, qui cuncta ex nihilo condidit, tribuat, verumetiam ipſa eis elementa 1 iubeat famulari. Nam recolo me audiſſe ante hos annos, extitiſſe quendam in eremo regionis cuiuſdam, ad quem requirendum cùm frater è proximo prompta deuotione veniſſet, exceptus eſt ab ipſo plena animi charitate. Tunc ingreſſi paruulum quoddam tugurium, oratione facta, reſederunt conferentes plurima de verbo Dei. Mox ſurgit ſenex à cellula, ingreditur hortulum, olera decerpit ad cibum, accenſoq; foco ponit lebetem ligneum ſuper ignem impletum aqua cum oleribus, vrgensq; ignem ita vehementer lebetem feruere coëgit, vt putaretur æneũ eſſe. Hoc autem videns vir, qui aduenerat, ſtupore commotus interrogat quid id eſſet. Reſpondit ſenex: Multis iam in hac eremo annis inhabito, ſed ſemper in hac caldaria cibos, Domino iubente, ad reficiendum fragile corpuſculum præparaui. Coctis igitur cibis, ac redditis Deo 2 debitis hymnis, vterq; ex huius vaſculi miniſterio ſunt refecti. Hæc olim audiui; nuper verò vidi Abbatem, qui eum Ingenuum nominabat, aſſerens illum intra Augustudunenſem terminum commoratum fuiſſe, & ſæpiùs in hoc vaſculo vel

1 Nota ſanctis, Dei iuſſu, & elementa famulari.

2 Ecce Chriſtianam conſuetudinem, ſemper ante ſumptionem cibi Deo laudes dicere.

olus,vel crumelinn coctum cum illo ſumpſiſſe. Confirmabat autem cum iuramento, vidiſſe ſe caldariam flammis ſuperpoſitam validiſſimè feruere,& ita ſemper funduin eius humidum extitiſſe,vt putaretur iugiter ab aliquo humectari.

DE AVITO CONFESSORE AVRELIANENSI.

CAP. XCIX.

AVITVS Abbas Carnoteni pagi, quem Partenſem vocant, ſæpiùs imminere diſſolutionem ſui corporis, Spiritu ſancto reuelāte,prædixit. Hic recedens à corpore, honorificè 1 apud Aurelianenſem vrbem humatus eſt,ſuper quem fideles Chriſtiani Eccleſiam conſtruxerunt. Poſt cuius obitum cùm anniuerſarius aſſumptionis eius cum ſummo coleretur honore, vnus è ciuibus, alijs ad Miſſarum ſpectanda ſolennia euntibus, accepto raſtro vineam paſtinare perrexit. Increpitus verò à multis quòd huic feſtiuitati 2 deeſſet,redire noluit,dicens: Et hic, quem colitis, operarius fuit. Verùm vbi ingreſſus vineam, primo ictu terram aperuit, protinus retorta ceruice facies eius ad tergum conuerſa eſt. Tunc tremens,ſpectantibus populis,cum fletu magno baſilicam ſancti ingreditur. Poſt paucos verò dies orans in eodem loco aſſiduè, directa ceruice,conualuit.

1 Honorificè apud Aurelianenſem vrbem humatus eſt.

2 Feſtiuitas ſācti Auiti Cōfeſſoris.

DE CYPRIANO PETROCORICI ABBATE. CAP. C.

1 Vide quomodo multa miracula Deus per ſanctos ſuos operari dignatur.

CYprianus Abbas Petrocorici oppidi magnificæ ſanctitatis vir fuit, per quem 1 Deus multa miracula in hoc mundo operari dignatus eſt. Nam manus debiles frequenter reintegrauit, paralyticis greſſum, cæcis reſtituit viſum, tresq́; leproſos inunctos oleo priſtinæ reddidit ſanitati. Sed & nunc crebrò ſuper infirmos ſanitates oſtendit, ſi fideliter eius tumulum expetant, aut illum exorent.

DE ADEBARCHO AEQVOLONENSI ABAATE. CAP. CI.

1 Ecce magnū miraculū ad ſancti inuocationem.

2 Nota, Nec diffidimus de tua oratione, vt quod viuens feciſti in ſeculo, poſſis renouare ſublimatus in cœlo.

SED & ad Adebarchi Aequolonenſis vrbis recluſi ſepulchrum ſæpiùs infirmi ſanantur; nam & frigoriticorū febres, & alia incommoda eius meritis reſtringuntur. Cæcus verò de Petrocorico territorio, vt ſe ad ſepulturam illius proiecit, fuſa oratione, lumen recipere meruit. Comes autem antedictæ vrbis Aequolonenſis, fure inuento, ac ſupplicijs dedito, patibulo cōdemnari præcepit. At ille cùm duceretur ad mortem, inuocare 1 huius ſancti nomen cœpit, & adductus ad ſtipitem, fuſa oratione ſuper terram, patibulo appenſus relictus eſt. Quod cùm monachi præſenſiſſent, ſimul proiecti ad tumulum ſancti orare cœperunt, dicentes: O ſancte Confeſſor, ſi tibi vita ſuperſtes eſſet in ſeculo, eruere potueras hunc pauperem de manu mortis, ſicut plerunq; tali addictos ſupplicio liberaſti. Sed nec diffidimus de tua 2 oratione, vt quod viuens feciſti in ſeculo, poſſis renouare ſublimatus in cœlo. Et data nocte, miſit Abbas vſq; ad furcam. Accedente autem monacho, ſtatim diſruptis ligaminibus, terræ delapſus eſt, & ſic ſuſtentatus à monacho viuens adducitur ad monaſterium, hauſtoq́; parumper vino conualuit, & vita à iudice obtenta, liber abſceſſit.

DE FELICE BITVRIGVM EPISCOPO.

CAP. CII.

POST tranſitum autem Felicis Biturigi Epiſcopi, cùm ad eius tumulũ, quod marmore exculptum pario ſuper terram erat poſitum, cæcus quidam lumen oculorum, fugatis tenebris, recepiſſet, cognouiſſet'q; plebs amicum Dei, quem in corpore poſitum, obſiſtentibus mundanis caliginibus, cognoſcere ad plenum non meruit, cœpit in orationum aſſiduitate eius limina penetrare. Sed quoniam ſarcophagus marmoreus viliori lapide obtectus erat, ſagacitas ciuium, & præſertim Epiſcopi, meliori ſarcophagum opertorio texit, id eſt ex marmore Heracleo. Amoto ergo viliore lapide poſt annum ferè duodecimum, inuenerunt corpus beati Confeſſoris ita illæſum, vt nulla diſſolutio in corpore, nulla putredo reperiretur in veſte; ſed ita erant cuncta integra, ac ſi (vt ita dixerim) ea hora tumulo eſſent ingeſta. Sed nec ibi quidem miſericordia Domini defuit, vt lapis repulſus non remaneret inglorius. Ferunt enim, quòd multi eraſo, potato'q; ex eo 1 pulueris modico, tam à quartanis, quàm tertianis, ſiue quotidianis febribus celeriter liberantur.

1 Ecce quomodo et puluis ex lapide ſepulchri ſancti Epi eraſus, & epotus, febricitantes ſanat.

DE IVNIANO LEMOVICINORVM ABBATE.

CAP. CIII.

FVIT & Iunianus recluſus intra Lemouicinæ vrbis territorium, qui viuens multa populis oſtendit miracula. Sed & nunc ad ſepulchrum eius ſæpè morbi curantur. Nam vidi multos, quos dinumerare putaui longum, qui cæcis oculis eò perducti lumen receperunt; paralytici'q; directi ſunt. Teſtis eſt ipſe populus vel hodie, nam cùm ſanitatem recipiunt, ſtatim ſe tributarios 1 loco illi faciunt, ac recurrente circulo anni pro redditæ ſanitatis gratia tributa diſſoluunt. Ex quibus plurimi ſunt, qui ad baſilicam ſancti Martini noſtri Antiſtitis pertinere videntur.

1 Vide magnũ teſtimonium miraculorũ ſanctorũ, ad eorum gloriam.

DE PELAGIA LEMOVICINA.

CAP. CIIII.

PELAGIA verò genitrix beati Aredij, cuius ſupra meminimus, valde religioſa, cùm vrgeretur febribus, & eſſet in tranſitu, petijt à filio dicens: Quæſo, fili dulciſſime, ne me ante diem quartum ſepeliatis, vt venientes famuli, famulæq; omnes videant corpuſculum meum, nec vllus fruſtretur ab exequijs meis de his, quos ſtudioſiſſimè enutriui. Et hæc dicens emiſit ſpiritum. Abluta 1 ergo iuxta morem, collocatur in feretro, atq; in Eccleſiam deportatur. Quarto verò die priuſquam ſepeliretur, tantus odor ſuauitatis effragrauit à corpore, vt omnes admirarentur. De nocte aũt globus ignis magnus apparuit, qui ab Oriente conſurgens, ac per cœli circulum currens, ſuper Eccleſiam ſtetit, in qua corpus defunctæ iacebat. Ex hoc autem ita cunctam ædem ſubitus ſplendor obtexit, vt putarent ſe diem medium contemplari. Et ſtatim energumeni multi exclamauerunt dicentes: Quia Martinus venit ad tranſitum Pelagiæ. Succedente verò Dominica die, poſtquam ſepulta eſt, poſuerunt cereum ad caput eius, dicentes: Parum nobis eſt ceræ, & iam nox prolixior habetur; cùm ad matutinum conſurgimus, tunc accendatur cereus iſte: & clauſo oſtio abierunt: Expleto autem ſomno ingreſſi baſilicam, inuenerunt cereum ardentem, quem extinctum reliquerant.

Sed & ſanitates infirmorum ſæpius aguntur ad huius religioſæ ſepulchrum.

1 Abluta iuxta morẽ, collocatur iu feretro.

DE SEPVLCHRO CRESCENTIAE IN VICO PARISIORVM.

CAP. CV.

TVMVLVS erat in vico Pariſiorũ haud procul à loco, q̃ vetuſtiſſimæ, vt aiunt, Eccleſia nuncupatur, nullo opertus tegmine; ibiq́ in lapide habebatur ſcriptum: Hîc requieſcit Creſcentia ſacrata Deo puella. Sed nulla ætas recolere poterat quale ei fuerat meritum, vel quid egiſſet in ſeculo. Nuper autem à quodam clerico compoſitum hoc epitaphium legitur. Inſtigante verò fide ſuſpicabantur homines, quòd aliquid cum diuina maieſtate virgo potuerit obtinere. Dum verò in hac ſuſpicione penderent, quidam quẽ ardor tertianæ febris cum graui tremore vexabat, eraſum à tumulo parum pulueris hauſit, moxq́; ſedato tremore conualuit. Vulgatumq́ verbum plerunque profuit multis in hac infirmitate detentis. Succedente deinde tempore Monetarius vrbis grauiter ægrotare cœpit, cui in viſione puella apparuit, dicens: Vade quamprimum, & tumulum Creſcentiæ virginis tege; erit tibi hoc adiutorium, ne à morbo, quo captus es, diutius fatigeris. At ille confiſus lateres inquirit, oratorium deſuper conſtruit, protinusq́; ab infirmitate laxatur. Sed vt virtus virginis maioribus efferretur honoribus, cuidam ex vrbe dens indoluerat, ita intumeſcente maxilla, vt vix vel tenuis cibi parum capere poſſet. Pergit fide plenus ad tumulum, factaq́; haſtula vna de parte acuta, vt in humanis vſibus ad purgandos dẽtes fieri ſolet, ſuper ſepulchrũ puellæ ponit; ſtatimq́ vt exinde dentem, qui dolebat, attigit, omnis dolor obſtupuit. Ex hoc autem accepto experimento, quos hic dolor vexat, huius virtutis vt expetunt præſidia, mox ſanantur.

DE BEATA RADEGVNDE PICTAVENSI.

CAP. CVI.

BEATA verò Radegundis,cuius in initio libri martyrũ meminimus, poſt emeritos vitæ labores,ab hoc mundo migrauit. De illius igitur tranſitu accipientes nuncium,ad monaſterium Pictauenſis vrbis acceſſimus,quod ipſa inſtituerat. Reperimus autem eam iacentem in feretro;cuius ſancta facies ita fulgebat,vt liliorum, roſarum'q; ſuperaret pulchritudinem. Stabat circa feretrum multitudo immenſa ſanctimonialium ad numerum circiter ducentarum,quæ per illius prædicationem conuerſæ,vitam ſanctã agebant,quæ'q; ſecundùm ſeculi dignitatem non modò de ſenatoribus, verumetiam nonnullæ de ipſa regali ſtirpe florebant. Stabant autem plangentes,atq; dicentes: Cui nos orphanas,mater,relinquis? Cui nos deſolatas commendas? Reliquimus parentes,facultates'q;,ac patriam,& te ſecutæ ſumus, cui nos relinquis,niſi perpetuis lachrymis & nunquam finiendo dolori? Ecce vſq; nunc maius nobis erat hoc monaſterium,quàm villarum,aut ciuitatum ſpatia; quæ quocunq; accedebamus,contemplantes glorioſam faciem tuam, ibi inueniebamus aurum,ibi argentum,ibi ſuſpiciebamus florentes vineas,ſegetes'q; comantes, ibi prata diuerſorum florum varietate vernantia. A te carpebamus violas,tu nobis eras roſa rutilans,& lilium candens. Tua nobis verba quaſi Sol reſplendebãt, & quaſi Luna tenebris conſcientiæ noſtræ lucidam veritatis lampadem accendebant. Nunc autem contenebrata eſt nobis omnis terra, anguſtatum eſt ſpatiũ huius loci,dum tuam faciem non meremur aſpicere. Heu nos derelictas à ſancta matre omnino miſeras,felices'q; illas,quæ te ſuperſtite,ab hoc ſeculo migrauerunt,arbitramur. Scimus quidem te choris ſanctarum virginum in Dei Paradiſo eſſe coniunctam;ſed cùm ex hoc conſolamur,illud nobis eſt lamentabile, quòd te corporeis oculis intueri non poſſumus.

Hæc,& alia inter lamenta illis dicentibus,cùm à lachrymis temperare non valeremus,conuerſus ad Abbatiſſam aio: Abſtinete parumper ab his fletibus,& ea potiùs,quæ ſunt neceſſaria, tractate. Ecce frater noſter Marouæus huius vrbis Epiſcopus non eſt coram,eò quòd illum cauſa viſendarum parochiarum elongauerit. Nunc autem habete conſilium,ne ſanctum corpuſculum iniuriam patiatur,& gratia,quam Deus beatis artubus præſtitit,auferatur, dum tempus ſepulturæ differtur. Accelerate debitas exequias,vt ſepulchro cum honore reddatur. Ad hæc Abbatiſſa reſpondit: Et quid faciemus,ſi Epiſcopus vrbis non aduenerit,quia locus ille,quo ſepeliri debet, non eſt ſacerdotali benedictione 1 ſacratus? Tunc ciues,& reliqui viri honorati,qui ad exequias beatæ Reginæ conuenerant,imperant paruitati meæ dicentes: Præſume de charitate fratris tui,& benedic altare illud,confidimus enim de eius beneuolẽtia, quòd moleſtè non ferat quæ feceris, ſed magis gratiam referat. Præſume, precamur, vt caro 2 ſancta ſepulturæ reddatur. Itaq; ab illis commonitus,altare in cellula ipſa ſacraui. Verùm vbi ſanctum corpus mouentes,pſallendo deducere cœpimus,mox energumeni clamantes,& ſanctam Dei confitentes, torqueri ſe ab ea fatebantur. Tranſeuntibus autem nobis ſub muro, iterum caterua virginũ per feneſtras turrium,& ipſa quoq; muri propugnacula voces proferre, ac lamẽtari deſuper cœperunt, ita vt inter ſonos fletuum, atq; colliſiones palmarum, nullus

1 Vides quòd Chriſtianorũ corpora non tumulantur niſi in locis Epſali benedictione ſacratis?

2 Vt caro ſancta ſepulturæ reddatur. Non dicunt vile cadauer, aut quid ſimile.

nullus poſſet à lachrymis temperare; ſed & ipſi quoq; clerici, quorum erat pſallendi officium, vix inter ſingultus, & lachrymas antiphonam poterant explicate. Dehinc accedimus ad ſepulchrum. Prouidentia verò Abbatiſſæ capſam ligneã fecerat, in qua corpus aromatibus conditum incluſerat, & ob hoc foſſa ſepulturæ ſpatioſior facta fuerat, ita vt ablato duorum ſepulchrorũ pariete, quæ coniuncta erant, capſa cum ſanctis artubus locaretur. Tunc facta oratione, diſceſſimus reſeruantes Epiſcopo loci, vt ab eo, celebrata Miſſa, tegeretur operculo.

Redeuntes verò ad monaſterium ducebat nos Abbatiſſa cum virginibus per loca ſingula, in qua ſancta aut degere conſueuerat, aut orare, lugens, ac dicens: Ecce ingredimur in cellulam, & matrem amiſſam non reperimus. Ecce ſpartum, in quo flectens genua cum lachrymis Dei omnipotentis miſericordiam precabatur, & à nobis ipſa non videtur. Ecce librum, in quo legebat, & vox ſpiritali ſale condita non verberat aures noſtras. Ecce conſumpta per longa ieiunia, & profluas lachrymas ora ſolita, & almi ſanctitate digiti minimè cernuntur. Hæc illis dicentibus, renouantur lachrymæ, ſuſpiria proferuntur, & ipſa quoq; viſcera ab affectu plorantium reſoluuntur in fletum; tantusq; mœror pectus meum obſederat, vt à lachrymis non deſiſterem, niſi ſcirem beatam Radegundem ablatam monaſterio corpore, non virtute, & aſſumptam à mundo, collocatam 3 eſſe in cœlo.

3 Ecce animas ſanctorum aſſumptas à mundo collocari in cœlo.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS BERGOMENSIS PIO LECTORI.

EX his, quæ de ſancto Paulino Nolanæ vrbis Epiſcopo à laudatiſſimo Gregorio Turonicæ ciuitatis Antiſtite in ſequenti capite dicuntur, conſtat, ea omnia, quæ in principio ſecundi Tomi vitarum Sanctorum ex diuerſis auctoribus de beato illo viro collegeramus, abſq; aliquo ſcrupulo vera eſſe. Quod'q; de ſancta eius cōiuge Theraſia ſub dubitatione ibi poſueramus nunc abſq; vlla hæſitatione liberè pronunciare poſſumus. Nec enim nouum illud fuit, & inuſitatum, quòd coniugatus in Epiſcopum promoueretur, id enim in Latina noſtra Eccleſia ſæpiùs factum eſt, dummodo vterq; coniugum ſe deinceps in cœlibatu victuros profiterentur; aliàs verò minimè. Huius rei exempla in hiſce noſtris ſanctorum Tomis quamplurima inuenies. Diſce ergo vel ex hoc, benigne lector, verum id eſſe, quod ex vulgari adagio habemus, librum videlicet librum aperire. Et quæ per nos de viro Dei Paulino olim dicta erant, modò fide firma credere potes, tanti Præſulis teſtimonio fultus. Vale.

DE SANCTO PAVLINO.

CAP. CVII.

FVIT vir vitæ venerabilis Paulinus Nolanæ vrbis Epiſcopus, ex nobili ſtirpe ortus. Theraſiam ſimilem ſibi ſortitus eſt coniugem, habens diuitias multas, & tam in fundorum poſſeſſione, quàm in præſidio domorum valde diues erat, ac locuples. Sed cùm primum aures eius Euangeliorũ lectio illa penetrauit, in qua Dominus adoleſcentem pro diuitijs arguit dicens: Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me. Et facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem introire in regnum Dei, ſtatim venditis 1 omnibus, quæ habebat, pauperibus erogauit. Exoneratus igitur à cunctis cupiditatibus magiſtrum liber ſequitur, per hæc ſe putans paradiſi diuitijs locupletari, ſi videretur nihil de tranſitorijs poſſidere. Cui maieſtas diuina tribuit, vt quod impoſſibile dixerat per Euangelium, hic poſſibiliter adimplere mereretur per actum.

1 Ecce veram paupertatem Euangelicā, vendere omnia, erogareq́ pauperibus, & nudum ſe qui Chriſtũ.

Quadā verò die venit ad eum, qui ſtipem peteret, & ait coniugi: Vade, & da ei quod habet neceſſarium. Quæ reſpondit: Non eſt nobis amplius quàm vnus panis. Cui ille; Vade, inquit, porrige eum; Dominus enim dabit nobis victum. Sed illa quaſi ſtrenua reſeruare cupiens, ne aliquid deeſſet, porrigere noluit. Interea aduenerunt quidam dicentes, miſſos ſe à dominis ſuis, vt illi annonæ, ac vini deferrent ſpeciem; ſed pro hoc ſe moratos, quòd orta tempeſtas vnam eis cũ tritico abſtulerit nauem. Tunc vir Dei conuerſus ad mulierem ait: Intelligete illi pauperi vnum panem fuiſſe furatam, & ideo hanc nauem eſſe merſam.

Perrexit ergo cùm coniuge quaſi peregrinaturus in aliam regionem, nihil habens præter ſtatum proprium. Poſt multum verò tempus, cùm ab incolis regionis ſuæ requireretur, nec poſſet penitus reperiri, negociator de ciuitate illa ad hanc vrbem aduenit, in qua vir beatus cœleſti Domino ſeruiebat, cùmq́; vidiſſet eum, ſtatim proijciens ſe in ſolum, & pedes ſancti amplectens; Hic eſt, inquit, beatus Paulinus toto vulgatus orbe, qui multum à ſuis ciuibus quæſitus, prorſus non potuit inueniri. Et eo narrante omnes actiones eius, obſtupuerunt hæc audientes. Nec mora, decedente Sacerdote apud Nolam vrbem, ipſe in locum Epiſcopi ſubrogatur. Habebat autem Eccleſia illa multas diuitias, impleuitq́; in eo Dominus, quæ per Euangelium premittere eſt dignatus: Quia qui reliquerit omnia propter me, centuplum in hoc ſeculo accipiet, in futuro autem vitam æternam poſſidebit.

2 Scis quare dicit, Caſtiſſima autē coniunx eius nō diſcedebat ab eo? Quia in Eccleſia Occidentali non fuiſſet promotus in Epiſcopũ, niſi tā ipſe, quàm vxor eius caſtitatē ſe in poſterũ ſeruaturos promiſiſſent.

Verũ aſſumpto Epiſcopatu, ſemper ſe humilem proferebat, quia ſciebat ſe apud Deum excelſum futurum, ſi humilitatem ſectatus fuiſſet. Pecunia verò de redditibus Eccleſiæ, quæ manus eius attingebat, confeſtim pauperibus erogabatur. Caſtiſſima 2 etiam coniunx eius non diſcedebat ab eo. Erat autem vir ſanctus miræ prudentiæ, & rhetoricis literis eruditus, quod ſcripta eius, quæ

ad nos peruenerunt, valde patefecerunt. Nam cùm ad diuerſos, tam verſu, quàm proſa ſcriberet, de virtutibus beati Martini ſex verſu conſcripſit libros. Scripſit & alios verſiculos in laudem eius, viditq́ eum in corpore poſitum, & oculum ſuum ab eo illuminatum recepit. Qui tantùm in virtute per multiplicata gratiarum ſpiritalium chariſmata reſplenduit, vt ante obitum ſuum ipſum Martinum, Iauuariumq́ Italicum, priuſquam ſpiritum redderet, corporeis oculis contemplaretur. Iam enim de hoc mundo illi migrauerant. Et quia de huius beati vita nihil legeramus, idcirco ea, quæ per relationem fideliũ cognouimus, dum de eleemoſynis proloqui voluimus, memorauimus. De tranſitu autem eius eſt apud nos magna lectio, ideo eum ex ordine proſecuti nõ ſumus. Ecce quid tribuit eleemoſyna, ecce quales theſauros ſanctis ſuis, qui ipſum in pauperibus diligunt, Deus indulget. E contrario auaritiæ malo inhiantibus, quæ nequiter concupiſcunt, aufert, iuxta illud Euangelij ſancti oraculum: Quia qui habet, dabitur ei, & abundabit; qui autem non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.

Quomodo ſancti dici poſſunt ex mortui, ſi Paulinus beatos Martinũ, & Ianuariũ iam mortuos oculis corporeis videre meruit?

DE NEGOCIATORE, QVI ELEEMOSINAM NON FECIT.

CAP. CVIII.

QVOD autem narrabo, quodam loco in portu maris geſtum fuiſſe multorum confirmat relatio. Quidam pauper ſenex ſacculis oneratus venit ad littus maris, & accedens ad portum petere eleemoſynam à naucleris cœpit, atq; illi, qui primus in naui erat, importunior aſſiſtebat, dicens: Da mihi aliquid. Tunc ille commotus ait: Abſiſte, quæſo, decrepite, & noli à nobis quærere quicquã; nihil enim hîc aliud ꝑter lapides habemus. At ille ait: Si lapides dicis eſſe quæ in tuis ditionibus nauis hæc continet, omnia vertantur in lapides. Et ſtatim cunctum nauis onus, quod mandi potuit, in ſaxum conuerſum eſt. Ego enim ex his & dactylos vidi, & oliuas aſpexi marmore duriores. Nam cùm in lapidis duritiam conuerſa fuiſſent, nunquam tamen colorem, quem habuerunt, perdiderunt, ſed eadem forma, eademq; ſpecies erat. Dominus autem nauis pœnitentia motus, inquiſitum ſenem nunquam potuit reperire. Et ſicut ferunt, per multas ciuitates, quæ in ſaxum mutata fuerant, ad videndum direxit, vt ſcilicet exemplum eſſent omnibus, ne ſimilia perpetrarent. Ecce quid agis, impudens auaritia; feciſti hominem pauperẽ, qui non porrigendo pauperi, putauit ſe poſſe fieri ditiorem.

DE ALIO, QVI VINVM ADVLTERAVIT.

CAP. CIX.

QVID etiam & alij contigerit, qui per fraudem multiplicare terrena ſtuduit lucra, non ſileam. Quidam apud Lugdunenſem vrbem vix ita laborans, vt vnum trientem poſſet habere, accenſus auri execrabilis ſacra fame, voluit per eum ſacculi ora replere, iuxta illum Prudentij noſtri verſiculum: Auri namq; fames parto conquiritur auro. Igitur de hoc triente vinum comparat, admixtisq; aquis, iterum argenteis venundans, duplat pecuniam. Hoc iterum atq; iterum agit, & tam diu turpis lucri ſecutor eſt factus, vſquequo centum ſolidos de hoc triente lucraretur. Sed iudicium Dei cõfutauit lucra diaboli. Congerens enim auarus negociator aurum in ſacculũ, poſſeſſurus pecuniã vnius horæ momẽto, alterius negociatoris nũdinas adit, depoſitoq; ſacculo, ac extracto triente, quaſi aliquid negociaturus, colloqui cum ſocio cœpit. Erât autem ſacculus ex pelle Phœnicia, ſicut his geſtare mos eſt. Et ecce ſubitò adueniens miluus, rapit eum pedibus, atq; diſcerpere tentat, putans à colore partem aliquam carnis eſſe; ſed cùm nihil pinguedinis ſentiret in eo, euolans ſuper alueum Araris, de quo hic aquas hauriens vino miſcuerat, laxatũ ſacculum demiſit in flumen. At ille apprehenſis capillis, elidens ſe ad terram, ſpargensq; puluerem ſuper caput ſuum, aiebat: Væ mihi, qui iudicio Dei oppreſſus, perdidi pecuniam, quæ iniquè fuerat aggregata; nam èx vno triente cẽtum erexi ſolidos, nunc perditis centũ ſolidis, vnus mihi tantùm remanſit triens. Væ mihi, ſicut feci, ſic recepi, & qui è nihilo eos habui, ad nihilum rediſſe conſpicio. Talis pecunia, diabole, tua eſt, per tale lucrũ deduxiſti Deo inobedientes in tartarum. Tale enim commercium & in præſenti damni notam ingerit, & in futuro diuerſarum pœnarum genera parit.

Abſiſtite ab his, quæſo, qui hæc legitis, abſiſtite, & nolite talibus participes eſſe. Sint lucra veſtra diuinæ maieſtatis gratia. Sint exercitia veſtra ſcripturæ ſanctæ doctrina. Fiat congregatio veſtra in marſupijs pauperum, quæ æternæ gehennæ flagrans reſtinguat incendium. Et hoc ipſum à Domini eſt miſericordia poſcendum, non propria virtute quærendum, qui nobis præſtare dignetur illorum intercesſione, quorum hic liber ſacra prodit miracula, vt non ſolùm de terrenis diuitijs, ſed etiam de talentis verbi ſui bonam facientes negociationem, multiplicationis mercede recepta, audire mereamur ab ipſo: Euge, ſerue bone, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam; intra in gaudium Domini tui.

Vides ſãctos pro nobis intercedere?

OCTAVI TOMI PARS QVARTA.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS BERGOMENSIS

SYNCERO LECTORI.

DVM adhuc adoleſcens eſſem, audieram Petrum Damianum Oſtienſem Epiſcopum, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, qui circa annum Domini Milleſimum quinquageſimum ſub Nicolao ij, Alexandro item ij, necnon Gregorio vij Romanis Pōtificibus floruerat, virum fuiſſe doctiſſimum, atq; in ſacris literis exercitatiſſimum, multaq; ingenij ſui, ac ea quidem præclara monumenta reliquiſſe, quæ tamen non ita facilè haberi poſſent præ manibus, vt ea quæ nunquam typis antea demandata eſſent. Ego autem poſtquam ſanctorum patrum vitas à viris dignis conſcriptas in vnum corpus redigendi onus accepi, multa ſum vſus diligentia, vt aliqua huius beati patris in hoc genere ſcripta (audieram verò extare plurima) ſi poſſem, in lucem proferrem. Nec defuit, vt videbis, omnipotentis Dei benignitas, quæ pijs ſemper deſiderijs fauere ſolet. Nam & ex Capranicenſi illa, quæ Romæ extat, Franciſci Torrès mei amantiſſimi, non minori pietate quàm eruditione præſtantis viri diligentia; & ex Caſſinenſis Monaſterij clara Bibliotheca, ipſius congregationis patribus id benignè annuentibus; præterea ex illuſtri quodam Italiæ Cœnobio, cuius nomen in præſentia non temerè prætereo; deinum & ex venerabilium D. Petri Apoſtolorum principis Eccleſiæ Canonicorum bibliotheca, indicante doctiſſimo illo viro Guillelmo Sirleto Protonotario Apoſtolico, multa ſanctiſſimi huius Patris in manus noſtras ad propoſitum opus ſpectantia venerunt, quæ nunc apertis cordis viſceribus toti Eccleſiæ Dei in fidelium

omnium commodum, & vtilitatem libentiſſimè euulgamus, in primisq́; ea, quæ ex vrbe Roma, ac Caſſinenſi monaſterio habuimus; deinde ea quæ ex cœnobio illo, dictaq́; D: Petri bibliotheca nacti ſumus. Lege igitur & hæc, benigne lector, nec enim minus in hoc ſanctiſſimo viro eruditionis, elegantiæ, pietatis, ac deuotionis, quàm in præcedentibus patribus inuenies. Vale.

SERMO BEATI
PETRI DAMIANI
OSTIENSIS EPISCOPI
IN FESTIVITATE
SANCTI ELEVCHADII
EPISCOPI.

HODIERNA feſtiuitas, fratres chariſſimi, geminũ ſanctæ deuotioni veſtræ, immò noſtrum gaudium cumulat, quia dũ venerandi Confeſſoris Eleuchadij ſolennia celebramus, neceſſariò Apollinaris ad memoriam pclara geſta reducimus. Quia enim, vt Salomon ait, Gloria patris eſt filius ſapiẽs, ſic alterius cauſa pẽdet ex altero, vt quiſquis vnius laudes dignè retulerit, alterius etiam inſigne præconiũ tacere non poſſit. Et quia Veritas dicit; Non poteſt filius facere, niſi quod viderit patrẽ facientem: ſic iſte beatus alumnus ſubſecutus eſt paterna veſtigia, ita veræ fidei pdicando rectâ tenuit lineâ, ſic religiosè viuendo ſancto præceptori conſonâ exhibuit clientelâ, vt ei meritò ſuccederet in regimen, cuius imitator extiterat ſanctitate. Sicut enim beatus Petrus princeps Apoſtolici ſenatus, tres inter cæteros eminẽtiores co

gnoſcitur habuiſſe diſcipulos, primùm videlicet Linũ, ſecundum Cletum, tertiũ Clementẽ, qui ſibi poſtmodum in Pontificatus arce per ordinẽ ſucceſſerunt, ita nihilominus & beatus Apollinaris, quatuor egregios diſcipulos habuit, poſt feli cẽ martyrij ſui gloriam ſibimet in Eccleſiaſtico regimine ſuccedentes, Aderiũm ſcilicet, & beatum hunc, cui præſens ſermo famulaturus eſt, Eleuchadium, ſub inde Martianum, poſtremò Calocerum.

Erat aũt Eleuchadius iſte Philoſophus, ſicut in ipſa beati magiſtri eius narratur hiſtoria. Superata eſt ergo ſapientia Platonis à diſcipulo piſcatoris. Miſit rete verbi in profundã ſalſuginem maris Rauennatis, & magnã auratã ad fidei littus traxit. Porrò cuius magiſter olim nouerat tanta per ſtagna nauiculã regere, diſcipulum docuit cum arguta dialecticorum verſutia diſputare, docuit, inquam, diſcipulum, acris ingenij, & acutæ facundiæ homines ſimplici ſermone concludere, quia ad includendos per profunda pelagi piſces, vilia conſueuerat retia ſubnodare. Planè poſtquam nauicularius pelagi clauicularius conſtitutus eſt cœli, diſcipuli piſcatorum magiſtri facti ſunt oratorum; & ſapientia mũdi victa eſt à ſimplicitate Chriſti. Quia enim, vt ait Apoſtolus, non cognouit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. Hac ſimplicitate Paulus, qui ſe indicat inter Corinthios nihil ſcire, niſi Chriſtum Ieſum, & hunc crucifixum, ſuperauit Dionyſium Areopagitam apud Athenas. Hac ſimplicitate concluſit beatus Apollinaris Eleuchadium Philoſophum in vrbe Rauenna; qui & ipſe conſultus de curationum peritia, reſpondit nihil ſe ſcire ſine nomine Ieſu. Veruntamen vtrique huic prudenter ſimplici beatus Petrus ſapientiæ teſtimonium perhibet; nam de Paulo ait: Sicut [1] chariſſimus frater noſter Paulus ſecundùm datam ſibi ſapientiam ſcripſit uobis. Apollinari verò dicit: Ecce eruditus es de omnibus, quæ fecit Ieſus. Nam qui Deo ſapientes erant, mundo ſe velut fatuos exhibebant. Stulta ſiquidem mundi elegit Deus, vt confunderet ſapientes.

Atque vt magis ſtupeas, ipſos imperitè ſapiẽtes à vano ſuperbæ ſapiẽtiæ ſuæ tumore deiecit, ac deinceps in auctoritatem liberæ prædicationis erexit, vt id ipſum poſtmodum conſtanter aſtruerent, quod anxiabantur ante crudeliter impugnare. Quod Moyſes tunc myſticè figurauit, cùm arripiens vitulum aureum igne combuſſit, ad puluerem vſque contriuit, fluctibusque conſpergens Iſraëliticum ex eo populum propitiauit. Quid eſt enim per figuram vitulus ille conflatilis, niſi corpus diaboli? Homines ſcilicet in omnibus gentibus perfidiæ, ſimul & idololatriæ errore decepti, ac ſub ipſo ſuo peſtifero capite tanquam diuerſa membra, ſacrilega conſpiratione coniuncti, ſuper quos nimirum ille nequitiæ ſpiritus, velut auctor, præſidens inſolenter erigitur, & tanquam caput per tyrannidem ſuo corpori dominatur? Aureus autem vitulus fuiſſe deſcribitur, quia videtur idololatriæ ritus velut à ſapientibus inſtitutus. Auro quippe ſapientia deſignatur, ſicut per Salomonem dicitur: Theſaurus deſiderabilis in ore ſapientis. Aureus itaque fuit vitulus, quia mundi ſapientes ante nouæ gratiam fidei dæmoniacæ culturæ fuiſſe probantur auctores. De quibus nimirum dicit Apoſtolus: Quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerũt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum; dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinẽ imaginis corruptibilis hominis, & volucrũ, & quadrupedum, & ſerpentium. Per hanc itaque veſanæ ſapientiæ vanitatem poëtæ, philoſophi, magi, ſiderum rimatores, omniumque diſciplinarum liberaliũ inſtructi peritia, prodigioſa dæmoniorum ſolebant adorare figmenta.

In vitulo igitur ſignificatum eſt totum corpus, id eſt omnis ſocietas gentilium

1 Hîc probatur ſecundã D. Petri Apoſtolorum principis Epiſtolam, in qua hæc verba leguntur, illius eſſe cõtra quorundam hæreticorum ſententiam.

idololatriæ deditorum. Moyſes itaq; vitulum igne combuſſit, quia Redemptor noſter,quem ille ſignauerat,malè conſpirata corda gentilium flamma ſuæ chari tatis accendit. Vnde & ipſe dicit: Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur? Et Propheta, Non eſt,inquit,qui ſe abſcōdat à calore eius. In mente ergo gentilium repentè diuinus ignis accenditur, vt in eis irrationabi- lis idololatriæ beſtialis forma ſoluatur. Totum deinde corpus vituli huius in puluerem comminuitur,quia gentilis illa ſocietas diabolicæ conſpirationis ar- te in vnum conflata,ad aduentum Chriſti quodam velut malleo ſalutiferæ cor reptionis extunſa,atq; à rigoris ſui duritia diuini verbi eſt virtute contrita. Ad verbum ſiquidem veritatis ſalubriter comminuitur,quæ malè integra in ſuper- biæ ſuæ forma inſenſibiliter ſtare videbatur. Deinde in aquam ſpargitur, vt Iſraëliticus ex eo populus bibat. Comminutus deniq; vitulus in aquam mit titur,quia humiliatus gentilis populus lauachro ſalutiferi fontis neceſſe eſt vt abluatur. Quem protinus Iſraëlitæ bibunt,quia ſancti prædicatores Euangelij, qui verè Iſraëlitæ ſunt,quos ad Dñicum corpus,quod eſt Eccleſia, transferunt, in ſua membra ſuſcipiendo,quaſi bibendo conuertunt;quorum videlicet Iſraëli tarum primo dictum eſt: Macta,& manduca: quod tantundem eſt, ac ſi diceretur: Preme,& bibe. Sic ſic ille vitulus per ignem zeli, & aciem verbi,aquam'que baptiſmatis ab eis potius abſorptus eſt,quos conatus eſt abſorbere, in eos ipſe transfuſus eſt,quos in ſua,hoc eſt diabolica tentauerat membra transferre.

Veruntamen quia Moyſes non in hoc metam vltionis fixit,vt idolum dunta xat infringeret,ſed inſuper addidit vt & viginti tria millia hominum trucidaret, myſticè docuit,nequaquam ſufficere,ſi ab idololatriæ cultu, vel prauitate vitæ quiſq; conuertitur,niſi & propria vitia gladio ſpiritus mortificare conetur. Vn- de & prædicator egregius; Mortificate,inquit,membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram,fornicationem,immunditiam,luxuriam,concupiſcentiam malam,& aua- ritiam,quæ eſt idolorum ſeruitus. Et notandum quia ſicut hîc vitia membra no ſtra eſſe dicuntur,ita & illic qui perempti ſunt,cum interfectoribus ſuis propin- quitatis nèceſſitudine iungebantur,ſicut per Moyſem dictum eſt: Hæc dicit Do minus Deus Iſraël,Ponat vir gladiū ſup fœmur ſuū, ite, & redite de porta vſq; in portam per mediū caſtrorum & occidat vnuſquiſq; fratrem,& amicum,& pro ximum ſuum. Si quem ergo delectat in arma conſurgere,quiſquis anhelat aduer ſus hoſtium cuneos dimicare,vertat manus in ſe,& illic plures inueniet aduerſa rios obtruncandos. Vnde videlicet poſt victoriam non homicidæ fœdū nomen incurrat,ſed glorioſus potiùs triumphator appareat; vnde certè non ſanctuarij mereatur excludi liminibus,ſed conſecrans ſemetipſum Domino,diuinæ gratiæ benedictionibus augeatur,ſicut & illis dictum eſt:Conſecraſtis,inquit, manus ve ſtras hodie Domino vnuſquiſq; in filio,& fratre ſuo,vt detur vobis benedictio. Quòd aūt ij, qui cæſi ſunt,viginti tria millia fuiſſe referuntur,numerus triū mil lium peremptorum,triplicē formam indicat peccatorū. Omne quippe peccatū aut facto,aut verbo,aut cogitatione committimus. Sed quoniam illic & denarius numerus geminatur,datur intelligi, quia ſicut decalogum præceptorum culpa carnis,ſimul & animæ ſeruare contempſimus,ſic etiam vtriuſq; vitia,virtutū ar- mis atterere,& mortificare debemus.

Beatus igitur Eleuchadius tunc philoſophus magnus,tanquā aureus vitulus cōtritus eſt malleo prædicationis,& transfuſus eſt in membra corporis Chriſti. Tunc doctor terrenæ ſapientiæ,nunc magiſter effectus eſt Eccleſiaſticæ diſcipli næ. Tunc naturalium cauſarum rimabatur indaginem, nunc omnium naturarū ipſum perſpicuè contemplatur authorē. Et qui tunc ſidera radio fortaſſe notaue rat,nunc ſub ſe cœli machinam cum ſideribus volui gratulabundus aſpectat. Ni

mirum qui priùs fuerat philoſophus vanitatis,conuerſus ad Dominum prædica
tor factus eſt veritatis,tertius ſcilicet à beato Petro Apoſtolo in ordine diſcipula
tus, tertius etiam nihilominus à beato Apollinari in arce Pontificatus. Et per-
ſonarum quidem ordo productus,ſed eadem fidei puritas,quæ ex ipſo ſummo &
originali fonte pceſſerat,per deuexã alnei ſeriẽ decurrebat. Nã à Chriſto in Pe
trũ,à Petro in Apollinarẽ, ab Apollinari in Eleuchadiũ cœleſtis eloquii fluuius
emanauit, vt illud Pſalmiſtæ pconiũ impleretur:Qui emittit eloquiũ ſuũ terræ,
velociter currit ſermo eius.Beati deniq; cultores,& adiutores Chriſti, Apollina-
ris,& Eleuchadius,pater videlicet & filius,magiſter,atq; diſcipulus,vnius operis
miniſteriũ,vnius(vt ita loquar)agri fundũ,vnius ſuſceperũt vineæ colonatũ. Il-
le nimirũ,vt obſcura ſyluarũ condenſa ſucciderct;iſte verò vt reſiduos arbuſto-
rũ truncos,& horreſcẽtiũ veprium dumeta radicitus extirparet. Ille vt acuto ver
bi vomere dura ſqualentis deſerti rura proſcinderet; iſte vt nihilominus ſanctæ
pdicationis ſarculo tumentiũ vitiorũ poſt cũ glebas effringeret,& bonorũ operũ
frugibus noualia diligẽter exculta veſtiret. Ille vt cũ Paulo plantaret;iſte vt cũ
Apollo rigaret. Atq; vt altiùs repetã,ille cũ Moyſe populum Dñi diuiſo mari
rubro in deſerta trãſpoſuit,iſte cũ Ioſue,magiſtro ſuccedẽs eundẽ populũ in ter
rã repromiſſionis primus introduxit. Ille docuit,qualiter Aegyptũ Iſraël acco-
la ſperneret;iſte verò qualiter terrã lacte,melleq; irriguã,diſtributis inuicẽ ſortibus
poſſideret. Vnus nimirũ colla de ferreo iugo Pharaõis excutere;alter admonuit
triũphatricibus plãtis deuictãs hoſtiũ calcare ceruices. Vnus edocuit ſeruitutis
opprobrium quàm celeriter fugerẽt;alter autem ipſos libertatis titulos quàm cau
tiſſimè cuſtodirent.

Neq; verò credendũ eſt,fratres mei,beatũ Eleuchadium,dum adhuc viueret,
martyrii caruiſſe laboribus, & ſi non fuerit martyrio conſummatus. Videbat nimi
rũ gentilitatis nuper extinctæ nonnullas adhuc habuiſſe reliquias;dolebat in po
pulo ſibi cõmiſſo vel extrema ſuperſtitioſi ritus veſtigia remãſiſſe; atq; ideo licet
perſequentium manus gladios non exerceret,cruciabatur anima ſancta pii zeli,
ac paternæ compaſſionis incendio concremata. Quid enim prodeſt,ſi quiſquam
catholicè 2 credat,& gentiliter viuat? Aut quomodo credulitas recta cum vi
ta concordat hæretica? Quid enim iuuat ſi fides adſit Apoſtolica,vbi conuerſa
tio ducitur Arriana? De iis etenim,qui catholicè credunt,& hæreticè viuunt,
conqueritur beatus Apoſtolus dicens: Confitentur ſe noſſe Deum,factis autem
negant:cùm ſiue credendo,ſiue viuendo,Deum negare nihil ſit aliud abſq; du-
blo,quàm perire. Quapropter beatus Pontifex Eleuchadius,non contemnendũ
pertulit in ipſa Eccleſiæ pace martyrium,quandoquidem etſi non cum perfidè
credentibus,ſed peruersè viuentibus infœderabilem probatur habuiſſe confli-
ctum,quanquam & in fidei doctrina deſudaſſe eum non ſine ratione colligimus,
cùm omnium Rauennati Metropoli adiacentium diœceſion ciuitates, & oppi-
da,nullos penè recondere martyres agnoſcamus.

2 Vides quòd non ſufficit ad ſalutẽ catholicè credere,& gentiliter viuere? Fac ergo vt cum fide recta cõcordet vita Chriſtiana.

Vnde beati Apollinaris quanta gloria,quanta ſit excellentia,mirari dignè nõ
poſſumus,cuius martyrium cùm per viginti & nouem annorum ſpatiũ per innu
merabilia fuerit tormenta productum,tantùm ſolus elaborauit,quòd quiſpiã vbi
in totis ferè illis partibus pro teſtimonio fidei potuiſſet occũbere,nõ inuenit. Sed
ſi quid fortè ſuperfuit,diſcipulorũ eius ſucceſſio veneranda ſuppleuit,inter quos
nimirum beatus Eleuchadius,velut aureum ſidus emicuit, & iuxta nominis ſui
etymologiam,paterni candoris, atq; ſplendoris inſignia, vt reuera filius repor-
tauit. Eleuchadius quippe Græcè,Latinè intelligitur candidus,nec immeritò,
ex eorum nempe fuerat numero,de quibus dicitur: Candidi facti ſunt Naza-
ræi eius,ſplendorem Deo dederunt,& ſicut lac coagulati ſunt. Et Iacob,de

Chriſto ad filium; Pulchriores ſunt, inquit, oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores. Oculi nempe Chriſti, Apoſtoli, & Euangeliſtæ ſunt, qui vniuerſo corpori ſanctæ Eccleſiæ lumen ſapientiæ præſtiterunt; quorum doctrina dum rigorem, atq; duritiam priſcæ legis emollit, quodammodo auſteritatem vini veteris eorum pulchritudo præcellit. Euangelica quippe præcepta mandatis veteris teſtamẽti lõgè ſunt clariora. Dentes verò ſancti ꝓdicatores ſunt, qui cõuerſos homines à prauorũ ſocietate ꝓcidũt, eosq; in Chriſti corpus, ſicut ſuperius dictũ eſt, quaſi mandendo traijciũt. Porrò nomine lactis doctrina legis innuitur, q carnalem populum lactis poculo tanquam paruulos alere videbatur, quorum nimirum lacte candidiores ſunt Doctores Eccleſiæ, quia fortem, & ſolidum verbi cibum, & ipſi comedunt, & alijs tradũt, de quibus ad Hebræos dicit Apoſtolus: Perfectorum autem eſt ſolidus cibus. Et benè candidi eſſe dicuntur Doctores Eccleſiæ, quia & à prauitatis macula liberi, & conſpicuæ conuerſationis videntur operibus clari. Quapropter cauendum eſt, fratres mei, nc nos Iudæorum nigredo dedecoret, qui candidos in Chriſti militia duces habemus; periculosè nimirum rerum ſpecies fluctuat, vbi cum ducibus, ſubſequentis exercitus inſignia non concordant. Beati ſiquidem patres noſtri promptos ſe exhibebant ad perferenda ſupplicia, nos dum à proximo lædimur, compeſcamus ſaltem animos à vindicta. Moyſes nempe ad vltionis iudicium deſcendens de monte cornutus apparuit, ſuper Dominum autem in manſuetudinis ſpiritu columba deſcendit. Illi decreuerunt pro Chriſto própria cuncta contemnere, nos autem diſcamus ſaltem quæ aliena ſunt non ambire. Præſenti neceſſitati hodierna cura ſufficiat, neq; de craſtino ſolicitudinis rancor anticipet.

Iſraeliticus ſanè populus, ſicut ſacra teſtatur hiſtoria, cũm manna colligerẽt, ſcaturiebat vermibus, atq; computreſcebat, ſiquis infideliter agens, ex eo in craſtinum reſeruaret. Sic nimirum quiſquis ardore cupiditatis accenſus, vt tanquã corpori ſuo alimenta prouideat, terrenam ſibi ſubſtantiam theſaurizat, huic ille vermis ebullit, qui conſcientiam fodiat, & arcana pectoris rodat. Enimuerò ij ſolicitudinum vermes, quos auaritia generat, illos denuo vermes parát, de quibus ſcriptum eſt: Ignis eorum non extinguetur, & vermis non morietur: vt ignem ignis cupiditatis accendat, & vermis ex verme procedat. Quanquam & ſic valeat non inconuenienter intelligi, quia ſicut ipſe Chriſtus, qui dicit: Ego ſum vermis & non homo: prouenit alijs in ruinam, alijs in reſurrectionem, ita nihilominis verbum eius fit manna, mellisq; dulcedo fidelibus, infidelibus autẽ & prauè viuentibus vermis fit, non videlicet quia ruinã reficiens alat, ſed quia cõſcientiã terendo, ac ruminando remordeat. Sexto aũt die duplex mẽſura colligi iubebatur, vt ex eo in ſabbatum medietas ſeruaretur. Potiò autem ſexta dies, ſexta mundi ætas intelligitur, in qua nunc ſumus. In hac ergo die duplũ pro venturo ſabbato colligit, qui pro gloriæ cœleſtis intuitu, vbi perpetuum ſabbatum, & vera eſt requies, verbum Dei & audit, & facit. In hoc duplum recondit qui & benè viuit, & alijs exẽplum ſalutis oſtendit; ſiue quod expeditius eſt, duplicem menſuram colligit, qui tãtũm in bona operatione deſudat, vnde & hîc conditori ſuo eius anima placeat, & cum eo poſtmodum perpetualiter viuat. Quod ergo reponebatur pro ſabbato, corrumpi non poterat, quia bona opera, quæ pro deſiderio ſupernæ quietis fiunt, perpetuò permanebunt. Non ergo illæ ſunt cumulandæ diuitiæ, quas ærugo demoliatur, quas tineæ comedant, & quæ vermium ſcaturigine computreſcant; quarum ſcilicet non liberos poſſeſſores beatus Iacobus increpans: Diuitiæ, inquit, veſtræ putrefactæ ſunt, veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt, aurum & argentum veſtrum æruginauit, & ærugo eorum in teſtimoniũ vobis erit, & mãducabit carnes veſtras, ſicut ignis.

Illas igitur,fratres,diuitias appetamus,quæ nos gemmis, ac margaritis valeant adornare virtutum,quæ ad cœleſtium nos prouehant titulos dignitatum ; quas profectò diuitias inſinuat Propheta cùm dicit : Diuitiæ ſalutis ſapientia,& ſcientia timor Domini ipſe eſt theſaurus eius.

Has nimirum diuitias beatus Eleuchadius concupiuit,cùm de cathedra philoſophicæ doctrinæ ſe depoſuit,cũ ferulã præceptoris abiecit,cùm de magiſterij principatu Chriſti ſe diſcipulatui humiliter ſubdidit. Quicquid ſanè illic antea ſuperfluum didicit,in huius ſcholæ longè nobilioribus ſtudijs amputauit. Quicquid illic mendacij, quicquid ſuperſtitionis edocuit,in Eccleſiaſticæ puritatis diſciplina correxit. Vnde per Moyſem lege decernitur, vt mulieri in bello captæ,& in coniugium victoris electæ, corporis ſuperfluitas abſcindatur : Quæ radet,inquit,cæſariem,& circuncidet vngues,& deponet veſtem, in qua capta eſt,ſedensq; in domo tua flebit patrem,& matrem ſuam vno menſe;& poſtea intrabis ad eam,dormiesq; cum illa, & erit vxor tua. Mulieri quippe cæſariem radimus,cùm rationabilis diſciplinæ ſenſus ſuperfluos amputamus. Vngues etiam circuncidimus,cùm ab ea mortua.quæq; ſuperſtitionum opera deſecamus ; quæ etiam veſtem deponere,in qua eſt capta,præcipitur; vt ſuperductam fabularum,& quorumlibet figmentorum exuat ſuperficiem,ac ſolidam veræ rationis exhibeat veritatem. Patrem verò,& matrem deflet, quia liberalium auctores artium inter mortuos deputat,& eos in errore periiſſe compatiendo deplorat. Conſuetudo autem fœminarum eſt; per vnumquenq; menſem ſe ſui ſanguinis effuſione purgare. Poſt menſem itaq; ad hanc mulierem intrare præcipimur,vt artem cuiuslibet diſciplinæ omnium ſuperſtitionum contagio defecatam velut in coniugium ſortiamur,quatenus iam Iſraëlitica facta,conſequenter in Iſraëlitæ coniugium tranſeat,& benè fœcunda ſpiritualium operum ſobolem reddat.

Cui etiam non diſſimile eſt,quod idem Moyſes Iſraëlitico populo aurum,& argentum cum veſtibus ab Aegyptijs mutuari præcepit ; in quo videlicet vt nõ diutius immorer,myſticè aurum,& argentum cum veſtibus ab Aegyptijs petimus,vnde Domino tabernaculum fabricemus,cùm mundanos poetas, ac philoſophos legimus,vt in diuinis eloquijs luculentiùs proficere valeamus. Siue etiam quod accõmodatius eſt,aurum,& argentum animæ ſunt pretioſæ,quæ cum veſtibus ſimul,ideſt ſuis corporibus,populo Dei ſe copulant, vt tenebroſum hoc ſeculum velut Aegyptum deſerant, & terram promiſſam perpetuæ felicitatis acquirant. Quod ergo beatus Eleuchadius mutuatus eſt ab Aegyptijs, profecit Iſraëlitis,& theſaurum,quem gentilitati ſurripuit,ſanctæ diſpenſator Eccleſiæ fideliter erogauit. Cuius quidem geſta non reperiuntur apicibus tradita,ſed non ſine cauſa vetuſtas vel baſilicam in eius honore conſtruxit,vel eius obitum annuæ ſolennitatis honoribus dedicauit ; nam & nonnulla ſuper veteri,ac nouo teſtamento,ſiue etiam de incarnatione,vel paſſione Domini perhibetur exaraſſe volumina,quæ tamen ſcriptorum arbitramur obliuione deleta. Quanquã & hoc ad cumulum meritorum eius pertinere non immeritò videatur,quòd tũc ſe fieri conſenſit Epiſcopum,cùm Eccleſiam egeſtas opprimeret, & rudis adhuc fidei,nouiterq; plantatæ labor difficilior vrgeret, cùm deniq; ille ad priſtini ritus pullulantia germina radicitus euellenda incumberet,graueq; faſtigium,& tẽporalis ſubſidij deeſſet emolumentum. Licet enim Eccleſia iam tunc fuerit in fide fundata,Chriſtiana tamen religio necdum erat viuendi moribus expolita.

Et nos itaq;,fratres chariſſimi,huius ſancti feruoris imitemur exemplum. Nũquam timeamus illud negocium conſtanter, ac fiducialiter aggredi, in quo nos ſperemus ſiue pro diuinis obſequijs,ſiue pro ſalute fraterna, preſſuris,atq; aduerſitatibus fatigari. Fugiatur honor,gloria,diuitiæ,omniſq; dignitas temporalis.

Labor obedientiæ, paupertatis anguſtia, & inquietudo charitatis, quæ nos exercꝫat, appetatur. Redemptorem quippe noſtrum plebs Iudaica cùm eſſet ſatiata de panibus, Regem voluit conſtituere; ſed teſtante Ioanne, ne reperiri poſſet, eſfugit in montem. Cùm autem quæreretur ad Crucem, vltro ſe non cognoſcentibus obtulit, dicens: Quem quæritis? Quibus vtiqꝫ perhibentibus, Ieſum Nazarenum ſe quærere, illico reſpondit: Ego ſum. Quid eſt enim quòd mediator Dei & hominum promouendus ad regnum effugit, ad mortem verò ſe vltroneum quæſitus ingeſſit, niſi vt nos admoneret mundi huius gloriam deuitare, tribulationes autem pro Deo, & laborum, dolorumqꝫ preſſuras gratulanter expetere? Paulus quoqꝫ cùm eſſet Mileti, & omnes ſibimet obſequẽtes, ſeſeqꝫ affectuoſiſſimè diligentes aſpiceret, ita vt Lucas in actorũ Apoſtolicorũ libro perhibeat, quia diſcedente Paulo magnus fletus factus eſt omniũ, & procũbẽtes ſuper collum eius, oſculabantur eum; ipſe tamen Hieroſolymam paſſurus tanquam epulaturus auidiſſimè feſtinabat, dicens: Ecce alligatus ſpiritu vado in Hieruſalem, quæ in ea ventura ſunt mihi ignorans, niſi quòd ſpiritus per omnes ciuitates proteſtatur mihi dicens: Quoniam vincula, & tribulationes me manent: ſed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretioſiorem, quàm me, dummodo conſummẽ curſum meum, & miniſterium, quod accepi à Domino, teſtificari Euãgelium gratiæ Dei. Ecce vallatus turba flentium minimè flectitur, delinitus oſculis, blanditus obſequijs, ad ſui miſericordiam non modò non mouetur, ſed lætus ad vincula, & tormenta feſtinat, tanquam ſi ad nuptiale conuiuium pranſurus accedat. Nos etiam, dilectiſſimi, imitatorum Chriſti ſequentes exempla, fugiamus blanditias ſeculi, ad aduerſa quælibet pro Deo perferenda lumbos mentis noſtræ viriliter accingamus; & qui ad hæreditatem filiorum in patriam tendimus, in exilio poſiti, conſeruorum iniurias æquanimiter toleremus, quatenus ſupernus inſpector, & arbiter noſter conſiderans nos pro ſuæ iuſſionis imperio minimè reluctantes, quantò nunc conſpicit oppreſſiores in pœna, tantò poſtmodum remuneret feliciores in gloria, Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui cum Deo patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI SERMO DE FESTIVITATE SANCTI GEORGII MARTYRIS.

HODIERNA feſtiuitas,dilectiſſimi,paſchalis gloriæ lætitiam geminat,& velut pretioſa gemma,aurum, cui imprimitur,decore proprij ſplendoris illuſtrat. Aptè nimirum hoc potiſſimum tempore beato Georgio conceſſum eſt triumphare,quando tranſacta hyemalis inclementia turbinis, Auſtri fomite reſoluta læta terra alacriter parturit,& erumpentibus diuerſis herbarum,atq; arborum floribus,tanquam adoleſcentiæ (vt ita loquar) ætate pubeſcit. Georgius ſiquidē Græcè, terræ cultor Latino ſonat eloquio,qui nimirum iuxta ſui præſagium nominis, non modò ſuæ mentis agrum ſpiritualis exercitij diſciplinis excoluit,ſed & ſanctæ exhortationis,& piæ correptionis vomere terrena multorum corda proſcidit,vitiorum'q; vepribus erutis,fœcunda in eis virtutum arbuſta plantauit.

Meritò igitur hodie beati huius martyris anima,poſt cruentam furioſi principis rabiem,poſt carnificum feraliter ſæuientium immanitatē,poſt dilacerati corporis exquiſita ſupplicia,poſt ignis,ac ferri,picis,ac ſulphuris iniqua tormenta, poſt verberum deniq; plagas,poſt carcerum tenebras,tāquam poſt hybernas furentium ventorum,niuiumq; procellas,oraculum hoc meruit diuinæ vocationis audire: Veni colūba mea,ſponſa mea,formoſa mea,iam hyems tranſijt,imber abijt,& receſſit,flores apparuerunt in terra noſtra,tempus putationis aduenit. Planè de militia translatus eſt in militiam,quia terreni tribunatus, quo fungebatur, officium,Chriſtianæ militiæ profeſſione mutauit. Et vt reuera ſtrenuus miles priùs omnia ſua pauperibus tribuens,ſarcinam terrenæ facultatis abiecit, ſicq; liber & expeditus,ac fidei lorica præcinctus,in ipſam denſi certaminis aciē feruidus ſe Chriſti bellator immerſit,ſeruato ſcilicet ordine,vt rerum pondus ante deponeret,atq; ita poſtmodum ad campum certaminis imperterritus proſiliret. Inde eſt,quòd in lege præcipitur,vt homo formidoloſus, & corde pauidō non egrediatur ad bellum, ſed Vadat, inquit,& reuertatur ad terram ſuam, ne pauere faciat corda fratrū ſuorum, ſicut & ipſe perterritus eſt. Quibus nimirum verbis liquidò perdocemur, quia pro defenſione fidei dimicare fortiter,& idoneè nequeunt, qui adhuc nudari terrenis opibus pertimeſcunt, tolerabiliusq; eſt, vt domum quodammodo redeuntes ignobiliter, & imbelles viuant,

Ecce veram paupertatem Euangelicā, omnia pauperibus tribuere,& nudū ſequi Dominū Ieſum Chriſtum.

quàm ſecum & alios à triumphandi gloria per degeneris exempla timoris auertant. Beatus verò Georgius ſancti Spiritus igne ſuccenſus,& vexillo Crucis inexpugnabiliter præmunitus,ſic cum iniquo Rege congreſſus eſt, vt & iniquorum omnium principem in ſatellite vinceret,& ad agendum fortiter Chriſti militum animos incitaret.

Et quidem Diocletianus tunc Imperator,ſicut in deſcripta paſſionis eius reperitur hiſtoria,cuius os,iuxta Pſalmiſtam,maledictione plenum erat, & amaritudine,& ſub lingua eius labor,& dolor,qui ſedebat cum diuitibus in occultis, vt interficeret innocentem,inſidians quaſi Leo in ſpelunca ſua, primò quaſi veſtimentum ouis ſubdolus induit,& ſic quadam arte verſutiæ,ac fucatis blandimentorum coloribus illum inuadere tentauit. Sed cùm inſignis athleta Chriſti ſpirantia ex antiqui ſerpentis ore venena contemneret,& non iam primi parentis originẽ,ſed ſecundi potiùs in ſe viuere titulos demonſtraret, protinus ille tanquam ſagitta de ſatanæ pharetra prodiens,immanem lupum,qui latebat,aperuit,& ad inferenda diuerſa pœnarum ſupplicia,cruenta beſtia feraliter ebulliuit. Glomeratis itaq; carnificibus beatus martyr extenditur,verberibus tunditur,duris rudibus laniatur. Dehinc rota gladijs arma'a profertur in medium, vt circumligatum martyris corpus tantò crudeliùs quantò multipliciùs perforetur. Artificis nimirum feritas,noua,& exquiſita pœnarum inuenit argumenta, & ad ſatiandam ſui furoris rabiem philoſophatur in excedenda crudelitatis humanæ menſura,ignorans ſcilicet,quia pretioſum nitoris conſpicui margaritum, viuis vtiq; ſupernæ Hieruſalem lapidibus inſerendum, quantò aſperioris limæ ſcabredine,vel mallei tunſione politur,tantò præclarius redditur.

Aderat planè ſupernus,& inuiſibilis arbiter, qui ad ſuæ diſpenſationis arbitrium & hinc manus impiorum ſæuire permitteret, & inde gemmam ſuam inuiolata propriæ ſoliditatis integritate ſeruaret. Qui etſi martyris ſui membra carnificum manibus tradidit,animam tamen inexpugnabili fidei arce ſubnixã, indefeſſo protectionis ſuæ munimine cuſtodiuit. Nec ad hoc eos permiſit attingere quod latebat,id ſolum eis obijciens quod extrinſecus apparebat; & tanquam aquæ diluuij, arcam quidem vndiq; circũfluere,nec tamen poterant intima penetrare. Dicat itaq; beatus Georgius,dicat: Niſi quia Dominus erat in nobis,cùm inſurgerent homines in nos,forſitan viuos deglutiſſent nos, cùm iraſceretur furor eorum aduerſum nos,forſitan velut aqua abſorbuiſſent nos. Hæ ſunt videlicet aquæ,de quibus per pſalmiſtam Saluator ait: Saluũ me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſq; ad animam meam. Et per Ionam; Proieciſti me,inquit,in profundum in corde maris,& flumen circundedit me;omnes gurgites tui,& fluctus ſuper me tranſierunt. Sed ijs aquis,& mari, iuxta ſcripturam, Dominus terminum circumpoſuit,quia ſecundùm diſpenſationis ſuæ menſurã, non ſecundùm peruerſitatis humanæ cõcupiſcentiam,reprobos in electos ſuos ſæuire permittit.

Hinc eſt enim,quòd in mundi naſcentis exordio,mare Deus diuiſit ab arida. Quid enim per myſterium mare,niſi reprobos homines, & infideles inſinuat, qui nimirum quadam carnalis ingenij ſalſugine callidi, ſed odijs, ac ſimultatibus inuicem inueniuntur ſemper amari,& velut mare diuerſis tentationum fluctibus intumeſcunt,cupiditatum'q; carnalium procellis, ac tempeſtatibus quatiuntur? Quid verò arida,niſi animam deſignat fontem fidei ſitientem, vel ad creatorem ſuum ardenti deſiderio tanquam ſitibundis faucibus anhelantem? Vnde & quædam anima hac ſiti feliciter arida æſtuans clamat. Sitiuit anima mea ad Deum viuum, quando veniam,& apparebo ante faciem Dei? Ab arida ergo mare,diuiditur,quando Deus omnipotens à ſe ſitientibus reproborũ impetus reprimit, & tanquam littus marinis fluctibus obijcit, dum conatibus

ferueſcentis

feruefcentis inſaniæ ſui moderaminis limitem figit.

Quod profectò illa Dei vox probat, qua dicit: Quis concluſit oſtijs mare, quando erumpebat, quaſi de vulua procedens? Et paulopoſt: Circundedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia, & dixi: Vſq; huc venies, & nō procedes amplius, & huc confringes tumentes fluctus tuos. Enimuerò rectè per mare cor praui hominis deſignatur, quod videlicet furore eſt turbidum, rixis amarum, elatione ſuperbiæ tumidum, caligine malitioſæ fraudis obſcurum. Separauit ergo tunc Deus mare, & minantes fluctus ab inundatione terræ compeſcuit, vt terra virentes herbas, & ligna pomifera germinaret, ac deinde ſegetum fructus afferret. Separat etiam nunc ab electis ſuis reproborum turbines perſequentium, & quaſi furentes coërcet impetus tempeſtatum, quos & ſi furere vſq; ad infligenda corporibus tormenta concedit, ne tamen animas lædant, inuicta eos, atq; peruigili brachij ſui protectione cuſtodit, quodammodo dicens mari: Hucuſq; venies, & non procedes amplius, & hîc confringes tumentes fluctus tuos, ac ſi patenter dicat: Vſq; ad inferenda corporibus te tormenta relaxo, ne autem vſq; ad animam cumulis intumeſcentibus profluas, legis meæ tibi littus oppono; vt dum furori fluctuum tuorum littus obijcitur, terra cordis ad proferenda fructuum germina libera relinquatur.

Et quia Georgius, vt ſuperiùs diximus, terræ cultor exprimitur, rectè hoc allegoricæ figuræ myſterium eidem beatiſſimo martyri coaptatur. Cui ſcilicet etſi vſq; ad littus carnis, perſecutionis fluctus efferbuit, ſolidiſſimam tamen animæ eius terram procella tempeſtuoſi turbinis non inuoluit, nec eum vorago pelagi furentis abſorbuit, qui ſpei ſuæ anchoram non in putris arenæ ſucciduo, ſed in ſoliditate petræ, quæ Chriſtus eſt, fixit. Hinc eſt profectò quod Veritas ait: Qui audit verba mea, & facit ea, ſimilabo eum viro prudenti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram. Venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat ſupra petram. Verè inſignis hic miles Chriſti ſupra petram fidei ſuæ fundamenta conſtituit, qui præmij cœleſtis intuitu minas principum ſpreuit, malè blandientium promiſſiones irriſit, carnificum tormenta contempſit, ferrum, ignes, gladios, ac diuerſa ſuppliciorum genera inuictæ patientiæ maieſtate calcauit.

Hunc cœleſtis militiæ bellatorem, fratres chariſſimi, non tantùm admiremur ſed etiam imitemur, in illud cœleſtis gloriæ præmium iam ſpiritus erigatur, vt dum in eius contemplatione cor figimus, non moueamur, vtrum mundus lenocinator arrideat, an certè minax aduerſitatibus fremat, dicentes cum Pſalmiſta: Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius. Mundemus itaq; nos, iuxta Pauli præceptum, ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, vt in illud beatitudinis templū, cui nunc aciem mentis intendimus, quandoq; etiam ingredi mereamur. Hinc eſt, quòd Aaron priùs aqua lauatur, & ſic poſtmodum tabernaculum ſacrificaturus ingreditur. De quo nimirum benè ad Moyſem diuina voce præcipitur. Tunica, inquit, veſtietur, fœminalibus lineis verenda celabit, accingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti. Hæc enim veſtimenta ſunt ſancta, quibus, cùm lotus fuerit, induetur. Quiſquis enim in tabernaculo Chriſti, quod eſt Eccleſia, ſemetipſum Deo ſacrificare contēdit, neceſſe eſt, vt poſtquam lauachro ſacri fontis abluitur, diuerſis etiam virtutum veſtibus induatur, ſicut ſcriptum eſt: Sacerdotes tui induantur iuſtitia: quatenus qui in Chriſto 2 per baptiſmum nouus homo renaſcitur, non iam pelliceas tunicas, mortalitatis videlicet indices veſtiat, ſed depoſito veteri homine, nouum induat, & in eo per mundæ conuerſationis ſtudium innouatus viuat. Et notandum, quod omnes illæ veſtes lineæ deſcribuntur; linum quippe ad candorem cum labore perducitur, & virtutum vita non acquiritur ſub torpore deſidiæ, ſed in laborioſæ potius

2 Vides nō ſufficere, aliquē ſacri baptiſmatis vnda ablutum eſſe, niſi is etiā depoſitis omnibus vitijs ſanctè, & mūdè conuerſetur, & viuat?

exercitio diſciplinæ.

Purificati igitur, dilectiſſimi, per noui baptiſmatis ſacramẽtum, induamus nos linea tunica, vt candor nos ſanctæ cõuerſationis exornet. Fœminalibus verenda tegantur, vt dum honeſtæ vitæ tegmen aſſumitur, præteritorum criminum ante Dei oculos turpitudo celetur. Vnde Dauid; Beati, inquit, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Zona linea conſtringamur, capiti quoque cidaris imponatur, vt præcincti in veritate lumbos mentis, protegamur galea ſpe ſalutis. Sic ſic nimirum & veteris peccati squalore purgati, & nouæ conuerſationis nitore conſpicui, dignè celebramus paſchale myſterium, & beatorũ martyrum veraciter imitamur exemplum. Nec deſperetis, fratres mei, licet adhuc infirmi, licet exterioribus fortaſſis adhuc actibus implicati, non deſperetis ad martyrũ vos conſortiũ pertinere, qui martyrũ victorias vos recognoſcitis ex corde diligere. Quinq; certè Salphaad filiæ inter fratres ſuos noſcũtur hæreditatẽ, Moyſe conſtituente, ſortitæ, quinq; nimirum, & fœminæ, vt per quinarium numerum exterior occupatio, per muliebrem verò ſexum infirmitas deſignetur. Ionathas quoq; in quodam inter vtrunq; meditullio poſitus, nec cum Saul remanſit in malis, nec Dauid æquiparari potuit prorſus in bonis. Sed quia dilecto Dei Prophetæ fuit amicus, & de futuro eius gauiſus eſt fraterna benignitate ſucceſſu, piè creditur ab eius conſortio nunc in ſpiritu non eſſe diuiſus, cui dum in carne viueret, vnanimiter extitit in amore iunctus.

Nos autem, dilectiſſimi, qui exagitantẽ Saul ſpiritum malum, auxiliante Deo, poſt terga dimiſimus, immò qui Pharaonis exercitum in mari rubro demerſum, per virtutem ſacramenti paſchalis euaſimus, pro carnis tamen infirmitate adhuc verſamur in eremo, tranſeamus ad vitæ perfectionem, ad terram ſcilicet lacte, & melle manantem. Egreſſi de Sodomis, non in Segor diutius immoremur, ſed liberati cum Loth, montis verticem celeriter aſcendamus, quatenus qui inter ipſa tyrocinij rudimenta, iam beatorum martyrum cœpimus aggaudere triumphis, quandoq; ad hoc etiam prouehamur, vt diſcamus & ipſi triumphare cum ſanctis. Et ipſe ſit fortitudo noſtra dum protegit, qui factus eſt pretium cùm redemit, Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui cum Deo Patre, & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum.

Amen.

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

SERMO DE SANCTO RVFINO MARTYRE.

NOSTIS, fratres chariſſimi, ſicut ex Catholicæ fidei magiſterio didiciſtis, quia in vltimæ diſcuſſionis examine omnes ſimul & peccatores, & iuſti ante tribunal æterni Iudicis cum ſuis ſunt corporibus exhibendi, Apoſtolo teſtante, qui ait: Omnes nos oportet manifeſtari ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq; propria corporis, prout geſſit, ſiue bonũ, ſiue malũ. Et reprobi quidem ad hoc, vt quia hic cũ carne ſimul, & anima Conditoris ſui præcepta calcauerint, cum ea demiſſię vtraq; ſubſtantia ſententiam iuſtæ damnationis excipiant, atq; vtrobiq; deinceps ſuppliciorum amaritudinem ſentiant, qui dum viuerent, prauis ſuis delectationibus ex vtroq; deſeruiebant. Electi autem, vt quia carnem ſuã nunc cum vitijs, & concupiſcentijs crucifigere non deſiſtunt, cum ipſis ſuis corporibus, quibus videlicet tanquam tabernaculis in diuina militia vſi ſunt, ad ſupernæ claritatis gloriam proueharitur; vt ſoluto militiæ cingulo, vnum tunc interior, & exterior homo ſentiant quietis perpetuæ municipium, qui ad vnũ peruenere per communia bella triumphum; & quibus vna fuit pugna, eadem ſit nihilominus & corona. Illud planè erit ſabbatum noſtrum, ille ſeptimus legis annus, ille veraciter Iubileus. Sabbatum quippè feriatum eſſe præcipitur, & æterna per illud requies figuratur. Sub eiuſdem quoq; quietis æternæ, vel reſurrectionis deſignandæ myſterio in ſeptimo anno libertas redditur. In Iubileo autem tubis clangitur, vt vnuſquiſq; ad poſſeſſionẽ propriã reuertatur. Canet enim tuba, ſicut dicit Apoſtolus, & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent. Ad poſſeſſiones ergo proprias omnes tunc reuertuntur, quia in illo vltimo reſurrectionis die vnuſquiſq; proprium corpus recipit, in quo, dum præſentem vitam duceret, habitauit. Tunc Adã, tunc Noë, tunc oẽs antiqui patres, immò omniũ mortaliũ animæ ad amiſſam carnis ſuæ terram redeunt: quia recepta corpora ſua in perpetuum poſſidebunt, & perducti in libertatem filiorum Dei, iam ſecurè gaudebunt omnes, ſeruili vinculo corruptionis humanæ ſoluti. Cùm ergo ſanctorum corpora tantæ futura ſint dignitatis, vt & coronam vitæ perpetuæ, & immortalitatis ſtolam cum ſuis animabus ſint cõmuniter receptura, quid mirum ſi nunc omnipotens Deus apta illis loca prouideat, & eorum tumulos nõ paſſim, vel per caſum fieri, ſed ex ſuæ voluntatis electione diſponat? Enimuerò & illud ſæpè non ocioſè quæritur, Cur Abraham, qui ſe ex parte corporis puluerẽ eſſe cõfitetur, & cinerem, tam ambitioſam ſepulturæ ſuæ prouidentiam habuit, vt ex omni peregrinationis ſuæ latitudine ſolã Hebron, Chananitidis videlicet regionis, eligeret, in qua etiã non parua ſumma ſpeluncam ſibi duplicẽ cõpararet. Iacob quoq; filios, & Ioſeph fratres ſuos obteſtantes adiurant, vt eorum oſſa ad eandẽ ſpeluncam poſt obitum transferant. Quid eſt ergo, q̃ ſancti viri, qui & præſentem, & omnem mundi gloriam ſublimi mentis arce deſpexerant, tam cupidè, tã

anxiè,tam ſtudioſè de loco,vbi eorum conderentur cineres,litigabant, niſi quia per Prophetiæ ſpiritum nouerant,Saluatorem mundi illic de ſuo ſemine naſciturum,& ſanguinem,qui mundi peccata dilueret,in illa ſpecialiter regione fundendum? ſicut per Pſalmiſtã dicitur: Quia Deus noſter ante ſecula operatus eſt ſalutem in medio terræ. Quod nimirum quanquam de ipſo Domini corpore ſpecialiter poſſit intelligi,de regione tamen illa quoq; vbi pati dignatus eſt, quæ certè mundi meditullium eſt,non incongruè dici videtur. In Chananæa igitur terra ſancti patres noſtri tumulos elegerunt, vt inde illi mererentur quandoq; reſurgere,vbi ille videlicet ſurrectionis author Chriſtus,primogenitus viuorum,& mortuorum in ſe dignatus eſt reſurrectionis gloriam declarare. Et quid ampliùs dicam de honore, quem bonorum remunerator Deus A ſanctorum ſuorum corporibus exhibet,quando ipſe Deus omnipotens Moyſi corpus dignatus eſt ſepelire,& Eliſæi cadauer,mortuum legitur ſuſcitaſſe? Immò, vt verùm fatear,quod in carne viuentibus ſanctis minimè contulit,hoc ſæpè diuina diſpẽſatio mortuis prærogauit. Quod in Abdo ſcilicet viro Dei liquidò perpenditur,quẽ viuentem quidem Leo potuit occiſurus inuadere, ſed cadauer eius nequaquam permiſſus eſt aliquatenus violare. Pretioſa nimirum in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Non ergo mirum ſi diuina diſpenſatio congrua sãctorum corporibus loca diſtribuit,& ea nunc quaſi quoddam depoſitum terræ commendat,quæ poſtmodum in regnis cœleſtibus transferenda reſtituat. Sed iam propter quod iſta præmiſimus, de beati Rufini miraculis breuiter aliquà perſtringamus.

A Mira res, Deus omnipotens ſanctorũ ſuorũ corporibus honorẽ impendit, noſtri aũt hæretici ea,quantũ poſſunt,inhonorant.

Beati igitur huius martyris corpus de ſuburbio Aſſiſienſis oppidi, vbi antiquitus fuerat poſitum,intra mœnia poſtmodũ fuit gentilis impetus terrore tranſlatũ. Labrum autem lapideum,in quo prædictum corpus ante iacuerat,per longum tẽpus extra muros fuerat derelictum. De quo nimirum inter populum, & Hugonẽ eiuſdem tunc ſedis Epiſcopum grauis eſt orta ſeditio. Epũs ſiquidẽ ad Eccleſiam beatæ Mariæ ſemper virginis,quæ eius loci prima ſedes eſt,deferendũ eſſe cenſebat,eo nimirũ conſilio,vt quòd mater Eccleſia corpus martyris nõ haberet,quodam ſaltem vacui ſepulchri ſolatio compẽſaret. E contra populus aſſerebat,inter ſacras 1 reliquias,& proprium tumulum diuiſionẽ fieri nõ debere,nec humanis nunc adinuentionibus permutãdũ,quod ab ipſo glorioſi martyris conſummato triumpho videretur diuinitus inſtitutum. Taliter igitur hinc atq; inde certantibus,labrũ mœnibus vrbis infertur,& ab vtriſq; ſimul partibus ad biuij cuiuſdam compitum peruenitur. Illic itaq; cùm fautores Epiſcopi ad ſanctæ Mariæ,reliqua autem pars populi ad beati Rufini baſilicam ſacrum vaſculum 2 pertrahere molirentur,his atq; illis in diuerſa nitentibus, creſcente iurgio, eò vſq; proceſſum eſt,vt furentes arma corriperent, & mutuos inter ſe ictus,amiſſa placidæ mentis ratione,miſcerent. Vibratis itaq; gladijs cominus vtrinq; concurritur,& acres ardentibus animis ad infligenda mutuò vulnera debacchantur. Sed ò prædicanda diuina clementia,quæ humanis miſeretur erroribus,& ſæpè noſtris prauis voluntatibus ita obuiat,vt ad bonos exitus ipſa etiam malè cœpta perducat Quid multis moror? Nullus illic vulneratur,nulla deniq; nec tenuis quidem gutta ſanguinis funditur,atq; vt mirabilibus adhuc mirabiliora ſuccedant,ſexaginta ferè viri ex parte Epi prædictũ vaſculũ ad Eccleſiam beatæ Mariæ conabãtur attrahere,ſed nullis illud niſibus de loci ſui fixa potuerunt ſtatione mouere. Illi igitur cùm iam præ laſſitudine fracti omnino deficerent,& vehiculum lapidis funditus deſperarent, tunc ex altera parte vix ſeptem homines vrnam corripientes, ad ſancti Rufini baſilicam tanta illam permiſſi ſunt celeritate peruehere, vt non lapidem, ſed palearum potius viderentur faſciculum deferre. Illicò populi clamor exultantis attollitur gratiarum

1 Appellat martyris corpus ſacras reliquias,nõ vile cadauer, vt faciũt hæretici.

2 Ecce quomodo ſacrũ etiã appellat vaſculũ, labrũ, in quo martyris corpus iacuerat.

actio fautori Deo læta perſoluitur; & quia pius Deus vnum cum populo ſuo ſenſerit,ab omnibus alacriter diuulgatur. Tunc deniq; probatum eſt, verum eſſe quod dicitur : Vox populi, vox Dei.

Acceſſit autem ad rei certitudinem & Presbyter quidã,ab ipſo videlicet beato Rufino ad Epiſcopum miſſus. Nam cùm præfatus Epiſcopus aduerſus eos, qui ſibi reſtiterant,non leuiter commotus eſſet,atq; illi pararent ſibi dignè ſatisfacere,& deuota illum humilitate placare,Presbytero, quem diximus, per viſum beatus martyr apparuit,eiq; 3 dixit: Vade,& dic Epiſcopo,ſi me non vult offendere,ſatisfactionem quamlibet à populo non recipiat,ſed gratis ei puram ſui amoris,& benedictionis gratiam reddat; Mea ſiquidem hoc geſtum eſt volũtate, vt vaſculum illud ad meam deferretur Eccleſiam, quatenus meum in eo corpuſculum denuò recondatur. Nouerit etiam, quia niſi ego illis tumultuantibus interfuiſſem,me'q; eorum telis oppoſuiſſem,magna hominũ ſtrages fuſa iaceret. Sed cùm Epiſcopus adhuc hæſitans,ne his quidem verbis Presbyteri fidem accõmodare diſponeret,ecce quidam,qui contractus fuerat,gaudens & exultans eodem die à beato ſe Rufino fatebatur erectum,ſibiq; ab eodẽ beato martyre hoc mandatum perhibebat iniunctum,vt hæc ipſa cuncta per ordinem, quæ Presbyter aſſerebat,ipſe quoq; nihilominus Epiſcopo nunciaret. Tandem Epiſcopus omni ſcrupulo dubietatis amoto,quod ſibi imperatum eſt incunctanter exequitur,atq; in gratiam ſuo populo donatis offenſionibus fœderatur. Sed ne apud aliquem fortaſſis Epiſcopus neuum reprehenſionis incurrat, quia ab Eccleſia ſua ad horam diſcedens,contra Dei iudicium ſentiebat, Iſaac ad memoriam reducendus eſt,qui non Eſau, à ſe videlicet electum,ſed Iacob potiùs ab vxore ſuppoſitũ benedixit. Et illic ergo carnalis vxor, & hic ſpiritualis ſponſa vitis ſuis in propriæ ſententiæ diuerſitate præualuit,quia qui mundi infirma elegit,vt cõfundat fortia,Deus vtriq; conſenſit. Propheta quoq; Dauid conſtruere templum voluit,ſed hoc illi ſuperna diſpoſitio non permiſit. Inter Paulum quoq;, & Barnabam pro Ioanne quodam legimus interueniſſe diſſidium,propter quod tamen non ſolùm vtriuſq; Apoſtoli non imminuitum eſt meritum, ſed ipſe quoq; diſcipulus ab Apoſtolicæ diſciplinæ linea non errauit. Non ergo mirum,ſi nũc homo aliquando inſcius à veritate diſſentiat,cùm & ipſis Apoſtolis,& Prophetis humanitus aliquid accidiſſe ſcripturarum auctoritas probet. Sed hæc aliis. Nunc ad propoſita redeamus. Porrò eodem die, duo 4 cæci ad altare beati martyris illuminati ſunt. Sed & alius debilitatus membris,& gibberoſus erectus eſt,& ſaluti per omnia reſtitutus. De quibus porrò miraculis duntaxat quid factum ſit nobis referre ſufficiat,ne ſi qualiter facta ſint ſingula,per rei geſtæ ordinem referre contendimus,auditores fortaſſe(quod abſit)laciniosi ſtyli prolixitate grauemus. Ipſa quoq; miracula enumerando perſequi cuncta negligimus, ſed velut ex magnò quodam flumine cyathum hauriẽtes trahimus,quem ſuper menſam Chriſti conuiuantibus ſalubriter propinemus, ne mentis ſtomachus ingurgitatione grauari,ſed ſobrio potu tantummodo ſitis poſſit auferri. Ad alia igitur adhuc enarranda miracula,quæ per eundem beatiſſimum martyrem diuinitus 5 ſunt oſtenſa,pergamus.

Per idem itaq; tempus vir quidam non ferendæ veſaniæ crudelis, & rigidus, pauperculæ mulieri deſui iuris agro chartulam fecerat,quam tunc cùm magni furoris impetu contumaciter requirebat,vnde & bouem ſibi,& vnam ſecurim violenter abſtulerat,robur videlicet domeſticæ facultatis,& ſpem regendæ familiæ. Quod illa præ dolore non ferens, cum contribulati amaritudine ſpiritus Eccleſiam beati Rufini feſtinanter ingreditur,ante altare proſternitur,atq; vt ſibi in tantæ 6 calamitatis articulo ſubueniret, lachrymabiliter deprecatur. Quid plura? Adeſt tandem diuina miſericordia, & mox vt ab oratione conſurgit,

3 Vbi ſunt qui dicunt,ſãctos emortuos, neſcire quæ circa nos aguntur?

4 Miracula hæc, quæ ad ſanctorũ memorias fiunt, apertè ſplendorem vitæ illorum confitentur.

5 Ecce quomodo miracula, quæ per ſanctos fiunt,virtute Dei per illos fieri certum eſt.

6 Diſcis hîc ſãctos eſſe inuocandos, inuocatosq; adeſſe, & opẽ ferre, nec ob id obtenebrari neceſſariã Dei inuocationẽ,vt mentiuntur hæretici.

iacere in pauimento ſecurim ſuam ante pedes attonita conſpicit. Illico mœror nimirum in lætitiam vertitur, & digna Deo gratiarum actio à cunctis, qui aderant, vnanimiter exhibetur. Sed ecce raptor negocium adhuc ſuæ peruerſitatis exequitur, & præfatæ mulieri niſi monimentum redderet, ſupplicium comminatur; qui tamen mox vt ſecurim tam mirabiliter redditam didicit, confuſus, & obſtupefactus expauit, bouem reddidit, pœnitentiam egit, atq; omnem querelam, quam catenus aduerſus eam habuerat, ſedata animi feritate, ſopiuit.

7 Ecce & hic ſancti inuocationem.

Præterea duodecim fures inuicem conſpirantes in domum cuiuſdam ruſtici hoſtiliter irruerunt. Qui ligantes eum primò, deinde boues, & cætera domus animalia diripientes, protinus abierunt. Interea ruſticus lachrymabiliter vociferabatur, & gemebundus aiebat: O ſancte 7 Rufine, aſpice miſerũ, releua calamitate depreſſum, nec placeat tibi, vt prædones, & nequiſſimi homines meæ facultatulæ paupertate ditentur. Ad hanc ergo vocem (mira res) cùm iam raptores animalia proſequentes, duodecim milliarijs ferè tranſmiſſis procul abiſſent, ecce omnes, qui direpti fuerant, greges, balãtes, & mugientes accurrunt, & intra caulas ſe ſolito more recipiunt. Sicq; factum eſt, vt & illi quæ præ manibus habere videbantur, repente ſublata congemerent, & iſte quæ deflebat amiſſa recipiens, verſis vtrobiq; vicibus, exultaret. Viſis itaq; tot virtutibus, & tam euidentibus miraculorum ſignis, prædictus Hugo venerabilis eiuſdem ſedis Antiſtes de parua baſilica, in qua ſanctum corpus fuerat ante receptum, magnam conſtruxit 8 Eccleſiam, & iuxta poſſibilitatem ſumptus non ignobiliter decorauit.

8 Vides quòd in nomine ſãctorũ etiã olim Eccleſiæ ædificabantur, & ſuper eorũ corpora altaria conſecrabantur, & dotibus conuenientibus donabantur?

Deinde beati martyris corpus in ipſo alueo, qui certaminis materia fuerat, condidit, & cum magna totius diœceſanæ plebis frequentia altare deſuper conſecrauit. Porrò autem quanti illic deinceps cæci fuerint illuminati, quanti à dæmonibus erepti, quanti ex varijs languoribus liberati, perlongum eſt vel apicibus tradere, vel ſermone proferre.

His itaq; trãſactis, cœpit non parua inquiſitio fieri, quo die inuictiſſimi triumphatoris Chriſti Rufini deberet martyrium celebrari. Nullis ſiquidem apud eos extantibus hiſtoriæ monimentis, ſola erant catenus annuæ dedicationis ſolennitate contenti. Tandem auctore Deo, reperta paſſionis hiſtoria, conſtituit venerabilis Pontifex iuxta tenorem videlicet, quem literæ teſtabantur, vt tertiò Calendas Auguſti eiuſdem glorioſi martyris feſtiuitas 9 coleretur. Nonnulli verò aduerſus Epiſcopum inuidiæ facibus accenſi, & veſaniæ ſpiritu implacabiliter incitati tumultuabantur, oneroſum eſſe dicentes, populum geminatis vnius ſancti ſolennitatibus feriari, ſuperſtitioſumq; eſſe domeſticis adinuentas ſtudijs feſtiuitates nouiter introduci, ad ſummam, non fabricatum hoc religionis amore, ſed ardore pecuniæ. Præſertim autem quidam proterui homines, qui à vocabulo loci, quem incolunt, Inſulani vocantur, ipſo præclaræ feſtiuitatis die irreuerenter abutentes, cœperunt cum ſuis mulierculis non modò textrinis operibus audacter inſiſtere, verumetiam ruralibus exercitijs liberiùs inſudare. Sed protinus illos 10 ſententia diuinæ animaduerſionis vlciſcitur, & flagellis eruditi ad cor redeunt, qui cor habere in proſperitate noluerunt. Vt eis aptiſſimè congruere videatur quod per Prophetam dicitur, Redite præuaricatores ad cor. Illud etiam, Et nunc ignis aduerſarios conſumit. Nam caſas eorum repente flãma corripuit, & non ſolùm domeſtica quæq;, ſed & quæ in agris erant, omnia globis inextinguibilibus conflagrauit, adeò vt infelices illi in extremis iam periculis conſtituti, ad amnem hinc inde confluerent, & in ipſum gurgitis alueum accenſa quæq; iactarent. Sed vt perſpicuè probaretur hoc non caſum, ſed diuini furoris eſſe indicium, quicquid mergebatur, extingui non poterat. Miro itaq; modo elementum illud vires ſui iuris & partim tenebat, & ex parte perdiderat, nam & liquida erat aqua, vt immerſa quæq; fluctu dehiſcente reciperet, &

9 Feſtum ſãcti Rufini martyris.

10 Ecce quomodo ſeuerè Deus caſtigat feſtorum ſanctorũ cõtemptores.

quodammodo humida non erat, vt ardentia extinguere poſſet. Sed quid minimis immoror, cùm & ipſa hominum membra flamma proſiliens occupauerit, & extinctionis remedium quocunque ſe verterent, inuenire non valerent? Tandem vſtulati, fumigati, & in modum torris combuſti, cum magnis vlulatuum ſtridoribus ad beati Rufini altare confugiunt, indulgentiam petunt, & commiſſi piaculi de cætero emendationem per pœnitentiam pollicentur. Precibus igitur beatiſſimi martyris ab incendij 11 doloribus liberati, incolumes ad propria ſunt reuerſi. Ab illo itaque tempore abſque vllo cunctationis obſtaculo, beati Rufini martyrium colitur, & die, quam prædiximus, cum magnæ deuotionis instantia ad eius Eccleſiam à populis vndique conuenitur.

11 Vides quod ſancti orantes pro nobis exaudiuntur, & eorum precibus ſanitatum beneficia conferuntur?

Illud quoque prætereundum eſſe non arbitror, quòd viri quidam trabem de ſylua operoſis exercitijs leuigatam, ad beati Rufini vectare Eccleſiam conabantur, quibus nimirum quidam Peruſinorum violentiam ingerentes, lignum hoſtiliter extorſerunt. Sed cùm raptores arborem inſtantiſſimi conatus anxietate protraherent, et iam iamque Peruſinis mœnibus vno vix interiacente milliario propinquarent, repente vehiculum hæſit, nullisque virium 12 niſibus impelli vlterius potuit. Interea contigui quique homines ad auxilium confluunt, non pauci etiam iugati boues adduntur. Ordinant diligentius machinam, inuicem exhortantur, in robur ſe colligunt, armos obijciunt, vociferanter impingunt, lignum tamen immobile permanet, ac ſi fixum radicibus teneretur. Demum magiſtra neceſſitas docuit, quod cæca hominum prauitas ignorabat. Mens namque eorum perpetrati criminis conſcia, licet ſerò, liquidò cognouit, quia qui de beati martyris ſubſtantia rapinam fecerant, meritò illis diuina virtus obſtabat. Mutato itaque repente conſilio, Aſſiſium verſus illico vehiculum dirigunt, & accelerandi facultate percepta, beatiſſimo martyri quod ſuperbè rapuerant, humiliter reddunt.

12 Aduertis res ſanctorum non eſſe furtim ſurripiendas?

Agamus igitur Saluatori noſtro Chriſto gratias, & digna laudum præconia referamus, qui dum per ciues ſupernæ Hieruſalem talia nobis beneficia prærogat, tanquam per exiguas micas ac tenues, ad plenum nos conuiuium menſæ cœleſtis inuitat; & dum illos iam poſt laborem quieſcentes in patria vbertim ſatiat, nos etiam in huius peregrinationis itinere quaſi quibuſdam ciborum reliquijs, vtcunque ſuſtentat; immò qui illos ſolido ſuæ viſionis 13 cibo reficit, quando nos ſignorum ſuorum lacte tanquam paruulos nutrit, donec occurramus omnes in virum perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.

Qui cum Deo Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſecula ſeculorum.

Amen.

13 Qui illos ſolido ſuæ viſionis cibo reficit. Ergo ſancti in cœlo vident Deum.

EIVSDEM HYMNVS
DE IPSO SANCTO RVFINO.

MAGNVM Rufini meritum turba canat fidelium;
Quo mundi victor extitit,& liber aſtra petijt.
Bellator inuictiſſimus præbet ora lapidibus,
Sed verbis grando verberum non indidit ſilentium.
Plumbatis inde cæditur; iam iam obiſſe creditur;
Sed qui putatur mortuus, ſurgit in arma promptius.
Detruditur in clibanum furentem flammis ignium,
Caminus ſed incendij fit nemus refrigerij,
Nam flammis crepitantibus clarus immerſit Angelus,
Ad cuius mox imperium perdit vires incendium.

DIVISIO HYMNI.

Certat martyr egregius,vt Leo vinci neſcius,
Cuncta pœnarum genera mente calcat intrepida.
Saxum collo ſuſpenditur,ſic fluctibus immergitur,
Quem aqua Chriſto genuit,per hanc ad ipſum peruenit.
Nunc carnis liber onere, rubro veſtitur podere,
Corona plexus capite de pretioſo lapide.
Te martyr alme petimus mentis pronæ viſceribus,
Nos tua ſoluant merita,quos noſtra grauant debita.
Sit Patri laus ingenito, ſit decus Vnigenito,
Sit vtriuſq; parili maieſtas ſumma Flamini.
Amen.

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI SERMO DE SANCTO MARCO EVANGELISTA.

ECCE video, dilectiſſimi, quoniam ad menſam Eccleſiæ diſcumbentes, dum ſpiritualium deliciarum alimenta percipitis, non vno ſermone contenti, adhuc alterum auidius eſuritis. Quamobrē & nos adminiſtrādo refectionis noſtræ ferculo non deſiſtimus, vt ſanctam veſtræ deuotionis eſuriem vel tenui quodam pabulo temperemus, dum ſcilicet cū Apoſtolo eadem vobis ſcribere, mihi quidem non pigrum, vobis aut ſit neceſſarium.

Inter omnes planè doctores Eccleſiæ, beatum hunc Marcum, cuius hodie triumphalia geſta recolimus, ſatis inſignem, atq; conſpicuum iudicamus. Beati ſcilicet Apoſtolorum principis & in baptiſmate filius, & in doctrina diſcipulus, ſicut eum referentem geſta Saluatoris audiuit, ita per inobliquam fidei relationis lineam Romæ rogatus à fratribus Euangelium ſcripſit, ſicut & Clemens Alexandrinus, & Papias Hierapolitanus Epiſcopus tradunt. Aſſumptoq; mox Euangelio, quod ipſe confecerat, impiger adit Aegyptum, & Alexandriæ Chriſtum primus annuncians, iacit nouæ legis fundamentum. Et dum ipſe ſcriptor, qui & prædicator extitit Euangelij, idem quodammodo faber qui & agricola, ipſe ſibi vomerem fabricauit, quo videlicet ad ſpargenda ſacræ fidei ſemina humani cordis arua proſcidit.

Hoc itaq; modo Alexandrinā fabricauit Eccleſiā, eāq; non ſuo, ſed magiſtri ſui nomine titulauit, vt ad honorem beati Petri ſedes Apoſtolica nuncupetur, ad quam tamen Petrus acceſſiſſe non legitur. Tanta igitur magiſter atq; diſcipulus vnanimitate coniuncti, tam cōſona ſancti Spiritus ſunt inſpiratione conflati vt & Petrus Euangelium Marco, & Marcus conſtrueret Eccleſiam Petro; quatenus dum quod ſuum erat alter transferret in alterum, quod cuiq; erat propriū commune eſſet amborum, & vtriuslibet totum eſſet, quod vterq; proprium poſſideret. Vnde beatus Petrus eum quaſi ſpiritualem & vnanimem præ cæteris filium vocat, cùm figuraliter Romam nomine Babylonis appellans; Salutat vos, inquit, Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta, & Marcus filius meus.

Nec mirum ſi beatus Marcus apud magiſtrum ſuum præcipuus extitit, & priuilegium præ cæteris Apoſtolicæ dilectionis obtinuit, cui nimirum Deus omnipotens tantam verbi virtutem contulit, tantam prædicationis efficaciam prærogauit, vt omnes, qui tunc ad fidei rudimenta confluerent, mox per 1 continentiam, ac totiu s ſanctæ conuerſationis inſtantiam, tanquam ad monaſticæ perfe-

1 Ecce cum recta fide coniunctam cōtinentiam, & totius ſāctæ conuerſationis inſtantiā, nā ſola fides non ſuffeciſſet.

ctionis faſtigium peruolarent. Vnde & Philo diſertiſſimus Iudæorum, cùm de primatu beati Marci apud Alexandrinam Eccleſiam ſcriptitat, in Chriſtianorum laude verſatus, eorum habitacula 2 monaſteria nuncupat. Et non ſolũ per Alexandriæ fines, ſed & in multis alijs, Marco tum Eccleſiam illam adminiſtrante, prouincijs tales extitiſſe perhibet Chriſtianos, quales & Lucas meminit Apoſtolorum fuiſſe diſcipulos, videlicet vt eorum eſſet cor vnum, & anima vna, nullusq; eorum aliquid proprium diceret, ſed omnes omnia communiter poſſiderent, eſſetq; inter eos inſeparabilis vnitas animorum, inter quos nulla poterat inueniri diuerſitas facultatum. Talis ergo ſub Marco Alexandrina fuit Eccleſia, qualis & Hieroſolymæ fuiſſe ſub Apoſtolica legitur diſciplina, vt neminem paupertatis indigentia premeret, nullus eorum diuitijs abundaret, ſed dũ vnicuiq; prout opus erat neceſſitas adminiſtrata ſuppeteret, locum inter eos querela, murmurq; non haberet. Significat ergo prædictus Philo, inter noua tũc naſcentis fidei cunabula, ac teneram (vt ita loquar) Eccleſiæ lactantis infantiã, quoſq; ſub beati Marci regimine conſtitutos, ſobrietati 3 ſimul ac pudicitiæ deditos, orationibusq;, & ieiunijs vehemẽter intentos; quos vtiq; beatus Euangeliſta, non modò miraculorum plerunq; prodigijs, non modò ſanctæ prædicationis erudiebat eloquijs, ſed ad ſpiritualis vitæ rectitudinem eximiis etiam propriæ continentiæ, ac pietatis prouocabat exemplis, vt omnes penè vaporantis fidei ardore ſucceſi, ita per nouæ conuerſationis viderentur anhelare propoſitũ, ac ſi 4 monaſticæ perfectionis arduum arripuiſſent inſtitutum.

2 Vide antiquiſſimã monaſteriorum originem.

3 Ecce qualia ſunt bonorũ fideliũ exercitia.

4 Nota arduũ monaſticæ pfectionis inſtitutum.

Cùm itaq; beatus Marcus velut electa cœleſtis militiæ tuba, vehementiſſimis clangoribus intonat, & mandata Dei tanta prædicationis arte diſpenſat, vt auditores ſuos protinus ad ſummæ perfectionis alta ſuſtollat, quid aliud, quàm in etymologia ſui nominis perſeuerat? Marcus enim excelſus mandato interpretatur. Et verè beatus hic vir non erat excelſus animo, ſed mandato, quia dũ mentẽ gereret humilẽ, vitã ſatagebat habere ſublimem; & qui cunctis ſeſe in humilitate ſubſtrauerat, per viam mandatorũ cœleſtiũ ſublimiter incedebat.

Illud etiam, dilectiſſimi, vos ignorare non patiar, quoniam octauo Neroniani imperii anno triumphalem martyrii palmam beatus Marcus obtinuit, cui mox & Anianus in Alexandrinæ ſedis dignitate ſucceſſit, & beatus Petrus Apoſtolus Romæ ſeptennio ſuperuixit. Vnde ſuperna diſponente clementia, factum eſt, vt cùm Alexandriam priùs & ſplendoribus Euangelicæ prædicationis, & effuſione ſacroſancti ſanguinis illuſtraſſet, ad Italiam deinde quodam poſtliminio ſit reuerſus, vt eadem potiſſimum terra, in qua ſibi datum eſt Euangelium ſcribere, ſacras mereretur eius reliquias poſſidere; & vbi ſibi conceſſum eſt Euangelicæ deſcriptionis iubar effundere, illic p glorioſæ 5 glebæ ſuæ præſentiam, plurimis virtutum, atq; ſignorum radijs coruſcaret.

5 Sancti Euangeliſtæ corpus non vile cadauer, ſed glorioſã glebã nũcupat, ſicut ſupra ſacroſanctũ eius ſanguinem.

Porrò ſi diligenter omnium Euãgeliſtarum, in quibus defuncti ſunt, loca percurrimus, neminem eorum in eo, quem ſortitus eſt, perſeueraſſe tumulo reperimus. In Ioannis ſcilicet ſepultura poſt obitum non corpus eius, ſed manna repertum eſt. Beati verò Matthæi corpore non Aethiopia, vbi peremptus agnoſcitur, ſed Salernitana potiùs ciuitas decoratur. Sanctus etiam Lucas cùm in Bithyniæ partibus, ſicut hiſtoria teſtatur, obierit, viceſimo anno Conſtantii Cæſaris, de Achaia Conſtantinopolim translatus eſt cum ſacroſanctis 6 beati Apoſtoli Andreæ reliquijs. Hic verò, de quo nunc agitur, ſanctus Euangeliſta Marcus de Alexandria tranſuectus eſt, Deo miſericorditer diſponente, Venetiã, vt qui tunc totum Orientem velut aureus lucifer illuſtrauerat, nunc per plagas occidui climatis præſentiæ ſuæ radijs eniteſcat. Per Aegyptum quippe ſibi dedicat Ortũ, per Venetiam tenet Occaſum. Illic Alexandrinæ ſortitus eſt Eccleſiæ ſolum, hic renaſcentis Aquileiæ nouum ſtatuit principatum. Eſt itaq; ve-

6 Cùm ſacroſanctis beati Apoſtoli Andreæ reliqis.

lut ſidus aureum toto orbe præclarum, ac celebri totius Eccleſiæ veneratione conſpicuum.

" Hoc itaq; ſidus, dulciſſimi, præ oculis iugiter habeamus, huius imitemur exẽplum, ſi inter ſpumoſos mundanæ voraginis fluctus cupimus euitare naufragiũ. Hinc mare tumidum ſæuiat, illinc venti furentes impugnent, ſi ab hoc ſidere mẽtis aciem non auertimus, procellarum inundantium impetus non timemus. Ad hoc itaq; ſidus ſagenam mentis noſtræ certi curſus linea dirigat, ad hoc omne laboris noſtri remigium tendat, vt non (quod abſit) vorago nos ſcyllææ profunditatis abſorbeat, non errorum cautes, vel inuadoſæ ſyrtes improuidos obruant, ſed in tutæ quietis portum, & optatæ tranquillitatis ſinum ſupernus nos gubernator impellat Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui cum Deo patre, & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

SERMO PRIMVS IN FESTIVITATE SANCTI APOLLINARIS.

HODIERNA die, fratres chariſſimi, ad iucundum nimis ſatisq́; delectabile ſpectaculum venimus, & glorioſæ palæſtræ certamen oculis fidei contemplati ſumus. Vidimus enim vnum ciuem ſupernæ Hieruſalem pro Rege ſuo ſtrenuè ad bella procedere, & innumerum Babyloniæ vulgus vnanimi conſpiratione contra vnum caput ferociter dimicare. Vidimus militem Chriſti contra mundum triumphale vexillum Crucis inferre, vidimus è cõtra amatores mundi pro dilecto ſuo conſtipatis cuneis obuiare. Illi enim vndiq; circunfuſi diuerſa tela conijciunt, ſagittas emittunt, machinas erigunt; & vt vallum Chriſti irrumpere valeant, omnia præliandi argumenta componunt; hic autem enſe verbi ſpiritalis accinctus, lorica fidei indutus, ſpei galea præmunitus, ſub patientiæ ſuæ ſe clypeum colligit, & hoc contra omnes bellicæ tempeſtatis ictus vigilanti oculo circunducit. Illi ignem adhibent; ſed iſte immenſæ charitatis ardore ſuccenſus, incendia exterioris flammæ non ſentit. Illi bullientibus aquis dilacerata membra perfundunt; iſte largo ſancti Spiritus imbre diuinitus refrigeratur, cantans cum Propheta: Tranſiuimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Illi virgis cædunt, ſudibus frangunt, eculeo ſuſpendunt, in carcerem mittunt, poſtremò cathenatum in exilium dirigunt; iſte verò in arce mentis cõſtitutus, quicquid erga ſe agitur, ſub ſe fieri quaſi alius quidam eminus intuetur, dicens cum Paulo: Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus: & iterum: Licet exterior homo noſter corrumpatur, is tamen, qui intus eſt, renouatur de die in diẽ. Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. Cuncta ergo hoſtium iacula facta ſunt beato Apollinari glorioſè vincendi materia. Et vnde illorum crudelitas deijcere nititur, inde iſtius patientia ad ſtandum firmiùs roboratur. Sanctus enim vir inter perſecutionum bella deprehenſus, quò duriùs telorum grãdinem inhorreſcere conſpicit, eò cautiùs vndiq́; ſcutum ſuæ grauitatis opponit. Et quò violentiùs pugnæ impetus videt ingruere, eò magis ſe ſtudet & in vires colligere, & ad agendum fortiter excitare. Vbiq; paratus aſſiſtit, vbiq; vigilanter intendit, & venientibus vndiq; gladijs imperturbatus occurrit.

Quia verò, fratres mei, beati Apollinaris agonis, palæſtram ſuperiùs nominauimus, vtrùm nam congruè poſitum ſit, ſi placet, paulò ſubtiliùs inquiramus. Palæſtrita quippe nudus inſtatur, & beatus Apollinaris mũdanæ poſſeſſionis indumento nudus fuiſſe cognoſcitur. In ſpectaculo autem cunctis huiuſmodi luſta proponitur, & beatus Paulus de ſe, alijsq; Chriſti bellatoribus congruè teſtatur dicens: Spectaculum facti ſumus Angelis, & hominibus. Solet autem pueris oleum, quod videlicet Chriſma ab eis dicitur, à campiductoribus tribui, vnde eorum debeant omnia corporis membra perungi; ſanctus verò Petrus Apoſtolus beati Apollinaris nõ dicam campiductor, ſed ductor, ſancti Spiritus eum vnctione perfudit, cùm ad certamina perſecutionum miſit. Vt enim in ſancta geſtorum illius narratur hiſtoria, ait beatus Petrus Apollinari diſcipulo ſuo; Quid ſedes nobiſcum? Ecce eruditus es de omnibus, quæ fecit Ieſus. Surge, accipe Spiritum ſanctum, ſimulq; Pontificatum, & perge ad vrbem, quæ vocatur Rauenna. Quod enim dicit, Accipe Spiritum ſanctum, & perge, tale eſt ac ſi diceret: Oleo membra perfunde, & bellum viriliter conſere. De hoc enim ſancti Spiritus oleo per Prophetam dicitur: Cõputreſcit iugum à facie olei. De hoc & per Pſalmiſtam canitur: Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſancto meo vnxi eũ.

Mos verò eſſe campiductorum ſolet, vt priùs certaturi diſcipuli membra peruideant, videlicet quàm latum, validumq; ſit pectus, quàm ſani, pleniq; tumeant lacerti, quàm ſubterpoſitus venter nec mole grauet, nec extenuatione debilitet; & ſi cuncta bellico vſui apta eſſe perſpexerint, mox eius ſegnitiem dura ſeueritate corripiunt, & deſides adhuc animos in amorem laudis accendunt, & hortanter inſtigant, & ne formidare debeat, ſuam ipſius coram eo fortitudinem laudant. Sic nimirum beatus Apoſtolus quaſi ante ipſum arenæ veſtibulum alumni ſui membra conſiderat, & vt ſe ad congrediendum præparet, verbis ſuaſoriæ adhortationis inflammat. Quid eſt enim dicere, Quid ſedes nobiſcum? Iam depone deſidiam, vt poſt peractam victoriam peruenias ad coronam? Et quid eſt dicere, Ecce eruditus es de omnibus, quæ fecit Ieſus, niſi omnes tui corporis artus iã perfecto vigent robore, nihilq; tibi ſupereſt, niſi vt timore poſtpoſito incipias dimicare? Vnde aptè ſubiungitur: Prædica eis de nomine Ieſu, & ne formidaueris: tanquam diceret: Ex iuſſionis meæ auctoritate congredere, brachia cõſere, vt communem vtriuſq; Regis poſſis victoriam de triumphatis hoſtibus reportare. Percurre impiger ſtadium, vt ad propoſitum victoribus merearis pertingere brauium. Non dubites arripere pugnam, de qua nobilem referes, auctore Deo, victoriæ palmam. Ego tibi præcipio, qui poteſtatem [1] ligandi non ſolùm in terra, ſed & in cœleſtibus habeo, ego te ad paſcendas oues Dominicas mitto, qui ouile totius ſanctæ Eccleſiæ iniuncta mihi cura cuſtodio. Prærogatiua ergo magiſtri ſit diſcipulo audacia præſumendi, & mittentis auctoritas ſit fiducia miſſi.

[1] Ecce primatũ beati Petri Apoſtoli. Ecce poteſtatem eius pleniſſimã ſup vniuerſam Chriſti Eccleſiam.

O beate Apoſtole, quàm libenter, quàm alacriter motum tuæ diuerſitatis intueor, & nunc te debilem, nunc fortiſſimum pulchra varietate contemplor. Debilem, inquam negando magiſtrum, fortiſſimum verò pro eiuſdem magiſtri confeſſione mittendo diſcipulum. Non times diſcipulo Rauennam multarum vrbiũ dominã aſſignare, qui tibimetipſi expaueras vnius ſacerdotis ancillã. Nõ metuis illum in procelloſos fluctus turbulentiſſimæ ciuitatis ſolum mittere, qui cũ ipſo Creatore marium ſuper marinas vndas expaueras ambulare; illi nanq; dictum eſt: Aquilonem, & mare tu creaſti. Cùm enim dixeris: Domine, iube me venire ad te: niſi ſtatim expauiſſes, mergi vtiq; non cœpiſſes; niſi in naui ſi dei aliquam naufragij vndam pertuliſſes, nullatenus ex ore Veritatis audiſſes: Modicæ fidei, quare dubitaſti? Nec mirum tibimetipſi maris tunc formidaſſe periculum, qui pro eadem mentis infirmitate, Magiſtrum & Dominum tuum nolebas Crucis ſubire patibulum. Cùm enim tibi diceret, quòd pro redemptione

humani generis crucifigẽdus eſſet, protinus reſpondiſti: Abſit à te, Domine, propitius tibi eſto, Domine, ne fiat hoc. Quid eſt, beate Apoſtole? Nunquid vis claudere locum, vnde noſtræ redemptionis eſt pretium exiturum? Nunquid vis fontem reſtringere, qui prauitatis noſtræ deſcendit maculas emundare? Ecce iam noſti illum proculdubio Deum eſſe, & tamen diſſuades mortẽ ſubire. Niſi enim Deum crederes, Propitius tibi eſto, Domine, non dixiſſes. Concordat quidẽ fides Diſcipuli cũ aſſertione Magiſtri. Poteſtatem, inquit, habeo ponendi animã meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Sed qui fide ſtas, infirmitate iaces, quem fides erigit, timor ſternit. Qui ergo Magiſtro Crucis timueras mortem, & tibimetipſi pelagi profunditatem, nunc dilectum diſcipulum nõ dubitas mittere inter perſecutorum furentium rabiem. Cur hoc, niſi quia completum eſt in te quod per coapoſtolum tuum dicitur, Quia timor nõ eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem? Iam enim iterum audieras à Domino: Simõ amas me? Et reſpondens: Domine, tu ſcis quia amo te: illico audiſti: Paſce oues meas: Dixerat iterum Dominus: Sicut dilexit me Pater, & ego diligo vos. Sicut ergo te Dominus dilexit, cùm pro paſcendis ouibus ſuis inter ſcandala perſecutorum miſit, ſic & tu diſcipulum diligis, cùm pro eiſdem ouibus ad martyrium dirigis.

Sed libet, fratres mei, hæc Apoſtolica verba ſubtili indagatione diſcutere, & quomodo canonica Eccleſiaſticæ cenſuræ auctoritas in eligẽdis præpoſitis vnã vbiq; teneat regulam præuidere. Dicitur enim beato Apollinari: Quid ſedes nobiſcum? Ecce eruditus es de omnibus, quæ fecit Ieſus. Rurſus idem Apoſtolorum princeps cùm in loco Iudæ alium ſubrogare voluiſſet Apoſtolũ, vt neophitorum reprimeret prauitatem dixit: Oportet ergo ex his viris, qui nobiſcũ congregati ſunt in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Ieſus, teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis. Hinc idem ipſe gentibus Chriſtum euangelizans aiebat: Hunc Deus ſuſcitauit tertia die, & dedit eum manifeſtum fieri non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus, & bibimus cum illo, poſtquam ſurrexit à mortuis. Hinc ipſe Dominus in Euangelio cũ de mittendo ſancto Spiritu Apoſtolis loqueretur, Ille, inquit, teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis: tanquam diceret, idcirco idoneum de me teſtimonium perhibebitis, quia quicquid alios docueritis, longæ conuerſationis aſſiduitate ipſi antea didiciſtis. Audiant neophiti, audiant elati, & quaſi folles vento arrogantiæ, & igne cupiditatis inflati, quia nõ volunt diſcere quod ſciant, & in ſchola Chriſti ante inhiant in cathedra præſidere, quàm ferulam ſentiant. Dumq; inordinato ordine non per oſtium, ſed aliunde ad regiminis iura prorumpunt, non ſe paſtores eſſe, ſed & fures, & mercenarios patenter oſtendunt, qui prodeſſe non curant, ſed præeſſe flamma pernicioſiſſimæ cupiditatis anhelant. Hi profectò nõ præferuntur, vt Chriſti ouile cuſtodiant, non vt gregem Dominicum paſcant, ſed vt miſeram carnem ſuã in laſciuijs, & cupiditatibus molliter nutriant; dũq; ſe proximis prælatos eſſe conſiderant, cæcam mẽtem in ſuperbiæ cornibus exaltant. Audiant ergo qui eiuſmodi ſunt, & vel curent ſe ab hac præſumptione compeſcere, vel nouerint ſe à corpore ſanctæ Eccleſiæ iam, etſi non apertè, verè tamen radicitus præciſos iacere. Ecce beati Apoſtoli, ſuper quos quaſi ſolidiſſimas baſes, ſancta fundatur Eccleſia, non nouitium, non indoctum, ſed illum ordinant, quem in doctrina, & ſanctæ conuerſationis ſtudio perſpexerint eſſe maturum. Hoc quærit Petrus in Matthia, cùm elegit in Apoſtolatum, hoc in Apollinare cùm promouet in Epiſcopatum. Quod ergo Dominus prouiderat in Apoſtolis, hoc Apoſtoli conſiderauit in Apoſtolicis viris.

Illud etiam prætereundũ non eſt, quod beatus Apoſtolus oſculans diſcipulũ,

emiſit eum à ſe. Hic antiquorum patrum conſuetudo 2 recolitur, & in nouo iã ſeculo veterũ Patriarcharum antiquitas reparatur. Ecce Iſaac iterum filiũ oſculatur, Ecce Iacob iterũ benedicitur, & Patriarcha à Patriarcha ex autẽticæ traditionis ordine conſecratur. Illi dictũ eſt: Accede ad me, fili, vt benedicat tibi anima mea; iſti dictum eſt: Surge, accipe Spiritum ſanctum. Illi dictum eſt: Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini, & olei; iſti verò dicitur: Mittat Dominus noſter Ieſus Chriſtus Angelum ſuũ, qui præparet iter tuum, & quæ poſtulaueris, annuat tibi. Sic & Iacob Ephraim, & Manaſſe filijs Ioſeph oſculum præbuit, cùm eos inter reliquos Patriarchas cõſtituens benedixit. Hinc etiam Eccleſiaſticus mos inoleuit, vt Põtifices his, quos conſecrant, oſculum tribuant. Hinc, fratres, hinc rogo colligite, beati Apollinaris quanta ſit celſitudo, qui vt Apoſtolus ad arcem Pontificatus eligitur, vt Patriarcha ſolenniter ordinatur, qui & ab illo, & non diuerſo modo prouehitur, à quo & Apoſtoli promouentur. Videtur ergo in illo & Apoſtolica dignitas, & Patriarchalis ſublimitas, quia & Apoſtolico ore prouehitur, & Patriarchali ſolennitate conſecratur. Vnde fit, vt cùm cæteri, qui pro teſtimonio veritatis ſupplicia paſſi ſunt, martyres nuncupentur, hic quia non ſolùm paſſus, ſed etiã ad martyrium ab Apoſtolo tam nobiliter eſt electus, Apoſtolicus martyr iure dicatur.

Nota patrũ traditiões in Eccleſia ſeruari.

Ad idem, de quo ſupra.

Inter hæc vos, fratres chariſſimi, ad vosmetipſos redite, actus veſtros ſolicita examinatione diſcutite, & qui laudes martyris libenter auditis, laudabilem vitã habere curate, non eſt enim ſpecioſa laus in ore peccatoris. Illi enim dignè ſanctos laudibus efferũt, qui laudabiliter 3 viuũt. Et hi fortiũ virtutes vtiliter audiunt, quos audita præconia ad amorem imitationis accẽdunt. Cæterùm quid prodeſt ſi alios conſtitutos in ſublimibus videas, ipſe verò in præceps ad ima deſcẽdas? Quid prodeſt fortium bellatorum triumphos extollere, ſi ipſe non erubeſcas quotidie terga hoſtibus dare? Quiſquis ergo gaudes fortiter egiſſe martyres Chriſti, corripe & ipſe arma inter milites Chriſti. Deſunt exterius hoſtes? Verte manus in te, & multos ſeditioſos inuenies ciues. Doma ſuperbiã, iugula iracũdiam, extingue libidinem, reprime auaritiam, occide inuidiam, & vt breuiter cum Apoſtolo cuncta complectar, crucifige carnem tuam cum vitijs, & concupiſcentijs. Hoc eſt fortiter agere, hoc eſt viriliter dimicare. Nam quid iuuat ſi circa vallum te non obſideant acies perſequẽtium, & intra vrbis mœnia graſſetur barbaries vitiorum? Vis autem adhuc apertiùs diſcere, qualiter in pace ſanctæ Eccleſiæ valeas martyrium inuenire? Audi attentè, intellige diligenter. Cor vigilet, oculus cùm dormitat. Quod enim dico, breuiſſimum eſt. Aſcende igitur tribunal mentis, & temetipſum pertrahe ad iudicium quæſtionis. Cogitatio accuſet, animus iudicet, pœnitens conſcientia velut carnifex feriat, lachrymarum riuus tanquam vulnus erumpat. Sic ſic per martyrij ſimilitudinem, ad veram peruenies martyrum dignitatem, auxiliante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & gloriatur per infinita ſecula ſeculorum.

Amen.

3 Vides vbique laudabilẽ vitam requiri, & carentiam à peccatis.

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

SERMO SECVNDVS VNDE SVPRA.

4 Feſtū ſancti Apollinaris Epi, & martyris.

APOSTOLICI Martyris glorioſa 4 ſolennitas, fratres chariſſimi, alacrem fecit veſtræ deuotionis adeſſe conuentum. Vnde dignum eſt, vt communi vobiſcum lætitia pariter exultemus, & totā hanc diem in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus expendamus. Meritò hodie profuſis gaudijs totus vbiq; terrarum orbis exultat. Meritò ſancta Eccleſia, diſpoſitis fideliū choris, dulciſonas melodiarū voces alternat. Gaudeat Antiochia, quæ talem meruit gignere filium, exultet Roma, quæ talem potuit habere diſcipulum, præcipuè verò iubilet vrbs Rauenna, quæ tantū meruit referre 5 patronum. Quæ enim erat dæmonum antea delubrum, per hunc cœleſtium ſenatorum facta eſt capitolium; ibi enim iam martyrum corpora requieſcunt, ibi multorum ſanctorum patrocinia reconduntur. Quæ ergo priùs malè fœcunda in filijs ſuis multas ſtipulas germinabat inferno, iam per Dei gratiam multos ciues parturit cœlo; vt iam populo illius non immeritò dicatur: Iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei: & per Petrum: Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis. Reges enim ſumus, quia Crucis vexillum in fronte portamus. Sacerdotes autem iure dicimur, quia chriſmatis vnctione linimur. Iuſtè ergo egregia illa metropolis de beati Apollinaris feſtiuitate ſpecialiter gaudet, per quem olim profana, & ruſtica, facta eſt nunc ſacerdotalis, & regia. Cui etiam Romanis arcibus adeò communis eſt dignitas, vt illa mater, iſta dicatur cōgruè filia; quod enim illa in cœleſti clauigero, hoc totum iſta poſſidet in diſcipulo; et quod illi prærogat Apoſtolus, hoc etiam iſti martyr Apoſtolicus. Si enim Conſtantinopolitana ciuitas, quia Romanos in ſe tranſtulit ciues, ſecunda Roma eſt nuncupata, quantomagis hæc, quæ tātum Principem de Roma ſuſcepit, ſecunda Roma eſt appellanda? Nunquid nam glorioſius eſt ſuſcipere Quirites de Romana curia, quam habere martyres de Romana Eccleſia? Ex ea igitur parte, qua Roma carnalis eſt, carnales genuit; ex ea verò qua ſpiritualis eſt, ſpirituale ex ſe filium procreauit. Quod enim natum eſt de carne, caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Quòd autem tantum ciuitati illi tribuimus, vt Romæ ſimilem eſſe dicamus, ad laudem Dei referimus, non fauores hominum affectamus. Nam ornatus habitationis, decus eſt habitantis, & honor militis, gloria eſt Imperatoris.

5 Duo hîc adnota, ſanctos ciuitatū eſſe patronos, & illorum corporibus ipſas illuſtrari, & ſanctificari.

Libet autem, dilectiſſimi, pulchrum diuinæ diſpenſationis ordinē ſtudioſè perpendere,& quàm mirabiliter omnipotens Deus regionis illius tenebras illuſtrare decreuerit indagare. Sicut enim matutinus lucifer ab ortu ſurgens ſolē præcedit,ita beatiſſimus martyr ab orientali plaga progrediens,nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti,qui verè eſt ſol iuſtitiæ,primus Rauennæ finibus introduxit. Et quàm benè ſibi luciferi nomen congruit,qui primum aduentus ſui miraculū de lumine fecit? Nam mox vt in ſuburbano eſt receptus hoſpitio,cæco Irenæi militis filio lumen reddidit,& ſic de parentum cordibus infidelitatis tenebras effugauit;nā dū illi oculos reddidit frontis,iſtis multò fœlicius lumē aperuit cordis. Rectè ergo dicitur,quia ſicut lucifer in orbem, ita beatiſſimus vir ſuam eſt delatus in vrbem. Quot autem ibi ſupplicia ſuſtinuerit,quot mortium tormenta percurrerit,ille quidem perferre mirabiliter potuit, referre quātalibet linguæ noſtræ facundia non valemus. Cæditur,vritur, vulneratur, eculeo tortus per membra cuncta diſcerpitur,ſed quò magis caro per tormenta concutitur,eò mēs in Deum fixa firmiùs roboratur, et quaſi igne ſuccēſa materies,quò plus aduerſratum ventis impellitur,eò in amorem Dei ardentiùs inflammatur. Sanctus quippe vir dum foris tolerat turbinem perſecutionis,intus recurrit ad arcem mētis,& inde cuncta ſub ſe ire deſpicit,inter quæ tranſire corporaliter etiam ſemetipſum cernit. Minas non metuit,tormenta alacriter patiendo contemnit. Hinc enim per Salomonem dicitur: Iuſtus quaſi leo confidens abſq; terrore erit. Hinc ab eo iterum ſcriptum eſt: Non contriſtabit iuſtum quicquid ei acciderit. Iam quippe ſpiritus ad alta ſuſpenſus in hoc ineffabiliter gaudet,dum ſibi cumulari gaudia per tormenta videt. Pœnis fouetur, incendio refrigeratur, fame reficitur,inopia dilatatur,& id maximum lucrum deputat,ſi grauem de paſſione Domini ſarcinam portat,tantumq; ſibi minui timet de præmio, quantum ſibimet ſubtrahi conſpicit de tormento. Quid plura? Iterum cæditur,iterum cruciatur, ad extremum quoq; nudis plantis ſuper ardentes prūnas ſtare compellitur, ſed dum vterq; pes ſuppoſito igne comburitur,lingua in confeſſione Chriſti liberiùs relaxatur. Segnior quippe fuerat ignis,qui exteriùs incendebat, quàm qui interiùs inflāmabat, tanq̄ alter coqueretur,& alter loqueretur,alius verba æderet,alius verbera ſuſtineret; et re uera alter, Veritate atteſtante quæ ait: Non vos eſtis qui loquimini,ſed Spiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. Et vt triumpho beatiſſimi martyris ipſa contraria elementa concorditer ſeruiant,dum ignis potētiori igne contemnitur,caro quæ uſta fuerat, aquis bullientibus elixatur, ſicq; in odore ſuauitatis Domino duo ſacrificia ex vna fiunt victima.

Agè agè reſponde mihi,turba frenetica,& ab ipſis furioſis meritò deridenda. Quid furis? Quid ſæuis? Quid cruētis dentibus,& lupina rabie debaccharis? Nunquid ſperas ſupplicijs Chriſti militem cedere,& à ſancto propoſito mentē poſſe mutare? Non eſt huiuſmodi mens in Deum fixa,ignorat in bello perdere militiam Chriſtianam. Neſcit præliator noſter rigore molleſcere,'neſcit gladios formidare,imò quò magis impetitur,eò robuſtior inuenitur. Eia percute,incēde,coque,gyra,regyra,diuelle à viſceribus viſcera,imprime vulneribus vulnera. Apollinaris noſter ſi diſcutitur,idem ipſe qui fuerat,inuenitur. Non poteſt iam Chriſtum in loquendo negare lingua,quem cætera patiendo confeſſa ſunt membra,nam ſi fictile ſui corporis vaſculum,dum adhuc ſanum eſſet, pro conſeruando fidei theſauro lacerari permiſit,quantò magis tūc pro iam quaſſato, & fracto, tam pretioſum theſaurum perdere formidabit? Tu ergo,tu miſerabilis turba agonothetā Chriſti dum deijcere moliris, dū ſuperare niteris,inſuperabilem reddis. Tu facis,vt corpus ſuum ille deſpiciat,& ex eo egredi tota animi alacritate contendat,& dum nouis & exquiſitis ſupplicijs eum mirabiliter crucias, vt mirabilem facias martyrem elaboras,tua enim ſtulta ſapientia fecit,quòd hodie

nomen beati Apollinaris tàm clarum,& celebre per ora fidelium currit. Seruiſti nempe,dum ſ.euiſti,& auxiſti palmam,dum exaggeras pœnam:nam quid,nō ad victoris gloriam vecors ingenium tuum reperit,quando in honorem tranſierunt triumphi ipsa etiam inſtrumenta ſupplicij? Sed adhuc diligentius laceratum corpus exanima,adhuc ea ipſa,quæ confecta ſunt,membra retracta, coque, diſcerpe,iacta,cæde,verbera,percute,iam de toto corpore inuictiſſimi martyris quid aliud niſi plagas poteris vulnerare? Bulliat aurum,non minuitur;cædatur adamas,non ſecatur. Iam deniq; ille ad cœli culmen anhelat, iam mente in ſublimibus habitat,nihil dolet,nihil timet,niſi,ò perſecutores,ſolá pietatem veſtram,quæ ſi ei tribuitur,ab ipſo impietas crudeliſſima deputatur, & ſi tela veſtra ad eius vultis interiora pertingere, ſola illum pietate ferite. Tunc enim grauiter indignamini,ſi miſeremini,tunc multum laceratis,ſi parcitis, & vt ita dixerim,tunc parcitis,cùm punitis.

O' robuſtiſſimum pectus,quod nulla queunt tela perfodere, nulla poſſunt ſpicula penetrare. O' munitiſſimum Chriſti uallum, quod non impacti arietes diruunt,nulla machinarum armamenta conuellunt. Quanta hunc retributionis gloria nunc extollit in ſummis,quē tanta tribulationis aduerſitas preſſit in imis. Nunc enim cum ignitis beatorum ſpirituum cœtibus emicat,cum trabeatis ſenatoribus curiæ cœleſtis 6 exultat,cum Patriarchis in aureo ſublimiter ſolio inthronizatus,cum purpuratis martyribus mirabiliter coronatus. Cùm his omnibus ſtola indutus gloriæ ineffabiliter emicat,& ante Imperatorem ſuum melodum alleluia perenniter iubilat. Quò te 7 precamùr, martyr beatiſſime, vt nós manus tuæ orationis erigat,quos reatus noſtri pondus inferiùs grauat, quatenus qui hìc tuæ virtutis præconia referre gaudemus,illic tuæ beatitudinis partem aliquam ſentiamus. Per dominum noſtrū Ieſum Chriſtum,qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

6 Legant hæc, qui mēdaciter aſſerunt, ſanctorū animas poſt mortē non recipi in cœlo.

7 Inuocat ſanctū martyrē, & eius ſe orationibus cōmendat.

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

SERMO TERTIVS

VNDE SVPRA.

AVDIVIMVS hodie, fratres chariſſimi, inſuperabilem Chriſti militis fortitudinem, audiuimus triumphalem Apoſtolici martyris paſſionem. Mirabilis in perſequentibus pugna, mirabilis in perſecuto victoria. Illi enim ad expugnandum Chriſtianæ militiæ ſtrenuum bellatorem, non ſolùm ferrea arma corripiunt, ſed ignes, aquas, ligna, lapides, & vniuerſa penè elementa armorum materiam faciunt, & in prœliandi argumēta conuertunt. Iſte verò quò acrius impugnatur, eò robuſtior inuenitur, & quò magis corpus per tormenta diſtenditur, eò magis fides augetur. Inſuperabilis deniq; miles eſt, cui virtus ex vulneribus creſcit, ex minarum terroribus animoſitas ſurgit. Noua, & inaudita pugna eſt, vbi peregrinus expugnat vrbem, incola ciuitatem, vnus populum, imbellis cuneum, inermis aciem, perſona deijcit legionem. Mirabilis, & ſtupenda victoria eſt, vbi viuit qui occiditur, ſurgit qui deijcitur, vincit qui ſuperatur, & poſtquam mortuus fuerit, omnem aduerſæ partis aciē ad ſui Imperatoris ſigna conuertit. Vbi mors euaditur, cum ſubitur, vita incipit, cum finitur. Nouum litigium, vbi iudicio præſidet populus, & vnus deducitur iudicandus, vbi vnus innocens accuſatur, multorum damnabilium cenſura depromitur, vbi iuſtus vapulat, reus damnat.

Sed inter omnes beati Apollinaris, non dicam iudices, ſed carnifices, non Præſides, ſed tortores, tua, Meſſaline, crudelitas luporum excedit rabiem, leonū exuperat feritatem, nā poſt cruentorum verberum cædem, poſt patentium vulnerū multitudinem, poſt eculei appenſionem, poſt aquarum feruentium vſtionem, os eius ſaxo contundi præcipis, & nouo tormenti genere verba verberibus punis. Ecce artifex ſæuitia tua per effuſam fellis amaritudinē noui te ſupplicij fecit autorē. Et cæcatus per iracundiā mentis oculus illud excogitando nouo ſupplicio præuidet, quod ſano conſilio conſpicere vix valeret. Et teneſa quid tibi reliqua mēbra fecerāt cùm laniabas, cùm cruciabas, cū torquebas, cū omnia immaniter, & lupinis morſibus depaſcebas? Ore te offenderat, ore te obiurgauerat, ore frōtis tuæ inuerecundiā cōfutabat. Muta mēbra nil fecerāt. Cur ergo quod nō admiſit culpā, ſuſtinet pœnā? quod non leſit, cur læditur? quod non deliquit, cur vindicatur? Si vis ergo in reum diſtrictæ ſententiæ tuum proferre vigorem, verbum examinetur, verbum iudicetur, verbum verberibus torqueatur. Et

quid plus dicam? Anima linguæ, quæ peccauerat, ipſa moriatur. Sed quid prodeſt, ſi in eum exerceas vindictam, in quo vindictæ nequeas compeſcere cauſam? Si enim contuderis os carneum, eſt qui interiùs fabricet aliud, quod quidem poſſis audire, ſed nulla valeas animaduerſione punire, ille videlicet, qui diſcipulis ſuis dicit: Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & cōtradicere omnes aduerſarij veſtri: ille, inquam, qui dicit: Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.

Sed iterum in carcere horrifico clauditur, grauiſſimo cathenarum pondere cōpeditur, in ligno extenditur, omni alimentorum ſuſtentatione priuatur. Ad conſtringendum quidem omnino carcer ſufficeret, etiam ſi cathena deeſſet, ad puniendum autem ſufficeret ignis pœna, etiam ſi famis ceſſaret inopia. Sed cui terrena eſca ſubtrahitur, cœleſtibus epulis enutritur. Et victus, quem iudicis impietas negat, Dei largitas adminiſtrat. Et quod non tribuit carcerarius, miniſter hominis factus exhibet Angelus. Angelus enim Dñi nocte veniens ad eū, videntibus cuſtodibus, pauit, & confortauit. Quàm delicioſa fame affligitur, qui cœleſtis promptuarij dapibus ſatiatur, cui cœlum fit cellarium, cœleſtis promus exhibet miniſterium. Quàm feliciter miſer eſt, qui dum terrenis eget impendijs, Angelicis fulcitur obſequijs, cui xeniū diuinitus mittitur, angelitus miniſtratur.

Sed ò quàm pulchrum ſpectaculum, & quanta ſpectantium admiratione digniſſimum, cùm tam ſtrenuè dux Imperatorem ſequitur, martyr Regem imitatur. Quis enim poſſet ab illius ſpectaculi viſione ſatiatus abſcedere, ſi ad videndum quod non videbatur, clarum mentis oculum potuiſſet habere, cùm cerneret inuictiſſimum bellatorem Chriſti, in carceris horrore concluſum, quem tam alacriter expectabat ſplendidiſſima aula regni 8 cœlorum? cùm aſpiceret eiuem cœli cum tanto triumpho de exilio ad patriā reuocari? cùm videret Chriſti militem, tam potenter deuicto mundo, regna ſiderea penetrantem? Veruntamen adhuc differtur, adhuc in exilio retinetur, vt redeundi ad patriam magis ac magis deſiderium augeatur; non enim ceſſat adhuc cruenta beſtia totis malitiæ ſuæ viribus circa Chriſti martyrem inſanire. Nam ecce iterum cathenatus, ſicut de carcere trahitur, in naui ponitur, in exilium mittitur, deinde tempeſtas oritur, nauis frangitur, nautæ omnes naufragio moriuntur, beatus martyr cum tribus ſuis clericis, & duobus militibus liberatur.

8 Nota tu qui negas, ſāctorum animas ſtatim poſt mortem recipi in cœlo.

Quid eſt hoc, Meſſaline? Cur iterum veſanis? Cur iterum deciperis? & amiſſo rationis conſilio, quid irrationabiliter facias non attendis? Eia rogo, dic mihi, quis poteſt exulem in exilium mittere, quis peregrinum peregrè deſtinare? Antiochenus poteſt de Rauenna in exilium dirigi? Orientalis de occiduis finibus deportari? Sed dum facis exulem, ſignificas ciuem. Et cùm iure poſtliminij reuerſus fuerit, in vrbanæ conditionis titulos, quibus deportatus fuerat legibus remeabit. Et certè ſi vir ſanctus exilium timuiſſet, Rauennam vſq; de Antiochia non veniſſet. Poſtremò quem longiùs ire compellis, cur cathenarum nexibus non abſoluis? Si vis tenere, cur mittitur? Si vis mittere, cur ligatur, maximè, cùm cathenæ tuæ non magis nexibus ligent, quā in ponderibus grauent? E'contra vbi mare detumeſcit, tu inflaris, vbi ventus vim temperat, tu ſpiras, vbi Eurus ceſſat, tu ſufflas, quem procella metuit mergere, tu non dubitas in eculeo ſubleuare, quem frigida vix audet vnda perfundere, tu non times aquis feruentibus elixare. Furor tuus omnium beluarum excedit ſæuitiam. Stoliditas tua ipſam inſenſibilium rerū exuperat ignorantiam. Interroga nautas tuos, diſce furores tuos. Ecce vbi ipſi vix tandē laborando ſolutis brachijs pereunt, noſtri ligati iacendo, & abſq; vlla moleſtia ſui laboris euadunt. Milites autem, & ſi non pereunt, tibi tamen funditus pereunt. Nam iure dicendi fideles transfugæ, vtpote venientes ad fidem, abiuratis Præſidis armis, ſequuntur militiam exulis.

Aiunt

Aiunt enim ad eum milites: Domine pater, quò ibimus? quid faciemus? Quibus ait: Baptizamini in nomine Ieſu, & viuetis. Qui ſtatim renunciantes idolis baptizati ſunt, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Nos autem, fratres dilectiſſimi, qui veritatem iterum, Deo auctore, recognouimus, qui tot virtutum inſignia præ oculis poſita ad exemplum imitationis habemus, ſtudeamus ad illam beatitudinem omni deſiderio tendere, in qua iam nouimus triumphatores mundi de laborum ſuorum remuneratione 9 gaudere. Eorum veſtigia teneamus in via, quorum ſocietatem habere deſideramus in patria. Profectò illic erimus quod ſunt, ſi hîc fuerimus quod fuerunt. Nam ſi 10 cõpatimur, & conregnabimus, ſi commorimur, & conuiuemus. Et ſi complantati facti ſumus ſimilitudini mortis Domini, ſimiles & reſurrectionis erimus. Non ergo diuidamur in itinere, ſi iungi volumus in peruentione, non abhorreat momentaneæ potionis amaritudinem bibere, qui ad perpetuæ incolumitatis dulcedinẽ deſiderat peruenire. Qui vult aſcribi inter milites Chriſti, nunc ſe accingat viriliter ad conflictum, vt poſt peractam militiam, beatæ quietis accipiat nuncupatum, nunc ſe præparet congredi, vt meritò valeat poſt victoriam coronari. Non enim coronabitur, niſi qui legitimè certauerit. Nam delicatus eſt miles, qui priùs vult vincere quàm incipiat dimicare, qui vult ſine pugna victoriã, aut ſine victoria anhelat ad palmam. Stultus autem agricola, qui vult turgentes vuarum botros de vite ſuauiter carpere, & negligit propaginum ſurculos laborioſè plantare; cupit implere frugibus horreum, non curãs excolere inhorreſcentem vepribus agrum. Sic, fratres mei dilectiſſimi, anguſtam nobis expedit, & aſperi laboris viã cum ſanctis in hoc ſeculo carpere, ſi poſtmodum volumus ad eorum gaudij latitudinem peruenire. Qui enim dicit ſe in Chriſto manere, debet 11 ſicut ille ambulauit & ipſe ambulare. Proculdubio autem à veſtigijs Chriſti exorbitat, qui anguſtam fugiẽs, latitudinis viam calcat, per multas enim tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Ecce beatus Apollinaris cuius hodie nobis feſtiua 12 dies illuxit, non terrenos honores voluit, nõ fallaces diuitias congregauit, non mundi gloriam petijt, non tranſitoriæ poſſeſſionis prædia dilatauit, propinquos ſpreuit, patriam dereliquit, ſemetipſum quoq; funditus abnegauit. Ad extremum quoq; per ferrum, per gladios, per tela, per ignes, per nouas & innumeras mortes regna ſiderea penetrauit. Sic in ſãctis luce clarius manifeſtatur quod per Veritatem in Euangelio dicitur: Quia regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.

9 Vides & hîc ſanctos in æterna beatitudine iam de ſua remuneratione gaudere?

10 Audis, hæretice, qui nullas vis pati tribulationes in hoc mundo, nec Chriſti, aut ſanctorum veſtigia imitando per anguſtã ingredi viam?

11 Ecce quomodo non ſufficit credere, niſi & ambules, id eſt viuas, ſicut Chriſtus ambulauit.

12 Feſtiua dies ſancti Apollinaris.

Neq; tamen hoc dicimus, vt illi ſolummodo cœleſtibus digni præmijs habeãtur, qui perſecutorum gladijs feriuntur; ſæpè enim multi perfectæ, & laudabilis vitæ viri, toto mentis deſiderio ad martyrij voluerunt culmen attingere, ſed quia diuina prouidentia aliter ſenſit, in ſuo gradu coacti ſunt remanere, qui etiam ſi nequaquam fuerint per martyrium conſummati, à martyrij tamen gloria minimè ſunt alieni. Nam & ſancti apoſtoli beati Apollinaris, Adheritus videlicet, & Calocerus, Marianus, & Eleuchadius, licet nequaquã carnificum gladio ſint percuſſi, à martyrij tamen deſiderio nullatenus creduntur fuiſſe extranei; ſed omnipotens Deus qui eos ante ſecula clementer elegit, in quo voluit ordine profunda conſilij ſui diſpenſatione conſtituit, quæ quamuis ſit nobis occulta, nullo modo tamen credi debet iniuſta, quamuis ſit incomprehenſibilis, nullo modo tamen cenſenda reprehenſibilis. Architectus cùm parietem domus ædificat, alios lapides in imis æqualiter conſtruit, alios in ſummis artificioſa ſublimitate componit. Sed dum illi ſuperiùs eminent, iſti inferiùs iacent, concordi diuerſitate vnum ſimul complent. Sic peritus artifex cùm aurea, vel argentea vaſa componit, alijs diuerſas ſculpturas, & imagines imprimit, alia verò ſolũmodo polita ex ſtudio derelinquit; vt dum in his, hoc eſt ſimplicibus, naturalis color clariùs

rutilat, in illis verò anaglyphi ſculptoris ingenium ars ſtudioſa commendat, ſpectantium oculos pulchra ad ſe rerum varietas trahat. Indumentorum quoq; regalium alia videntur conchylij, vel muricis ſanguineo rubore perfuſa, alia verò niuei coloris nitore candentia. Sed dum ex propria qualitate inter ſe admodùm differunt, vnam tamen dignitatem de eo, quòd communiter contegunt, corpore Regis trahunt. Sic nimirum omnipotens Deus, dum electos ſuos ad vnius felicitatis gradum prouehit, Eccleſiæ ſuæ corpus per varia membrorum lineamenta diſtinguit. Hinc eſt enim, quod per Apoſtolum dicitur: Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij in ædificationem corporis Chriſti. Sed licet varia ſit diuerſitas tranſeuntium, vna tamen eſt via, per quam tranſitur, illa nimirum, quam Veritas ſe ſequentibus ſternebat, cùm diceret: Anguſta eſt via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui ingrediantur per eam. Hanc viam ipſe Dominus tenuit, per hanc quicunq; eum ſequi voluerit, incedere iuſſit. Hanc viam ſancti martyres omni ſtudio tenuerunt, antequam ad martyrium pertingere meruiſſent. Anguſtam quippe viam perfectè tenere eſt, voluntates proprias in omnibus frangere, & maioris imperio humiliter obedire. Quiſquis autem per proprij arbitrij latitudinem defluit, pedem mentis ab anguſtæ viæ ſemita declinauit. Sed tantò per hanc ſuum iter plenius dirigit, quantò ſe arctius in ligno clauis obedientiæ crucifigit.

Sed quādo ad ædificationem noſtram, dilectiſſimi, huius tam præcipuæ virtutis exemplum ponere volumus, quia de nullo citius occurrit, hunc, de quo agitur, beatum Apollinarem ad medium deducamus. Vt enim iam audiſtis, in in ipſo geſtorum illius narratur exordio, quia beatus Petrus Apoſtolus ait Apollinari diſcipulo ſuo: Quid ſedes nobiſcum? Ecce eruditus es de omnibus quæ fecit Ieſus. Surge, accipe Spiritum ſanctum, ſimul'q; Pontificatum, & perge ad vrbem, quæ vocatur Rauenna; multitudo enim populi illic moratur; prædica eis de nomine Ieſu, & ne formidaueris. Et paulopoſt ſubiungitur: Et oſculans eum, emiſit à ſe. Perpendite, fratres mei, quàm libera in magiſtro præcipiendi auctoritas, quàm deuota in diſcipulo obediendi humilitas, quàm promptus ille fuit ad imponendum imperij iugum, quàm iſte paratus extitit ad ſubmittendum obedientiæ collum. Ille iuſſionis ſuæ ſeueritatem blandiendo non temperat, iſte tanti laboris ſubire ſarcinam non recuſat. Solent mundana eloquentia eruditi, locutionem ſuam rhetorici coloris ſuauitate componere, & quæq; difficilia, cùm volunt, blandis & exquiſitis verbis leuia demonſtrare, vt ſi quando graue aliquid imperant, auditorem ad ſua vota conuertant. Beatus verò Apoſtolus non blanda verba compoſuit, non rei euentū proſperū repromiſit, ſed rē difficilē ſimpliciter imperauit. Inter hæc illud etiā ad mentē redit, quod Dominus Abrahæ, diſſimile quidem, ſed non diſſimiliter iuſſit. Tolle, inquit, filium tuum, quem diligis Iſaac, & offer illum mihi in holocauſtum. Sufficeret nanq; Domino dicere, Tolle filium tuum, ſed adiungit, Quem diligis Iſaac, vt reducta patri ad aures dilectione filij, probaretur in animo quātus viueret amor Dei, quatenus audita dilectio filij paternum pectus accenderet, ſed rurſus exuperante diuini amoris flamma, ſemetipſum obedientiæ gladio mactans, in ara cordis veriùs immolaret. Hoc etiam modo beatus Apoſtolus, cùm diſcipulo ſuo diceret, Perge Rauennam, ac ſi terrorem ſibi vellet incutere, protinus addidit, Multitudo enim populi illic moratur.

Poterat autem beatus Apollinaris magiſtro ſuo verbis huiuſmodi reſpōdere: Multitudinem populi dicis, & vnum contra multitudinem dirigis? Multa eſſe hoſtium agmina ipſe non negas, & vnum inermem hominem cōtra eos mittere

non formidas? Quomodo pugnabit nuda lingua vnius hominis aduerſus armatas manus aduerſariæ multitudinis? Quid poterit imbellis peregrini perſona aduerſus tot frementium ciuium agmina? Non benè coæquatur pugna, vbi ex vna lingua iaciuntur verba, & ex innumeris manibus incutiuntur verbera; vbi hinc emittuntur ſermones, inde euolant vectes. Saltem vnum mihi ſocium dares, ſolatium tam irremeabilis peregrinationis, vel etiam ipſius prædicationis adiutorem impenderes. Nam & ipſe magiſter tuus Dominus Ieſus Chriſtus, cùm vos ad prædicandum mitteret, ſemper, prout opus erat, vobis ſolatiũ adhibebat. Euangeliſta quoq; qui illum ſeptuagintaduos deſtinaſſe ad prædicandum narrat, non vnum, ſed binos ante faciem ſuam miſiſſe pronunciat.

Hæc & multa huiuſmodi excuſationis verba beatus martyr potuiſſet obtendere, ſi indomita ceruice mentis, iugum voluiſſet obedientiæ detrectare. Veruntamen non reſtitit, non contradixit, ſed mox vt iubentis accepit imperium, omnino credidit neceſſarium, quod ſibi per os magiſtri ab ipſo Domino cognouit iniunctum. Et vt per omnia in virtute obedientiæ beatus Apollinaris Abrahæ ſimilis videatur, ſicut illi Deus præcepit dicens: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtrauero tibi: qui nihil hæſitans paruit; ſic & iſte mox vt verba Apoſtolicæ iuſſionis accepit, protinus ad obediendũ ſpe certa animum roborauit. Et quod docturus erat verbo, operis præmonſtrauit exemplo. Hoc deniq; ſtuduit humiliter exhibere ſubiectus, quod iuſtè accepturus erat & ipſe prælatus. Et, ſicut de Domino legitur, priùs cœpit facere, & poſtea docere, vt in ſemetipſo expertus diſceret, qualiter accepta poteſtatis auctoritate, alijs imperaret.

Sed quàm pulcher diuinæ diſpenſationis ordo cognoſcitur, ſi huius rei dignitas pro ſui merito ſtudioſè penſetur. Nam qui ab Adam primum inobedientiæ vitium malè inſtructi didicimus, primam obedientiæ virtutem ab hoc beatiſſimo martyre edocti ſumus. Et ſicut ille inter cætera vitiorum germina primam inobedientiam, non loquendo, ſed præuaricando, carnalem ſobolem docuit; ita iſte inter alia documenta virtutum, in primis obedientiam, non loquendo, ſed faciendo, filios ſpirituales inſtruxit. Qui ergo inobediendo à ſupernæ patriæ ſublimitate cecidimus, ad hanc verſis veſtigijs per obedientiam de exilij noſtri deiectione redimus. Hinc eſt enim, quod per Veritatem dicitur: Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non eijciam foras. Qui enim ad primùm Adam veniunt, ab intimis exire per inobedientiam diſcunt. Secundus verò Adam factus obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis, in eo, quòd ad ſe venientibus exemplum obedientiæ tribuit, eos à paradiſi gaudijs nõ expellit.

Ad hæc gaudia, dilectiſſimi, redire feſtinemus, non paſſibus pedum, ſed bonorum 13 profectibus operum. Nondum ſeculum fortaſſe reliquimus, nondum abrenunciatorum more vnum præ cunctis, cui obedire debeamus, elegimus, hâc tamen virtutem, per quam præcipuè ad cœlum reditur, obedientiam dico, habere cum Dei adiutorio poſſumus. Neq; enim de renunciatoribus Saul fuerat, qui ab irato contra eum Samuele audiebat: Nunquid vult Dominus holocauſta, & victimas, & non potiùs vt obediatur voci Domini? Melior eſt enim obediẽtia, q̃ victimæ. Quiſquis ergo perfectè vis hanc habere virtutem, eſto obediens Deo, nec tamẽ ſis inobediens proximo. Vis audire qualiter obedias Deo? Caue quod prohibet, neq; enim vnũ ſine altero valet eſſe perfectũ. Vis etiã audire qualiter obedias proximo? Cùm te frater tuus videt in aliquod vitiũ delabentẽ, & corripit te in bono opere tepidum, & ad feruorem te verbis charitatiuæ exhortationis accendit, ſi non reſiſtis, ſi non contradicis, ſed humiliter audis, & te ad id, quod vocaris, accingis, mox reditum tuum ad patriam, vnde inobediẽs

13 Si per bonorum profectus operum ad paradiſi gaudia redimus, pfectò ſola fides nõ ſufficit ad ſalutẽ, vt dicũt hæretici.

deiectus fueras, per virtutem obedientiæ reformabis. Hoc itaq; modo etiam ſi non valeas pro Deo mortem ſubire, vales tamen vitam Deo amabilem ducere. Magnum quippe eſt mori pro Chriſto, ſed non eſt inferius viuere Chriſto. Vtrunq; enim in ſtatera Paulus æqua lance pendebat, cùm diceret: Siue enim viuimus, Domino viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus. Dicis mihi: Nõ poſſum inuenire martyrium: Exhibe te martyrio dignum, & martyrij conſequeris proculdubio præmium. Non potes ſanguinem fundere, potes temetipſum pœnitentiæ telo percutere, & in cordis contritione mactare. Præparetur ad feriendum iugulus, non deerit remunerator, etiam ſi defuerit gladius. Deeſt carnifex, qui ceruicem exteriùs feriat, adeſt Iudex, qui bonæ voluntati præmium reddat. Gloria enim in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Amen.

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

SERMO IN FESTIVITATE SANCTI FIDELIS MARTYRIS.

NOSTIS, fratres chariſſimi, quia idcirco ad audiendas mar
tyrum Chriſti victorias frequenter ex inſtitutione 1 Eccle-
ſiaſtica conuenimus, vt dum eorum geſtis inſtruimur, ad amo
rem cœleſtis patriæ, quam viriliter decertantes adepti ſunt,
feruentiùs accendamur, dumq; illos audimus edicta regum,
minas principum, tribunalia iudicum contemnentes, tot ſup-
pliciorum genera percurriſſe, pudeat ingenuos fidelium ani
mos ſaltem carnis ſuæ vitijs non obſiſtere. Pudendum nanq; eſt, ſic bellatorũ
Chriſti ſpectare victorias, vt dum alios triumphalibus titulis inſignitos, ſpolia
ex hoſtibus reportare conſpicimus, ipſi in pace domeſtica ſurrepẽtibus vitijs, ve
lut inſidiantibus aduerſarijs eneruiter ſuccumbamus. Porrò autem beati marty
res, & antequam in certamine ſanguinem funderent, diuerſis floruere virtutibus.
Nobis autem quia pro defenſione fidei mori non poſſumus, conſummata victo-
ria eſt, ſi in ſanctarum conuerſatione virtutum viuere ſtudeamus, vt inde nos pro
tinus transferamur ad regnum, vnde illi meruere martyrium. Ex vitæ quippe
meritis, quibus illi obtinere meruerunt ſui certaminis palmam, inde nos abſq; vl
lo perſecutionis obſtaculo perducimur ad coronam. Aliud igitur in ſanctis mar
tyribus ſolummodo venerari, & admirari debemus, aliud etiam imitari. Admire
mur ſcilicet conſtanter & ingenuè morientes; imitemur honeſta 2 morum con
uerſatione viuentes. Veneremur in illis, quòd corpus ſuum pro fide diuerſis tra
didere ſupplicijs; imitemur autem quòd carnem ſuam ante crucifixerunt cum vi
tijs & concupiſcentijs. Admiremur illos viriliter morientes, ne vitam ipſi nega
rent; ſed & imitemur per charitatis zelum ſanctis exhortationibus inſiſtentes, vt
ad vitam & alios traherent. Et vt breuiori quod geſtio ſermone cõcludam, tũc
memoria martyrum dignè recolitur, ſi dum mors eorũ ingerit audita miraculũ,
præcedens etiam vita ducitur in exemplum.

1 Vides fuiſſe antiquũ Eccleſiæ morẽ in feſtiuitatibus ſanctorũ victorias, & geſta eorum populis conuenientibus enarrare?

2 Ecce quomodo vbiq; requiritur vita innocẽs, & carnis mortificatio, nec ſatis eſt ſola fides.

Ecce beatus martyr iſte Fidelis, cuius hodie 3 feſtiuitatem colimus, ſicut ge
ſtorum eius teſtatur hiſtoria, & antequam martyrij præberetur occaſio, vitam
martyrio dignam duxiſſe cognoſcitur. Nam cùm claris natalium titulis fulce
retur, & arridente rerum copia, viam mundi poſſet nõ ingloriosus arripere, ſpre-
to magnatum quorũlibet patrocinio, religioſo deuotus Epiſcopo maluit adhæ-
rere, vt ſe patenter oſtenderet, non ad gratiam, vel diuitias anhelare potentis, ſed

3 Nota feſtum ſancti Fidelis martyris.

benedictionem potiùs eligere ſacerdotis. Cùm quo videlicet non ad litigiorũ forenſium iurgia, non ad præſtigioſa figmenta ſcenarum, non ad theatralia dignum duxit commeare ſpectacula, ſed martyrum potiùs carceres viſitabat. Et quia deuotus martyribus fuit, quandoq; martyr fieri & ipſe promeruit. Sic & olim diſpenſator ille domus regiæ Abdias, quia Prophetas centum in ſpecubus abſconditos pauit, prophetalem gratiam & ipſe poſtmodum dignè remuneratus accepit. Et qui tunc pane ſimul & aqua Prophetarum aluit piæ ſedulitatis miniſterio turbam, nunc Prophetiæ ſuæ oraculis, cœleſtibus videlicet alimentis, vniuerſam recreat, & paſcit Eccleſiam. Sic Ioſue, qui Moyſi, ductori videlicet Iſraëliticæ plebis, obſequium famulatus impendit, eidem poſtmodum plebi & laudabiliter præfuit, & de eius aduerſarijs cum magna gloria triũphauit. Quid Eliſæum referam, qui dum ab Elia ſeparari nec ad momentum patitur, eius ſubinde ſpiritum duplicẽ prometetur? ac ſi iã tunc Dñus illud Euangelicũ intonaret: Qui recipit Prophetã in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet.

Enimuerò nec ſolùm ſanctis martyribus beatus iſte Fidelis officium piæ humilitatis exhibuit, ſed diligentiam ſuam ad lucrandos etiam eos, qui idolorum erroribus tenebantur, extendit. Et ſicut ipſe proprijs videtur verbis aſſerere, dũ in ſeculari militia verſaretur, magis diuino parebat imperio, quàm terreno, adeò vt nonnullos à profana idololatriæ cultura compeſceret, & ad veri Dei notitiam ſalutiferis admonitionibus aduocatet. Militaribus quidẽ caſtris intererat, ſed cœleſtis militiæ ſigna gerebat. Armatus deniq; videbatut cum eis admiſceri, ſed pro cœleſtibus caſtris ſociare ſibi alienæ profeſſionis milites ſatagebat. Quibus nimirum non terrenæ militiæ balteum, non temporalis ſtipendij donatiuum, ſed cœleſtis promittebat curiæ municipium. Sub terrenæ itaq; militiæ chlamyde pro caſtris cœleſtibus ſtabat, vt de terrena transfugas faceret, quibus numerum militiæ cœleſtis augeret. Huic & Dauid ſimile quid feciſſe cognouimus, videlicet cùm apud Achis Regem Geth, Saulem fugiens moraretur. Opulenta nimirum ſpolia de his ſæpè regionibus auferebat, quibus prædictus Achis imperabat, &, vt ait ſcriptura, percutiebat Dauid omnẽ terrã, nec relinquebat viuentem virũ, & mulierẽ, tollens'q; oues, & boues, & aſinos, & camelos, & veſtes, reuertebatur, & veniebat ad Achis. Quẽ cũ interrogaret Achis: In quẽ irruiſti hodie? fatebatur ille ſe cõtra meridiẽ Iuda, vel cõtra regiones Iſraël inſiluiſſe. Dauid itaq; alienigenæ Regi, quaſi deuotũ ſe, vrgẽte neceſſitate, ꝓbuerat, ſed ex profano eius populo ſtrages plurimas coaceruabat. Beatus verò Fidelis ſub ſecularis profeſſione militiæ in procinctu caſtrorũ cœleſtiũ deſudabat. Propterea mũdo, immò principi huius mũdi, cui ſpecietenus ſeruire videbatᷓ, illudẽs ſequaces quoſq; ſatagebat abſtrahere, potioris'q; militiæ cœtibus aggregare.

Ille igitur ferro nationes barbaricas obtruncabat; iſte gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, à carnali vita, inconditi, & re uera barbarici ritus homines occidebat. Ille diuerſorum turmas animalium rapuit; hic brutos homines ad Eccleſiæ ſtabulum, & capeſſendæ rationis pabulum vitale perduxit. Ille quæſitus Dei ſe populo teſtabatur extitiſſe contrariũ; iſte etiã parti fidelium quodam modo ſe perhibebat obſiſtere, dum ſecularem militiam videretur cũ infidelibus baiulare. Militari nanq; ꝓfeſſione hoc ſuperficietenus videbatur aſſerere, quòd hæreditatem Dei, cuius ipſe pars erat, diuerſis moribus, velut quibuſdã gladijs, oppugnaret Sic nimirum, ſic ſancta fraus libetiùs procedebat, dũ is, cui ſuſpicio deerat, acquirendis Chriſto fidelibus inſiſtebat. Videmus igitur quia beatus Fidelis ad coronam martyrij, merito præcedente, peruenit, qui lucrãdis animabus veræ charitatis ſtudio & ante martyrium deſudauit. Quaſi enim bona terra, & ferax prius germen ſancti operis protulit, & ſic deinde triumphalis gloriæ lumẽ excepit. Hinc eſt enim quòd in huius mũdi primordio priùs terra germinare, ꝓci

pitur, ſequenti verò die luminaria in cœlo fiunt, quia neceſſe eſt nos primò ſanctæ operationis vitales fructus afferre, vt ad contēplandū ſummæ veritatis lumē valeamus poſtmodū peruenire. Domū nempe ſuā ſupra firmā petrā in pace, fundauerat, vnde poſtmodū, dū venti minarū furerent, dū diuerſi ſuppliciorum fluctus impingerent, immobilis permanebat. Et tanquā radix egregij trunci robur priùs in occulto conceperat, quo fulta poſtmodū adulta ſeges auris impellētibus non cadebat. In pace igitur ex bona operatione promeruit, quòd inuictus in perſecutionis ſtadio, & imperterritus ſtetit. Elaborauit in otio, quod ſuperauit in bello. Intra pacis mœnia conquiſiuit, quod in campo victor obtinuit.

Inter cætera autem meritorum eius inſignia, illud quantæ gloriæ eſt, quòd beatus hic, & inuictiſſimus martyr, mox vt capite cæſus eſt, turbida tempeſtas, & nimia coruſcatio dicitur emerſiſſe? Hoc ſiquidē diuinæ fuit æquitatis iudicium, vt per hoc manifeſtè clareſceret, quòd qui martyrē ſuū recipiebat in gloria, tortores eius dignè terrebat in ira. Ad terrificandū itaq; reprobos coruſcatio, & tempeſtas erupit, quibus videlicet comitantibus, ſupernus arbiter ad iudicium venit, ſicut per Prophetam dicitur: Ignis ante eum præibit, & in circuitu eius tempeſtas valida. Porrò in morte Domini elementa turbata leguntur. Quantæ ergo dignitatis eſt, quàm nobilis inſigne triumphi, ad inſtar Dominicæ mortis, etiam in decollatione martyris elementa fuiſſe commota? vt ex aliqua parte mortis eius moriendo teneret formam, cuius imitatus eſt viuendo doctrinam.

Illud etiam paruipendendū non eſt, quòd quidā ex perſecutoribus à dæmonio perhibetur arreptus, qui nimirū cū ꝓmitteret ſepulturæ ſe corpus martyris cū magna reuerentia traditurū, ſi eo interueniente mereretur à dæmonio liberari, mox vt cadauer matyris tetigit, dæmon abſceſſit. In hoc etiā eiuſdē noſtri Redēptoris ꝑſpicuè videtur exēplū. Siquidē ex ipſis perſecutoribus Dñi quicunq; myſterium ſacroſancti corporis eius attingere meruerunt, à dæmonū iugo ſoluti ſunt, ipſo redempti ſanguine, quē fuderant. Atq; vt in martyrio ſuo ſeruus paſſionē Dñi ſui videatur quaſi pediſſequus imitari, dū carnifices principi ſuo miracula, quæ per beatū martyrē oſtenſa fuerāt, nūciarent, cuiquā talia referre omnino prohibuit, perpetuóq; celari territus imperauit. Quis enim hoc audiens, non illud protinus ad memoriā reuocet, quod principes ſacerdotū dixere cuſtodibus. Dicite, inquiūt, quia diſcipuli eius nocte venerūt, & furati ſunt eum vobis dormiētib⁹; et ſi auditū fuerit à Præſide, nos ſuadebimus ei, & ſecuros uos faciemus. Iſti quidē docuere cuſtodes, vt mendaciū fingerent, ille præcepit officialibus, vt veritatē ſilentio ſupprimerent. Vtriq; nimirū veritatis ſunt inimici, dū aut cōmēta fallaciæ nequiter fabricant, aut veritatem ſilentio malignitatis occultant.

Nos aūt, fratres chariſſimi, qui tā egregij cōſtantiā prœliatoris audiuimus, qui tantæ virtutis inſignia tanquā poſita ſub oculis intuemur, & ipſi virtutes habere cū Dei omnipotētis auxilio ſtudeamus. Pudeat ſub ignauiæ torpore lāgueſcere, qui alios cernimus cū tanta ad cœlū gloria peruenire. Incaleſcat mēs noſtra ad agonē certaminis; & ſi non timet audacter cū hoſte cōfligere, non dubitet duce Chriſto facilē ſibi victoriā prouenire. Et quidē nobis minor eſt labor, cū tamen cōmune ſit p̄miū. Quis enim neſciat incōparabiliter eſſe difficilius, gladio ceruicē ſubdere, quā gulæ illecebras cohibere? Quis nō malit æſtuare laboribus, vel nuditate frigeſcere, quā flāmarū furentiū incendia ſuſtinere? Quis non leuius cēſeat eſurire & ſitire, q̃ radi vngulis, vel beſtiarū morſibus tradi? An nō periculoſius eſt, in publico minantia fremētiū regū mādata cōtēnere, q̃ latenter in mēte prauis cogitationib⁹ cōtraire? ſemetipsū morti vltroneū tradere, q̃ volūtates ꝓprias, & carnis deſideria refrenare? Cū itaq; minus laborādo ad eādē beatitudinē tēdimus, cur decertātes in ſtadio imitari negligimus, vt cōſortes in patria victorib⁹ exiſtere valeamus? Pugnemus igitˢ, fratres mei, & infeſtātiū nos vitiorū illecebras amputare curem⁹; nō. n. poſſum⁹ hìc gaudere de ſeculo, & illic regnare cū xp̄o. Et q̄dē beatos martyres cū mēbris diaboli dimicaſſe cognoſcimus, nos āt cū ipſo

Iniquorum capite infœderabilis pugnæ luctamen habemus. Illi vicerunt eum per membra ſua immaniter ſæuientem; nos ſuperare præcipimur ſub inſidiarũ fraudibus latitantem. Vtroq; modo triumphum de illo glorioſus martyr Fidelis obtinuit, qui in pace per ædificationis gratiam ab eius vinculo nonnullos eripuit, & oblato perſecutionis articulo, blandientem nihilominus, & terrẽtem per ſua membra contempſit. Victus vicit, deiectus aſcendit, proprium caput gladio ſubdidit, & ceruicem diaboli perpetuæ victoriæ pede calcauit. Nunc proculdubio inter ignitos ſupernæ Hieruſalem lapides emicat, & cum purpuratis commilitonibus Imperatori ſuo cœleſtis armoniæ carmen alternat. Felici nimirũ commercio fragilem corporis exuit tunicam, & candidã immortalitatis adeptus eſt ſtolam. Caput decollatus amiſit, & pretioſo nunc lapide coronatus incedit. Ille quippe eum remunerat in æterna 4 iã quiete victorem, qui & inter bella dudum protexerat decertantem, Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

4 Vides ſanctorum animas ſtatim poſt ſeparationẽ à corporibus recipi in cœlo?

EIVSDEM HYMNVS DE SANCTO FIDELE MARTYRE.

MAGNA Fidelis merita ſancta promit Eccleſia;
Qui morte mortem perdidit, & victor aſtra petijt.
Abiecto carnis onere, ſtola veſtitur gloriæ;
Terſis ab ore lachrymis, veris potitur gaudijs,
Vt enſe cæſus moritur, ſæua tempeſtas oritur,
Sic intentatur impijs vindicta iuſti Iudicis.
Quendam ex carnificibus malus inuadit ſpiritus;
Mox ſanctæ glæbæ iungitur, dira peſtis excluditur.
Cordis, oriſque precibus te, martyr alme, petimus,
Nos tua per veſtigia ad vitæ ducas præmia.
Sit Patri laus ingenito, ſit decus Vnigenito,
Sit vtriuſque parili maieſtas ſumma Flamini.
Amen.

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

SERMO IN FESTIVITATE SANCTI BARBATIANI PRESBYTERI, ET CONFESSORIS.

NVPER celebrauimus, fratres chariſſimi, ineffabilem Redemptoris noſtri natiuitatem, nūc geminato ſolennitatis gaudio venerabilē colimus beatiſſimi ſacerdotis eius aſſumptionem. In illa feſtiuitate Saluator noſter obumbrata maieſtatis ſuæ ſpecie deſcendit in mundum; in iſta glorioſiſſimus eius famulus depoſito corruptibili carnis pondere, liber aſcēdit. In illa vnigenitus Dei filius humanitatis noſtræ formā pro noſtra ſalute ſuſcepit; in iſta beatus cōfeſſor eius ad Angelicæ beatitudinis r ſpeciem felici morte peruenit. In illa ſolennitate Redemptor noſter trophæo carnis indutus, ad debellandas aëreas poteſtates in mūdum præliaturus acceſſit; in iſta verò egregius miles eius, triumphato mundi principe, cœleſte palatium victor intrauit. Idcirco quippe Deus deſcendit, vt homo aſcenderet, idcirco humiliari dignatus eſt, vt hominem exaltaret. In natiuitate Dominica vox Angelica ſonuit: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: hodie dilecto ſuo ſuauiſſima vox diuinæ maieſtatis intonuit dicens: Euge ſerue bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. In illa feſtiuitate Dominus exiuit de vtero Virginis; in iſta venerabilis eius famulus egreſſus eſt de ergaſtulo carnis. In illa Chriſtus pro nobis eſt pannis inuolutus; in iſta Sacerdos eius ſtola eſt ab eo immortalitatis indutus. Ille anguſtias intrare non dedignatus eſt vteri, vt iſtius animam latitudo ſuſciperet cœli. Ille deſcendit carne velatus, vt iſte aſcenderet ſtola gloriæ decoratus.

r Ecce quomodo poſt mortē ſancti ad Angelicæ beatitudinis intuitū perueniunt, hoc eſt cœli excelſa conſcendūt, & Deum vident.

Conſiderate, fratres chariſſimi, quantus vir iſte fuerit, quàm pleniter illum vt reuera ſacratiſſimum templum Spiritus ſanctus inhabitauerit, qui & in pace ſanctæ Eccleſiæ tot miraculis coruſcauit. In initio quippe naſcentis Eccleſiæ illi etiam miracula faciebant, qui facere ſigna digni non fuerant. Et ſine virtutibus morum pleriq; excellebant virtute ſignorum. Vnde & ipſa Veritas dicit: Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, non'ne in nomine tuo prophetauimus? non'ne in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia non noui vos, diſcedite à me operarij iniquitatis. Vt enim ad fidem creſceret ſancta Eccleſia, miraculis fuerat nutrienda, quia & nos cùm arbuſta plantamus, tam diu eis aquam fundimus, quouſq; ea in terra conualuiſſe videmus; at ſi ſemel radicē fixerint, irrigatio ceſſabit. Hinc eſt enim, quod Paulus dicit: Linguæ in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus. Sed cùm iſta dicimus, quæſtionē

nobis oriri non ſine aliqua difficultate videmus. Si enim ſigna propter infideles data eſſe dicuntur, quid eſt hoc, quòd Redemptor noſter in patria ſua propter incredulitatem hominum vix paucas virtutes facere potuiſſe perhibetur? Sicut enim Marcus Euangeliſta teſtatur, multi audientes admirabantur in doctrina eius dicentes: Vnde huic hæc omnia? Et quæ eſt ſapientia, quæ data eſt illi, & virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur? Non'ne hic eſt fabri filius, & Mariæ, frater Iacobi & Ioſeph, & Iudæ & Simonis? Non'ne & ſorores eius nobiſcum ſunt? Et ſcandalizabantur in illo. Vnde & paulopoſt ſubditur: Et non poterat ibi virtutem vllam facere, niſi quòd paucos infirmos impoſitis manibus curauit; & mirabatur propter incredulitatem illorum. Quid eſt hoc, fratres, quia Paulus affirmat ſigna pro infidelibus data, Marcus aſſerit propter infideles fuiſſe ſubtracta? Nunquid contrarias inter ſe inuicem proferre ſententias poſſunt, qui vno Spiritu pleni ſunt?

Sed notandum eſt, quia in ipſis infidelibus erat quidam diuerſitatis modus. Par quidem error fuerat omnium non credentium, ſed magna diuerſitas cauſarum. Aliud eſt enim ſi ſola quis fallatur ignorantia, aliud ſi adiuncta quoque erret malitia. Ignorantia Paulus peccauerat, qui dicebat: Qui prius fui blaſphemus, & perſecutor & iniurioſus; ſed ideo miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci. Per malitiam Iudas peccauit, & ideo nequaquam venire ad indulgentiam meruit. Pro illis ergo infidelibus ſigna data ſunt, quos diuina prouidentia miſericorditer ſaluare decreuerat. Propter illos verò ſubtracta ſunt; quos ab electorum ſorte, exigentibus eorũ peccatis, deſcriptæ ſeueritatis iuſtitia repellebat. Chriſtianis autem temporibus cùm iam penè totus vbique terrarum orbis in catholica fide perſiſteret, & pacem ſanctæ Eccleſiæ vix vlla perſecutorum ſæuitia perturbaret, cur beatiſſimus confeſſor Chriſti Barbatianus tot miraculorum virtutibus claruit, niſi quia ante diuinæ maieſtatis oculos 2 excellẽtium meritorum virtutibus fulſit? Erat ſicut de Ioanne dicitur, lucerna ardens & lucens, ardens videlicet per amorem cordis, lucens ſplendore eximiæ conuerſationis. Sed tunc lucerna ſub modio occultari voluerat, cùm, ſicut in ſanctiſſimæ vitæ eius narratur hiſtoria, latens in cellula manifeſtari principibus deuitabat. Nolebat mundi regibus innoteſcere, vt Regi regum potuiſſet familiaritis adhærere; recuſabat ab hominibus temporalem ſuſcipere gloriam, vt cum Angelis acquirere 3 mereretur æternam. Ad hoc quippe pertinet, quòd his, quibus ſanitatem reſtituere cupiebat, ſæpè ſuperponendum quid, velut emplaſtrum, ſæpè comedendum aliquid, quaſi medicinale antidotum, conficiebat, eo nimirũ, vt opinor, ſtudio, vt dum herbarum virtus, vel medicinalium ſpecierum potentia creditur, nequaquam ſanctitatis ſuæ viribus reſtituta ſanitas aſcribatur; & dum ab eo medicina ſuſcipitur, magis medicus, quàm ſanctus eſſe videatur. Sed dic mihi, ò bone medice, dic venerabilis medice, vnde confectionem tam efficacis, tã ſubitæ virtutis noſtris finibus attuliſti, vt non triduo, non biduo, non vel vnius momenti ſpatio expectetur, ſed mox vt adhibita fuerit, ſtatim omnis langor, omne vulnus priſtinæ ſaluti reſtituatur? Epithema ſiquidem curare non poteſt, niſi tam diu tumori adiaceat ſuperpoſitum, donec vel vigorem ſuum per occultos meatus in corporis interiora transfundat, vel humorem peſtiferum virtutis ſuæ potentia ad exteriora traijciat. Antidotum verò, quod ore percipitur, neceſſe eſt vt eatenus moras faciat, quouſque per venas, & poros occulta viſcerum fundi tus penetret, & vel corrupta ſolidet, vel tumefacta noxijs humoribus purget. Tua verò venerabilis medicina non moras innectit, non quæ à medicis cuſtóditur, dietæ diſcretionẽ quærit, ſed mox vt ſummotenus tangitur, ſalus integerrima reparatur. Solue ergo, pater, ſolue, obſecro, ligaturã, & tã incõparabilis medicinæ nobis trade notitiã. Videamus & nos inæſtimabiles pigmentorũ tuorũ

2 Ideirco ſãcti miraculis clarent, quia meritorũ excellentia fulgent.

3 Nota, vt cũ Angelis gloriam acquirere mereretur æternam.

ſpecies, odoremus iucundiſſimas fragrantium aromatum ſuauitates. Eia fratres, audite, libellus ſacratiſſimæ eius vitæ coram cunctis aperiat quas oromatum ſpecies eius in ſe medicina contineat, ſaluberrima illa confectio quibus aromatibus conſtet. Dicit enim inter cætera, quia cuiuſdam Iuliani filium guttur grauabat miſerabiliter tumidum, qui cùm beato viro delatus fuiſſet, & cùm pater pro filio lachrymabiliter poſtularet, venerabilis vir quandam confectionem, de pane videlicet, & cera & oleo faciens, ſuper eius vulnera poſuit, & facto Crucis ſi-

4 gnaculo, ſtatim in ipſius horæ puncto omnem peſtem de eius gutture mirabiliter 4 effugauit. Audiſtis, fratres chariſſimi, quæ pigmentorum genera egregius noſter medicus habuit, qui mortale vulnus tanta velocitate ſanauit? Panē, ceram, & oleum, quæ ſuſtentandæ vitæ habebant vſum, in medicinalis curæ tranſtulit inſtrumentum. Et vnde vitam alebat ſuam, inde mortem repulit alienam. Speciebus videlicet vtens domeſticis, æſtimationem pretij minuit peregrinis. Aliquando ægrotanti citripeciam, aliquando caricam porrigebat; & huiuſmodi curationis genere illos ad perfectæ valetudinis robur, expulſa omni langoris moleſtia, reuocabat, ea niſi fallor intentione, vt quia vterq; hic fructus in Romanis finibus apud quoſdam rarior cernitur, medicinale aliquid fuiſſe crederetur, ſicq; dum reparata ſalus medicinæ tribuitur, in æſtimatione hominum ſanctitatis eius opinio minueretur.

Ecce quomodo in virtute Dei, & Crucis ſignaculo, ſancti ſanitates conferunt.

Quid ergo nos miſeri dicturi, quid facturi in diſtricto examine tremendi iudicis ſumus, qui & virtutes non habemus, & tamen de meritorum excellentia ante humanos oculos ſuperbimus? qui ſanctitatem habere ante interni arbitri oculos nullo deſiderio quærimus, & ſanctitatis nomen apud humana iudicia nobis fallaciter vſurpare gaudemus? Quot enim hodie cernimus, qui ſi de virtutibus admirabilis huius viri vel vltimā particulam attingere potuiſſent, ad cœlum ſe in ſuperbiæ cornibus exaltarent, qui quandoq; aliquid virtuoſum operantur, verū per hoc non cœlum, ſed terram petunt. Affectantes nimirum laudes hominū, in ſemetipſis diſſipant fructus laborum. Cùmq; ſe oſtendere alienis oculis appetunt, ante diuinæ maieſtatis intuitum damnant omne quod agunt. Sæpè etiam ſacræ legis eruditione & alios inſtruunt, omne quod ſentiunt teſtimonijs attingunt, nec tamen per hoc vitam audientium, ſed proprios fauores quærunt, quia nec proferre alia cupiunt, niſi quæ auditorum corda ad repetendas laudes excutiunt, non autem ad lachrymas tendunt. Mens quippe exterioribus occupata, igne diuini amoris non calet, & idcirco ad ſupernum deſiderium inflammare auditores ſuos nequeunt verba, quæ frigido corde proferuntur. Neq; enim res, quæ & in ſemetipſa non arſerit, aliud accendit. Vnde fit plerunq;, vt hypocritarum dicta & audientes non erudiant, & eoſdem ipſos, qui proferunt elatos laudibus deteriores reddant. Atteſtante etenim Paulo, ſcientia inflat, charitas ædificat. Cùm ergo charitas auditores ædificando non erigit, ſcientia proferentes inflando peruertit.

Plerunq; hypocritæ, fratres mei, ſe abſtinentia affligunt, omne robur corporis atterunt, & quaſi carnis vitam funditus in carne viuentes extinguunt, ſicq; per abſtinentiam morti appropiant, vt penè quotidie morientes viuant; ſed per hoc humanos oculos quærunt, admirationis gloriam expetunt, Veritate atteſtante, quæ ait: Exterminant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes. Nā ora palleſcunt, corpus debilitate quatitur, pectus interrumpētibus ſuſpirijs vrgetur, ſed inter hæc ab ore proximorum ſermo admirationis quæritur, nihil'q; pro tanto labore aliud, niſi æſtimatio humana cogitatur. Perpendite, dilectiſſimi fratres mei, quàm miſerabilis vecordiæ eſt, laborioſè agere, & ab ore hominum laudib' inhiare, forti opere præceptis cœleſtibus inſeruire, ſed terrenæ retributionis præmium quærere. Sicut enim beatus ait Gregorius, qui pro virtute, quā agit,

humanum

humanum fauorem deſiderat, rem magni meriti vili pretio venalem portat. Vnde cœli regnum mere i 5 potuit, inde famam tranſitorij fauoris quærit. Intus ergo, fratres mei, intus ſeruanda ſunt bona, quæ agimus, ſi ab interno iudice vicem recipere noſtri operis expectamus. Hinc eſt enim, quod in Euangelio Veritas dicit: Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua, vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito, & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. Hinc eſt quod de electorum Eccleſia per Pſalmiſtam dicitur: Omnis gloria eius filia Regũ ab intus. Filia quippe regum eſt ſancta Eccleſia, quæ in bono eſt opere ſpiritualium principum prædicatione generata, quæ dum ſe in virtutibus ſanctæ conuerſationis exercet, quia per hoc ſoli Deo placere ſtudet, non foris gloriam, ſed intus habet. Hinc Paulus ait; Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Gloriam ſuam Apoſtolus teſtimonium conſcientiæ memorat, quia fauores oris alieni non appetens, vitæ ſuæ gaudia extra ſemetipſum ponere ignorabat. Occulianda ſunt ergo, fratres chariſſimi, bona quæ agimus, ne hæc in huius vitæ itinere incautè portantes, latrocinantium ſpirituum incurſione perdamus. Ecce enim hic beatiſſimus vir Barbatianus, cuius hodie nobis feſtiuus natalis 6 illuxit, non humanæ laudis gloriam petijt, non fauores hominum affectauit, non de oſtenſis tot miraculis apparere ipſe mirabilis voluit, non de collatis tot in languidos beneficijs humanæ retributionis præmium expectauit; quin etiam medicinalis exercitij prætendebat ſpeciem, vt clariſſimum virtutis ſuæ poſſet obfuſcare nitorem. Et velut magnum cœli aſtrum nubem virtutibus ſuis curabat opponere, vt dum minus ad exteriora radios ſuæ lucis expanderet, quaſi vndiq; in ſemetipſo collectus, in conſpectu æterni Solis plenius eluceret.

5 Vides poſſe nos regnum cœli mereri? Sed hoc eſt partim ex diuina promiſſione, partim ex Spiritus ſancti gratia bonorum noſtrorum operum radice.

6 Feſtum ſancti Barbatiani.

Libet autem, dilectiſſimi, pulchrum diuinæ diſpenſationis ordinem ſtudiosè perpendere, videlicet qualiter omnipotens Deus ad illuminandam noctem vitæ præſentis ſtellas ſuas in cœli faciem mittere, & per eas totius mundi decernat caliginem illuſtrare, vt dum fulgentia aſtra radiare per cœli climata cernimus, inoffenſo pede operis iter noſtræ noctis ambulemus. Sicut enim matutinus lucifer ſolem præcedens ab orientali prius plaga conſurgit, deinde meridiani climatis ſuperiora conſcendit, ad extremum quoq; pronus in occiduum axem vergit, ſic nimirum, ſic beatiſſimus Confeſſor Chriſti Barbatianus, de Antiochenis finibus, vnde oriundus fuerat, exijt, & Romam pertranſiens, multa eam miraculorũ luce perfudit. Poſtremò Rauennam vſq; perueniens, Chriſtum, qui eſt ſol iuſtitiæ, plurimis hominum mentibus introduxit. Antiochiæ ſcilicet ſplendore ſui ortus emicuit, Romæ plurimos ſignorum igniculos ſparſit, vrbem verò Rauennam velut occaſu ſacratiſſimi ſui obitus illuſtrauit. Ita meritis ſanctiſſimi huius viri, velut noui ſplendore luciferi, in tribus ſuis præcipuis regionibus totus rutilat mundus, dum in alia mundi plaga eius cernitur ortus, in alia quodammodo videtur aſcenſus, in tertia celebratur occaſus. Et, ſicut de compatriota eius beatiſſimo Apollinare in alio ſermone iam diximus, quàm rectè huic luciferi nomen congruit, qui Romam ingreſſus, primum virtutis ſuæ miraculum de lumine fecit? Regina enim Galla Placidia, vt audiſtis, ſuppliciter eius flagitabat auxilium pro quadam ſua pediſſequa, quæ intolerabilibus cruciabatur doloribus oculorum; qui mox 7 pallio ſuo eius oculos tangi præcepit, & ſic ab ea protinus omnem peſtiferæ ægritudinis moleſtiam effugauit.

Quapropter cum dignitatem tuam, feliciſſima vrbs Rauenna, ſubtili meditatione conſidero, largiſſimis te miſericordiæ diuinæ beneficiis ditatã eſſe perpendo. Video enim quia ex ipſo originali fonte Chriſtianæ religionis, perpetuæ meruiſti poculũ haurire ſalutis. In Antiochia namq; ſicut in Actibus Apoſtolorũ legitur, primùm Chriſtiani Diſcipuli ſunt vocati. Ex ipſo igitur ſanctæ Eccleſiæ fundamento quadratos lapides ſuſcepiſti, ſuper quos velut firmiſſimas baſes

7 Ecce quomodo res etiam exteræ ſanctorum, gratiarum beneficia pſtant.

erecta, immobili es fidei & ſanctitatis ſoliditate fundata; inde enim habes Apollinarem Apoſtolicum martyrem, inde etiam Barbatianum egregium Confeſſorem, qui velut duæ excellentiſſimæ cedri paradiſi, ſic te ramis ſuæ protectionis obumbrant, vt ſi ſub eis humiliter manere volueris, omnem à te turbinem aduerſariæ tempeſtatis expellant. Et vt eis deeſſe nil valeat, quod ad cumulum tuæ felicitatis attineat, mox vt de Antiochenis finibus exeunt, Romæ, quæ abſque dubio caput 8 eſt, & principalis ſedes totius ſanctæ Eccleſiæ, commorantur, nimirum vt in ſchola Petri 9 primitus diſcant, quod te poſtmodum de doctrina veritatis erudiant; & de puriſſimo fonte abundanter bibant, quod in te ſalutaris doctrinæ magiſterio velut eructando transfundant. Tanquam enim iterum Paulus, iterum Apollo, quos ille in fide plantauit, iſte largiſſimo miraculorum, & prædicationis imbre rigauit. Sed quia neq; qui plantat, ex ipſo eſt aliquid, neq; qui rigat, nos etiam Apoſtolica ſequentes verba dicamus: Deus autẽ incrementum dedit.

Hos igitur tam præclaros cœleſtis curiæ ſenatores, fratres chariſſimi, perfecto cordis amore diligite, horum imitari exempla tota animi deuotione curate. Nã ſi vultis eſſe quod ſunt, neceſſe eſt etiam vos facere quod fecerunt. Per anguſtam ergo, & aſperam 10 laboris viam, dilectiſſimi, in hoc ſeculo cum ſanctis incedite, vt poſtmodum valeatis ad eorum gaudij latitudinem peruenire. Qui enim dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. Proculdubio autem à veſtigijs Chriſti exorbitat, qui anguſtam fugiens, latitudinis viã calcat. Iſte nanq; beatiſſimus vir, cuius hodierna ſolennia frequentare gaudemus, non terrenos honores voluit, non fallaces diuitias congregauit, non mundi gloriam petijt, non tranſitoriæ poſſeſſionis prædia dilatauit, propinquos ſpreuit, patriam dereliquit, ſemetipſum quoq; pro amore Chriſti funditus abnegauit. Nemo ergo dicat, quòd illi ſolummodo cœleſtibus digni præmijs habeãtur, qui perſecutorum gladijs pro Chriſti nomine feriuntur. Concluſit Deus omnem noſtræ tergiuerſationis aditum, obſtruxit omne excuſationis humanæ confugium. Ecce iam non valemus cum beato Apollinare pro Deo mortem ſubire, poſſumus ſaltem cum beato Barbatiano 11 vitam Deo placentem ducere. Magnum quippe eſt mori pro Chriſto, ſed non eſt inferius viuere Chriſto. Vtrunq; enim in ſtatera Paulus æqua lance pendebat, cùm diceret: Nemo enim noſtrũ ſibi viuit, & nemo ſibi moritur; ſiue enim viuimus, Domino viuimus, ſiue morimur, Domino morimur. Siue ergo viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus. Quiſquis igitur amat martyrium, exhibeat ſe martyrio dignum, & martyrij coſequetur proculdubio præmium. Non poteſt ſanguinem fundere; poteſt ſemetipſũ pœnitentiæ telo percutere, & in cordis contritione mactare. Præparetur ad feriẽdum iugulus, non deerit remunerator, etiam ſi defuerit gladius. Deeſt carnifex, qui ceruicem exteriùs feriat, adeſt iudex, qui bonæ voluntatis 12 præmium reddat.

Studeamus igitur, dilectiſſimi, cum beatiſſimo confeſſore Chriſti Barbatiano ſeculi huius blandimenta deſpicere, rerum temporalium affluentiam deuitare, carnis incentiua reprimere, crucem poſt Chriſtum etiam in pace Eccleſiaſtica baiulare, quatenus qui nunc eius mirabilem ſequimur vitam, cum ipſo poſtmodũ deſiderabilem perducamur ad gloriam, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & gloriatur, per infinita ſecula ſeculorũ. Amen.

8 Vides Romã caput eſſe, & ſedem principalem totius sãctæ Eccleſiæ?

9 Animaduertis eã doctrinã pro vera tenendã, quã Romana Eccleſia ex ſchola beati Petri propoſuerit?

10 Totũ cõtrariũ docent, ꝓ ſẽtis tpis hæretici. Nẽpe gaudere, & deliciari, ſufficereq; ad ſalutẽ duntaxat credere Chriſtum ꝑ nobis occubuiſſe, ac boni operis inde nihil requiri.

11 Vides neceſſariam poni vbiq; vitam Deo dignã?

12 Nota tũc remunerari bonam voluntatem quaſi ꝓ facto, qñ deeſt facultas operãdi. Secus ſi adſit.

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

SERMO IN FESTIVITATE SANCTI VITALIS MARTYRIS.

IMMENSAS Deo laudes, & gratias referamus, dilectiſſimi fratres, quia dum per totum orbem Paſchalis 1 feſtiuitas rutilat, noſtræ patriæ fines etiam beati Vitalis triũphalis 2 dies illuſtrat. Hodie nanque miles Chriſti glorioſus pro fide Imperatoris ſui in æternum victurus occubuit, hodie deuicto humani generis inimico, cum triumpho gloriæ regna 3 ſiderea penetrauit. Hodie peracto ſtadij ſui curſu de ergaſtulo carnis victor exiuit, hodie alternantibus hinc inde hymnidicis Angelorum choris, palatium Regis æterni purpuratus intrauit. Vbi cum ignitis beatorum ſpirituum cœtibus inenarrabiliter emicat, cum trabeatis ſenatoribus curiæ cœleſtis exultat, cum Patriarchis in aureo ſublimiter ſolio inthronizatur, cũ laureatis martyribus mirabiliter coronatur. Cum his omnibus ſtola indutus gloriæ, ineffabili exultatione tripudiat, & in conſpectu æterni Regis melodum alleluia iucundiſſima ſuauitate decantat. O quàm beatè moritur, qui moriendo oritur, quàm feliciter temporalem vitam finit, qui viuere perpetualiter incipit. Hinc eſt quòd ſancta Eccleſia dies migrationis ſanctorum natales vocare conſueuit, quia protinus in cœlo 4 naſcuntur, cùm in terra viſibiliter moriuntur, & tunc verè incipiunt viuere, cùm mortalem videntur vitam finire.

1 Paſchalis feſtiuitas p totũ mundũ rutilat.

2 Triumphalis dies ſãcti Vitalis martyris.

3 Animæ ſanctorũ ſtatim poſt mortem recipiũtur in cœlo.

4 Quid dicis, hæretice, q ſãctorũ animas eſſe negas in cœlo, & ſanctos appellas emortuos?

Perpendite, fratres mei, hic inuictiſſimus miles Chriſti quàm forte, quàm robuſtum pectus habuerit, qui de ſui periculo omnimodo ſecurus, de alieno ſolicitus, vno verbi telo, & inimicum perculit, & claudicãtem iam inflicto vulnere ſociũ, ad agendum fortiter excitauit. Docta manus ad prælium vibrauit haſtam, ſocium, vt ſurgeret, tetigit, & vincenti iam aduerſario letale vulnus inflixit. Vt enim in veraciſſima geſtorum illius narratur hiſtoria, cùm poſt nimia tormenta Vrſicinus capitalem ſentẽtiam voluiſſet euadere, exclamauit beatus Vitalis dicens: Noli, noli, Vrſicine medice, qui alios curare conſueuiſti, teipſum æternæ mortis iaculo vulnerare. Sanctorum quippe virorũ eſt conſuetudo, fratres mei, vt in tribulationum bello deprehenſi, dum illinc aduerſarios inſequentes, hinc

ſuos fugientes aſpiciunt, illis opponant ſcutum patientiæ, iſtis intorqueant iacula doctrinæ, atque ad vtrunque pugnandi modum mira virtutis arte ſe erigunt, quatenus & infirmi intus fortiter ſe erigant, & fotis viriliter aduerſa contemnant; hos docentes corrigant, illos tolerantes premant. Inſurgentes nanque hoſtes patiendo deſpiciunt, infirmantes verò ciues compatiendo ad ſalutem reducunt. Illis reſiſtunt, ne & alios ſubtrahant, iſtis metuunt, ne metuendo mortem, vitam funditus perdant. Illinc iaculis aduerſantia pectora feriunt, hinc ſcuto oppoſito debiles tuentur. Atque ita vtrobique velocitate circunſpectionis inuigilant, quatenus & ante ſe audaces confodiant, & poſt ſe trepidos à vulnere defendant. Sed quiſquis vult in campo certaminis fortiter agere, curet neceſſe eſt in pace domeſtica ſe cuſtodire, in otioque ſe frequenter exerceat, ne ignarus pugnandi incautè ad bella prorumpat, ne ſi rudis & imperitus cum doctiore congreditur, dum arma armis præter ſolitum conſerere nititur, antequam inſigne aliquid faciat, improuiſo vulnere proſternatur, & victus intereat, vnde victor eſſe totis niſibus anhelabat.

Neque etenim credendũ eſt, quòd beatus Vitalis religiosè viuere, & in primis Deo ſeruire tunc cœperit, cùm ad agonẽ martyrij perſecutoris illum crudelitas prouocauit. Vir nanque ſanctus tunc etiam ſummis viribus fultus erat, cùm ſine vlla perſecutionis moleſtia in pacis ſuæ tranquillitate quieuerat. Qui ſibi tantummodo notus, & Deo, niſi cogeretur in campum certaminis progredi, à nobis nullatenus potuiſſet agnoſci. Virtus quippe ſe etiam tempore quietis exercuit, ſed prauorum ictibus tunſa in aduerſitatis pila fragrauit. Et qui quietus in ſemetipſo quod erat continuit, commotus ad notitiam omniũ odorem ſuæ fortitudinis aſperſit. Sicut enim vnguenta redolere latiùs neſciunt, niſi commota, & ſicut aromata fragrantiã ſuã nõ niſi cùm incendũtur, expandunt, ita ſancti viri omne quod virtutibus redolent, in tribulationibus profundunt. Vnde rectè in Euangelio dicitur: Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis huic mõti, Tranſi hinc, & tranſibit. Granum quippe ſinapis niſi conteratur, nequaquã vis virtutis eius noſcitur; nam non contritum lene eſt, ſi verò conteritur, inardeſcit, & quicquid in ſe acerrimum latebat, oſtendit. Sic nimirum, ſic vnuſquiſque vir ſanctus, cùm non pulſatur, deſpicabilis, ac lenis aſpicitur; ſi qua verò illũ attritura perſecutionis opprimat, mox omne, quod calidum ſapit, oſtentat, atque in feruorem virtutis vertitur quicquid in illo ante deſpicabile, infirmumque videbatur, quodque in ſe per tranquillitatis tempora libens operuit, exagitatus tribulationibus coactè aperit. Vnde benè per Prophetam dicitur: In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte declarauit. Miſericordia enim Domini in die mandatur, quia in tranquillo tempore virtus diuinitus conceſſa percipitur; in noctè verò declaratur, quia donum, quod in tranquillitate ſumitur, tribulationibus manifeſtatur.

Si enim quæritur, cuius virtutis beatus Vitalis ante certamen fuerit, quo diſciplinæ vigore domum ſuam bonus pater familias rexerit, quàm religioſo, quàm ſancto viuendi ordine filios inſtituerit, beata Valeria vxor eius cum duobus filijs requiſita dicat, vt in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum. Illa enim audita morte Vitalis beatiſſimi coniugis, non auidos peruaſores ſuis poſſeſſionibus timuit, non potentioris cuiuslibet patrocinium quæſiuit, non more viduarũ diſperſas vbicunque res ſuas in tuto loco colligere ſtuduit, ſed caſtiſſimi cõiugij fidẽ ſeruans, ad impendendũ funeris obſequiũ de Mediolanenſi vrbe vſque Rauẽnã mirabili feruore peruenit. Nõ illã deterruit tã longi difficultas itineris, nõ retinere potuit metus amittẽdæ poſſeſſionis, nõ eã propinquorũ, ſiue cõciuiũ amor in Mediolanẽ vrbe deuinxit, nõ eã cõſulatis immaniſſim' furor à Rauẽnæ finib' exturbauit. Illuc quippe erect' eius ſpiritus medullitus intẽdebat, quò

beatiſſimum

beatiſſimum virum, calcata iam morte, præceſſiſſe cognouerat; vbi enim erat theſaurus eius, ibi erat & cor eius. Lætabatur illum in habitatione iam degere, dolebat ſe adhuc in exilio remanere. Ad hoc illa toto mentis deſiderio anhelabat in via, quo ille iam delectabiliter fruebatur in patria. Gaudebat ab hominibus vxor martyris appellari, ſed multò inenarrabiliùs æſtuabat eadem martyrij gloria coronari. Vnde non dubitandum eſt, quòd ipſum beatiſſimum virum ſuum quotidie ſpirituali deuotionis familiaritate depoſceret, quatenus eius ſacratiſſimis precibus ſ ad martyrij palmã pertingere mereretur, vt nimirum quos immaculatos hic mutuæ charitatis deuinxerat thalamus, non diſpar in ſupernæ beatitudinis gloria iungeret & triumphus. Et quia duo fuerant in carne vna vniti, fierent etiam in corona. Quapropter cùm à Chriſtianis, qui tunc erant Rauennæ, eſſet prohibita ne ſanctum corpus auferret, & hac intentione depoſita, ad propria remearet, incurrit in homines idololatras Syluano ſacrificantes, qui deponentes eam de ſagmario, hortabantur, vt cum ipſis epularetur de his, quæ erant Syluano immolata.

ſ Vides quòd ſancti poſt mortem pro nobis orant.

Sed quid tu, beata Valeria? Nunquid poteris veſtigia viri tui relinquere, & erectum iam in cœleſtibus animum diabolicis ſuggeſtionibus inclinare? Nunquid poteris educata in fide catholica, quod in tranquillitate didiciſti, carnificis terrore poſtponere, & poſitum ſupra firmam petram fidei fundamentum, quolibet trepidationis turbine violare? Agè agè beata Valeria, eia nobilis matrona, nunc viri tui documenta viriliter recole, & quid tibi tanti doctoris magiſterium præſtiterit declara. Ait enim: Chriſtiana ſum, & non licet mihi de ſacrificijs Syluani veſtri manducare. At illi hæc audientes, ſic eam cæde mactauerunt, vt vix illam ſemineceni ſui homines ad Mediolanenſem vrbem perducerent, ſicq́; intra triduum beata Valeria migraret ad Dominum. O quàm ineffabiliter diuinæ diſpenſationis ordo diſponitur, quàm miſericorditer humanæ conditionis ſeries variatur. Mulier virum de paradiſo eiecit; vir mulierem ad paradiſi patriam reuocauit. Illa vt homo deciperetur, diabolo facta eſt inſtrumentum; iſte vt mulier coronaretur, imitabile præbuit virtutis exemplum. Antiqua mulier pomum vetitum comedendo miſerabilis ieiunij ſe fame mulctauit; noua verò mulier ab idolothytis abſtinendo, æternæ ſatietatis conuiuium præparauit. Illa fructu arboris delectata beatæ amœnitatis oſtium ſeris concupiſcentiæ ſibi exeundo damnauit; iſta eſum carnium aſpernata, ſempiternæ viriditatis paſcua clauibus ſibi continentiæ patefecit. Ecce liquidò patet, quàm conſpicua morum honeſtate vir ſanctus in tranquillitate claruerit, qui & beatiſſimã coniugem ad tantæ perfectionis culmen eduxit. Si enim ab illo ſtudere auaritiæ didiciſſet, nequaquam ſua omnia pro ſola ſepultura venerandi cadaueris contempſiſſet. Si luxurioſis cum eo fuiſſet vſa conuiuijs, nimirum itinere fatigata, procliuiùs acquieſceret refici, quàm verberibus vſq; ad mortis confinium laniari. Et vt breuiter cuncta concludam, niſi pacis tempore per omnia didiciſſet viuere Chriſto, in perſecutionis articulo nequaquam potuiſſet mori pro Chriſto. Sed quoniã interrogata Valeria, cuius virtutis excellentiſſimus vir eius ante certamẽ extitit, aſſertionis ſuæ teſtimonium breuiter reddidit, iã accedant & alij teſtes. Vt probetur, quàm honeſtè vixere parentes, ad teſtimonium vocentur hæredes; veriſimile quippe eſt, vt quicquid virtutis in ſanctorum filijs cernitur, totũ ab ipſis parentibus traditum fuiſſe credatur.

Igitur beatiſſimi Geruaſius, & Protaſius, vtroq; parente non dicam orbati, ſed potiùs ſplendidiſſima eorum morte feliciter illuſtrati, ſicut in ſancta eorum refertur hiſtoria, nihil terrenum, nihil'q; carnale concupiſcentes, ſed vno ſe cœnaculo concludentes, per decem annos lectioni, & orationi vacauerunt. Conſiderate, fratres chariſſimi, inæſtimabilem paternæ inſtitutionis laudem. Perpendite

mirabilem rigidæ cenſuræ traditionem. Notate relictū pupillis nouæ conuerſationis exemplum. Animaduertite euidentiſſimum paternæ ſeueritatis indiciū. Solet inter fratres cōmunis ſubſtantia diuiſionis fieri,& diſcordiæ cauſa; inter iſtos autem diuidenda quidem hæreditas aderat,duorum tamen corda vna charitas replebat. De populoſa vrbe faciunt eremum, diuerſorium habitandi vertunt in oratorium. Solent etiam adoleſcentuli,amiſſis parentibus, per proprij arbitrij libertatem luxurioſè diffluere,& quaſi iam ſui iuris libera voluptatum ſuarum licenter ſibi frena laxare. Excedentes ſiquidem rectitudinis metam in eo quod licet,omne ſibi exiſtimant licere quod libet. Iſti verò Euangelicæ indolis pueri,non venturæ adhuc vitæ ſoliciti,terrenarum rerum,opumq́ue ſibi prouident ſumptum,non morte diſſoluendæ carnalis copulæ vllum pepigere coniugium,non equis frementibus delectantur,non deliciarum laſciuijs reſoluūtur, non pretioſis veſtibus adornari inaniter concupiſcunt. Mundani ſtrepitus negocia fugiunt,terrenarum rerum diuitias aſpernantur,tranſitoriæ dignitatis culmina reſpuunt,carnalis illecebræ blandimenta contemnunt. Et non ſolùm aliena non ambiunt,ſed & ſua omnia prodiga miſericordiæ largitate diſpergunt. De tota mundi latitudine vnam ſibi glebam anguſtiſſimi carceris eligunt, vbi collectis à vanitate mundi vndiq; ſenſibus, ſolam Creatoris ſui ſpeciem medullitus contemplantur. Ad illum iam clauſtra carnis excedentes, aſſiduæ meditationis ſtudio ſpiritum dirigunt;ad illum amoris nimij facibus accenſi, totis viſceribus inardeſcunt. Erat quippe vtriuſq; mens in ſuperno deſiderio anxia, à concupiſcentijs terrenis aliena; amor nanq; verus,qui hanc repleuerat, in fletibus cruciabat. Sed dum in tali ardore cruciarentur,ipſis ſuis cruciatibus paſcebātur,& tam diu in admirabili huius conuerſationis feruore perſiſtunt, donec glorioſa parentum ſecuti veſtigia,pro fide Chriſti martyrio coronantur. Nimirū quorum imitati ſunt exempla viuendo,& quibus in terra ſunt carnaliter æditi, eorum ſunt collegio in cœleſti beatitudine ſociati, & quos carnalis propagatio iunxit, meritorum inæqualitas non diuiſit. Et quo eos ordine in mundum natura produxit,eo etiam ad cœleſtia diuina illos gratia ſublimauit. Hi enim qui genuere præcedunt,qui verò geniti ſunt,recto eos ordine ſubſequuntur.

O beata familia,quæ Aegyptum deſerens,tam ſtrenuè rubrum mare pertranſijt,& facto agmine ad repromiſſionis terram triumphando peruenit. O generoſa progenies,quæ naſcendo quidem de terra traxit originem,ſed viuificè moriendo ad cœleſtem tranſire meruit dignitatem;quam nobilitas morum ad nobilitatem tranſtulit Angelorum. Quàm ardua domus erat illa, quæ tot clariſſimos ciues ad ſupernam Hieruſalem tranſmittere meruit. Quæ enim ciuitas,quamlibet excelſa,turritis mœnibus huius domunculæ dignitatē excellere poterit,quæ cœli digna vocabulo,copioſam martyrum turbam fœlici in ſe habitatione continuit? Quos totus mundus tenere dignus non fuit,hos domus illa ſublimis foribus clauſit. Nam & Apoſtolus cùm de ſanctis martyribus loqueretur, protinus addidit dicens: Quibus dignus non erat mundus.

Gaude igitur,Rauenna vrbs clariſſima,tantorum martyrum pretioſo ſanguine purpurata,quæ licet ex his quatuor ſolius beati Vitalis ſacratiſſimum 6 corpus corporaliter teneas,nequaquam tamen à reliquis tribus per occultæ virtutis myſterium vacas. Nam ſi beata Valeria cum viro ſuo,ſcriptura teſte, fuit in carne vna,neceſſariò ſequitur,vt vnius carnis vna ſit ſepultura. Et cùm legamus, Quod Deus coniunxit,homo non ſeparet,nos etiam gaudentes dicamus: Quia quod Deus,qui eſt æterna vita,coniunxit,temporalis mors interueniens non diuiſit. De filijs autem quid aliud dicendum eſt,niſi quia qui beatiſſimo genitori inſolubilibus naturæ vinculis ſunt connexi,nullatenus ab eo locali potuerunt interſtitio ſeparari? Legitur autem,quia Adam cùm primùm vxorem vidit,

6 Beati Vitalis vocat ſacratiſſimum corpus,non vilecat auer.

protinus dixit: Hoc nũc os ex oſſibus meis,& caro de carne mea. Si ergo Eua ſiga de viri latere eſt formata,os ex oſſibus eius,& caro de carne eius dicitur,cur non & filij,qui de lumbis patris exierunt,eadem & oſſa,& carnem cum patre habere dicantur? Licet ergo ſeiuncti videantur per interualla locorum, per occultum tamen myſticæ virtutis iuncti ſunt ſacramentum. Gaude igitur,nobilis vrbs Rauenna,& totis in Domino viſceribus delectare,quæ licet ardua ſis muralis machinæ celſitudine,multò tamen 7 excelſior es beatorum martyrum dignitate, lapideis quidem propugnaculis inexpugnabiliter cincta,ſed valde inexpugnabilius fortium Chriſti militum protectione vallata; quæ quodammodò Romanis arcibus amicabiliter æmula,ſic per duos præcipuos martyres,Vitalem videlicet,& Apollinarem,mater eſſe meruiſti,& domina circumpoſitarum quarumlibet vrbium,ſicut illa per duos ſummos Apoſtolos,Petrum ſcilicet,& Paulum,totius orbis 8 ſibi vendicat principatum; & quaſi caput reliquis ciuitatibus facta,ita coruſcas duorum ſplendore ſanctorum,velut humana facies geminorum luminibus oculorum.

7 Vides quomodo ſactorũ corporibus ciuitates illuſtrantur?

8 Nota vrbem Romã p ſũmorũ Apoſtolorũ pſentiã totius orbis tenere principatũ.

Lætare igitur,& exulta,quia quæ dæmonum antea fueras delubrum,nunc per reſpectum diuinæ gratiæ cœleſtium ſenatorum facta es capitolium. Et quæ prius male fœcunda in filijs tuis innumeras ſtipulas germinabas inferno, iam per beatorum martyrum merita multos ciues parturis cœlo. Quæ præ confuſione vitiorum antiqua fueras Babylonia,ipſa per nouitatem virtutum noua Hieruſalem facta es,viuis nimirum lapidibus adornata; vt iam populo tuo non immeritò per Paulum dicatur: Iam non eſtis hoſpites,& aduenæ,ſed eſtis ciues ſanctorum,& domeſtici Dei: & per Petrum: Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium,gens ſancta,populus acquiſitionis. Nec leue tibi datum eſt diuinæ dilectionis indicium in eo quòd beatus Vitalis etiam poſt felicem tranſitum ſuũ in te voluit habere ſepulchrum. Non eſt paſſus ex te ſuum corpus auferri,quia noluit te patrocinij 9 ſui protectionẽ deſtitui. In qua re tibi vtiq; magis,quã vxori beatiſſimæ præſtitit,qui dum tuæ vtilitati conſuluit,ſanctæ voluntati eius non acquieuit. Scriptum nanq; eſt,quia ſancta Valeria dum beati Vitalis vellet corpus auferre,à Chriſtianis prohibita eſt,& ſæpè in viſionibus ab ipſo admonita,ne ſanctum corpus à malo homine benè poſitum violaret.

9 Sancti ciuitatibus patrocinij ſui protectionẽ præſtant.

Certè non poſſum dicere,fratres mei,quàm iucundè,quàm delectabiliter certamen huius pugnæ conſidero,quàm auidiſſimè totos interiorum luminum radios ad ſpectaculum ſanctæ contentionis expando. Perpendo diuerſam litigantium aciem; hinc videlicet ciuitatem,inde vnam aſpicio mulierem; in medio verò poſitum corpus ſancti Vitalis,materia eſt,& cauſa certaminis. Quæq; pars ſuis allegationibus vtitur,& cauſam ſuam diuerſa iuris ratione tuetur. Illa repetit ius antiquæ poſſeſſionis,iſta opponit titulum diuinæ conceſſionis. Illa cõqueritur ſibi violenter ablatum,iſtaècontrario aſſerit ex diuina ſibi benignitate donatum. Dicit illa: Rem proximi tui non concupiſcas: reſpõdet iſta: Quod tuum eſt ne repetas. Illa; Sed mihi eſt,inquit,dotalis matrimonij lege coniunctus: iſta autem: Quia & mihi eſt pretioſo martyrij ſanguine fœderatus,habuiſti tu,dum licuit,coniugem tuum,liceat & mihi habere ſine moleſtia martyrem meum; tibi enim eſt carnalis copulæ glutino ſociatus,in me eſt triumphalis martyrij gloria coronatus. Audi Apoſtolum dicentem: Mulier alligata eſt legi, quandiu vir eius viuit,cùm autem obierit vir eius,ſoluta eſt à lege viri. Si ergo tu ſoluta es à viri lege,quæ in carne adhuc viuis,quomodo illi, qui ad cœleſtia 10 regna iam tranſijt,innectere vinculum quæris? Sed ad dirimẽdum huiuſmodi contentionis ſanctæ litigium,acceſſit ipſe beatus martyr in medium,& venerandæ vxoris querelæ imposuit modum. Et qui eatenus fuerat materia cõtentionis,ſequeſter,& mediator factus eſt pacis.

10 Illi, qui ad cœleſtia regna iam tranſijt.

11 Dum videmus tanta diligentia anxios fuiſſe antiquos patres de ſua ſepultura, colligimus ſepulturã nõ eſſe negligendã, ſed curandam.

Sed dum vobis, fratres chariſſimi, iſta dicimus, illud etiam ad mentem reducitur, quòd Patriarcham Iacob feciſſe ſcriptura ſacra teſtatur. Legitur enim quia cùm appropinquare cerneret mortis diem, vocauit filium ſuum Ioſeph, & dixit ad eum: Si inueni gratiam in conſpectu tuo, pone manum ſub fœmore meo, & facies mihi miſericordiam, & veritatem, vt non ſepelias me in Aegypto, ſed dormiam cum patribus meis, & auferas me de hac terra, condasq; in ſepulchro maiorum. Cui reſpondit Ioſeph: Ego faciam quod iuſſiſti. Et ille; Iura ergo, inquit, mihi. Quo iurante, adorauit Iſraël Deum. Quid eſt hoc, fratres mei? Quid ſibi vult à tanto viro tã anxia 11 ſepeliendi corporis ſolicitudo? Si enim hoc ex humana conſuetudine metiamur, profectò nihil dignum tanta prophetica mentis excellentia reperimus. Vbicunq; enim corpus humanum ſepeliatur, non ideo vel minus perfecta, vel minus glorioſa eius reſurrectio futura proculdubiò creditur. Sed ſi myſtici ſacramenti profunditas in huius dubietatis caligine requiratur, perſpicuum lumen intelligentiæ ipſi, qui inuenerit, orietur. Cadauera quippe mortuorum, peccata ſignificant iniuſtè viuentium. Sicut enim poſt contactum corporum mortuorum lex præcepit homines purificari, ita etiam poſt perpetrationem delictorum iubemur per pœnitentiam ablui. Hinc nimirum illa ſententia dicta eſt: Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit illũ, quid proficit lauatio eius? Baptizatur quippe à mortuo, qui mundatur fletibus à peccato; ſed poſt baptiſmum mortuum tangit, qui culpam poſt lachrymas repetit. Sepultura verò mortuorum remiſſionem ſignificat peccatorum. Vnde per Prophetam dicitur: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Vbi ergo ſepelienda erant cadauera Patriarcharũ, niſi in ea terra, vbi ille erat crucifigendus, cuius ſanguine facta eſt remiſſio peccatorũ? Quæ ergo cauſa fuit, vt Patriarcha Iacob ſepeliretur in Chananæorum terra, eadem fuit, vt beatus Vitalis ſepulchrum ſibi ſpecialiter eligeret in vrbe Rauenna. Sicut enim ille per ſepulturam ſui corporis, remiſſionem peccatorum in illis mundi finibus, quia ibi Dominus erat crucifigendus, ſignificauit eſſe futuram, ita iſte hãc feliciſſimam vrbem ad baptiſmi gratiam, & ad fidẽ Chriſti cognouit diuinitus eſſe vocandam. Quapropter obſecro vos, & admoneo, dilectiſſimi fratres, tantam dignitatem, quam gratuito Dei munere ſuſcepiſtis, aſſidua meditatione recolite, & dignas tantis beneficijs gratias non ſolùm ore, vel corde, ſed etiam dignis operibus referre curate. Caducas ſeculi huius blandimenta deſpicite. Ad cœleſtis patriæ gaudia medullitus anhelate. Carnis incentiua reprimite. Mandata Dei, quæ aure percipitis, operibus adimplete. Ab amore Dei nulla vos mundi proſperitas retrahat. Nulla vos aduerſitas frangat. Non corpus veſtrũ luxuria polluat. Non inuidiæ flamma conſumat. Non vos elatio inflet. Non terrenarũ rerũ cupiditas grauet. Non vos ab amore proximi iracundia diuidat. Non prauorum vitijs dilectio inordinata coniungat. Tranſacta mala dignæ pœnitentiæ fletibus tergite. Imminentia verò cauta prouiſione vitate. Venturum terribilem Iudicem ante mentis oculos ponite. Diſtricti examinis ſententiam trepidi formidate; quatenus qui nunc venturum credentes humanitatis eius crucem baiulare ſatagitis, in maieſtatis ſuæ gloria poſtmodum venientem ſecuri, & alacres videatis Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

SERMO DE TRANSLATIONE SANCTI HILARII EPISCOPI.

GAVDEAMVS, & exultemus, dilectiſſimi, dum ad recolenda beati Hilarij ſublimia merita ſolenniter conuenimus. Ipſa quippe nos inſignis vocabuli dignitas prouocat, vt mens noſtra ſpirituali lætitia affecta, plauſibiliter hilareſcat. Nihilominus & hoc dignum eſt, vt dum beati viri translationem colimus, ipſi quoq; mentes noſtras à terrenis deſiderijs ad cœleſtia transferamus, vt dum glebam corporis eius, tenuemq; puluiſculum tanto præferri apud homines 1 honore conſpicimus, quantum gloriæ pondus in cœleſtibus poſſideat, vbi verus, & incomparabilis honor eſt, mens noſtra perpendat. Sed libet iam translationis huius hiſtoriam ſuccinctè tranſcurrere, vt nulli deinceps de præclara ſolennitatis huius origine prorſus expediat dubitare.

1 Ecce quomodo priſci patres ſanctorũ reliquias honorabant, quas noſtri tẽporis hæretici dedecore afficiunt.

Porrò autem dum Confeſſor Chriſti Tredelinus beati Hilarij monaſterium, quod in Pictauenſi ſuburbio ſitum eſt, laudabiliter regeret, ibiq; ſanctæ conuerſationis inſignibus diſciplinis, & præclara morum honeſtate polleret, beatus Hilarius illi per viſionem manifeſtus apparuit, & inter alia nonnulla hoc illi quadam viuacis imperij auctoritate mandauit, vt videlicet ipſe, ſimul & Pictauenſis Epiſcopus ad Regem Francorũ, qui tunc rerum moderabatur habenis, incunctãter accederent, & ſumptus impendia, quibus ampliari, & anguſtius fieri monaſterium poſſet, fiducialiter poſtularent. Quibus verbis inſuper addidit, vt inſtaurato nouiter monaſterio, locum ſibi ſanctus Abbas congruum prouideret, in quo corpus eius, facta translatione, reconderent. Quos nimirum felicis oraculi legatione perfunctos Rex clementer, ac benignè ſuſcepit, eiſq; magnifica regiæ liberalitatis munera contulit.

A fundamentis ergo monaſterium per latomos, ac cæmentarios denuo conſtruentes, & pollucibiliter inſtaurantes, miniſtri Domini tandiu cœptis indefeſſi laboribus inſtiterunt, donec non modò ſurgentis ſtructuræ machinam ad conſummationem vſq; perducerent, ſed etiam vtrinq; parietes, hoc eſt, intus & extrinſecus, radiantis Muſiui decore veſtirent. In quo videlicet opere, vbi regij muneris ſumma defecit, Epiſcopus ex Eccleſiaſticis facultatibus supplere quod deerat non ceſſauit. Tandem itaq; monaſterio non modò conſummatæ fabricæ

ſtructura perfecto, verumetiam ſacerdotalis officij benedictionibus dedicato, mox demoliti ſunt tumulum, in quo ſanctum fuerat corpus humatum. Conſtituto igitur die, in quo ſancta membra transferrent, præcedente nocte dum Epiſcopus, ſimul & Abbas in 2 vigilijs, & orationibus iugiter pernoctarent, repente conſpiciunt, quòd beati 3 Angeli de tumulo, qui iã terebratus fuerat, ſanctũ corpus educunt, & in locũ, qui ſibi pparatus fuerat, proprijs manibus inferunt. His itaq; peractis, beatus Hilarius ſanctum Tredelinum per viſionẽ admonuit, vt Scotigenam quẽdam ſibi cognatione propinquum in cœnobij regimine ſubſtitueret, ipſe verò ad Gallinariam inſulam in honorem eiuſdem beati Hilarij ædificaturus Eccleſiam properaret. Qui beati ſacerdotis imperio mox humiliter paruit, & non ſolùm illud, quod iuſſum fuerat, ſed & alia quatuor monaſteria in eius honorem conſtruxit. Quanquam beati Tredelini vita, in qua hæc referri perhibetur hiſtoria, in manus noſtras nequaquam deuenerit. Sed quod hîc ſcriptum eſt, indicio fraternæ relationis innotuit.

2 Dũ Epũs, ſimul & Abbas in vigilijs, & orationibus iugiter pernoctarẽt.

3 Vide quantũ ſanctorũ pignoribus ſit deferẽdũ, cũ ſãcti ipſi Angeli proprijs manibus ſancti Confeſſoris corpus de tumulo in tumulũ transferunt.

Hæc igitur huius ſacræ ſolennitatis eſt cauſa. Hæc veneranda celebritatis hodiernæ materia, vt in translatione ſacri corporis meritò gaudeat plebs deuota fidelium, cui dependit exequias exercitus Angelorum. Porrò autem ex occaſione venerandæ translationis huius, & cætera beati viri geſta nobis in memoriã redeunt, vt quæ longis ante temporibus ſunt peracta, veſtris nunc reducta conſpectibus quodammodo recentia videantur, & noua. Mox enim vt diſputare de venerabilis viri geſtis incipimus, protinus occurrit memoriæ, quàm impenetrabilis Eccleſiæ murus hæreticorum telis obſtiterit, quàm inſuperabilis præliator peruerſum Arrianorum dogma gratia catholicæ veritatis obtriuerit. Nec illud vacat, quòd cùm aduerſus hæreticorum perfidiam pugnaturus, Seleuciam Iſauriæ oppidum peteret, puella gentilis diuinitus edocta, tanti ſacerdotis denunciauit aduentum, atq; ideo cum patre Florentio, totaq; familia diuini baptiſmatis meruit ſuſcipere ſacramentum. Nec illud excidit inſigne miraculũ, quod in Gallinaria inſula immanium ſerpentium venenata rabies virtutem tam præclari Põtificis ferre non potuit, ſed tanquam fulmineo fragore perterrita, vilis etiam baculi metam, quam ipſe præfixerat, tranſcendere non præſumpſit. Sed & illud memoriæ conſequenter occurrit, quòd idem egregius Pontifex puerum ſine gratia regenerationis extinctum, non modo matri reſuſcitatum, & incolumẽ reddidit, ſed & veræ fidei rudimentis inſtructum ſanctæ Eccleſiæ filijs aggregauit.

Hæc igitur, & alia multa virtutum eius inſignia nobis ex occaſione venerandæ huius translationis occurrunt, quæ nos ad amorem Dei, & deuotionem præclari huius ſacerdotis accendunt. Planè cùm multorum translationes hiſtoriã ſancta veneretur Eccleſia, quæ diligentia procuratæ ſunt hominum, quanto deuotionis ſtudio hæc eſt ſolenniter recolenda, quæ facta eſt manibus Angelorum? Sed quid eſt, quòd Moyſi corpus ipſe per ſe Dominus ſepeliuit, & tamen ſepulchrum eius hominibus innoteſcere noluit, beati verò Hilarij corpus non modò coram hominibus per Angelos tranſtulit, ſed & tanti honoris gloriam ad totius Eccleſiæ reuerentiam ſublimauit? De Moyſe quippè ſcriptum eſt: Mortuus eſt ibi Moyſes ſeruus Domini in terra Moab, iubente Domino; & ſepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor; & non cognouit homo ſepulchrum eius vſq; in præſentem diem. Quid eſt ergo, quòd ille neſcitur, iſte verò quotidie cũ tãta gloria Chriſtianæ deuotionis inuiſitur? Quid eſt, inquam, quòd Moyſes ab hominum notitia remouetur, niſi vt tollatur occaſio, ne qui tã Deo charus, & familiaris extitiſſe cognoſcitur, diuinus honor illi ab Iſraeliticæ plebis perfidia præbeatur? Reliquorum verò ſanctorum corpora non celantur, vt dum Chriſtianæ deuotionis frequentantur 4 acceſſu, & per illos fiant rutilantia ſigna virtutum, & iſtis accreſcat felicium cumulus meritorum. Præterea nonnulli

4 Cur in terris ſanctorũ corpora viſitentur, & in honore habeantur.

fideles idcirco poſt mortẽ tumulis editioribus includuntur, vt ſui memoriam viuentibus ingerant, quatenus eis impendere pietatis opera non omittant. Hinc eſt quòd ſepultura vocatur ex more memoria, ſcilicet vt per eam memorentur viui, & percipiant refrigerium mortui.

Sed quid eſt, quòd nonnulli ſanctorum tantopere ſtuduerunt ſuis prouidere ſepulchra corporibus? Abraham nempe quadringentis argẽti ſiclis à filijs Eth ſpeluncam duplicem comparat. Iacob, & Ioſeph ad eandem ſpeluncam totũ iam animi deſiderium tendunt, & corpora ſua poſt obitum illò perferenda depoſcunt. Quid ergo eſt, quòd ſancti Patriarchæ, qui ſe puluerem, & cinerem eſſe perſpicuè perhibent, qui certè corpora, & corporalia quæq; cœleſtium contẽplatione deſpiciunt, in Chananæorum terra corpora ſua quieſcere tanto deſiderio concupiſcunt? Cur illũ præ cæteris mundi partibus quieti ſuæ præuident locum, niſi quòd humanæ ſalutis authorem illic nouerant de ſuo ſemine naſciturum? Hinc eſt, quòd Iacob filium ſuum Ioſeph obſecrat, dicens: Si inueni gratiam in conſpectu tuo, pone manum ſub fœmore meo, & facies mihi miſericordiam, & veritatem, vt non ſepelias me in Aegypto, ſed dormiam cum patribus meis, & auferas me de hac terra, condasq; in ſepulchro maiorum. Cur autẽ ad confirmandæ ſponſionis indicium, Iacob manum filij ſupponi ſuis fœmoribus petijt, niſi quia illum, qui ſumma veritas eſt, de proprio ſemine propagandum eſſe cognouit? Illis igitur terræ finibus beati viri iã medullitus agglifcebant, quã per ſpiritum iam cernebant Saluatoris veſtigijs atteri, quam in interioribus oculis iam videbant pretioſo Dominici corporis ſanguine purpurari, vt illic eorum corpora ſuam expectarent reſurrectionem, vbi reſurrecturum eſſe cognoſcebant ipſum beatæ reſurrectionis authorem.

Ad hunc & nos, dilectiſſimi, perſpicuam noſtræ mentis aciem dirigamus. Ad hunc dum pedum progreſſione non poſſumus, æſtuantis deſiderii feſtinatione tẽdamus; & dum ſanctorum quorumlibet reliquiis ſ dignæ deuotionis reuerentiam exhibemus, ad illud vnũ & ſingulare corpus noſtræ mentis dirigamus obtutum, quod in paternæ maieſtatis gloria credimus ineffabiliter ſublimatum. Illa nimirum eſt terra, cui tunc beati Patriarchæ, atq; Prophetæ ſuſpirabant, lacte ſcilicet, & melle mananti. Lac ſiquidem de carnis vberibus profluit, mel verò de ſuperioribus venit. Et quia ſubſtantia Dominici corporis ex Virginis viſceribus prodiit, diuinitas autem ex paterna maieſtate deſcendit, rectè corpus Saluatoris terra dicitur repromiſſionis. Quæ nimirum terra lacte, ſimul ac melle fluere dicitur, quia in Redemptoris noſtri corpore, & ſubſtantia veræ, & dulcedo eſt ineffabilis deitatis. In ipſo enim (ſicut Apoſtolus ait) habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Et alibi: Deus erat in Chriſto reconcilians mundum ſibi. Ad hanc viuentium terram ille nos dignetur inducere, qui terræ noſtræ mortalia non dedignatus eſt tolerare, quatenus ſic ibi lacte, & melle veſcamur, vt Saluatoris noſtri præſentia, & melliflua diuinitatis eius dulcedine ſatiemur. Qui cum Deo Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ſ Quid cõſiderare debeamus, dũ ſanctorum quorũlibet reliquis dignæ diuotionis reuerentiã exhibemus.

EIVSDEM BEATI
PETRI DAMIANI
EPISTOLA ALEXANDRO PAPAE MISSA, DE VITA SANCTI RODVLPHI EVGVBINI EPISCOPI.

DOMINO Alexandro beatiſſimo Papæ Petrus peccator,& monachus ſeruitutem. Præcepit mihi beatitudo tua,venerabilis pater,vt nunquam tibi literas mitterem, quæ leue quid, & obliuione dignum, ac friuolum continerent; quas ſcilicet,mox vt lector tranſiliendo percurrerit,edax flãma conſumit; ſed tale tibi ſemper aliquid ſcriberem, quod & ad ædificationem legentium ſuſcipi,& inter ſcripturas mereretur auctenticas reſeruari. Vnde Patri luminum agendæ ſunt gratiæ, qui ſacrariũ tui pectoris hoc igne ſui amoris accendit,vt & in antiquorum patrum ſtudijs iugiter requieſcas, & inſuper ſi qui tibi videntur idonei,ad ſcribendum eos prouocare non negligas.

Ab vobis itaq; nuper egreſſus, cùm Florentinæ vrbis mœnia ſubij, nuncius mihi mox repentinus occurrit,qui mihi diem medium in tenebras vertit, omniumq́; meorum viſcerum venas amariſſimæ legationis felle compleuit,Epiſcopũ ſcilicet Eugubinum eſſe defunctum,cuius vtiq; conuerſatio, ſi recolitur,non mediocriter ædificare poterit audientes. Valet enim & ad exprimendam rectè viuendi formam,& ad adhjbendam corrigendis moribus diſciplinam. Nam ante ferè ſeptennium ille cum matre,& duobus fratribus ſe pauliſper ætate præcedẽtibus,ſeruis duntaxat libertate donatis,caſtrum ſuum mihi inexpugnabili munitione vallatum,cum omnibus,quæ ſui iuris erant,prædijs,contulit, atq; ad eremum veniens habitum monaſticæ profeſſionis accepit. Monaſterium planè in eorum poſſeſſione conſtruximus,de cuius nũc ſancto conuentu regulariter viſtitante,ſatis in Domino gratulamur. Vbi cum matre,& fratre,quo inferior eſt conſtitutus iſte Rodulphus,qui poſtmodum ad Epiſcopatus culmen euectus eſt, & Petrus primogenitus frater eremiticam vitam tam continenter, tam diſtrictè duxere,vt & audientibus prædicaret eos fama mirabiles, & conuiuentibus vita monſtraret inſignes.

Sanè ſi de Petro vellem cuncta referre,quæ ſuppetunt,priùs ſchedula fortaſſis iſta deficeret,cùm adhuc dicendi materia ſupereſſet. Nam vt è multis vnũ ſaltem breuiter referam,dum in capitulo conſideremus aliquando de diſciplinis regularibus diſputantes,ille vt erat nouitius,vnum ex ſeculari conſuetudine inordinatum protulit verbum. Tunc ego velut ira permotus, dura ſatis illum

inuectione

inuectione corripui; poſtque redargutionum, atq; correptionum longiora flagella, tanquam quæſtione pulſato ſententiam inferens, per quadraginta dies illum vino abſtinere præcepi, ea tamen intentione, vt tãtùm ad præſens illum cum cæteris ab incautis ſermonibus deterrerem, poſtmodum verò ſentẽtiam diſcretæ remiſſionis moderamine temperarem. Sed cùm me contigiſſet diuerſis intentum eſſe negocijs, neq; hoc mihi aliquis in memoriam reuocaſſet, elapſo jam præſcripto dierum circulo, tandem recordatus expaui, & quid ex iniuncta ſibi pœnitentia Petrus egiſſet, attonitus exquiſiui. Fratrum vtiq; relationibus didici, pœnitentiam eſſe peractam. Pœnituit (fateor) prolatæ ſententiæ, ſed gaudens admiratus ſum tantam patientiam fratris, vt pro vno ſolo verbo inconſultè prolato, tam longam pœnitentiam pertuliſſet, & neq; per ſe, neq; per alios indulgentiam poſtulaſſet.

Nunc igitur ad Epiſcopum, à quo cœperat, ſermo recurrat. Quamuis enim Petrus idem, vt maior erat ætate, nihilominus etiam in ardui propoſiti, & diſtrictæ vitæ ſemper præcederet itinere, hic tamen ad ſacerdotalis officij iura promotus, quod in eremo didicit, in Eccleſia non omiſit. Eiſdem quippè terebat membra ciliciis, eiſdem ſemper contentus erat perexiguis, ac deſpicabilibus indumentis. Planè dum iuuenilis ætatis ingruente natura grauiſſimam ſæpè pateretur accediam, laquearibus cellulæ funiculos innectebat, ſicq; vlnis inſertis pſalmodiæ ſtudio pendulus inſiſtebat. Nunquam adipe, nunquam ouis, vel caſeo veſcebatur. In eiſdem verò, quæ apponebantur, ædulijs continens eum frugalitas cruciabat, vt diſcumbens non tam ſe reficeret, quàm decertaret, & inteſtinum potiùs eſſet gulæ bellum, quod extrinſecus videbatur eſſe conuiuium. Sæpè pugnaui vt ſaltem in hyemalis inclementia frigoris, aut papyrinæ ſibi ſtoreæ ſtramenta ſupponeret, aut veſtitus ſaltem nocte dormiret. At ille in nuda ligni tabula nudus ſola contentus interula cubitabat. Eccleſiá porrò deputabat hoſpitium, ſolitudinis autem cellulam habitaculum decernebat. Inconditi ſiquidem mores populi, & indiſciplinatæ ceruices, leue iugum Domini nequaquam ſibi patiebantur imponi, ſed muneribus terrenis intenti, non ex ore Pontificis Dei verbo, ſed tanquam de manibus Præſidis commodis inhiabant. Hæc enim regio quò magis aliena inuenitur diuitijs, eò copioſiùs exuberat vitijs. Ab egendo ſiquidem denominari videtur Eugubium, velut egens bono. Ideóq; me vim ingerente coactus, Eccleſiam, quam dimiſerat voto, retinebat officio; in eremo tamen perſeuerantiùs habitabat.

Quandocunq; impetrare poterat vt ſuo modo panis fieret, edebat panem, non fratrum, non puerorum, ſed eum, qui vel ex puro fieret hordeo, vel ex cantabro potiùs, quod proijciendum canibus de puerorum panibus remanſiſſet. Et licet pꝛæter celebriores dies hoc eſſet quotidie pane contentus, menſuram tamen attẽtiùs æquatis lancibus appendebat. Vnde mecum quandoq; conqueſtus eſt, quia ſi ſibi menſura concederetur, hunc eundem panem prurienti gulæ largiùs indulgeret. Tanta quippè iuuenculum hominem caſtigabat inedia, vt vndénam ſolatium alimenti perciperet, vacuo ventre ſtomachus non curaret. Aliquando verò etiam diebus Dominicis pulmentum neſciens, pomis tantùm, & pane cũ aqua viuebat. Ferreo circa pectus circulo iugiter cingebatur; quem tamen circulũ ſub ventre dimerſum, dum coram fratribus nudaretur, diligentiùs occultabat. Nunquam ſcilicet capitulo cõfeſſor intererat, in quo non acciperet diſciplinã, & tunc feſtinus exultabat, ſi non ab vno tantùm, ſed à duobus fratribus flagellari iuberetur. Sæpè pœnitentiam centum annorum ſuſcipiebat, quam ſcilicet per viginti dies alliſione ſcoparum, cæteriſq; pœnitentiæ remedijs perſoluebat. Pſalterium quotidie, cùm bis non poſſet, ſemel ſaltem non negligebat implere. Quod nimirum, cùm eſſet in cellula conſtitutus, armata ſcopis vtraq; manu, totũ

cum diſciplina recitare conſueuerat.

Porrò autem cùm in expeditione eſſet aliqua conſtitutus, quantalibet intem peſtæ noctis profunditate conſurgeret, nudis ſemper cruribus, & pedibus, vſque dum dilueſceret, pſallere non ceſſabat. Quam videlicet conſuetudinem, dum in cella conſiſteret, diebus, ac noctibus ſine ceſſatione ſeruabat. Quamlibet gra-uis bruma rigeſceret, ſimplicibus ſoccis muniebat pedes, cùm tamen frater eius ſolis calceis contentus eſſet. Sæpè me per clementiam Chriſti terribiliter adiu rabat, vt ſi quando fortaſſis excederet, nequaquam me ab eius correptione ſubdu cerem, ſed omnem in eo diſciplinæ modum, qui monachis debebatur, implerem. Ita planè & regulam monachi, & auctoritatem Epiſcopi ſub alterna viciſſitudi-ne laudabiliter obſeruabat. Opportunè ſiquidem, & importunè verbo prædica tionis inſtabat, & quicquid ſurripere valebat expenſis, benè prodigus in paupe-res diſpergebat. Congregans annualiter ſynodum, nullum aſſuetæ oblationis, vel xeniorum canonem à clericis exigi permittebat, ſed ne ab ipſis quidem com modum aliquod, præter ſolam pœnitentiam, requirebat; Abſit, inquiens, vt ſy-nodum vendam. Lapſos etiam potiùs erigam, quàm ex eorum cadaueribus cor-uino more pinguis fiam. Tædet vlteriùs ſcribendo procedere, & velut paternas à pictura manus dolor videtur Icareus cohibere.

His igitur, & huiuſmodi virtutum floribus adornatum, quaſi candens lilium immaturæ mortis pruina decoxit, ita vt cū vix triginta plus minus videretur an-norum, ad veræ lucis authorem ex hac infelici luce migrarit. Conſummatus e-nim in breui (ſicut ſcriptura loquitur) expleuit tempora multa. Placita enim erat Deo anima illius. Et iure conſummatus in breui, multa tempora dicitur expleuiſſe, quia dum in eo paruo, quod vixit, iuſtitiæ tramitem tenuit, quantum ad ſe, omnia tempora in obſequium conditoris expendit. Planè quicquid illic de ſancto viro ſapientia loquitur, ita huic per omnia congruit, ac ſi de illo ſpe-cialiter diceretur. Senectus, inquit, venerabilis eſt, non diuturna, nec numero annorum computata. Cani ſunt autem ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata placens Deo. Vnde & ſequitur: Factus dilectus, & viuens inter peccatores, translatus eſt. Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam eius. Propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatis.

Amen.

VITA VENERABILIS DOMINICI LORICATI

PER SANCTVM PETRVM DAMIANI AD ALEXANDRVM PAPAM.

ECCE ſanctiſſime pater, dum Epiſtolæ, in qua vitam Rodulphi deſcripſimus, gerulus, qui ad vos veniat, quæritur, & non ſuppetit, repẽre aliud, quod vberiùs ad ædificationem proficere valeat, ſi ſcribatur, occurrit. Et fortaſſis ob hoc nuncius mihi ſuperna diſpoſitione ſubtrahitur, vt interim vacantẽ me ſtylus ad aliud tranferat.

Vir itaq; Dei Dominicus, pater, & dominus meus ante annũ defunctus eſt, cuius vita, ſi ſcribatur, vereor ne fortaſſis à quibuſdam fratribus incredibilis iudicetur. Sed abſit à me mendacium ſcribere. Nam qui veritatem pro viribus veraciter colo, commentum fallaciæ non admitto. Neq; enim illud nos latet Apoſtoli, qui cùm præmiſiſſet: Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt fides veſtra: ſtatim ſubiunxit: Inuenimur autem & falſi teſtes Dei, quoniam teſtimonium diximus aduerſus Deum, qui ſuſcitauerit Chriſtum, quem non ſuſcitauit, ſi mortui non reſurgunt. In quibus Apoſtolicæ ſententiæ verbis, vt diutius non immoremur, in promptu lector intelligit, quoniam qui vel Deum, vel Dei ſeruum mirabile quid feciſſe confingit, non modò fabricati mendacij præmium non meretur, verumetiam aduerſus eum, quem laudauerat, falſum teſtimonium protuliſſe conuincitur.

Dominicus itaq; cùm eſſet in ſeculo clericus, quia tũc Simoniaca vigebat hæreſis, quæ & nunc vtinam prorſus eſſet extincta, vt presbyter fieret, à parentibus eius data eſt Epiſcopo hircinæ pellis alutha. Sed quia, ſicut ait Apoſtolus, diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, hæc vna beati viri culpa multorum poſt bonorum probatur extitiſſe materia. Nam hoc pauore perterritus, contempſit ſeculum, induit monachum, arduumq; mox eremiticæ vitæ, tãquam bellator intrepidus, arripuit inſtitutũ. Sed quia malè promotus eſt, donec vixit, ſacroſancti altaris vſurpare miniſterium non præſumpſit. Virgo 1 vſq; ad obitum fuit, vitam eremiticam nõ omiſit, vbi nimirum ſub magiſterio ſancti viri Ioãnis, qui dicebatur de Monte Feretri, perplurimos vixit annos. In illa igitur eremo, quæ ſcilicet erat in regione, quæ dicitur Luceoli, conſtituta, decem & octo videbantur cellulæ ad habitandum fratribus deputatæ, vbi nimis ſub hac regula viuebatur, vt nunquã vinũ 2 biberẽt, nunquã adipe alimenta cõdirent, vnũ in Dñica die, ſed & quinta feria pulmẽtũ ſumerẽt, quinq; p hebdomadã dies in pane, & aqua ieiuniũ celebrarẽt, solis aũt orationibus vacãtes, vel manuũ

1 Si virgo vſq; ad mortẽ ſãctus fuit, non eſt impoſſibile ſeruare virginitatẽ, vt quidã nũc mentiuntur.

2 Vide victus tenuitatẽ, ab vſu vini, & ab adipibus abſtinentiã, aſſidua ieiunia, eaq; in pane, & aqua, orationũ, & operis manuum inſtãtiã.

operibus inſiſtentes, non agriculturam exercebant, nō prædia, vel aliquam ſubſtātiam, præter vnum ſagmarium, poſſidebant. Cum quo ſcilicet aſello, vel equo vnus erat miniſter, qui vel ad acquirendas, vel ad terendas fruges indeficiens diſcurrebat, ſolusq́; eos cunctis neceſſitatibus ſuſtentabat, Ioānes ſcilicet, qui poſtmodum loci Abbas factus, ſub honeſta rexit adminiſtratione conuentum. Tenebat autem per totam hebdomadam diſtricta cenſura ſilentium, quod vtiq; Dominica die poſt veſperam, cibumq́; ſoluentes, habebant loquendi inuicem vſq; ad completionis officium libertatem. Nudis præterea pedibus, & cruribus iugiter in cellulis morabantur. Dixit autem mihi, quia cùm cohabitaret Anſoni, religioſo videlicet viro, quem & ipſe vidi, quotidie per omnes canonicas diſciplinam ſibimet inuicem ſcoparum ictibus ingerebant. Qui videlicet Anſo ſibi aliquando conqueſtus eſt, quod nouem diarias panis penſas in ventre ſimul haberet. Tanta quippe macerabantur inedia, vt aridus panis conſtiparetur in ilibus, ac digeri difficilè poſſet.

Illic etiam quidam frater erat, qui ſæpè vagabundus egredi de cella tentauerat, quem Ioannes Prior eremi, prout dignum erat, prius auſterè corripuit, deinde in ſua præſentia vapulare præcepit. Cūq; iubente magiſtro, ſe cœpiſſet induere, ſuperbè locutus eſt; quem ruſus magiſter exui, rurſus præcepit verberari. Sed adhuc etiam ſe veſtire incipiens, ſuperbum quid effluere non ceſſauit, ſic tertiò, ſic quartò, & ſi ritè teneo, vſq; ſexties verberatus eſt, nec emendatus. Exutus enim, & reindutus, humilia reſpondere non potuit. Septima verò vice flagellatus, cùm ſe cœpiſſet induere, clara ſtatim voce clamauit, dicens: Ecce diabolus abiit, ecce nequiſſimus cordis mei habitator aufugit, meq́; nexibus, quibus aſtringebar, effractis liberum reliquit. Iam iam domino, ac magiſtro meo libenter obtempero, eiuſq́; me ſubdendum legibus per omnia repromitto. Hoc modo frater ille ad humilitatis cuſtodiam rediit, & in cellula iugiter perſeuerans, de cætero irreprehenſibiliter vixit.

Longè verò poſt, magiſtro præbente conſenſum, dignatus eſt vir ſanctus prædictus mihi miſero, & quem ipſe ſuſcipere dignaretur, indigno, mira ſe prorſus humilitate committere, & ſicut Abbati monachum ſubiugare. Cui nimirum præſtitit, non accepit. Et quem ſuſceperam velut in ſubiectione clientem, gaudeo me in ſchola Chriſti veræ philoſophiæ percepiſſe datorem. Ita quippè vita eius, prædicatio, & ædificatio, doctrina erat, & diſciplina. Sed quia nos nonnulla huius ſancti viri dicta, vel facta per diuerſa dictatus noſtri iā opuſcula ſparſimus, non videtur abſurdum ſi eadem hîc, quæ tamen præ manibus habentur, eo ipſo ſtylo, quo ſcripta ſunt, apponamus. Sanè facilioris eſt exitus, ex dolatis lignis domum conſtruere, quàm dolando ſimul & conſtruendo laboris exercitium geminare. Nam & de templo Salomonis ſcriptum eſt: Domus autem cū ædificaretur lapidibus, de dolatis, atq; perfectis ædificata eſt; & malleus, & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo, cum ædificaretur. Habemus & nos, iuxta noſtræ manus impolitiem, politos lapides, quos vtiq; ſufficit nobis, vt in ſtructura duntaxat, ita vt inuenti ſunt ſimpliciter ordinemus.

In epiſtola itaq; ad Dominum Teozenem incluſum miſſa hoc me ſcripſiſſe reperio: Sed cur ego ſanctos commemorando viros diuerſa paſſim loca perluſtro, quandoquidem intra limen, & præ manibus teneo, ad cuius dignè efferenda præconia impar viribus non aſſurgo? Certè cellulis altrinſecus conſtitutis, ſolo baſilicæ mediantis interſtitio ego, illeq́; diuidimur. Cuius ſi virtutibus enumerandis inuigilo, ante dies elabitur, quàm ſcribendi materia deficere poſſe videatur. Dominicum dico, doctorem videlicet, & dominum meum; cuius quidem lingua ruſtica eſt, ſed vita artificioſa ſatis, & lepida. Quæ ſanè vita ſatis vtilius ad ædificationem viuis operibus prædicat, quàm ſterilis quorundam lingua,

quæ accurata phaleratæ vrbanitatis verba inaniter trutinat. Longo iam annorum elabente curriculo, ferrea ad carnem lorica præcinctus, infœderabilem pugnam cum iniquis ſpiritibus conſerit, ſemperq́; paratus ad prælium, non ſolùm corde, ſed & corpore præmunito aduerſus hoſtiles acies feruidus bellator incedit. Hanc autem continuæ vitæ conſuetudinem indifferenter habet, vt vix dies vlla prætereat, quin duo pſalteria modulando vtraq; manu ſcopis armata nudũ corpus allidat. Et hoc remiſſiori quidem tempore. Nam quadrageſimalibus circulis, ſiue cùm pœnitentiam peragendam habet (crebrò enim centum annorum pœnitentiam ſuſcipit) tunc per dies ſingulos, dum ſe ſcoparum tunſionibus afficit, vt minus, tria pſalteria meditando perſoluit. Centum 3 autem annorum pœnitentia, ſicut ipſo auctore didicimus, ſic expletur. Cùm tria ſcoparum millia vnum pœnitentiæ annum apud nos regulariter expleant, decem autem pſalmorum modulatio, vt ſæpè probatum eſt, mille ſcopas admittat, dum cẽtum quinquaginta pſalmis conſtare pſalterium non ambigitur, quinq; annorum pœnitentia in vnius pſalterij diſciplina rectè ſupputantibus inuenitur. Porrò ſi ue quinq; vicies, ſiue viginti quinquies cẽtum faciunt. Conſequitur igitur, vt qui viginti pſalteria cum diſciplina decantat, centum annorum pœnitentiam ſe peregiſſe confidat. Quanquam & in hoc omnẽ modum Dominicus ſuperet, quia cum nonnulli vnam manum in diſciplinis agendis exerceant, iſte, vt reuera Beniamin filius, contra rebelles carnis illecebras vtraq; manu infatigabiliter pugnat. Hanc aũt centũ annorũ pœnitentiã, vt mihi ipſe profeſſus eſt, facilè ſex diebus ex more conſummat. Memini quoq;, quia cuiuſdã quadrageſimæ imminentis initio mille annos imponi ſibi per nos ad pœnitentiã petijt, quos certè oẽs fermè anteq̃ ieiunij tẽpus tranſigeretur, expleuit. Et paulopoſt hoc, proſecutus ſum.

3 Nota quanti ſit operis ſatiſfactio, cùm centũ annorũ pœnitentiã ſæpè ſanctus imponi ſibi ſtuduerit.

Nunc ad Dominicum, de quo cœperat, ſermo recurrat. Enimuerò cùm hũc iam & incurua ſenectus deprimat, & crebris inſuper ſæpè laboribus contabeſcat, mirum vnde illi tantus feruor incandeat, vt in ſpiritualibus exercitijs ſe ſemper inuictum, ſemper infatigabilem reddat. Nam, vt ipſo referente cognoui, ſæpè duo pſalteria cum diſciplinis ſtando continuat, ita vt neq; interim ſedeat, neque vel ad momentum à perſecutionibus incredibili mentis feruore quieſcat. Inquirenti mihi aliquando vtrum poſſet cum ferreæ veſtis pondere aliquantiſper genuum flexibus inſudare, ſub hac mihi dedit obſcuritate reſponſum. Cùm incolumitas, inquit, mihi votiua reſpondet, quandoq; per omnes totius pſalterij quindenos pſalmos centies genufleċtere conſueui. Quod quidem tunc non diligenter attendi, poſtmodum verò quod dictum fuerat mente reuoluens, à depreſſo homine mille in vno pſalterio fieri admiratus expaui. Quadam die poſt veſperam, cellulam meam ingreſſus, Magiſter, inquit (hoc enim indigno vocabulo me ex humilitate compellat) hodie feci, quod hactenus me feciſſe non memini. Octo nempe pſalteria inter diem ac noctem modulatus expleui. Videbatur autem tunc totus vultus eius, vt ſcopis attritus, ac ſulcantibus quibuſdam vibicibus liuetactus, tanquam ſi pila fuerit ptiſanarum videlicet more contuſus. Pſalmodia ſanè illi idcirco tam facilè prouenit, quia non tam verba, vt ipſe aſſerit, lingua perſtrepente reuoluit, quàm ſenſum mentis viuacitate percurrit.

Aliquando à me remotus habitabat, cùmq; ad me ingreſſum, quibus tunc ſe vitæ legibus regeret, inquiſiſſem, reſpondit, ſe carnaliter viuere, & quintis ſæpè ferijs cum Dominicis diebus à ſolito ſe abſtinentiæ rigore laxare. Requiſitus vtrum quolibet pulmento, 4 ouis, vel caſeo veſceretur, negauit. Rurſus ſi piſcibus, aut pomis; Piſces, ait, & poma, ſi qua ſunt, ægrotantibus præbeo, quorum non minimam multitudinem iacere in noſtris partibus ingemiſco. Cùq; illum durus exactor in anguſto concluderem, dicens: Vnde ergo illis diebus remiſſiùs viuis, ſi nihil eorum comedis, quæ neceſſe ſit vel ignibus decoqui, vel arboribus inueniri? Reſpondit; Feniculo, inquiens, cum pane libenter veſcor.

4 Vide mirũ ciborum delectum.

Mox nimirum peritè cognoui, quàm carnaliter homo viueret, qui ſuas delicias feniculum conſtituiſſet. Habet planè vberem lachrymarum gratiam, ſed alternam. Cùm enim recluſus ſub diſtricto ſe ſilentio reprimit, mox vt voluerit, affluẽter plangit. At ſi colloquio frequentetur, fletum ſe emiſiſſe conqueritur. Sed & ego illi ſæpè penuriam meæ ariditatis impropero, dicens: Heu, inquam, mi pater, iſtæ tuæ lachrymæ infœcundæ ſunt, quæ alias orando lachrymas parere nequeunt. Optarẽ namq; quod conſequens eſt, nimirũ vt ſicut tu mihi pater es, ita nihilominus & tuæ lachrymæ mearum quoq; lachrymarũ fierent genitrices.

In regula quoq; eremitica inſeruiſſe me recolo. Dicam. Sed quis ſcit, vtrum fides aſſertioni fideliſſimæ præbeatur? At paruipendendum eſt, ſi humana temeritas arguat, quem ſumma veritas falſitatis excuſat. Eſt inter nos, qui nõnunquam vno die continuato cum nocte, nouem ſ pſalteria meditando decurrat, & interim penè ſemper vtraq; manu ſcopis armata nudum corpus afficiat. Notandum autem quia dum hæc peragere ſatagit, nocte, vel die dormire non vacat, ſed aliquando genua flectens, dum caput terræ deponit, ſic nudo repentè ſomnus obrepit, eoq; ſolo contentus eſt. Hic mihi aliquando fraterna familiaritate conqueſtus eſt, quia cùm nouem ſic pſalteria ſæpè modulando perficeret, ad decimum nunquam potuerit peruenire.

ſ Ecce in quãto vſu erat olim pſalmodia.

In epiſtola quoq;, quam Blaneæ Comitiſſæ direximus, hæc nos indidiſſe videmur. Vtinam daretur tibi nunc dominum meum videre Dominicum, qui quod imperitæ linguæ conamur officio, ipſe te efficaciori luculentiſſimæ vitæ doceret, & informaret exemplo. Hic deniq; à tribus circiter annorum luſtris lorica ferrea veſtitur ad carnem, duobus autem ferreis circulis in corpore cingitur, duobus item per brachiorum armos arctatur.

Sed quia de illo in alijs noſtris opuſculis iã plura digeſſimus, nunc quod vix ante ſex dies ad nos veniens retulit proferamus. Ait itaq;: Contigit me noſſe, quòd ſcripſeris, nouem me vno die pſalteria decantaſſe cum corporalibus diſciplinis. Quod certè cùm audiui, tremefactus expaui, & conſcientia remordente congemui. Væ, inquam, mihi, ecce hoc de me, neſciente me, ſcriptum eſt, & tamen vtrum à me hoc fieri potuiſſet ignoro. Ego rurſus experiar, & an hoc implere potuerim, indubitanter agnoſcam. Quarta igitur feria me veſtibus exui, & armata ſcopis vtraq; manu totam noctem ducendo peruigilem, pſallere, ac me verberare non deſtiti, donec die altero decurſis duodecim ex more pſalterijs partem decimi tertij vſq; ad pſalmum Beati quorum abſolui. Porrò quod nobis durum ſæpè videtur, & aſperum, quàm ille puerile deputet, ac deſpectum, vno doceamus exemplo. Frater quidam cùm à ſcoparum ictibus nimis abhorreret, atq; perferre grauiſſimum iudicaret, tandem tamen domini Dominici crebriùs inſiſtentis adhortationibus acquieuit, ac per modulationem totius pſalterij, & inſuper quinquaginta pſalmorum, ſibimet diſciplinam inferre proprijs manibus non ceſſauit. Erat autem nox illa præcedens Dominicam diem, & beati Michaëlis 6 feſtiuitatem. Cùmq; facto mane ad prædictum ſenem frater ille veniſſet timens ne de indiſcretione redargueretur, cũ quod egerat per ordinẽ retuliſſet, hac ille voce reſpondit: Noli, frater, puſillanimis eſſe, vel pro hac tua, quæ nunc eſt, infirmitate diffidere; poteſt enim Deus ex imis te ad altiora prouehere, & huius lacteolæ tuæ conuerſationis infantiam ad iuuenilis roboris incrementa firmare. Et adijciens ait: Nos etiam primò pedetentim cœpimus, ſenſimq; ad quod nos diuina pietas perducere voluit, licet licet imbecilles, ac fragiles, educti ſumus. Sicq; factum eſt, vt non eum de immoderato feruore, ſicut ille timebat, argueret, ſed ne deſperationi ſuccumberet, tanquam qui minimũ quid egiſſet, animum refoueret. Huius itaq; ſancti ſenis exemplo faciendæ diſciplinæ mos adeò in noſtris partibus inoleuit, vt non modò viri, ſed & nobiles mulieres hoc purgatorij genus inhianter arriperent. Nam & relicta Techbaldi ſu-

6 Beati Michaëlis feſtiuitas.

blimis vtriuſq; generis,& non infimæ dignitatis,mihi aliquando retulit; præfixam
huius diſciplinæ centum annorum ſe pœnitentiam peregiſſe.

In epiſtola etiam ad Ioannem priorem eremi,quæ iuxta Suſa vicinum mon-
tem eſt conſtituta,cùm eum,eiuſq; ſubiectos ad extenſionem in orationibus ex-
hortatoriè prouocarem,dixi priùs de quodam feruentiſſimo in amore Chriſti fra
tre noſtro,Adam nomine,deinde Dominicum in exemplo ſubieci,ita inquiens:
Habemus autem quendam iuuenculum fratrem,qui mihi confeſſus eſt,à capite
vſq; ad finem pſalterij eleuata ſe brachia tenere dum pſallit,ita vt laqueat tabu-
latum cellulæ manibus ſæpè contingat,hac tamen diſcretione ſeruata, vt per
quinquagenos pſalmos ad momentum brachia extẽta deponat,& protinus eri-
gat. Habemus & alterum prouectioris ætatis,incuruum videlicet ſenem,& vt ſe
cretè ubi confitear,hic Dominicus eſt. Is itaq; quandam ſcriptiunculam repe-
rit,vbi dicebatur,quòd ſi quis duodecim illic notatos pſalmos vicies quater,ere
ctis in modum crucis manibus,caneret,pro vno poſſet anno pœnitentiam regula
riter cõpenſare. Protinus ille in exercitium id quod dicebatur arripuit,& duo
decim illos pſalmos extenſis brachijs,ſicut dictum eſt, vicies quater ſub nullo
prorſus interuallo,ſed vno ductu quotidie decãtabat.Scripſi ſup hoc & in alijs
fortaſſe opuſculis,q̃ vel ad pſens deſunt,vel facilè memoriæ nõ occurrũt. Itaq;
ab eorũ replicatione, q̃ ſcripta ſunt,ad noua quælibet articulus trãsferatur.

Enimuerò quaſi quidam diuinus ignis in eius pectore iugiter æſtuabat,qui nũ
quam permittebat eum à ſpiritualis exercitij labore quieſcere. Aliquando nãq;
cùm ego perquirerem ſacroſancto die 7 Paſchali,cæteris fratribus,iuxta mo- 7 Sacroſãctus Paſchalis dies.
rem,meridie quieſcentibus,vtrum & ipſe dormiſſet,ait: Certè, pater,dixi in cor-
de meo: Quid mihi,tam longis adhuc noctibus,in die dormire? Extenſis itaq;
in Crucis effigiem brachijs,pſalterium cœpi: Quo me ſic ſtante decurſo, ſignũ
protinus horæ nonæ perſonuit. Hoc itaq; modo iunxit victoriam Crucis cum
gloria Reſurrectionis. Aliquando cùm de quotidianis,vt mos eſt,inuicem con
fabularemur operibus, ait: Hac etiam nocte quid mihi contigerit manifeſto. Nã
dum ſolutus ſopore ſurrexi,mox brachijs in modum Crucis extenſis pſalterium
cœpi, cùmq; pſalmis omnibus,& canticis,quæ ſequuntur,hymniſq; decurſis,eò
loci iam eſſem,vt ſolo catholicæ fidei pſalmo,& litanijs deberem cuncta conclu
dere,accidit in mentem,vt interim iſta dimitterem, ac pro defunctis pſalterium
decantarem. Igitur brachia nõ deponẽs,ad defunctorũ pſalteriũ tranſiit,quod
iuxta morẽ per quinquagenos pſalmos trifaria lectionũ interpollatiõe diſtinxi.
Quo ſic expleto,ad id protinus,qd omiſerã,redii,atq; hoc,quod de primo pſalte
rio reliquũ erat,expleui.Cũq; de tertio conſequenter aggrediendo pſalterio cogi
tarẽ,benefactũ,vt ita dixerim,ſignũ repẽte nocturnæ ſynaxis inſonuit, quod me
depoſitis vlnis officium cum fratribus celebrare coëgit,& certè neſcio quo anni
tempore noctes breuiores erant.

Aliquãtis porrò ante obitũ annis,quaſi nouũ ſupplicii genus inueniẽs, virga 8
rũ 8 ſcopas in corrigiarũ ſcuticas vertit,ſemelq; guſtato,qa duriores ſunt,in his Ecce quanta
verberãdi cõſuetudinẽ poſuit.Hoc flagellũ, ſi qñ egrederet ad ſeculũ, portabat corporis af-
in ſinu,vt vbicũq; eũ iacere cõtingeret,à verberibus nõ vacaret. Aliqñ verò cũ flictione car-
loci occaſio nõ pberet totũ ſe poſſe exuere,per crura ſaltim,& fœmora, p caput, nis concupi-
atq; ceruicẽ ſeſe nõ ceſſabat affligere.Circulis quoq; ferreis quatuor, qa ſibi præ ſcentiam ſan
lõga cõſuetudine iã viluerãt,quatuor itẽ ſupaddidit,vt duobus in coxis,duobus ctus calca-
cõſequẽter in crurib⁹ ſtringeret. Enimuero loricã,& qbus vtebatur,tanq̃ cilicijs, bat.
vel lanea q̃libet indumẽta,poſt mẽſes,ſiue poſt ſpatiũ plixius abluebat,vt rubigi
nẽ deponerẽt,& aridis ingerẽdũ mẽbris vredinẽ nõ haberẽt.Porrò aũt cũ oẽs,q
in cellulis habitamus,hoc laboremus,vt p muniẽdis à frigore pedib⁹ veſtimẽta
vſq; ad imũ defluant pauimẽtũ,hoc etiã nobis in eo intolerabile videbatur,quia
cũ in eremo & ocreas neſciret & calceos,veſtes tñ eius ad tibias vix medias de-

ſcendebant. Nudatus aũt ad ſuſcipiendã in capitulo diſciplinã, quod ſcilicet nũquam omittere volebat, exeſis ieiunio membris, & amatæ loricæ mole detritis, Aethiopicam contraxiſſe nigredinem videbatur. Veſtimenta verò lurida, & carioſa, vt ita dixerim, videbantur vetuſtate conſumpta. Hoc mihi ſæpè dicebat: In hoc pſalmodia prouenit citò pſallenti, ſi corde verba teneat, ſi quæ lingua loquitur, mẽs veraciter cõprehendat. Alioquin ſi cor vagatur, pſalmorũ curſus ad finẽ, lingua nũc fallente, nũc tepeſcente, tardè pducitur. Aiebat etiã, quia ſomnũ ſomnus adeſcat, & vigilias vigiliæ pariunt. Nã corpus humanũ, in quo paulatim priùs enutrit, in hoc ꝑ incremẽta poſtmodũ roborat.

Sed hîc me quiſpiam fortaſſe redarguat, qui videlicet, non tam quem viuendi ordinem vir ſanctus habuerit, ſed quibus miraculis in hac vita claruerit, audire feſtinat. Cui me breuiter hoc reſpondere ſufficiat: Quoniam & Maria, & Ioãnes Baptiſta miraculum feciſſe non legitur, cùm tamen eorum vita non qualibet ſcriptura, ſed Euangelio teſtante narretur. Quanquam Maria in ſolo partu, quem ædidit, omnium proculdubio ſanctorum virtutes, ac ſigna præcellit. Hoc etiam inferam, quia vberiorem fructum præbet audientibus ſanctorum virorum mirabilis vita, quàm oſtenſa miracula. Illa ſiquidem exigit imitationem, iſta ſolam ingerunt admirationem. Miracula docent, quomodo illi ſancti fuere; vita verò inſinuat, qualiter & nunc homines fieri valeant ſancti. Propterea qui miraculum quæris, non'ne tibi videtur eſſe mirabile, hominem fragili adhuc carne circundatum, Angelitus (vt ita loquar) viuere, adeò vt inter quamplurima hominum millia vix vnum ei ſimilem valeas reperire? Et certè quamplures hodie ſunt inferioris vitæ, per quos Deus omnipotens dignatur virtutẽ oſtendere.

Ieſu teſte, non mentior, quia necdũ tres menſes elapſi ſunt, ex quo ad me in Samugni videlicet eremo diuerſantem duo adoleſcentes monachi venerunt, quorũ alter de Spoletina monarchia, alter verò de Venetiæ dominio, Polenſi videlicet vrbe, oriũdos ſe eſſe dixerunt. Sed Venetus, vocabulo Michaël, ſicut nobis in confeſſione perhibuit, in ipſo ſuæ conuerſionis initio, circulo ferreo ſub hac deſiderij ſui pactione ſe conſtrinxit, rogans Dei omnipotentis obnixè clementiã; vt cùm locum ſaluti ſuæ congruum reperiret, confeſtim ille circulus frangeretur. Porrò aũt ipſo die, quo eremũ nouus hoſpes ingreſſus eſt, vix poſt triũ horarũ ſpatiũ, dũ beati Benedicti regulã, ſicut eſt idiota, vtcunq; ſyllabatim legeret, repente cõpunctionis eũ ſpiritus in lachrymas ſoluit, eodẽq; momẽto circulus illè fractus apparuit. Quod miraculũ qm̃ alibi iã nos deſcripſiſſe meminimus, celeriter trãſcurrẽtes, ſequẽs aliud, qđ, nec dũ literis inſertũ eſt, enucleatius digeram.

Paulòpoſt nanq; Rauennam vrbem, me iubente, perrexit, vt ſarcinulas ſuas, quas ibi de naui prodiens reliquerat, exportaret. Illic itaq; apud fabriles officinas noua ferreorum nexuum argumenta confinxit, multiſq; ſe vinculis per diuerſa membra ipſe ſibimet iudex, & reus violenter arctauit. Nam duo pendebant vincula ceruice tenus per humeros altrinſecus, hinc ad ſexum, illinc ad fœmen: duos verò in coxalibus circulos, duos ſuſcepit in vlnis. Vndiq; igitur tam multiplici conſtrictione vallatus ad nos redijt. Secretè quod circa ſe factum fuerat oſtendit, ne'ue quæ fecerat immutarem, vix tandem voti compos obtinuit. Sed cùm hæc illum vltra vires tormenta grauarent, & ex attritis carnibus iam iam fœtor erumperet, inſuper acceſſit quod cor fratris gloriam reſpuentis acriùs perturbauit. Cœpit enim huius myſterij fama prorumpere, & prius per fratrum,

9 Feſtiuitas beatorum Apoſtolorũ Simonis & Iudæ.

deinde per ora ſuperuenientium quorumlibet volitare. Rogauit itaq; omnipotentis Dei miſericordiam, vt quid ſibi ſuper hoc cœpto placeret, per ſuæ miſericordiæ indicium euidenter oſtenderet. Interim verò dum huiuſmodi precibus frequenter inſiſteret, bis per ſomnium confortatus, audiuit, quia ferramenta illa iam eſſent diuinitus reſoluenda. Porrò autem in feſtiuitate 9 beatorum Apoſtolorum Simonis & Iudæ, quam nuperrimè

celebrauimus,

celebrauimus,dum nocturno cum fratribus intereſſet officio, repente duo illa ferramenta,quæ ſuper humeros poſita ventreq; inferiùs dependebant, ventremq; cum renibus coarctabant,prorſus effracta ſunt,& vnum in duas,alterum in tres diuiſum eſt partes. Cæteri verò circuli,non quidem per partes abrupti,ſed ita laxati ſunt,& quidā facti ſunt tā mollita lenitate flexibiles,vt quodāmodo non tā ferrei,quàm plumbei viderentur,adeò vt etiam ſi vellet,defluentibus eis,ac prolabentibus,aſtringere ſe vltra non poſſet. Sic frater,qui ſanctæ deuotionis æſtu ſi fuerat ardore conſtrictus, pio Dei iudicio eſt mirabiliter abſolutus. Quid ergo magnum,ſi per Dominicum,mirabilem videlicet virum,ſignum aliquod voluiſſet oſtendere,cùm in ipſo tyronatus exordio per hunc iuueneculum duo mira cula dignatus eſt exhibere,ac laudabiliùs ſit fortia peregiſſe, quàm noua? Vnde Dauid cùm præmiſiſſet: Mirabilis Deus in ſanctis ſuis: protinus addidit: Ipſe dabit virtutem,& fortitudinem plebi ſuæ. Non ait,ſigna,ſiue prodigia,ſed Ipſe dabit virtutem,& fortitudinem.

Cùm Romanus quidam,Stephanus nomine,iudex ſacri palatij ſummā præſidentatus adminiſtraret Auximi,exigente cauſa Dominicus ad eum venit, eūq; ſuper quadam eremi poſſeſſione,quam ex iure ſedis Apoſtolicæ detinebat, obnixè rogauit. Quem ille vtpote nulla veſtium compoſitione feſtiuum, deſpiciens ſpreuit,eiq; nil eorum,quæ poſcebat,indulſit. Cùmq; ſibi à circunſtantibus diceretur: Noli eum tam durè ſuſcipere,ſanctus enim vir eſt: ille tanquam euomens,ait: Sit ſanctus,vt vultis,ſed beatus Petrus certè ſanctior eſt, cuius ego cauſam in hac adminiſtratione defendo. Igitur impos cœpti Dominicus redit ad cellulam. Ille quoq; poſt paululum reuerſus eſt Romam. Porrò puer quidam deſpicabilis,qui ad exequendum quodcunq; negocium in adminiſtratione remanſit,quicquid Dominicus petierat à iudice,cuncta reuerenter impleuit. Iudex autem non diu poſtquam ad propria repedauit,hoſtilibus gladijs perfoſſus interijt,multaſq; diuitias,quia ſobolem non habebat,extraneis hæredibus dereliquit. Erat præterea Dominicus valde cautus in verbis,vt aptè ſibi congrueret illa ſententia,qua Iacobus Apoſtolus ait: Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. Nam ſi quando quæreretur,quota diei hora eſſet,nunquam abſolutè dicebat, quota eſſet,ſed cum hoc additamento ſemper, Propè tertia hora eſt,prope ſexta hora eſt. Inquiſitus à me,cur ſemper ita diceret; In hoc, inquit,mendacium caueo; nam ſiue ſit hora tranſacta,ſiue adhuc fortaſſis immineat,propinqua tamen eſt,quæ videlicet à momento,in quo loquimur, non elongatur.

Habebat aliquando cellulam iuxta monaſterium,quod dicitur Coniunctuli. In vigilia itaq; Dominicæ 10 natiuitatis cùm tota præcedenti quadrageſima manſiſſet incluſus,tantiſq; ieiunijs,atq; laboribus eſſet vehementer afflictus,inuitante gloria ſolennitatis egreſſus, Abbati loci humiliter procidit, veniam petijt, actus ſuos,& cogitationes lachrymabiliter accuſauit. Ille autem vt erat inexpertus,leuis moribus, & conſilijs ſpiritualibus inſuetus, cùm ſibi ſufficeret vnum pſalmum,vel perexiguum quid imponere,præcepit vt pro his, quæ confeſſus fuerat,triginta pſalteria decantaret. Qua nimirum ille ſententia, velut ſagitta percuſſus ad cor redijt, atq; hoc prouenisse ex diuini diſpoſitione iudicij deputauit. Itaq; regreſſus in cellulam,nunquam prodijt, donec præfixum indictæ pœnitentiæ canonem inſtantiſſima ſedulitate perſoluit.

10 Nauitas Dñi noſtri Ieſu Chriſti glorioſa ſolennitas.

Solebat autem per interualla, licet parciſſimè, vinum bibere; ſed longè antequā defunctus eſt, decreuit ab eo 11 penitus abſtinere. Vt itaq; iā omiſſis cæteris,ad obitū veniamus,patiebatur grauedinē ſtomachi,crebris inſup capitis

11 Nota abſtinentiam à vino.

doloribus cruciabatur. Et quoniam alterum ſæpè procedit ex altero, pro poſuit ad purgandum ſtomachum, antidoti ſumere poculum. Sexta igitur feria per continuum diem vix deſijt vel modulandis pſalmis inſiſtere, vel corrigiarum ſe ictibus flagellare. Nocte verò, ſopore depoſito, ſuſcepit antidotum; deinde cœpit anguſtiari, & de ſtomachi dolore grauiter conqueri. Poſt decurſum itaq; nocturnæ ſynaxis officium, poſt matutinos hymnos, cùm prima iam hora ſibi à fratribus, qui aderant, cantaretur, ſanctum Deo ſpiritum reddidit. Inuenerunt autem & alteram loricam, præter eam, qua indutus erat, lateribus eius ſindonis more ſubſtratam. Vnde ſuſpicati ſunt fratres, hoc ſibi præter conſuetudinē nullatenus acciдiſſe, ſed ſub ſe eam ſanum quoq; tenere conſueuiſſe, ſuper quam vi delicet & in infirmitate iacebat. Somniauit autem tunc quidam frater de me, quòd oculorum lumen amiſeram. Quod dum ego Hildeprando venerabili Romanæ Eccleſiæ Archidiacono in Lateranenſi palatio retuliſſem; Nequaquam, inquit, vt times, hoc tibi propinquæ eſt mortis indicium; ſed familiaris tibi aliquis extinguetur, qui tibi & charus ſit ſicut oculus, & lumen tuum, ac ſplendor in bonis operibus videatur. O verum, ſed amarius omni felle præſagium. Tertio die poſtquam Romanis mœnibus ſum egreſſus, ecce mihi relatio crudelis occurrit, quæ mihi nil minus opinanti, cæcatum me remanſiſſe perhibuit, dominum ſcilicet & illuminatorem meum Dominicum ex hoc ſeculo nuper egreſſum. Illico mihi liquidò patuit, dum ille petijt lucis authorem, in tenebrarum me remanſiſſe caligine. Fratres autem corpus eius ne à vicinis monachis corriperetur è manibus, in eadem, in qua defunctus eſt, cellula, defoſſa humo celeriter obruerunt. Nos autem ipſo die Dominico, quo eremum ingreſſi ſumus, ſanctum corpus inde ſublatum reuerenter, vt dignum erat, in capitulo ſepeliuimus. Et cùm nonus eſſet depoſitionis eius dies, prædictum corpus ſanum, illibatumq; reperimus.

Eant nunc, qui carnis ſuæ delectantur illecebris, medullas abſorbeant voluptatum, & occiſionis victimæ ad æternum nutriantur incendium. In ſuperbiæ ſe cornibus efferant, ventilent innocentes, ad votum molliter viuant, vt eorum poſtmodum penitus ſemper vlcera amareſcant. Nunc velut infrenes equi per voluptatum ſuarum prata diſcurrant, vt poſt eorum manus; & brachia diſtrictionis extremæ lora cohibeant. Dominicus autem noſter ſtigmata Ieſu portauit in corpore, & vexillum Crucis non tantùm in fronte depinxit, ſed cunctis etiam vndiq; membris impreſſit. Exuſtus, & aridus ab humore calami, & iunci vberibus, cœleſtis gratiæ meruit imbribus irrigari. Hìc ferrea lorica præcingitur, illic niueis Angelicæ gloriæ veſtibus decoratur. Hìc duritia cubilis atteritur, il-
12 lic 12 molli Patriarcharum gremio confouetur. Tota hæc vita facta ſibi parasceue Crucis, illic autem feſtiuus, & ſplendidus æternam celebrat gloriam Reſurrectionis. Nunc inter ignitos ſupernæ Hieruſalem lapides emicat; nunc ornatus victoriarum ſuarum titulis æterna laude triumphat, atq; in illa beatorum ciuium iucunda ſocietate coniubilat. Obijt autem beatus Dominicus pridie idus Octobris, regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

Vide animā beati Dñici collocatā in cœlo.

PROLOCVS EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI IN VITAM SANCTI ROMVALDI.

ADVERSVM te, immunde munde, conquerimur, quia habes intolerabilem ſtultorum ſapientium turbam tibi facundam, Deo mutam. Habes qui per vanam eloquentiam, & inanem philoſophiam ſe ſciunt in ſuperbiæ cornibus arroganter extollere; non habes qui profuturum aliquid ædificationi proximorum ad poſterorũ velit memoriam ſchedulis adnotare. Habes, inquam, qui in prætorijs iudicum, negociorum ſecularium lites, & cauſarum iurgia continuis valeant declamationibus perorare; non autem habes qui poſſit in ſancta Eccleſia vel vnius ſanctorum virtutem, & clara geſta deſcribere. Sapientes ſiquidem ſunt vt faciant mala, bona autem facere neſciunt. Ecce enim tria iam ferè luſtra tranſacta ſunt, ex quo beatus Romualdus depoſito carnis onere ad ætherea regna migrauit, & nemo adhuc ex huius mundi ſapientibus extitit, qui de tot mirabilis vitæ præconijs pauca ſaltem hiſtorico ſtylo digereret, & auidiſſimæ deuotioni fidelium ſatisfaciens, ad communem vtilitatem recitanda ſanctæ Eccleſiæ traderet. Nobis autem in anguſto cellulæ angulo reſidentibus, vtilius erat, ſicut propoſuimus, propria peccata ad mentis oculos aſſiduè reuocare, quàm alienæ virtutis hiſtoriam texere; magis expediret commiſſi reatus tenebras plangere, quàm ſplendida ſãctitatis inſignia imperitis ſermonibus offuſcare. Veruntamen cum ad 1 ſepulchrum eius ex longinquis terrarum partibus toto anno, maximeq; in eius feſtiuitate fidelium multitudo conueniat, miracula per eum diuinitus facta cõſpiciat, audire vitæ eius hiſtoriam deſiderabiliter quærat, ſed vtpote quæ non ſit, audire non valeat, non irrationabiliter pertimeſcimus, ne celeberrima eius fama, quæ adhuc populi totius ore depromitur, labente curriculo temporum, de memoria hominum penitus deleatur. Quapropter hoc timore compulſus, multorumq; fratrum precibus, & germana charitate deuinctus, quod de prædicto mirabili viro ab egregijs eius diſcipulis didici, aggrediar, Deo authore, deſcribere, vitæq; eius initium, curſum, & finem, nimirum imperitus homo, non hiſtoriam texens, ſed quoddam quaſi breue commemoratorium faciens, quibuſcunq; tentabo literarum apicibus exarare. Hoc autem vnum in primis lectorem meum noſſe deſidero, quia non multa per eum facta miracula in hac ego deſcriptiuncula colligam, ſed potius (quod ad ædificationem omnimodis attinet) conuerſationis eius ordinem referre contendam. Beatus ſiquidem vir in tantum ſe

1 Ecce quomodo ad ſancti ſepulchrum ex lõginquis terrarum finibus, maximè in eius feſtiuitate cõfluit fideliũ multitudo & miracula per eũ diuinitus facta cõſpicit;

VITA INCIPIT.

ROMVALDVS igitur Rauennæ ciuitatis oriundus ex illuſtriſſima Ducum fuit ſtirpe progenitus, qui cùm iam in adoleſcentiam perueniſſet, cœpit in peccato carnis procliuis exiſtere, quo videlicet vitio illa ætas impugnare homines præſertim diuites vehementiùs ſolet. Mente tamen Deo deuotus, frequenter ſe tentabat erigere, facturum'q; ſe magnum aliquid proponebat. Nam ſi quando ſe ad ſtudium venationis accingeret, vbicunq; per ſyluas amœnum locum reperire poterat, mox ſe ad eremi deſiderium eius animus accendebat, dicens intra ſe: O quàm benè poterāt eremitæ in his nemorum receſſibus habitare; q̃ congruè poſſent hîc ab omni ſecularis ſtrepitus perturbatione quieſcere. Et ita mens eius cœlitus inſpirata iam diuinabatur in amore, quod impleturus erat poſtmodum opere.

Huic erat pater, nomine Sergius, mundo vehementer intentus, & omnino ſecularibus negocijs implicatus, qui dum aduerſus quendam propinquum ſuum exortis ſimultatibus pro poſſeſſione partis inimicitias exerceret, videns filium Romualdum in contentione molleſcere, crimen'q; fratricidij medullitus formidare, minari cœpit exhæredem facere, ſi in eadem diutius ſententia permaneret. Quid plura? Tandem vtræq; inimicantium partes ex vrbe ad litis materiam proruunt, arma corripiunt, bellum ſociale committunt; & dum cominus hinc inde pugnatur, repente manu Sergij inimicus, & affinis occiditur. Romualdus autem, licet nullum perempto vulnus inflixerit, quia tamen interfuit, pœnitentiam tanti reatus accepit, mox'q; ad Claſſenſe monaſterium beati Apollinaris more homicidarum diebus quadraginta 2 permanſurus in luctibus properauit. Illic autem diſtricta ſe pœnitentia iugiter macerans, cœpit cum quodam conuerſo quotidianum habere colloquium, à quo etiam iuxta mediocritatē ſenſus bonæ exhortationis audiebat ſæpè conſilium. Quem cùm conuerſus frequēter admoneret, ſecularem vitam omnino poſtponere, & ad ſanctæ conuerſationis ordinem feſtinare, ſed ad hoc mentem eius humiliare nullatenus poſſet, aliquādo inter cætera velut gratulabundus intulit dicens: Si tibi ego beatum Apollinarem corporali ſpecie, ita vt eum manifeſtè videre poſſis, oſtendero, quid à te præmij reportabo? Ad hæc Romualdus; Firma, inquit, & inuiolabili me obligatione conſtringo, quia mox vt beatum martyrem videro, apud ſeculum vlterius non manebo. Hortatur ergo conuerſus, vt ipſa nocte Romualdus dormire poſtponeret, & vnà ſecum intra Eccleſiam in orationibus vigilaret. Cùm'q; nocturno ſilentio longanimiter ambo in oratione perſiſterent, ecce circa gallicniũ noctis beatus Apollinaris, his duobus manifeſtè videntibus, exijt de ſub altari, quod in medio Eccleſiæ ad honorē beatæ virginis Mariæ cernit̃ eſſe cõſtructũ.

2 Vides qño etiā antiquitus pro peccatis cõmiſſis, opere per multos dies ſatisfaciebāt.

3 Nota cõtra eos, qui ſanctos vocant emortuos.

Viſus eſt autem 3 exire ab orientali parte, illinc videlicet, vbi marmor porphyreticum iacet. Confeſtim verò tantus ſplendor totam repleuit Eccleſiam, ac ſi ſol fulgoris ſui radios intra ipſos parietes cohiberet. Tunc beatiſſimus martyr ſacerdotalibus infulis mirabiliter exornatus, aureum in manu portans thuribulum, cuncta Eccleſiæ 4 incenſauit altaria, & hoc facto ſtatim vnde exierat redijt, mox'q; omnis ille ſplendor proſequens apparere ceſſauit.

4 Ecce ãtiquũ vſum thurificandi altaria Eccleſiæ.

Cœpit itaq; conuerſus Romualdo durus nimirum exactor vehementer inſiſtere, & vt adimpleret quod vltro promiſerat, anxiè poſtulare. Cùm'q; Romualdus adhuc reſiſteret, & eandem viſionem denuo cernere flagitaret, alia nocte ſimiliter in oratione perſiſtunt, & beatum martyrem per omnia, ſicut prius, aſpiciunt. Vnde etiam poſtmodum ſi de corpore prædicti martyris aliquando quæſtio oriretur, Romualdus penitus affirmabat in ipſa Eccleſia eſſe reconditum; & quandiu vir ſanctus vixit, hoc proferre teſtimonium non ceſſauit. Habebat quoq; Romualdus conſuetudinem ante præcipuum altare Eccleſiæ orationi frequenter incumbere, ibi'q; poſtquam fratres abſceſſerant, multis Deum ſatagebat gemitibus exorare. Dum'q; hoc quadam die poſt viſionem attẽtius faceret, tanto mox diuini amoris igne mentem illius Spiritus ſanctus accendit, vt in fletum repente prorumperet, vberes lachrymarum riuos reſtringere non valeret, monachorum ſe pedibus proſtratus aduolueret, tradiq; ſibi monachicum habitum inenarrabili deſiderio flagitaret. Monachi verò dum patris eius duritiam metuunt, conuerſioni illius aditum pandere non præſumunt. Honeſtus autem, qui tunc Rauennæ Archiepiſcopalem cathedram obtinebat, olim Claſſenſis cœnobij Abbas extiterat. Huic ergo Romualdus impiger adijt, eiq; ſui cordis deſiderium patefecit. Qui alacer factus caſtæ concupiſcentiæ exhortationis ſtimulos addidit, fratribus'q; vt eũ ſuo collegio incunctãter aſciſcerent, imperauit. Huius itaq; patrocinio cœnobitæ ſuffulti Romualdum intrepida ſecuritate ſuſcipiunt, eiq; ſanctæ conuerſationis 5 habitum tradũt.

5 Vide Romualdũ monachorũ habitum ſuſcipere, quod facere ſolent omnes, qui monachiſmum profiteri volunt.

In eo igitur monaſterio triennium ferè tranſegit. Sed cùm ibi cerneret nonnullos per lata gradientes remiſſius viuere, ſibi autem arduam perfectionis ſemitam, quam mens dictabat, arripere non licere, quid ſibi agendum eſſet ſolicitè in ſemetipſo cœpit inquirere, multis'q; cogebatur cogitationum fluctibus æſtuare. Præſumebat autem leuiter conuerſantium vitam durè corripere, & ſæpè ad eorum confuſionem præcepta regulæ 6 in teſtimoniũ conuocare. Cùm'q; redarguendis eorum vitijs vehementer inſiſteret, illi autem iunioris, & nouitij verba pro nihilò deputarent, tandem hoc opprobrium non ferentes, dum propriam emendare vitam deſpiciunt, de corripientis morte tractare cœperunt. Solebat porrò Romualdus per noctem cæteris fratribus maturius ſurgere, & ſi oratorij adhuc ianua clauſa eſſet, intra ipſum dormitorium in orationibus excubare. Erat autem prædictum ædificium more ſolarij altè ædificatum. Hoc itaq; inuenerunt filij Cain, diabolo dictante, conſilium, vt dum Romualdus ante alios ſolito more conſurgeret, ipſi eum per ſolarij ſpeculum, verſo deorſum capite, in terram præcipitarent. Quæ res poſtquam Romualdo per conſcium conſpirationis innotuit, ille iam de cætero intra cordis cubiculum, clauſo oris oſtio, orans Patrem ſuum, imminens periculum deuitauit. Quo quidẽ modo dum ſibi cauit præcipitium corporis, fratribus ne in animarum mortem corruerent, barathrum clauſit iniquitatis.

6 Etiam antiq monachi regulas habebant.

Cùm'q; in eiuſdem animo perfectionis amor magis, ac magis in dies creſceret, nullam'q; mens eius requiem inueniret, audiuit quia in Venetiarum partibus quidam ſpiritalis vir eſſet, Marinus nomine, qui eremiticam duceret vitam. Conſenſu itaq; ab Abbate, & fratribus nimirum facillimè impetrato, ad præfatum venerabilem virum nauigio diſcurrente peruenit, & ſub illius regimine

degere humillima deuotione mentis inſtituit. Erat autem Marinus inter cæteras virtutes, vir ſimplicis animi, & ſynceriſſimæ admodũ puritatis, q nullo quidem magiſterio eremiticæ conuerſationis edoctus, ſed ad hanc ſolummodo bonæ voluntatis impulſu fuerat incitatus. Porrò autem hunc viuendi morem habebat, vt per continuum anni circulum tribus hebdomadæ ferijs mediam 7 panis bucellam, & pugillum fabæ guſtaret, tribus verò vinum & pulmentum diſcreta ſobrietate perciperet. Pſalterium quidem per dies ſingulos totum canebat. Sed nimirum rudis, & nullatenus vitæ ſingularis inſtructus, ſicut ipſe poſtmodum beatus Romualdus hilariter referebat, plerunq; de cella exiens vnà cum diſcipulo paſſim per latitudinem eremi pſallendo ſpatiabatur, nunc ſub iſta arbore vicenos, nunc ſub illa tricenos, vel quadragenos concinens pſalmos. Romualdus autem, qui ſeculum idiota reliquerat, aperto pſalterio, vix ſuorum verſuum notas ſyllabatim explicare valebat, & hæc oculorum in ima deflexio, intolerabilem ſibi importunitatem accidiæ generabat. Marinus verò virgam in dextera gerens, Romualdo è diuerſo ſedenti ſiniſtram capitis partẽ ſæpiſſimè verberabat. Poſt multa autem Romualdus graui admodum neceſſitate compulſus, humiliter ait: Magiſter, ſi placet, à dextro me deinceps tempore percute, quia iam læuæ auris auditum funditus perdo. Tunc ille tantam eius patientiã admiratus, indiſcretæ ſeueritatis temperat diſciplinam.

7 Ecce beati huius patris auſteritatem vitæ, & pſalmodiam.

Eodem verò tempore Petrus, cognomine Vrſeolus, Dalmatici ducatus gubernabat habenas. Qui videlicet ad huius faſtigium dignitatis idcirco peruenerat, quia deceſſoris ſui, Vitalis ſcilicet Candiani peremptoribus fautor extiterat. Cur autem ille à ſuis extinctus ſit, non ab re eſſe arbitror, ſi ſeruatæ compendio breuitatis exponam. In coniugium germanam Vgonis magni illius Marchionis acceperat, & æmulatione Leuiri ſuadente, multos ex Longobardia, & Thuſciarum partibus milites, profligatis pecuniarum ſtipendijs acquirebat. Hoc autem Venetiarum incolæ non ferentes, clam inire conſilium, vt repentino impetu Ducis palatium armati violenter irrumperent, eumq; cum omni domo ſua in ore gladij abſq; vlla retractatione necarent. Huius verò conuenticulæ coniurατione comperta, Vitalis Dux nocturnis, diurnisq; vallatus excubijs, hoſtiles inſidias ad nihilum redigebat. Illis autem hæc & illa tentantibus, ſed ad inceptæ factionis effectum attingere non valentibus, tandem viſum eſt, vt domum Petri, quæ Ducis palatio adiacebat contigua, prius incenderent, iſtoq; modo & Ducem caperent, & vniuerſa eius domeſtica concremarent. Iſtius verò rei experiendæ conſenſum à Petro, qui eorum conſilij particeps fuerat, flagitantes, ita inter ſe pacti ſunt, vt pro vna eius domo, quam igne conſumerent, totam illius ditioni Venetiam ſubderent, & deiecto illo, quem exoſum habebant, Ducem hunc loco eius protinus ſubrogarent. Hoc igitur modo Petrus Dalmatici regni adeptus eſt principatum, qui poſtmodum ambitionis ſuæ voluptate potitus, reſpectu diuinæ gratiæ demum corde compunctus eſt.

Quidam Venerabilis Abbas, Guarinus nomine, ex vlterioris Galliæ finibus orationis 8 gratia per diuerſas mundi regiones peregrinari ſolitus erat. Hic igitur ad Ducem veniens ab eo protinus, vt ſibi ad euadendum tanti reatus periculum conſilium præberet, rogatus eſt. Itaq; accerſitis Marino, & Romualdo, hoc ſibi communi iubetur ſententia, vt ſeculum ſimul cum ipſo, quem per nefas inuaſerat, Ducatu relinqueret, quia alienæ poteſtatis dominium ſubiugauerat. Ille homo nimirum in poteſtate poſitus, quia conuerſionem ſuam manifeſtè facere auſus non eſt, tutum putauit hoc vtendum eſſe conſilio. Imminente igitur feſtiuitate ſancti cuiuſdam martyris, & cuius vocabulo baſilicam in propria poſſeſſione adhuc priuatus habuerat, illuc pridie vxorem ſuam præmiſit ipſe quaſi mox ſecuturus, hoc ei præcipiens, vt & ornatũ Eccleſiæ accuratiſſimũ

8 Vide peregrinationes ad loca ſancta orationis gratia.

prouideret,& ſecum venietibus ſumptuoſas epularum delicias in craſtinum præpararet. Ipſe autem poſt coniugem remanens, ijs de ſuis theſauris, quæ ſibi videbantur, ablatis, cum quodã ſuo familiari, Ioãne ſcilicet Gradenico, qui prædictæ coniurationis cõſcius fuerat,& cũ tribus illis beatis viris, quos præmiſimus, nauem aſcendit, deinde in Galliam ad monaſterium Abbatis Guarini magnus conuerſus aufugit.

A Vide ſpeciale, Ducẽ habentẽ vxorẽ ſine eius cõſenſu monachum factũ. Idem habes de Abbate Theõa apud Caſſianum.

Petro igitur,& Ioanne monachis A in ſancti Michaëlis cœnobio factis, Marinus & Romualdus non longè à monaſterio degentes, ad ſingularem vitam cui aſſueti fuerant, reuertuntur. Quibus etiam ipſi iamdicti fratres, peracto vix annuo ſpatio, ad perferendam eiuſdem ſolitudinis diſtrictionem aggregati ſunt. Interea Romualdus accenſo mẽtis deſiderio, cœpit de virtutibus in virtutes mirabiliter creſcere,& reliquos fratres ſanctæ conuerſationis greſſibus longiùs anteire, vt iam quicquid inter fratres ſiue de ſpiritualibus, ſiue etiam de corporalibus ipſe decerneret, cunctis volentibus, eius omnino ſententia præualeret. Ipſe quoq; Marinus gaudebat Romualdo eſſe deuotus, cui fuerat pauloante prælatus. Per continuum itaq; annum Romualdus nihil aliud in cibum habuit, niſi tantùm per ſingulos dies vnum pugillum elixi 9 ciceris. Tribus verò annis ipſe,& Ioannes Gradenicus ſarculis terram frangentes, et triticum ſeminantes, ex manuum ſuarum labore vixerunt. Qui nimirum dum agriculturam exercebant, pondus ieiunij duplicabant. Impugnabat tamen diabolus Romualdũ multis,& varijs tentationum immiſſionibus, maximè initio conuerſionis, mentemq; eius per multa vitiorum incentiua raptabat, modò illi in memoriam reuocans quæ & quanta, vtpute vir ſtrenuus, in ſeculo acquirere potuit, modò quæ ingratis propinquis nec dum poſt ſe concupiſcibiliter hæreditanda reliquit, modò parua nimis, & nullius meriti eſſe, quæ faceret accuſabat, modò tanti laboris horrorem incutiens longè vitæ ſpatium promittebat. O' q̃ ſæpè cellulam eius percutiens, eum cùm adhuc vix obdormiſceret, excitauit, & quaſi iam iam imminente crepuſculo, per totam noctem vigilando perduxit. Per continuum fermè quinquennium, ſuper pedes eius,& crura diabolus nocturno tempore iacuit,& ne huc, illuc q; ſe facilè verteret; typo fantaſtici ponderis aggrauauit. Quis explicare valeat, quantùm frementes vitiorum beſtias pertulit? Quàm ſæpè præſentes iniquos ſpiritus duriſſimis increpationibus effugauit? Vnde etiam ſi fratrum aliquis ſilentij tempore cellam eius quauis neceſſitate compulſus adiret, ſtatim miles Chriſti paratus ad prælium, ſolito more, ipſum eſſe exiſtimans diabolũ, claris vocibus increpabat dicens: Quò tendis modò turpiſſime? quid tibi in eremo de cœlo deiecte? Recede, canis immunde; euanaſce, coluber veternoſe. His igitur, & huiuſmodi verbis declarabat ſe cum malignis ſpiritibus in acie ſemper aſſiſtere,& fidei ſe armis accinctum, prouocantibus hoſtibus in campum protinus obuiare.

9 Nota auſteritatem victus ſancti patris, opus manuum,& cũ eo duplicatum põdus ieiunij.

Contigit autem, vt aliquando librum de vita patrum legens, in illum locum incideret, vbi continetur, quòd quidam fratres per continuã hebdomadam ſingulariter ieiunantes, ſabbatorum die pariter conuenirent, ipſoq; & Dominico die ieiunij rigorem interponerent, & remiſſiùs victitarent. Quem viuendi ordinem ſtatim Romualdus arripuit,& in eo quindecim ferè annis vel eò ampliùs continua auſteritate permanſit. Petrus autem Dux quia multis educari delicijs ſolitus fuerat, iam iam, ſub tam diſtricti ieiunii pondere ſuccumbebat. Vnde ſe ad pedes beati Romualdi humiliter ſtrauit. Iuſſus verò vt ſurgeret, neceſſitatem ſuam cum verecundia coactus aperuit. Pater, inquit, quia magnum corpus habeo, pro peccatis meis ex hac paximatij medietate ſuſtentare me nõ poſſum. Romualdus igitur fragilitati piè compatiens, conſuetæ menſuræ quadram paximatij ſuperaddidit, & ſic labenti iã fratri, ne omnino deficeret, miſericordiæ

manum

manum tetendit,& ad peragendum benè viuendi iter, quod cœperat,confirmauit. Hunc filius eius ſibi æquiuocus, vir valde ſecundùm ſeculum prudens, aliquando viſitauit. Cui pater, neſcio vtrum Prophetiæ ſpiritu, ſeu reuelatione aliqua,quæcunq; ſibi eſſent euentura prædixit. Noui,inquit,fili mi proculdubio,quia Ducem te conſtituent, & proſperaberis. Tu tantummodo ſatage,vt & Eccleſijs Chriſti ſua iura conſerues,& erga ſubditos alicuius amore, vel odio à iuſtitia non declines.

Poſt hæc autem Romualdus, legens quia ſanctus Syluester vrbis Romæ Epiſcopus ſabbatorum 10 diem ieiunandum eſſe,vt reuera ſancti Paſchatis vigilias,inſtituerit,mox remiſſionem ſabbati in quintam feriam commutauit, & ſic infirmorum imbecillitati conſulens,longum ieiunium diſcretione habita facilius reddidit,hanc nimirum viuendi regulam cunctis ſectatoribus ſingularis vitæ præfigens, vt tunc ſe vnuſquiſq; eremiticæ vitæ ieiunium tenere cognoſcat,ſi per hebdomadam 11 triduanas,aut biduanas ieiunando, quinta feria,& Dominicis diebus oleta,vel quodcunq; liquamen cum gratiarum actione percipiat, exceptis videlicet duabus anni quadrageſimis; in quibus non ſolum ipſe ſed et plerique eius diſcipuli totius hebdomadæ ſoliti erant continuare ieiunium. Et certè ſatis congruum erat,vt qui Deum in choro laudare ſemper ſtudebat,& tympano,præcipuas modulationis armonicæ conſonantias, diapaſon videlicet, & diapente,atq; diateſſeron iugiter in aures incircunſcripti luminis perſonaret. Ieiunare autem omnino,hoc eſt diem ſine vllo cibo tranſigere, licet id ipſe ſæpiſſimè fecerit,alijs omnino prohibebat. Itaq; ſemper eſuriit, quatenus hoc modo caro per conſuetudinem leuigaretur,quod graue nouitiis initio conuerſionis apparet. Paruipendebat autem ſiquis ad tempus magnum quid inciperet, ſi non etiam in eo longanimiter perſeueraret.

10 Habes vnde ieiuniũ ſabbati ſumpſerit initium.

11 Ecce diſtrictā regulam ſancti Romualdi circa ieiunia.

Vigilias verò temperatè,& cum magna diſcretione faciendas maximè ſuadebat, ne cui fortaſſe contingeret,vt ſopori,paratis nocturnis officiis, conſentiret. Sanè huiuſmodi ſomnum vir ſanctus in tantum habebat exoſum, vt ſiquis ei confiteretur,poſt duodecim pſalmorum 12 vigilias, vel maximè circa diluculum obdormiſſe,nequaquam poſſet eo die cum eius licentia ſacra miſſarum ſolēnia celebrare. Dicebat enim melius eſſe,ſi poſſibile ſit, vnum pſalmum ex corde,& cum compunctione cantare, quàm centum cum mentis fabulatione percurrere. Cui autem hæc gratia perfectè data non eſſet,hortabatur tamen,nequaquam vel ab ipſa corporali exercitatione tepeſcere, donec ipſe, qui voluntatem dederat,tribueret etiam aliquando facultatem. Tantùmodo orationis inceſſum mentis intentio in Deum ſemel fixa cuſtodiat,quem exterius veniens cogitationum aura perturbat. Vbi enim eſt intentio recta contra voluntatem, cogitatio veniens non eſt nimium formidanda.

12 Vide nocturnarũ vigiliarum ſtudiũ.

Quodam verò tempore dum adhuc in Galliæ finibus moraretur, familiarem ſibi quendam habebat agricolam,qui ſibi & vtenſilia, quibus in cella opus eſt, aliquando faciebat,& ſi quid ei opportunum eſſet,ditior charitate, quàm rebus, de ſuæ paupertatis inopia hilariter miniſtrabat. Huius vaccam Comes quidam ſuperbus,& tumidus miſſis paraſitis, impetu barbarico rapuit, eiuſq; carnes ſibi ad prandium cum magna gulæ auiditate præparari præcepit. Ecce autem ruſticus cellam Romualdi feſtinus aggreditur, iacturæ ſuæ caſum clamoſis vlulatibus vociferatur,ſpem ſuam,& ſuæ domus ablatam eſſe conqueritur. Sanctus itaq; Romualdus ad eũdem Comitem concito gradu nuncium dirigit,& vt pauperi animal ſuum reddat humillima ſupplicatione depoſcit. Cuius preces lubricus Comes proteruo ſpiritu reſpuit,& quem ſaporem craſſi vaccæ lumbi potuiſſent habere,ſe ipſo die guſtaturum eſſe aſſerit. Adueniente autem hora prandii,appoſita menſa,vaccæ carnes allatæ ſunt. Sed & diuinæ vltionis iam

imminente ſententia,in ipſo edendi initio Comes fruſtrum bouini lumbi abſcindens,ſibi in os miſit. Quod repente in illius gutture tam immobiliter hæſit, vt nec ad interiora deſcendere,nec foras eijci vllis conatibus poſſet. Sicq́; inter ſuorum manus,intercluſo ſpiraminis aditu,terribili morte necatus eſt; & vnde contra Dei ſeruum concupiſcentiam carnis explere ad ſaturitatem voluit, inde iuſto Dei iudicio carnalem vitam adhuc ieiunus amiſit.

Alius quidam Comes,Olibanus nomine, in eiſdem Galliarum partibus erat, ſub cuius iure monaſterium prædicti Guarini Abbatis fuerat poſitum. Qui ſublimi quidē culmine terrenæ poteſtatis erectus,ſed multis erat peccatorum molibus aggrauatus. Hic aliquando Romualdum gratia viſitationis adijt,& cæteris extra cellulam manentibus,ſolus cum ſolo geſtorum ſuorum ſeriem narrare quaſi per confeſſionem cœpit. Cui vir venerabilis, his quæ ab eo referebantur auditis,reſpondit aliter eum ſaluari minimè poſſe, niſi mundum relinquens ad monaſterium conuolaret. Comes autem mox mente turbatus ait; quia ſui ſpirituales viri,qui eius acta cognoſcerent,nequaquam ita ſentirent,neq; tam intolerabilem rem ſibi aliquando ſuaderent. Aſcitis itaq; Epiſcopis,& Abbatibus,qui ſecum venerant,cœpit in commune perquirere,ſi ita res,ſicut Dei ſeruus teſtabatur,ſe haberet. Illi autem beati Romualdi ſententiam omnes vna voce confirmant,ſe verò id Comiti eatenus non dixiſſe terrore conſtrictos excuſant. Tunc Comes ſemotis omnibus,hoc cum beato Romualdo ſecreto valde conſilio pepigit,vt ad Caſſinum montem ſub prætextu orationis pergeret, & in monaſterio ſancti Benedicti diuino ſe ſeruitio irreuocabiliter manciparet.

Interea Sergius pater Romualdi monachus efficitur,ſed aliquanto poſt ſuadente diabolo,factæ conuerſionis pœnitens,in Aegyptum redire conatur. Quod protinus monachi cœnobij ſancti Seueri,quod non longè ab vrbe Rauenna eſt poſitum,vbi corpore,nō corde Sergius habitabat,beato Romualdo indicare per nuncium ſtuduere. Hac ille ſiniſtra relatione perculſus, neceſſarium eſſe decreuit,vt Guarinus Abbas,& Ioannes Gradenicus vnà cum Comite ad eius cōuerſionem pergerent,ipſe verò pereunti patri quantocyus ſubueniret. Petrus autem Dux extremum iam diem feliciter clauſerat. His itaq; duobus Comitem in eorum fide commiſit,vtriq; quidem,ſed Ioāni præcipuè,qui ei ſubditus erat, per obedientiam ſpecialiter mandans, vt etiam ſi Guarinus abſcederet, ipſe ſe nunquam à Comite ſepararet. Audientes autem illius regionis incolæ,quia Romualdus abire diſponeret,nimio mœrore turbati ſunt. Et tractantes intra ſe qualiter ab hac illum intentione reprimerent,hoc illis tandem potiſſimū viſum eſt, vt eum miſſis interfectoribus impia pietate perimerent, quatenus quia ipsū non poterant retinere viuentē,haberent pro patrocinio terræ vel cadauer exanime. His verò cognitis Romualdus caput ſuum vndiq; decaluauit, & huius rei executoribus cellā eius iā appropinquantibus, primò ferè diluculo comedere quaſi p auiditatem cœpit. Illi autem hoc videntes dementiam credidere, & arbitrantes mentem delæſam eſſe,corpus lædere dedignati ſunt. Sic videlicet, ſic prudens ſpiritualis Dauid inſania ſtultam carnaliter ſapientium ſuperauit aſtutiā, Nam & volentes peccare cohibuit,& ad meritorum ſuorum cumulum ſine mortis formidine mortis periculum declinauit.

Deinde iam libera vti facultate permiſſus,non equo fultus,non vehiculo deportatus,ſed ſolum in manu ferens baculum,nudis plantis ex intimis Galliarum finibus Rauennam vſq; peruenit, ibiq́; patrem ad ſeculum reuerti volentem reperiens,in ligno pedes eius fortiter ſtrinxit,clauibus duris affixit,& tā diu corpus eius pia ſeueritate perdomuit, donec eius mentem ad ſalutis ſtatum, Deo medente, reduxit. Sergius igitur tandem ſanæ mentis recepto conſilio, quicquid prius retrograda voluntate deliquit, multipliciter poſtmodum rectis ſanctæ

conuerſationis greſſibus emendauit: Habebat deniq; inter cætera conſuetudinem, ante quandam Saluatoris imaginem 13 frequenter aſſiſtere, ibiq; peculiariùs orans, vberibus lachrymis, & multa ſe cordis contritione macerare. Quadam igitur die dum ibi attentiùs in oratione perſiſteret (noua res, & noſtris temporibus inaudita) repente ſibi neſcio qua ſpecie Spiritus ſanctus apparuit. Qui protinus à Sergio interrogatus, manifeſtè quia ipſe eſſet Spiritus ſanctus aſſeruit, & ſubitò quaſi pertranſiens, ab oculis ſe aſpicientis euaſit. Statim ille in extaſim raptus, atq; eius, quem viderat, igne ſucceuſus, cœpit p claustrum monaſterij poſt eum velociter currere, fratresq;, qui illic aderant, magno feruoris impetu, quò Spiritus ſanctus abiſſet, interrogare. Illis autem in inſaniam eum cecidiſſe putantibus, atq; illum durè corripientibus, aſſerebat Sergius ſe Spiritum ſanctum abſq; vlla dubietate vidiſſe, & ante ſuum conſpectum viſibiliter tranſiſſe. Qui ſtatim langore correptus lecto decubuit, & intra paucos dies felici conſummatione vitam finiuit. Hinc ſanè probatur, quod diuina voce ad Moyſem dicitur: Non enim videbit me homo, & viuet. Hinc Daniel cùm non Deum, ſed viſionem Dei ſe conſpexiſſe diceret, addidit: Et langui, & ægrotaui per dies plurimos. Rectè igitur Sergius, poſtquam æternam vitam, quæ Deus eſt, cernere meruit, à temporali mox vita defecit.

13 Nota, opus eſſe bonũ, ac piũ orare deuotè ante imagines, qđ ſequens miraculũ approbat.

Olibanus autem Comes ſua relinquens filio, cum multa diuitiarum copia, quindecim ſcilicet onuſtis theſauro ſagmarijs, comitãtibus eũ Guarino, & Ioanne, atque etiam Marino ad beati Benedicti ſe monaſterium contulit, & vale dicens his, qui ſecum venerant, nil tale de eo vſque tunc ſuſpicantes, multis gemitibus, & amaris ſe fletibus affligentes, ad propria remeare coëgit. Marinus autem paulopoſt Apuliam verſus abijt, ibiq; poſtmodum in ſolitudine habitans, ab Agarenis eſt latrunculis interfectus. Breui poſt tempore Guarinus, orationis cauſa diſcurrere ſolitus, Ioannes verò fratris exemplo ad idem religionis officium prouocatus, Hieroſolymam commeare pari conſilio decreuere. Hoc igitur Olibanus cognito, triſtis, & flens obſecrare deuotiſſimè cœpit, ne ſe violata fide desererent, ſed ſicut beatus Romualdus præceperat, in Dei illum ſeruitio cũſtodirent, addens etiam: Memento tu ſaltem, Ioannes, quia magiſter tuus in tua me propenſiùs fide cõmiſit, & titulum tibi inobedientiæ, ſi diſcedis, oppoſuit. Illi autem obſtinata intentione in propoſito perſiſtentes, relicto tandem Olibano, peregrinationis iter arripiunt. Cùm autem deſcendentes de monte iam in campeſtria declinaſſent, figentes ſe loco, neceſſarium aliquid inter ſe tractare cœperunt. Inter agendum verò, ſubitò Guarini equus furioſo rotatus impetu in aliam partem inuito ſeſſore diuertit, & Ioannis tibiam ferrato calce percutiens fregit. Qui illico ad terram nimio dolore proſtratus, iam ſerò memor magiſtri præcepta ad mentem reuocat, & ſe perfidum, ſe inobedientiæ reum verbis publicæ confeſſionis accuſat. In fracto nanq; crure didicit, quia fidem frangere peccatum fuit. Et quia ipſe rationis capax magiſtro inobediens extitit, ad incolumitatis ſuæ cuſtodiam irrationale animal ſeſſori obedire neſciuit. Deinde illuc, vnde venire cœperat, rediens, cellam ſibi ædificari prope monaſterium petijt, ibiq; per triginta ferè annos, quandiu vixit in ſancta conuerſatione permanſit. Multa in eo charitas, mira 14 humilitas, abſtinentia verò diſtricta nimis, & cauta, ita vt nec infra clauſtrum monaſterij quiſquam ſciret, qualiter vir ſanctus ieiunaret. Inter reliqua autem virtutum dona ita exoſum habebat detractionis vitium vt mox, cùm quis ad detrahendum os aperiret, velut ſagitta rigore lapidis repercuſſa, in dirigentem protinus redundat, ita ab eo illius obtrectatio reprimeretur. Poſt verò eius obitum nonnulla per eum miracula diuinitus facta ſunt.

14 Ecce ſancti viri charitas, humilitas, & abſtinentia.

Romualdus autem poſt patris correctionem,in palude Claſſenſi cellulam fi‐gens , in loco,qui Pons petri dicitur,habitauit . Poſtmodum verò non corporis ægritudinem metuens,non fœtoris nauſeam perhorreſcens, ſed ne imbecillita‐tis occaſione vel parum quid ab abſtinentiæ rigore remitteret,ad Claſdem præ‐diū,vbi eſt Eccleſia beati Martini,quæ dicitur in Sylua,migrauit. Ibi vero qua‐dam die dum completorium 15 caneret,quia antiquum illic cœmeterium fue‐rat,ſubitò illi (vt ſæpè fit) ex improuiſo quædam cogitatio incidit,moxq; eius animum magnus fantaſticæ illuſionis horror inuaſit . Cùmq; hoc crebrius in mente reuolueret, ecce maligni ſpiritus repentino impetu cellam eius ingreſſi , protinus illum in terram ſternunt,immani eum cæde conficiunt,& exhauſtis lō‐go ieiunio membris duriſſimos ictus illidunt . Tandem Romualdus inter ipſa percuſſionum verbera reſpectu diuinæ gratiæ viſitatus, in hanc vocem erupit : Chare Ieſu,dilecte Ieſu,quare me dereliquiſti ? Nunquid omnino me inimico‐rum manibus tradidiſti ? Ad hæc omnes iniqui ſpiritus diuina virtute fugati ſunt . Et continuò tanta diuini amoris compunctio Romualdi pectus accen‐dit,vt totum cor eius in lachrymas quaſi cera liqueſceret , & de tot alliſionibus ſancti corporis nil ſentiret. Mox ſanus,& validus de terra ſurrexit , & licet im‐pediente adhuc ſanguine, ad eundem pſalmi verſum,quem reliquerat,rediit. In ingreſſu quippe dæmonum feneſtra cellulæ in frontem illius impegit , in quā manifeſta poſtmodum cicatrix occalluit, quæ eiuſdem vulneris indicium,q̄ diu vir ſanctus vixit,oſtendit .

15 De completorii caneret.

Iam igitur miles Chriſti aſſuetus bello,robuſtiorq; effectus ſtudebat quotidie ad maiora proficere,de viribus in vires creſcere,& ſemper ſemetipſo fortior nul‐las iam poterat eneruati hoſtis inſidias formidare. Sæpè enim ſibi in cella reſi‐denti velut teterrimi corui,& vultures,iniqui ſpiritus videbantur aſſiſtere,& quā‐ſi ad cuſtoditum animalis cadauer quia non audebant accedere,cogebantur e‐minus aſpectare . Sæpè ſe in figuris Aethiopum,ſæpè per diuerſorum animaliū ſpecies oſtendebant . Quibus clarus Chriſti triumphator inſultabat dicens: Ec‐ce paratus ſum,venite,& ſi qua in vobis eſt virtus oſtendite . Nunquid iam om‐nino deficitis ? Nunquid iam victi eſtis ? & aliquas contra Dei ſeruulum certā‐di machinas non habetis ? His deniq; & huiuſmodi verbis confundens iniquos ſpiritus,confeſtim eos velut miſſis totidem iaculis effugabat . Videns ergo dia‐bolus quia per ſemetipſum contra Dei famulum præualere non poſſet,ad calli‐da argumenta conuerſus,quocunq; vir ſanctus ibat, diſcipulorum eius animos aduerſus eum in malitiam excitabat ; vt quia retentari eum ab accenſo ſui fer‐uoris impetu impoſſibile fuerat,ſaltem alienæ ſalutis cura compeſceret ; & quia ipſe ab hoſte ſuperari minimè poſſet , vel ex aliis victoriam non negaret .

Aliquando nanq; ad locum,qui balneum dicitur,in Saxenati videlicet terri‐torio conſtitutum tranſiuit . Vbi etiam non pauco tempore commorans,mona‐ſterium ad beati Archangeli Michaëlis honorem conſtruxit ; à quo non lon‐gè cellam in ea habitaturus ædificauit . Illuc autem Vgo Marchio ſeptem ſibi pro neceſſitate miſit nummiſmatum libras . Quas ille vt benè prodigus miſeri‐corditer diſpenſaret accepit . Audito itaq; quòd monaſterium Palatioli fuiſſet igne conſumptum,ſexaginta ſolidos de prædicta pecunia fratribus in adiutoriū direxit,reliqua autem vt in ſimile opus expenderet reſeruauit . Cognito hoc mo‐nachi ſancti Michaëlis,beluino contra eum furore commoti ſunt, tum quia pri‐mis eorum moribus contrarius iam ex multis annis extiterat,tum quia quæ illi de‐ferebantur,non eis omnia,ſed quædam aliis impendebat . Facta igitur conſpi‐ratione,vnanimiter cellam eius cum ſudibus,& phalangis irrumpunt , verberi‐bus eum multis afficiunt,& direptis omnibus turpiter dehoneſtatum de finibus ſuis expellunt . Cùm itaq; ſic eliminatus abiret, et nimia triſtitiæ vis in mētis

eius iam interiora deſcenderet, hoc apud ſemetipſum deliberat, vt iam de cætero ſuæ contentus, alienæ ſalutis curam omnino poſtponat. Poſt hanc verò cogitationem tantus animum eius terror inuaſit, vt ſi in eo, quod mente conceperat, obſtinatè perſiſteret, periturum ſe, damnandumq; diuino iudicio nullatenus dubitaret.

Monachi autem compotes diu deſideratæ vltionis effecti, & quaſi proiecto graui onere leuigati, hoc quod in Dei famulum egerant, multis inter ſe laudibus efferunt, & in immoderatũ ludum, atq; chachinnum ſe lætitia lenocinante reſoluunt; deinde etiam vt tanti gaudij ſolennitatem quodammodo iucundiſſimam faciant, ſumptuoſas diliciarum copias ſibi ad conuiuium parant. Erat verò tunc hyems, quæ non ſolùm viciſſitudini temporum, ſed frigidis quoq; eorum mentibus aptiſſimè congruebat. Vnus autem ex eis, qui in beatiſſimum Chriſti famulum ſæuior fuerat, mel acquirere, vnde mulſum epulantibus faceret, ſatagebat. Cùmq; Sapin fluuium hoc ſtudio tranſmearet, offendentibus in plancas pedibus, ſubitò de ponte deijcitur, & fluuiali voragine funditus abſorbente raptatus extinguitur, iuſto videlicet Dei iudicio, vt turbida illum aqua ſatiaret ad mortem, qui in eo, quod flere debuerat, mellis dulcedinem ad vitæ concupierat voluptatem. Nocte verò dum omnes ex more quieſcerent, deſcendente crebra niuium multitudine, repente tota communis ædificij ſuper eos fabrica corruit, & alteri caput, alij brachia, alij crura, vel quælibet alia membra contriuit. Vni etiam eorum oculus euulſus eſt, & meritò diuiſionem corporeæ lucis pertulit, qui diuiſus à proximo, ẽt ſi alterum haberet, geminæ charitatis vnũ lumen amiſit.

Aliquando autem vir ſanctus non longè manſit à Caria. Cùmq; ibi aliquandiu moraretur, manifeſtè ſibi beatus Apollinaris apparuit, & quatenus ad ſuum monaſteriũ pergeret, ibiq; potius habitaret ex magna auctoritate præcepit. Quod vir ſanctus nequaquam negligendum ducens, locum, in quo morabatur, ſine cunctatione deſeruit, & quò miſſus fuerat impiger feſtinauit. Incluſus eſt etiam quodam tempore vir venerabilis in palude Commiaclenſi, quæ dicitur Origariũ, vnde poſtmodum præ nimio paluſtris cœni fœtore, & corrupto aẽre, ita totus tumefactus, & depilatus exijt, vt nequaquam eadem, quæ incluſa fuerat, species videretur. Nam & caro eius tota eatenus erat viridis, vt tanquam ſtellio diſcolor appareret. Alio quoq; tempore in inſula, quæ Peretum dicitur, habitauit, quæ videlicet inſula à Rauenna vrbe duodecim ferè millibus diſtat. Ibi verò dũ in cella cum quodam venerabili viro, ſuo nimirũ diſcipulo, Guillelmo nomine, moraretur, anguſti parietes habitaculi repente flamma corripuit, deinde ad alta conſcendens dominari per tecta liberis iam viribus cœpit. Protinus vir ſanctus ad ſolitæ defenſionis argumenta confugiens, non quæ ibi erant repoſita, foras extrahere, non vt mos eſt, tecti ſcindulas diſſipare, non aquarum abundantiam ſpargere, non vllis impulſus eſt ad extinguendos ignes niſibus anhelare, ſed ſolummodo orationem 16 fudit, & confeſtim ſtridentes ignium globos diuina virtus extinxit.

16 Oratione fuſa, Romualdus ardentiũ ignium globos extinxit.

Eodem verò tempore iunior Otho Imperator Claſſenſem Abbatiam ordinare deſiderans, optionem fratribus dedit, vt quem ipſi vellent, indubitanter deligerent. At illi continuò vnanimiter expetunt Romualdum. Imperator autẽ diffidens, beatum virum ad regiam aulam euocari poſſe per nuncium, ire ad eum per ſemetipſum voluit, & ad cellam eius ſole iam occidente peruenit. Cui Romualdus, quia magnum hoſpitem in parua domo ſuſceperat, lectulum ſuum ad quieſcendum dare dignatus eſt. Coopertorium tamen Rex noluit, quia aſperrimum iudicauit. Manè autem facto, Rex eum ſecum ad palatium duxit,

tandemq; ei inſtare vt Abbatiam ſuſciperet multis precibus cœpit. Qui cùm reluctaretur, & regiæ petitioni aſſenſum penitus denegaret, Rex autem è contrario excommunicationem, & anathema ab omnibus Epiſcopis, Archiepiſcopis, & toto ſynodali concilio minaretur, tandem imminente neceſſitate ſuccubuit, & animarum regimen coactus accepit. Referebat tamen hoc ſibi nequaquam videri nouum, ſed ante quinquennium ſibi fuiſſe diuinitus reuelatum. Regebat itaq; monachos ſub diſtricta regulæ diſciplina, neq; alicui ab ea declinare licebat; non deniq; nobilis, non literis eruditus per actus illicitos in dextram, leuamq́; partem deflectere, vel à rectæ conuerſationis audebat rectitudine deuiare. Vir nanq; ſanctus cordis oculos in cœlum figens, vt Deo in omnibus obtemperaret, non timebat hominibus diſplicere.

Hoc autem fratres ſerò conſiderantes, ſemetipſos priùs accuſant, quia hunc ſibi præeſſe popoſcerant, deinde multis eũ detractionum ſuſurrationibus lacerant, & duris ſcandalorum aculeis vexant. Romualdus itaq; videns, & ſuam perfectionem aliquatenus minui, & illorum mores procliuiùs in deteriora conuerti, Regem impiger adijt, & eo non leuiter reluctante vnà cum Archiepiſcopo Rauennate, in vtriuſq; conſpectu virgam proiecit, & monaſterium dimiſit. Porrò autem Rex Tyburtinam tunc ciuitatem obſidebat. Ciues enim inclytum eius Ducem, Matholinum nomine, interfecerant, ipſum quoq; Regem correptis armis, à ſuis mœnibus exturbauerant. Vnde non dubium eſt, beatum Romualdum illuc ex diuina prouidentia miſſum, qui imminens tot animarum periculum ſequeſtra pace deleuit. Hoc etenim inter eos pactus eſt, vt Tyburtes ad honorem Regis murorum partem diruerent, ac obſidem darent, Ducis verò interfectorem ad eius matrem cathenatum dirigerent. Quæ ſancti viri fuſis ad eam precibus mitigata crudeli homicidæ crimen indulſit, & incolumem ad propria redire permiſit.

Fecit quoq; venerabilis vir apud Tybur alium boni operis fructum, quem ſilentio prætereundum eſſe non arbitror. Quidam nanq; beatus, Venerius nomine, habitare primitus in monaſterio cœpit cùm tanta humilitate, & ſimplicitate, vt omnes illum fratres ſubſannando deſpicerent, & delirum eũ, atq; dementem eſſe putarent. Alij enim illum ſæpè colaphizare, alij ſordida, qua lebetes lauabantur, aqua perfundere, alij diuerſis eum ſolebant conuiciorum iurgijs lacerare. Cùmq́; ille ſe perpenderet inter tot aduerſa tranquillum ſuæ mentis ſtatum ſeruare non poſſe, conſortium deſerens, in ſolitudinem properauit. Vbi per ſex annos abſq; vino, omniq; pulmento ſub nimiæ diſtrictionis ariditate permanſit. Qui Romualdo interroganti ſub cuius regimine obedientiam exhiberet, reſpondit ſe alieno ſolutus imperio, hoc ſequi quod ſibi vtilius videretur. Cui Romualdus ait: Si Crucem Chriſti portas, ſupereſt vt Chriſti obedientiam non relinquas. Vade igitur, & conſenſu à proprio Abbate ſuſcepto, reuertere, ac ſub eius dominio humiliter viue, quatenus ſancti operis ædificium, quod bona voluntas ædificat, humilitas erigat, atque obedientiæ virtus extollat. Hæc, & multa alia ædificationis monita proferens, docuit eum qualiter cogitationibus ſuis reſiſtere, qualiter poſſet iniquorum ſpirituum infeſtationibus repugnare, & ita confirmatum, & inſtructũ in multa eum alacritate reliquit. Ille igitur ſancti viri documenta gratanter amplectens, Abbatem ſuum protinus adijt, conſenſum accepit, & ad dilectam ſolitudinem quantocyus remeauit. Volens autem in poſſeſſione ſui monaſterij habitare, aſcendit in quoddam ſaxum nullis hominum veſtigijs peruium, & ab humana penitus conuerſatione remotum, ibiq́; per quatuor annos omni humano ſolatio deſtitutus ſingulariter habitans, exceptis tribus buccellis,

quis de monaſterio ſecum detulerat, non panem 17 comedit, non vinum bibit, non coctum aliquid omnino guſtauit, ſed ſolis arborum pomis, & herbarum radicibus vixit. Erat autem in eodem ſaxo quædam concauitas, vbi colligebatur aqua in hyeme, ex qua vir ſanctus tota bibebat æſtate. Tandem cognito, quòd ibi ſeruus Dei moraretur, cœpere ad eum multi confluere, ciborum alimenta deferre, & quæcunq; ſibi quaſi neceſſaria miniſtrare. Quorum ille nullius indigens, cuncta paſtoribus pecorum, & aliis indigentibus exhibebat. Exhortante autem loci Epiſcopo, baſilicam ibi fieri, & conſecrari permiſit. In qua ipſe aliquanto poſt tempore defunctus eſt, & à quibuſdam ſe quærentibus eſt inuentus acclinis ante altare quaſi cauſa orationis in cubitis, & genibus iacens. Vbi nonnulla per eum Dominus miraculorum ſigna operari dignatus eſt. Sic deniq; ſic bona terra vberes fructus reddidit, quæ verbi ſemen ex ore Romualdi multiplicandum ſuſcepit.

17 Vide miram beati huius abſtinentiā. Per quatuor annos panē non comedit non vinū bibit, nō coctū aliquid guſtauit, ſed ſolis arborum pomis, & herbarū radicibus vixit.

Apud prædictam quoq; ciuitatem conuertit beatiſſimus vir Thammum quendam Theutonicum, qui, ſicut dicitur, in tantū Regi familiaris, & charus extiterat, vt vtriuſq; veſtes vtrunq; contegerent, & amborum manus vna paropſis communi ſæpè conuiuio ſociaret. Creſcentius nanq; ſenator Romanus indignationem Regis incurrens, in montem, qui dicitur ſancti Angeli, confugium petiit, & quia munitio inexpugnabilis eſt, obſidente Rege ad defendendū ſe fiducialiter præparauit. Ei verò Thammus ex præcepto Regis iuſiurandum ſecuritatis præſtitit; & ita ille deceptus, adnitente Papa, qui ſibi inimicus erat, quaſi reus maieſtatis capitalem ſententiam ſubiit. Cuius vxorem poſtea Imperator in concubinam accepit. Quia igitur Thammus & fraudis conſcius, & periurio tenebatur obnoxius, idcirco à beato Romualdo iuſſus eſt relinquere ſeculum. Qui mox à Rege licentiam expetens, non modò facilè reperit, ſed nimis etiam alacrem fecit. Erat autem prædictus Imperator monaſtico ordini valde beneuolus, & nimia circa Dei famulos affectione deuotus.

Ipſe quoq; ex eodem crimine beato viro confeſſus, pœnitentiæ 18 cauſa nudis pedibus de Romana vrbe egrediens, ſic vſque in Garganum montem ad ſancti Michaëlis perrexit Eccleſiam. Per totam etiam Quadrageſimam in Claſſenſi monaſterio beati Apollinaris, paucis ſibi adhærentibus, manſit. Vbi ieiunio & pſalmodiæ, prout valebat, intentus, cilicio ad carnem indutus aurata deſuper purpura tegebatur. Lecto inſuper fulgentibus palliis ſtrato, ipſe in ſtorea de papyriis confecta tenera delicati corporis membra terebat. Promiſit deniq; beato Romualdo, quòd Imperium relinquens, monachicum ſuſciperet habitum; & cui innumeri mortales erāt obnoxii, iam ipſe paupercuIo fratri cœpit eſſe ſubiectus.

18 Ecce quam ſolennē pœnitentiā hic egerit Imperator, & quot ſatisfactionis opera ædiderit ob fractionem fidei datæ Creſcentio.

Romualdus autem cùm eo, de quo iam dixinus, Thammo, & cum Bonifacio viro clariſſimo, quem nunc feliciſſimum martyrem ſe habere Ruſſiana gloriatur Eccleſia, & cum aliis conuerſis Theutonibus, à Tyburis oppido ad monaſterium ſancti Benedicti, quod in Caſſino conſtitutum eſt monte, deuenit. Ibi verò grauiter infirmatus eſt, ſed citò ex diuina miſericordia conualuit. Habebat autem equum ſatis egregium, quem ſibi Buſclauinus Schlauonici Regis filius dono dederat, factus ab eo monachus. Hunc vir ſanctus humilitatis ſtudio permutauit, & pro eo aſinum, laudabilis negociator accepit. Nimio quippe Redemptoris noſtri deſiderio, qui aſellæ tergo conſederat, vir venerabilis hoc ipſum animal libētius equitabat. Cū his igitur omnibus ſupiùs nominatis Romualdus ad Pereum, vbi dudum habitauerat, rediit, ibiq; his, & aliis multis fratribus aggregatis, & per cellas ſingulas conſtitutis, tanto feruore eremiticæ conuerſationis rigorem & in ſe, & in aliis tenuit,

vt illorum vita omnibus,ad quos fama eorundem peruenire poterat, mirabilis haberetur. Quis enim non obſtupeſceret? Quis non immutationem diuinæ dexteræ prædicaret, cùm vidiſſet priùs homines ſericis, immò deauratis veſtibus indutos, crebris obſequentium cuneis conſtipatos, omnium deliciarũ affluentijs aſſuetos, nunc vno birro contentos, incluſos, diſcalciatos, incultos, & tanta abſtinentiæ ariditate contuſos? Faciebant autem omnes 19 opera manuum, alij ſcilicet coclearia, alij nebant, alij retia nectebant. Quorum tamen omnium vitam beati Bonifacij conuerſatio longiùs tranſcendebat.

19 Vide in Eremitis opus manuum.

Hic Regis fuerat conſanguineus, & ita charus, vt Rex illum non alio vocaret nomine, niſi Anima mea. Erat autem apprime liberalium artium doctrinis inſtructus, maximeq́; in modulationis muſicæ ſtudijs approbatus. Is itaq; cũ in capella regia moraretur, videns Eccleſiã antiqui martyris Bonifacij, mox exẽplo ſui æquiuoci ad martyrij deſideriũ prouocatus ait: Et ego Bonifacius vocor. Cur ergo etiã ipſe martyr eſſe non debeo? Poſthæc igitur monachus factus, tanta ſe abſtinentiæ frugalitate conſtrinxit, vt ſæpè Dñicis diebus tantũ, & quinta feria per hebdomadam manducaret. Nonnunquam verò ſi 20 vrticarum, vel etiã veprium cerneret denſitatem, illuc ſe proijciens volutabat. Ex quo cùm quidam frater aliquando eum corriperet dicens: Hypocrita, quare hoc ad captandos popularis auræ rumores coram omnibus facis? nihil aliud reſpondit, quàm Tui ſunt confeſſores, mei ſint martyres. Cùm verò poſt diuturnum eremiticæ conuerſationis vitam ad prædicandum iam ire diſponeret, Romam primùm pergere ſtuduit, & ab Apoſtolica ſede conſecrationem Archiepiſcopatus accepit. Retulit autem mihi quidam ſenex monachus, qui eum illuc de Rauennæ finibus comitatus fuerat, quia in toto illo itinere vir venerabilis, cùm omnibus quidem, qui eum ſequebantur, pedeſter ibat, ſed ipſe iugiter pſallens, & cæteros longè præcedens, nudis ſemper pedibus incedebat. Pro labore quidem itineris quotidie comedebat, ſed per ſingulos dies de medio 21 pane, & aqua uiuẽs, in diebus feſtis, ignoto videlicet omni liquamine, quotidiano victui poma qualibet, vel herbarum radices addebat.

20 His corporeis afflictionibus sãcti carnis concupiſcentias calcabant.

21 Vide auſteritatẽ vitæ huius ſancti.

Poſtquam autem conſecratus eſt, quotidie obſeruabat & monaſticum pariter & Canonicum in celebrandis horarum officijs ordinem. Cùm verò iam vltramontanos peteret fines, equo quidem vehebatur, ſed venerabilis Pontifex (ſicuti dicitur) nudis cruribus ſemper, & plantis adeò intolerabilem frigidiſſimæ regionis ſufferebat algorem, vt volens deſcendere, nõ pedem ab ſubhærente ferro diſiungeret, niſi aqua calida ſubueniret. Ad gentiles autem poſtremò perueniens, cùm tanta cœpit feruidi pectoris conſtantia prædicare, vt iam nullus ambigeret, quia vir ſanctus martyrium flagitaret. Illi verò timentes, ne ſicut poſt martyrium beati Adelberti, coruſcãtibus miraculorum ſignis, Schlauonicæ gẽtis plerięq; conuerſi ſunt, ipſis quoq; ſimiliter eueniret, longo tempore à beato viro manus artificioſa malitia reprimunt, & cupidiſſimo mori, nolentes occidere, crudeliter parcunt. Cùmq́; ad Regem Ruſſorum vir venerabilis perueniſſet, & conſtanti animo prædicationi vehementer inſiſteret, videns eum Rex ſqualidis veſtimentis indutum, ac nudis pedibus incedentem, opinatus eſt quia vir ſanctus talia non religionis cauſa perferret, ſed idcirco potiùs, vt pecunias congregaret. Promiſit igitur ei, quia ſi ab huiuſmodi vanitate recederet, ipſe paupertatẽ eius largiſſima diuitiarum liberalitate ditaret. Verùm Bonifacius mox ad hoſpitiũ ſine mora reuertitur, pretioſiſſimis Pontificalibus ornamentis decenter induitur, & ſic ad Regis palatium denuo præſentatur. Rex autem videns eum tam decoris veſtibus adornatum ait: Nunc ſcimus, quia te ad vanam doctrinã non paupertatis inopia, ſed veritatis impulit ignorantia. Veruntñ ſi vis vera credi, q̃ aſſeris, erigant duæ excelſæ lignorum cataſtæ breuiſſimo à ſe interſtitio ſeparatæ, &

igne ſuppoſito cũ vaporatæ fuerint, ita vt vtriuſq; ſtruis vnus ignis eſſe videatur, tu trãſi per mediũ. Quòd ſi læſus ex aliqua parte fueris, ipſis te penitus cõſumendũ ignibus trademus. Sin aũt (quod credi non poteſt) ſanus euaſeris, omnes nos Deo tuo abſq; difficultate credemus. Cùmq; hoc fœdus non ſolùm Bonifacio, ſed & cunctis, quæ aderant, gentibus placuiſſet, Bonifacius ita veſtitus vt miſſarum ſolennia celebraturus, priùs cum ſanctificata 22 aqua, & incenſo thure vndiq; perluſtrans ignem, dein ſtridentes flammarum globos ingreſſus, ita exiuit illæſus, vt nec minimus capitis eius capillus videretur exuſtus. Tunc Rex, & cæteri, qui huic ſpectaculo interfuerant, cateruatim ad pedes ſe beati viri proijciunt, indulgentiam lachrymabiliter petunt, & baptizari ſe inſtantiſſima ſupplicatione depoſcunt.

22 Ecce ſanctificatæ aquæ virtutem, & thuris incenſi.

Cœpit itaq; tanta gentium multitudo ad baptiſma confluere, vt vir ſanctus ad ſpatioſum locum quendam pergeret, & in ipſa aquarum abundantia populum baptizaret. Decreuit autem Rex, vt regnum relinquẽs filio, ipſe quandiu viueret, à Bonifacio nullatenus ſepararetur. Frater autem Regis cum ipſo pariter habitans, dum nollet credere, abſente Bonifacio, ab ipſo Rege peremptus eſt. Alius verò frater, qui iam à Regis erat cohabitatione diuiſus, cùm ad eum vir venerabilis venit, audire verbum eius noluit, ſed de conuerſione fratris nimia aduerſus eum ira ſuccenſus, continuò comprehendit, deinde timens ne ſi viuum teneret, Rex eum de manibus eius eriperet, in ſua præſentia, circunſtante nõ parua hominum multitudine, decollari præcepit. Statim verò & ipſe cæcatus eſt, & tantus eum cum omnibus, qui aſtabant, ſtupor oppreſſit, vt nec loqui, nec audire, nec aliquod humanitatis officium agere aliquatenus poſſent, ſed cuncti velut lapides rigidi, & immobiles permanerent. Rex autem hoc audiens nimio dolore perculſus omnino deliberat non ſolùm fratrem occidere, ſed & cũctos, q sibi tanti reatus fautores exiiterant, gladijs trucidare. Sed cùm illuc protinus aduenisset, & corpore martyris adhuc in medio poſito, fratrem ſimul cum reliquis hominibus ſine ſenſu, & motu ſtupefactus aſtare conſpiceret, hoc ſibi cum ſuis omnibus placuit, vt prius pro eis oratio fieret, ſi forſitan illis diuina miſericordia ſenſum, quem amiſerant, reformaret, deinde ſi acquieſcerẽt credere, indulto crimine, viuerent, ſin autem, omnes vltoribus gladijs interirent. Cùm igitur & ab ipſo Rege, & à cæteris Chriſtianis diutius fuiſſet oratum, non ſolum prior ſenſus ſtupefactis hominibus redditur, ſed inſuper conſilium flagitandæ veræ ſalutis immittitur. Nam continuò pœnitentiam ſui criminis flebiliter expetũt, baptiſmi ſacramenta cum magna alacritate ſuſcipiunt, ſuper corpus quoq; beatiſſimi martyris Eccleſiam conſtruunt. Veruntamen ego ſi de huius mirabilis viri cuncta, quæ dici veraciter poſſunt, virtutum dona referre tentarem, deficeret forſitan lingua, non deficiente materia. Dum igitur Bonifacij virtus proprio indigeat ſtylo, idcirco tamen illum cum alijs Romualdi diſcipulis per tranſcurſum hîc memorare curamus, vt ex eorum laude, quàm magnus & glorioſus magiſter eorum fuerit, demonſtremus, quatenus dum celſitudo clientium auribus fidelium inſonat, q̃ excelſus doctor eorum fuerit, ex ſchola, quam tenuit, innoteſcat.

Interea Romualdo in Pereo habitante, Buſclanus Rex preces Imperatori direxit, vt ſibi ſpirituales viros mitteret, qui regni ſui gentem ad fidem vocarent. Mox Romualdum Imperator aggreditur, & cõcedi ſibi de ſuis monachis, qui illuc deſtinari vtiliter valeant deprecatur. Ille verò nulli ſuorum hoc præcipere velut ex prælationis auctoritate voluit, ſed in eorum voto ponens, ſiue manendi, ſiue abeundi eis optionem dedit. Ignorabat enim ex tam metuendo negocio voluntatem Dei, & ideo non illud ſuo, ſed fratrum potius arbitrio committebat. Inſtante igitur Imperatore, & humiliter obſecrante, tandem duo

ſolummodo inuenti ſunt ex omnibus,qui ſe vltro ad eundum promptos obtulerunt. Quorum vnus, Ioannes, Benedictus alter vocabatur. Hi itaq; ad Buſclauum euntes,in eremo priùs,eo ſubſtentante,manere cœperunt, & vt prædicare poſtmodum poſſent, Sclauonicam linguam laborioſè diſcere ſtuduerunt. Septimo verò anno cùm iam loquelam terræ plenè cognoſcerent, vnum ad Romanam vrbem monachum mittunt,& per eum à ſummæ ſedis Antiſtite prædicandi 23 licentiam petunt. Iniungunt etiam, vt nuncius aliquos ſecum de beati Romualdi fratribus duceret, qui eremiticæ conuerſationis edocti, cum eis ſimul in Sclauorum partibus habitarent.

23 Cur mittunt hi ſancti viri ad ſedē Apoſtolicā ꝑ licētia ꝑdicandi, niſi quia eam omniū Eccleſiarū matrē, & magiſtrā recognoſcunt?

Buſclauus autem volens coronam ſui Regni ex Romana auctoritate ſuſcipere, prædictos venerabiles fratres obnixa cœpit ſupplicatione depoſcere, vt ipſi plurima eius dona Papæ deferrent,& coronam ſibi à ſede Apoſtolica reportarent. Qui Regiæ petioni aſſenſum penitus denegantes, dixerunt: Nos in ſacro ordine poſiti ſumus, tractare nobis ſecularia negocia minimè licet: & ita relinquentes Regem ad cellam reuerſi ſunt. Quidam verò Regis familiares agnoſcentes ipſius deſiderium,ſed quid ſancti viri reſpondiſſent ignorantes, copioſum auri pondus,quod mittendum Papæ fuerat, ſecum eos detuliſſe ad cellulam falsò opinati ſunt. Deinde intra ſe conditione pacta condicunt, vt noctu eremū latenter ingreſſi, & monachos interficerent,& pecuniam aſportarent. Quos cùm beati viri tentantes irrumpere perſenſiſſent, aduentus eorum cauſam protinus agnoſcentes, confeſſionem inter ſe facere,& ſanctæ Crucis 24 ſe cœpere vexillo communire. Erant autem ibi duo pueri eorum obſequio ex aula regia deputati, qui prout vires dabant, ſtare pro ſanctis,& furibus reſiſtere niſi ſunt. Fures verò reperto tandem aditu irruentes, extractis gladijs oēs pariter occidere. Tunc theſaurum anxiè perquirentes, ſed euerſis omnibus nihil inuenientes vt tanti reatus crimen obtegerent,& humana ſuſpicio non armis,ſed flaminis potiùs,quod fuerat deputaret, cellam incendere,& ipſa martyrum conati ſunt cadauera conflagrare. Sed admoti ignes,amiſſis naturæ viribus, nil omnino conſumere vllis hominum ſtudijs potuere. Ita enim eos ipſa etiam parietum materies repellebat,ac ſi pro lignis duriſſimi ſilices eſſent. Fruſtrati itaq; fures in fugam ſe conferre nituntur; ſed et hoc illis ex diuina prouidentia denegatur. Tota ſiquidem nocte per fruteta nemorum, per latitudinem ſaltuum, per opaca ſyluarum viam anxiati ſunt quærere; quam nullatenus valuere errabundis veſtigijs inuenire. Sed neq; pugiones in vaginas recondere àrefactis brachijs potuerunt. Vbi verò ſanctorum iacebant corpora, copioſum lumen vſq; in diem ſplendeſcere,& dulciſſima Angelicæ cantilenæ non deſijt ſuauitas reſonare.

24 Nota, Et ſanctæ Crucis ſe cœpere vexillo cōmunire.

Adueniente autem die, quod factum fuerat Regē latere non potuit. Qui illico ad eremum cum numeroſa populi multitudine feſtinauit,& ne fures euaderent, facta corona hominum totam ſyluam vndiq; circuncinxit. Qui tandem reperti ſunt manifeſti criminis rei,& ad gladios ſuos adhuc vltione diuina ligati. Rex autem quid de eis faceret habita conſideratione deliberans, hoc poſtremò decreuit, vt nequaquam eos ſicut merebantur, occidi præciperet, ſed ferreis cathenis vinctos ad ſepulchra martyrum deſtinaret, quatenus aut ibi vſq; ad obitum in vinculis miſerabiliter viuerent, aut ſi ſanctis martyribus aliter videretur, ipſi eos ſua miſericordia liberarent. Qui cùm ad ſanctorum tumulum fuiſſent ex præcepto Regis attracti, mox ineffabili diuinitatis omnipotentia fractis ſunt nexibus abſoluti. Deinde facta ſuper corpora ſanctorum baſilica, innumerabilia non ſolum tunc,ſed et nunc ibi fiunt ex diuina virtute prodigia.

Imperator autem Henricus Buſclaui conſilium non ignorans, vndiq; vias cuſtodiri præceperat, vt ſi Buſclauus Romam nuncios mitteret, in eius illico manibus deuenirent. Monachus igitur, qui nuper miſſus à ſanctis martyribus fuerat,

demum captus eſt,& mox carcerali cuſtodiæ mancipatus. Nocte verò illum Angelus Domini in carcere viſitauit,& conſummatos eſſe eos, quorum legatione fungebatur, admonuit, ſtatimq; aperto diuinitus carcere, præparatum ſibi eſſe nauigium in fluuio,quem tranſiturus erat,aſſeruit. Quò feſtinans monachus Angelicæ promiſſionis fidem veram eſſe probauit.

Dum moraretur autem Romualdus adhuc in Pereo, Imperator Otho monaſterium ibi ad honorem ſancti Adelberti,eo ſuggerente,conſtruxit,cui contigua Claſſenſis cœnobij prædia contulit,& ea ſibi ex fiſcali poſſeſſione in Firmenſis monarchiæ partibus recompenſauit. Abbate quoq; illic ex Romualdi diſcipulis conſtituto,& fratribus congregatis,cœpit eos ſub magna Romualdus tenere cuſtodia,& docebat eos ſub regulari viuere diſciplina. Præcepit etiam Abbati,vt in eremum ſecedens,per totam hebdomadam in cella conſiſteret, diebus verò Dominicis fratres ad monaſterium veniens viſitaret. Qui ſancti viri iuſſa contemnens,cœpit ſeculariter viuere,& pede operis ſemel exorbitante à rectitudinis tramite,iam longiùs declinare. Videns ergo Romualdus quòd ſecúndum ſuæ voluntatis ardorem ibi laborare non poſſet,Regẽ protinus adijt, & acceptæ promiſſionis exactor,vt Rex monachus fieret,inſiſtere vehementius cœpit. At ille facturum ſe quidem quod exigebatur aſſeruit,ſi tamen priùs Romam, quæ ſibi rebellabat, impeteret, et ea deuicta, Rauennam cum victoria remearet. Cui Romualdus;Si Romam,inquit,ieris,Rauennam vlterius non videbis;& apertiſſimè illi mortem propinquam eſſe denuncians,quia eum reuocare non potuit, proculdubio de eius certus interitu ab eo receſſit. Dũ verò Rex Romã properat, Romualdus nauim aſcendens,ad ciuitatem Parentium transfretat. Rex itaq; ſecundum beati viri prophetiam vix à Roma reuerti incipiens,mox langore correptus,apud Paternum defunctus eſt.

Romualdus autem tribus annis in Parentinæ ciuitatis finibus habitans, in vno monaſterium conſtruxit, in duobus verò incluſus manſit. Ibi nempe ad tam magnæ perfectionis cumulum pietas illum diuina prouexit,vt ſancto afflatus Spiritu & nonnulla ventura proſpiceret,& multa veteris,ac noui teſtamenti occulta myſteria radijs intelligentiæ penetraret. Anxiabatur autem ſibi aliquando in lachrymas erumpere,ſed nullo valebat conamine ad contriti cordis compunctionem venire. Factum eſt ergo quodam die dum in cellula pſalleret,vt in hunc pſalmi verſiculum incideret: Intellectum tibi dabo, & inſtruam te, in via hac,qua gradieris,firmabo ſuper te oculos meos. Repente igitur tanta ſibi lachrymarum effuſio orta eſt,& ita mens eius ad intelligendas diuinæ ſcripturæ ſententias illuſtrata,vt ex eodem die, quandiu vixit,vberes ſibi lachrymæ,quandocunq; voluiſſet,facillimè fluerent,& plurima illa ſcripturarum myſtica non laterent. Frequenter enim tanta illum diuinitatis contemplatio rapiebat,vt quaſi totus in lachrymas reſolutus æſtuãte inenarrabili diuini amoris ardore clamaret: Chare Ieſu,chare,mel meum dulce,deſiderium ineffabile,dulcedo ſanctorum,ſuauitas Angelorum: & cætera huiuſmodi,quæ ille ſancto Spiritu dictante in iubilum proferebat; nos humano ſenſu exprimere talia non valemus. Sicut enim Apoſtolus dicit.: Nos ſicut oportet,orare neſcimus, ſed ipſe Spiritus orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Et ideo Romualdus Miſſam celebrare coram pluribus nunquam volebat,quia ſe à lachrymarum inundantia continere non poterat. Vnde etiam poſtmodum præ nimia iam conſuetudine vir ſimplicis animi putans gratiam ſibi diuinitus prærogatam, omnibus eſſe conceſſam,dicebat plerunq; diſcipulis: Cauete ne multas lachrymas effundaris, quia & viſum minuunt,& verticem lædunt. Vbicunq; autem vir ſanctus habitare diſponeret,oratorium cum altari primitus intra cellulam faciens, deinde ſe recludens,aditum damnabat.

Miſerunt aliquando ad illum fratres, qui morabantur in ſolitudine, quæ Bi-
furcum dicitur, conſilium flagitantes qualiter conuerſari in eremo deberent, qua
liter diabolicis impugnationibus reſiſtere poſſent. Quorum nuncij cùm ad mo
naſterium, à quo Romualdi cella longiùs aberat, perueniſſent, illico venerabilis
per ſpiritum, eorum cognouit aduētum, præcepitq́; Abbati Anſoni, qui ſibi tūc
aſſiſtebat, dicens: Vade, & pulmentum fratribus præpara, qui de longinquis
partibus aduenere. Qui continuò cœpit eum deridere, & dicere, quia verè fal
ſus Propheta eſſet. Poſtremò tamen velut coactus ad monaſterium veniens, eos,
quos vir ſanctus prædixerat, orantes iam in Eccleſia reperit. Quos videlicet
Romualdus multo ſalutaris doctrinæ ſale condiuit, multis deniq; contra anti-
qui hoſtis inſidias virtutum armis inſtruxit; & poſtquam eos de omnibus ſubtili
ter, vtiliterq́; docuit, cum multa eos ad eremum alacritate remiſit.

Alio quoq; tempore rurſus prædicti fratres ad eum nuncios dirigunt, & de ea
dem re conſilium maiori adhuc anxietate requirunt. Quibus vir venerabilis
ait: Ego nunc libellum de pugna dæmonum ſcribo, quem vobis cùm redieritis
dabo, vel certè vobiſcum fortaſſe veniam. Hoc illi audientes, protinus in faciē
ſe proſternunt, & vt cum illis ire dignaretur, importuna admodum ſupplicatio-
ne depoſcunt. Altera verò die iturum ſecum incſſtanter aſſeruit, & vt nauim
requirerent iuſſit. Audiens hoc Parentinus Epiſcopus, nimio mœrore percul-
ſus eſt. Inueniens quoq; monachos propter nauigium diſcurrentes, multis con-
tumeliarum eos dehoneſtauit iniurijs. Hoc etiam cunctis iuxta portum manē
tibus promulgauit edictum, vt quicunq; Romualdo nauim dare præſumeret, ip-
ſe quoq; vnà cùm ipſo irreuocabili profectione demigrans, Parentium vlteriùs
non rediret. Feſtinè igitur nuncius ad Polenſem Epiſcopum mittitur, vt beato
viro nauigium mittere non moretur. Sæpè nanq; præfatus Epūs adhortatus il
lum fuerat, vt nequaquam de cætero in tam obſcuro receſſu incluſus lateret, ſed
illuc potius ſe conferret, vbi animarum lucrum copioſius facere potuiſſet, ne vi
delicet ſicut carbo ſoli ſibimet arderet, ſed magis, vt re uera lucerna ſuper can-
delabrum poſita omnibus, qui in domo Dei ſunt, radios ſuæ lucis infunderet.

Dum igitur nuncius, qui miſſus eſt, expectatur, Romualdus his, qui ſecum
erant, fratribus ait: Noueritis proculdubio, quia frater ille tardiùs veniet; vnde
in alia naui nos ire priùs quā m ille reuertatur oportet. Adueniente autem ſan
cto die 25 Dominico, in ipſo primæ lucis crepuſculo dixit aſſiſtenti ſibi cuidā
fratri, nomine Ingelberto, qui poſtea Archiepiſcopus factus eſt: Reſpice, inqui-
ens, procul in pelagus, & vide duas naues longinquis adhuc ſpatijs pari aduer-
ſum nos velocitate tendentes; earum nos definitè debet vna ſuſcipere. Qui cu-
rioſiùs intendens, & expanſis oculorum radijs ſolicitè cuncta perluſtrās, aliquod
nauigij ſignum omnino videre non potuit. At cùm dies iam iamq́; clareſce
ret, ecce extremo videt intuitu duas naues eminus aduētantes, & præ nimia ad-
huc longinquitate quaſi totidem volucres apparentes. Quibus tandem ſubeun
tibus portum, interogati remiges, vtrum Romualdum cum ſuis in propria vel-
lent naue ſuſcipere, noua mox repleti lætitia, ſe & ſua omnia in eius poteſtate
conſtituunt, & beatos ſe fore tam pretioſæ margaritæ pondere profitentur. Ve-
rùm illo die minas aēris formidantes ire nolebant. Romualdus autem exhor
tatus eſt eos, vt ſtatim in ſpe diuinæ gratiæ iter caperent, ſpondens eis, quia nul
lum omnino periculum ſuſtinerent. Illi tamen tota die ibidem commorantes,
nocte nauigare cœperunt.

Circa diluculum aūt ſubitò venti ſæuiunt, tempeſtas oritur, mare ab imo fun
do verſatur. Iamq́; furentes vndiq; procellæ ipſos quoq; remiges proſternunt,
& nauim hinc inde concutientes totas penè tabulas laxant. Videres itaq; ho-
mines, alios quidem ſe ad natandum exuere, alios verò diuerſis ſe funibus

25 Adueniente autem ſancto die Dominico.

religare, quoſdam autem vt ſupernatare fluctibus poſſent, remos, aut lignum aliquod ſtrictum tenere. Cùmq; in tanto diſcrimine non iam dubium deſperatis omnibus naufragium immineret, illico Romualdus ad ſolita orationis 26 armamenta cucurrit, & reclinato paululum capitio, capite deflexo in gremium, preces in ſilentio ad Dominum fudit, deinde Anſoni Abbati, qui cominus aſſiſtebat, ſecurè præcepit dicens: Denuncia nautis, vt nequaquam timeant, ſed omnes ſe incolumes euaſuros, abſq; vlla penitus ambiguitate cognoſcant. Vix modicum poſt hæc tempus tranſierat, & ecce vltra omnium ſpem abſq; vllo humano ſtudio ipſa ſe nauis dirigit, & mox in portum Caprcolæ ciuitatis delapſa, celeriter ſubintrauit. Tunc omnes liberatori Deo dignas referre gratias, & manifeſtè ſe de faucibus mortis ereptos Romualdi meritis profitentur.

26 Oratione maris tempeſtatē ſedat.

Veniens itaq; Romualdus Bifurcum, viſis omnium fratrum cellis, quia ſuperſtitione quadam ambitioſæ videbantur, in nulla earum habere hoſpitium voluit, niſi in illa ſolummodo, in qua Petrus venerabilis eius diſcipulus habitabat; vir ſiquidem erat admirabilis abſtinentiæ, multæq; admodum extremitatis, qui cellulam ſibi ad ſancti Hilarionis exemplum vix vnquam largiorem fieri quatuor cubitis permittebat. Referebat autem poſtidem venerabilis vir, quia dum beatus Romualdus cum ipſo maneret, & pſalmos vterq; inter ſe vicarijs verſibus alternaret, tricies in nocte, vel eò ampliùs ſe Romualdus ad requiſita naturæ ire ſimulabat, quoniam affluentium lachrymarum inundantiam, atq; ſingultus cohibere non poterat. Cùmq; ibi Romualdus aliquandiu moraretur, & fratres non ſolum de ſpirituali certamine, verumetiam vt ſibi Abbatem præferrent, admoneret, illi quia ſuum habebat vnusquiſq; ſuſtentatorem, & pro vt cuiq; libuerat, proprij ſequebatur arbitrij libertatem, Romualdi præcepta ſuſcipere non magnopere curarunt.

Romualdus ergo ſterilitatis impatiens, anxia cœpit auiditate perquirere, vbi terram poſſet ad proferendos animarum fructus idoneam inuenire. Miſit itaq; nuncios ad Camerinæ prouinciæ Comites. Qui audito nomine Romualdi, nimio repleti gaudio, cuncta ſuæ ditionis obiulere prædia, non modò ſyluarũ & montium, ſed ſi ſibi etiam placeret, agrorum. Poſtremò repertus eſt in eorũ poſſeſſione locus eremiticæ conuerſationi ſatis congruus, montibus vndiq; vallatus, & ſyluis. In medio verò ampla quædam planicies non ſolum proferendis frugibus apta, ſed perſpicuis etiam fontibus irrigua. Hic itaq; locus Vallis de caſtro antiquitus vocabatur, vbi iam parua erat Eccleſia, in qua quarundam conuerſarum mulierum videbatur eſſe conuentus. His itaq; loco cedentibus, constructis cellulis illic habitare cùm ſuis diſcipulis vir venerabilis cœpit.

Ibi autem quantos animarum fructus per illum Dominus acquiſierit, quis valeat vel atramento deſcribere, vel lingua proferre? Cœpere namq; homines ad pœnitentiam hinc inde confluere, & ſua pauperibus miſericorditer erogare; alij ſeculum omnino relinquere, & ad ſanctæ conuerſationis ordinem ſpiritu feruido feſtinare. Erat enim vir beatiſſimus quaſi vnus de Seraphin, quia & ipſe flamma diuini amoris incomparabiliter æſtuabat, & alios, quocũq; pergeret, ſanctæ prædicationis facibus accendebat. Sæpè namq; dum prædicationis verba proferret, tanta illum compunctio in lachrymas excitabat, vt ſubitò interruptum ſermonem relinquens, aliquorſum repentino impetu velut amens aufugeret. Et ſi quando cum fratribus equitabat, longè poſt alios veniens, ſemperq; pſallens nihilominus ac ſi in cella reſideret, iugiter lachrymas effundere non ceſſabat.

Inter cæteros autem, præcipuè ſeculares clericos, qui per pecuniam ordinati erant, duriſſima ſeueritate corripiebat, & eos, niſi ordinem ſponte

deſcrerent,omnino damnabiles,& hæreticos aſſerebat. Qui nouam rem au-
dientes,occidere illum moliti ſunt. Per totam nanq; illam monarchiam vſq; ad
Romualdi tempora,vulgata conſuetudine,vix quiſquam nouerat,Simoniacam
hæreſim eſſe peccatum. Qui dixit eis: Canonum mihi libros afferte, & verum
vera ſint,quæ dico,veſtris atteſtantibus paginis comprobate. Illis igitur diligē-
ter inſpectis, & crimen agnoſcunt,& errata deplangunt. Conſtituit autem vir
ſanctus plures Canonicos,& clericos,qui laicorum more ſeculariter habitabant,
præpoſitis obedire, & communiter in congregatione viuere docens. Nonnulli
quoq; Epiſcopi,qui per Simoniacam hæreſim ſacras ſedes inuaſerant,ad eū cau-
ſa pœnitentiæ concurrebant. Qui etiam venerabili viro ſe committentes,& Epi-
ſcopatum termino ſtatuto deſerere,& ad ſanctæ conuerſationis ſe promittebant
ordinem feſtinare. Ex quibus tamen vir ſanctus quandiu vixit, neſcio ſi vel
vnum conuertere potuit. Eſt enim venenata illa hæreſis,præſertim in Epiſco-
pali ordine tam dura,& ad conuertendum rigida,ſemper promittens,ſemper de
die in diem producens,atq; in futurum procraſtinans, vt facilius poſſit Iudæus
ad fidem conuerti,quàm hæreticus plenè ad pœnitentiam prouocari.

In eiſdem quoq; partibus ſanctus vir monaſterium condidit puellarum. So-
lenni autem quadam die dum vir venerabilis illic cum fratribus in capitulo
reſideret,& eos ſalutaris doctrinæ dapibus ſatiaret,repente ipſum interrumpens
ſermonem,anxia quadam voce exclamare cœpit,& dicere: Agitè,agitè,quan-
tocyus properate,quia iam fratris Gregorij cellam fur frangit, (hic autem Gre-
gorius Archiepiſcopus in gentibus poſtmodum conſecratus eſt) qui protinus
exilientes ad cellam perniciter currunt,& furem iam parietes infringentem inue-
niunt. Quem corripientes ad magiſtrum pertrahunt, & quid de tam ſacrilegò
raptore faciendum eſſet,inquirunt. Quibus vir ſanctus cœpit hilariter dicere:
Et ego, fratres, ignoro quid de tam malo homine poſſimus facere. Eruimus il-
li oculos? Sed poſtea non videbit. Incidimus ei manus? Sed amplius non labo-
rabit,& per hoc forſitan fame peribit. Quod ſi pedem truncamus,ambulare nō
poterit. Sed intro eum ducite,et cibum illi prius apponite,vt quid de eo facien-
dum ſit,interim pertractemus. Ita vir ſanctus exultans in Domino poſtq̃ cibari
latronem fecit,illum modeſtè correptum, & dulcibus verbis admonitum redire
ad propria in pace permiſit.

Poſtremò dimiſſis in valle de caſtro nonnullis de ſuis diſcipulis,ad regionem
ſe vrbis veteris contulit & in poſſeſſione Pharulphi Comitis monaſterium mul-
tis quidem ſuffragantibus,ſed eo maximè expenſas præbente,conſtruxit. Tan-
tus nanq; in ſancti viri pectore faciendi fructus ardor incanduerat,vt effectis nū-
quam contentus,dum alia faceret,ad faciēda mox alia properaret, adeò vt puta-
retur totum mundum in eremum velle conuertere,& monachico ordini omnem
populi multitudinem ſociare. Multos deniq; illic de ſeculo abſtulit, quos per
plura ſacra loca diuiſit. Nonnulli quoq; nobilium filij contemptis parentibus
27 ad virū beatiſſimum fugiebant. Ex quibus etiam filius Guidonis Comitis fuit;
Vides quòd etiam pueri monachi fiebant?
qui in ipſa pueritia 27 non longo tempore poſtq̃ monachus factus eſt,ad mor-
tem veniens,vidit duos iniquos ſpiritus,quaſi nigerrimos vultures terribiles in ſe
oculos figentes. Cùmq; hoc aſſiſtenti ſibi beato Romualdo puer ediceret,pro-
tinus addidit; Ecce,inquiens,magiſter, tanti nunc Aethiopes intrant,vt iam to-
tum ædificium repleant. Exhortatus autem vt cōfiteretur quid deliquiſſet,hoc
ſolummodo crimen felix ille peccator cum magno terrore confeſſus eſt, quia iuſ-
ſus fuerat à Priore neſcio quot ſcopas accipere,& illas nondum acceperat. Ro-
mualdo igitur ei tanti facinoris veniam indulgente,in pace defunctus eſt. Po-
ſtero verò die cæcus quidam præbendarius videlicet patris eius, ad ſepulchrum
illius venit,& altiori voce clamans; Heus domine mi,inquit,ſi cū Deo es, ſicut

credo, preces pro me ad eũ funde, & oculorũ mihi lumen reſtitue. Quo dicto, ſtatim illuminatus eſt. Nonnulli quoq; ægroti ad eius tumulum venientes, redditi ſunt ſanitati. Cuius ſepulchrum velut multis plenum aromatibus redolebat. Ita ille à Deo meruit honorari poſt mortem, qui pro eius amore, dum viueret, carnalium ſpreuit hæreditatem.

Interea Romualdus audiens quia beatiſſimus vir Bonifacius martyrium ſuſcepiſſet, nimio deſiderij igne ſuccenſus, vt pro Chriſto ſanguinem funderet, Vngariam mox ire diſpoſuit. Interim tamen dum in ipſa intentione perſiſteret, breui tempore tria conſtituit monaſteria, vnum videlicet in valle de Caſtro, vbi nunc ſanctiſſimum corpus eius reconditum eſt, aliud prope Iſinum fluuium, tertium iuxta oppidum condidit Eſculanum. Deinde licentia ab Apoſtolica ſede ſuſcepta, & duobus è ſuis diſcipulis in Archiepiſcopos conſecratis, cum viginti quatuor fratribus iter arripuit. Tantus enim ardor moriendi pro proximo in omnibus æſtuabat, quòd vir ſanctus ad tale negocium cum paucis ire difficilè poterat. Euntes ergo cùm iam ipſis Pannoniarum finibus intereſſent, repente Romualdus langore conceptus, vlterius ire non potuit. Cùmq; diutius pateretur, ſiquando redire diſponeret, protinus ex ægritudine conualeſcebat. Sin autem ire vltra tentaret, tota eius facies protinus intumeſcebat, cibos quoq; iam retinere ſtomacho langueſcente non poterat. Aduocatis itaq; fratribus ait: Perpendo nequaquam diuinæ voluntatis eſſe iudicium, vt vltra progrediar. Veruntamen quia intentionis veſtræ deſiderium non ignoro, neminem veſtrum redire cõpello. Multi nempe etiam ante nos totis niſibus ſtuduerunt ad martyrij culmẽ pertingere, ſed quia diuina prouidentia aliter ſenſit, in ſuo gradu coacti ſunt remanere. Licet ergo vobis omnibus martyrium defuturum eſſe non ambigam, qui tamen ire, qui mecum redire voluerit, vniuſcuiuſq; relinquatur arbitrio. Quindecim igitur Vngariam prodeuntibus, duobus aliò iam dimiſſis, vix ſeptẽ cum magiſtro diſcipuli remanſerunt. Euntium autem quidam flagellantur, venduntur plures, ac ſeruitutẽ pro Domino ſubeunt, ad martyrium tamen, ſicut vir ſanctus prædixerat, non pertingunt.

Romualdus autem, conuerſo quodam nobiliſſimo viro Aldeberani Ducis conſanguineo, qui poſtea monachus factus in ſancta vſq; ad mortem conuerſatione permanſit, aliiſq; Theutonicis, ad monaſterium, quod in vrbis veteris regione conſtruxerat, rediit. Notandum itaq; eſt quia ſanctus vir nequaquam velut leuitate vſus falli inaniter potuit, qui ſecundùm intentionem quidem ſuam martyrium ſubiit, iuxta diuinum verò conſilium pro ſalute eorum miſſus eſt, quos cõuertit. In prædicto igitur monaſterio multa perſecutionis ſcandala paſſus eſt. Volebat enim Abbatem vt reuera monachum, extremitatem diligere, ſecularia ex deſiderio non tractare, res monaſterij pro vanagloria non expendere, fratrũ vſibus neceſſaria miniſtrare. Quæ omnia dum ille ſurda aure contemnit, Romualdus locum cum ſuis diſcipulis deſerens, non longè à caſtro prædij ditionis Raynerij, qui poſtmodum Thuſciæ Marchio factus eſt, habitauit. Hic autem Raynerius coniugem ſuam occaſione propinquitatis abiecerat, & conſanguinei ſui vxorem, quem ipſe inſequentem quodammodo inuitus occiderat, in coniugium copularat. Ob hoc itaq; Romualdus, ne criminis eius particeps fieret, gratis manere in eius poſſeſſione noluit, ſed vnum ei aureum pro aqua, alterum verò pro lignis appendit. Quos cùm ille omnino reſpueret, mallens videlicet ſua dare, q̃ à ſancto viro quicquam recipere, poſtremò tamen victus aſſenſit potiùs q̃ Romualdus abiret. Dicebat autem idem Raynerius cùm monarchiã obtineret, Quia non Imperator, non aliquis omnino mortalium tantum mihi metum valet incutere, quantum me Romualdi terret aſpectus. Ante eius quippe vultũ neq; quid dicam ſcio, neq; quibus me defendere valeã, vllas excuſationes

inuenio. Habebat te uera vir ſanctus hanc ex diuino munere gratiam, vt quicunq; peccatores præſertim potentes ſeculi, in eius præſentiam deueniſſent, mox velut ante maieſtatem Dei tremefactis viſceribus formidarent. Sanctus nimirum Spiritus, qui pectori eius habitator inerat, hunc terrorem iniuſtis diuinitùs intendebat.

Illis verò temporibus vir venerabilis monaſterium non longè à Maſſiliano caſtro conſtruxit. Audiens autem aliquando, quia Venetus quidam Claſſensē Abbatiam per coēmptionem Simoniacæ hæreſeos inuaſerat, inſuper quoq; in corpus ſuum iniquè peccabat, illuc protinus ire miles Chriſti impiger ſtuduit, diuerſisq; modis ipſum monaſterium purgare tentauit. Vir autem reprobus dum Abbatiam metuit perdere, non timet homicidium perpetrare. Intempeſta ſiquidem nocte, dum Romualdus in lecto ſecurè quieſceret, ille eum latenter aggreſſus, impijs cœpit digitis guttur eius aſtringere, nitens eum crudeliter ſuffocare. Sed dum vir ſanctus necdum prorſus intercepto ſpiramine, anhelitu vix eluctante, rauciret, Ingelbertus illico magiſtri ſingultibus excitatus, torrem mox ex ſopito igne corripuit, & miniſtrum diaboli ab incepto nefandiſſimo crimine exturbauit.

Poſthæc Romualdus denuo Parentium nauigauit, ſed Apoſtolicæ ſedis Antiſtes, & Romani ciues vt Romam rediret legationem dirigunt. Quò ſi reuerteretur, facturos ſe omnia eius præcepta promittunt; ſin autem, excommunicationis ſententiam comminantur. Hoc itaq; modo ſuum Romualdum Italia recuperare promeruit. Eo tempore in faucibus Callenſium montium aliquandiu manſit, deinde in Petranum montem non longè videlicet à monaſterio ſancti Vincentij, quod iuxta Candilianum conſtitutum eſt fluuium, commigrauit. Quocunq; autem vir ſanctus ibat, ſemper fructificans, ſemper animarum lucrum magis, ac magis accumulans, & homines de ſeculo abſtrahens, velut totus in ignem conuerſus, ad cœleſte deſiderium animos hominum accendebat.

Volens autem tunc locum ad eremum faciendam idoneum inuenire, præcepit cuidam presbytero, vt ad domum propriam rediens, ſibi, & his, qui cum commitabantur, alimenta deferret. Deinde montem indagine ſtudioſa perluſtrãs, poſtremò quendam monachum iuxta paruam baſilicã habitãtem reperit, à quo mox vt ſecum pergeret, & locum oſtenderet, vbi aqua inueniretur, exegit. Qui nimirum denegauit ſe domum ſine cuſtode poſſe relinquere, quia latronum inſidiantium impetum formidaret. Ad hæc Romualdus recompenſaturum ſe, ſi tale quid accidiſſet, cuncta ſpopondit. Sicq; iam alienæ iniuriæ debitor factus, monachum ſecum duxit. Illis itaq; locum quærentibus, ecce presbyter vt iuſſus fuerat prandium deferens, furem iam domum infringentem reperit, repertum cœpit, captum vſq; ad Romualdi reditum cuſtodiuit. Quem Romualdus intuens, prius illum pia ſtuduit verborum auſteritate corripere, deinde dulciter admonẽs incolumem permiſit ad propria remeare. Sic nimirum, ſic diuina prouidentia ſeruauit illæſum, quod in abſentis Romualdi fuerat cuſtodia derelictum.

Rurſus dum in eiſdem partibus cellas conſtrueret (erat autem ſarcina procul ab eis ſub quodam ſaxo repoſita) tunc vir venerabilis quendam fratrem illuc quaſi cum quodam impetu propulit, præcipiens ei vt nimis anxiè feſtinaret. Qui mox furibus ſuperueniens, illos quidem iam eam rapere tentantes reperit, ſed nihil adhuc ex his, quæ repoſita fuerant, deeſſe cognouit. Qua ex re rectè colligitur, beatum virũ nõ ſine diuinæ reuelationis inſtinctu fratrem cùm tanta ſolicitudine deſtinaſſe, ipſo videlicet puncto, quo fures ad rem non cuſtoditam contigit perueniſſe. Poſt hæc Romualdus ad monaſterium Vallis de caſtro reuertitur, moxq; Abbatem ſic alios regere, vt ſemetipſum tamen nequaquam negligeret, exhortatur. Volebat inſuper vt cellam, qua vſus fuerat occaſione re-

giminis, non omnino deſereret, ſed in ea ſibimet ſpiritaliter viuens, præcipuis tantum feſtiuitatibus fratres admonitionis gratia viſitaret. Erat enim beato viro tam odioſa iſta quam cernimus, Abbatum conuerſatio, vt non minus gauderet, ſi de manu cuiuſquam Abbatiam potuiſſet euellere, quàm ſi ei datum fuiſſet potentiſſimum quemlibet ſecularium ad ſanctæ conuerſationis ordinem conuocare. Sed ſicut per Salomonem dicitur: Velut acetum in nitro, ita qui cantat carmina cordi peruerſo: ille prædicatione venerabilis viri de malo deterior factus, Comitiſſas loci dominas protinus adijt, & vt ligna, quibus Romualdi cellæ debebant conſtrui, minutatim incidi præciperet, ſacrilega machinatione ſuggeſſit. Eo itaque modo alta paradiſi cedrus de terrenorum hominum ſyluis eiecta eſt.

Inde verò progrediens non longè ab Apennino monte in loco, qui dicitur Aqua bella, manere conſtituit. Illic igitur dum ſeculares quidam cum diſcipulis eius habitationum tecta conſtruerent, Romualdus autem, quia iam præ ſenectute laborare non poterat, ſolus opificium cuſtodiret, Presbyter quidam intolerabilem dolorem in dentibus ſentiens, opus ædificij inuitus reliquit, & poſtulata à fratribus licentia, redire domum miſerabiliter eiulans cœpit. Cùm verò Romualdus tranſitum reuerſionis haberet, interrogatus ab eo Presbyter cur abſcederet, mox caſum ſuæ paſſionis aperuit. Tunc Romualdus hianti locum vbi patiebatur, digito tetigit dicens: Ignitam ſubulam, ne labrum lædat, in calamum mitte, & hîc pone, ſicque dolor aufugiet. Vix Presbyter vnius iugeris ſpatio vltra progreſſus eſt, & confeſtim omni dolore depoſito, ad opus, quod reliquerat, ſanus, & incolumis repedauit, claris nimirum vocibus exclamans, & dicens: Gratias tibi agimus, omnipotens Deus, qui regionem noſtram ſplendore tanti ſideris illuſtrare dignatus es. Verè Angelus Dei, verè Propheta ſanctus, & lux magna occulta mundo, in finibus noſtris apparuit. Hæc, & alia multa in Dei laudem vociferans, vix à beati viri diſcipulis tacere compulſus eſt. Nam ſi talia verba ad beati viri Romualdi aures qualibet occaſione perueniſſent, grauiſſima cor eius indignatione commouiſſent.

Alio verò tempore magnam quãdam fagum, quæ prope cellam eius aſtabat, incidi præcepit. Erat autem fagus ita cellæ acclinis & imminens, vt iuxta humanam opinionem ſi cecidiſſet, totum mox ædificium indubitanter obrueret. Cùm itaque operarij vellent iuſſa perficere, ſed ruinam arboris formidarent, ille vt nequaquam timeretur inſtabat. Itaque cùm impactis circunquaque ſecuribus, in ipſa iam arboris viſcera veniretur, arbor autem ſuper beatum virum non iam dubiè impetum minaretur, cœpere omnes rogare, & vocibus clamoſis vehementer inſiſtere, vt ſi cellam poſtponeret, ſemetipſum exiens conſeruaret. Ille autem nequaquam eorum clamoribus acquieſcens, vt cœptum citò perficerent, diffinitè præcepit. Poſtremò fagus grauiſſimo ſonitu corruens, ita aliorſum eſt ex diuina virtute proiecta, vt cunctis mirantibus cella omnino manſerit illæſa. Omnes igitur tanto obſtupefacti miraculo, ad cœlum voces tollũt, & immenſas Deo gratias referunt. Sed quid nos de diuina circa venerabilem virum cuſtodia dicimus, cùm & alios ſæpe per eius præſentiam ex magnis ereptos fuiſſe periculis non ignoremus? Ex quibus vnum hîc memorare ſufficit, vt plures fuiſſe prudens lector agnoſcat.

Aliquando namque ipſe cum operarijs manens, nimiæ magnitudinis ilicem in monte Petrano faciebat incidi. Quæ videlicet arbor in prærupto montis decliuo pendens, in ima vergebat. Ruſticus autem quidam paulò inferiùs ſtabat. Cùm igitur præciſa arbor grauiter corruens per deuexum montis volueretur in præceps, mox repertum ruſticum repentino impetu cœpit ad inferiora rotare. Cuncti protinus dolentes exclamant, & non ſolùm eſſe hominem mortuum, ſed

totum quoq; dilaceratum eius corpus exiſtimant. Sed ò diuinam virtutem, ita mox ſanus, & incolumis repertus eſt, ac ſi ſuper eum non arbor, ſed arboris folium cecidiſſet. Hinc iure perpenditur ſancti viri meritum quantum apud Deum pondus habuerit, in cuius conſpectu grauiſſima arboris moles pondus habere neſciuit.

Poſtmodum verò Romualdus cùm Apenninum deſeruit, montem Syriæ habitaturus aſcendit. Cauendum autem ſummopere eſt, ne quis cùm audierit, quia vir ſanctus tot loca mutauerit, pii operis pondus vitio leuitatis aſcribat. Hæc nanq; mutationum eius cauſa proculdubio fuit; quia ad venerabilem virum, vbicunq; degeret, turba hominum penè innumerabilis concurrebat. Ratio ergo poſcebat, vt cùm vnius loci ſpatium plenum habitatoribus cerneret, illic Priore conſtituto, ad replendum mox aliud feſtinaret. In Syria verò quot contumelias, quot ſcandala à ſuis diſcipulis paſſus ſit, non eſt noſtræ facultatis euoluere. Ex quibus videlicet vnum hîc ponentes, cætera breuitatis ſtudio prætterimus.

Habebat quendam diſcipulum, Romanum nomine, qui nobilis quidem fuerat genere, ſed omnino degener actione. Hunc itaq; vir ſanctus cùm pro ſuæ carnis immunditia non modò verbis argueret, ſed ſæpè etiam verberibus grauiſſimis coërceret, auſus eſt diabolicus vir titulum illi eiuſdem reatus opponere, & impudenter contra ſancti Spiritus templum ſacrilego ore latrare, dicens videlicet, ſanctum virum vnà ſecum ex eadem contagione peccaſſe. Mox itaq; diſcipuli omnes aduerſus eum irati, omnes infeſti, alii clamant ſenem impium laqueo debere ſuſpendi, alii dignum iudicant, vt cū ipſa cella ignibus concremetur. Quod vtiq; valde fuit mirabile, præſertim ſpirituales viros ex decrepito ſene, & vltra q̃ centenatiò, tã nefarium ſcelus credere potuiſſe, cui etiam ſi voluntas adeſſet, natura tamen, & frigidus ſanguis, ariditasq; attenuati corporis hoc penitus denegaret. Sed credendum eſt proculdubio, ad augendum ſancti viri meritum hoc ſibi tam grauis aduerſitatis cœlitus accidiſſe flagellum. Nam & ipſe aſſerebat, hoc in eremo, vnde nuper abſceſſerat, veraciter agnouiſſe, & ad hoc dehoneſtatis improperiū ſubeundum alacriter adueniſſe. Ille autem Sarabaita reprobus, qui ſancto viro crimen intenderat, Epiſcopatum poſtmodum Nucerinum per Simoniacam hæreſim acquiſiuit, & per biennium illum occupans, in primo anno ædem incenſam cum libris, & tintinnabulis, ac cæteris ſacris ornamentis, exigentibus ſuis meritis, vidit; in ſecundo autem dignitatem cū vita, diuina illum feriente ſententia, perdidit.

Impoſuere itaq; diſcipuli ſancto viro quaſi de commiſſo crimine pœnitentiam, & celebrandi ſacra myſteria penitus abſtulere licentiam. Quod ille præiudicium libenter ampleſtens, & pœnitentiam velut reuera obnoxius crimini obſeruauit, & ad ſacroſanctum altare per ſex ferè menſes accedere non præſumpſit. Tandem verò, ſicut ipſe poſtmodum eiſdem ſuis diſcipulis retulit, diuinitus ſibi iuſſum eſt, vt ſi diuinam timeret gratiam perdere, iam indiſcretam ſimplicitatem poſtponeret, & ſacra Miſſarum ſolennia fiducialiter celebraret. Poſtera igitur die ſacrificare 28 incipiens, cùm ad ſecunda Miſſæ ſecreta peruentum eſſet, in extaſim raptus, tam longo temporis ſpatio ſiluit, vt omnes, qui aderant, mirarentur. Interrogatus autem poſtmodum, cur in offerendo ſacrificium tantas moras præter ſolitum habuiſſet; Raptus, inquit, in cœlum oblatus ſum ante Deum, & continuò mihi diuina voce præceptum eſt, vt ſecundùm hunc intellectum, quem mihi Deus immiſit, pſalmos exponerem, & pro modulo mei ſenſus chartulis per ordinem commendarem. Ego autem nimio, & inenarrabili terrore conſtrictus, reſpondere nihil aliud potui, niſi tantummodo, Fiat, fiat. Vnde poſtea vir ſanctus totum pſalterium, & nonnulla Prophetarum cantica

28 Nota Miſſā vocari ſacrificium.

luculenter expoſuit, & licet corrupta grammaticæ regula, ſanum tamen ſenſum vbiq; ſeruauit.

Interrogauere eum aliquando diſcipuli dicentes: Magiſter, cuius eſſe ætatis anima cernitur, vel in qua figura ad iudicium præſentatur? Reſpondit: Scio hominem in Chriſto, cuius anima delata eſt ante Deum ſplendida velut nix, humana quidem effigie, ſtatura verò perfectæ ætatis. Inquiſitus iterũ, quis ille eſſet, indignans, & confundens eos dicere noluit. Mox diſcipuli rem vt veraciter erat, inter ſe inuicem retulere, & ipſum fuiſſe hominem certa manifeſtatione cognoſcunt. In Syria deniq; vir venerabilis per ſeptem annos incluſus manſit, & ſilentium continuum inuiolabiliter tenuit. Veruntamen tacentè lingua, & prædicante vita, vix vſquam tantum laborare aliquando potuit, vel in conuertendis hominibus, ſiue ad pœnitentiam concludendis. Viuebat autem, vergente iam ſenectute, nimis diſtrictè, videlicet cùm iam & ipſi perfecti viri ſolent remiſſiùs viuere, & aliquid ſibi de ſui propoſiti rigore laxare. Nam per vnius Quadrageſimæ ſpatium nihil aliud neq; in cibo, neq; in potu penitus habuit, niſi de modica 29 farina, & paucis herbis ſorbitiunculam, ex qua ad imitationem Hilarionis vixit. Quinq; verò hebdomadibus nihil aliud comedens, ad modicum ſe infuſi cicer[illegible]ſtrinxit. Et ita Romualdus per multa alia viuendi genera quid ſua virtus poſſet, per hæc & illa ſe iugiter exercendo tentabat. Studebat quippe diſcretus Chriſti miles ad nouum ſe certamen ſemper accingere, & cùm iam iam cadere videretur, adhibita mox miſericordia vacillans corpuſculum releuare. Duo autem, vel etiam tria quandoq; habebat cilicia propter naſcentem corporis importunitatem, quæ lauari nullatenus permittebat, ſed ea potius ad imbrem proiiciens, poſt triginta dies mutare conſueuerat. Nouaculã autem nunquam in ſuum caput patiebatur aſcendere, ſed ipſe ſibi petrarò ſolebat excrementa capillorum, & barbæ forpicibus attondere: Siquando verò eũ ex aliquo eſculentiori cibo gulæ vitium titillaret, mox accuratè illum præparari præcipiens, ori, & naribus apponebat, & ſolum captans odorem dicebat: O gula, gula, q̃ dulcis, q̃ ſuauis modò tibi ſaperet iſte cibus; ſed væ tibi, ex eo nunquam guſtabis: & ſic intactum ad cellarium remittebat.

29 Ecce diſtrictiſſimum ſãcti viri ieiuniũ in Quadrageſima.

Sed quanq̃ vir ſanctus tantam erga ſe ſeruaret auſteritatem, ſemper tamen hilarem vultum, ſemper ſerenam faciem oſtendebat. Nam frater quidam, Gregorius nomine, grauiſſimum capitis dolorem ſe perpeti aliquando conqueſtus eſt: Qui cùm ad beati viri cellulam, vbi alij fratres tunc erant, cum nimia lamentatione veniſſet, mox vt eum vir venerabilis vidit, hunc dolorem nequaquam humorum inæqualitati, ſed inſidijs antiqui hoſtis indubitanter aſcripſit, & mox quaſi deridens eum, vt erat ſemper alacri vultu, per feneſtram cellulæ inſufflauit in eius frontem, & vt cæteri omnes, qui aderant, ſimiliter facerent innuit. Hoc autem facto ita ſanatus eſt, vt nullum penitus ſentiret in ſuo capite doloris remanſiſſe veſtigium. Arbitror quòd idcirrò vir ſanctus hoc facere voluit, quia per Spiritum ſanctum, qui in eius pectore præſidebat, effugandum eſſe iniquũ hoſtem doloris immiſſorem credidit. Ad euitandam verò propriam laudem, & ludum finxit, & ſocios quæſiuit. Nam & Redemptor noſter inſufflaſſe legitur, cum Spiritum ſanctum dediſſe Apoſtolis perhibetur.

Vir quidam capitis patiebatur inſaniam, ita vt ſenſu rationis amiſſo, vel quid ageret, vel quid diceret funditus ignoraret. Huic Romualdus nihil aliud fecit, niſi quòd ſolummodo oſculum præbuit, & protinus illum ad incolumitatẽ priſtinã reuocauit. Sicq; cũ inquieto homine dũ pacẽ fecit, ad mẽtis eũ ſuæ pacẽ reduxit. Referebat autem poſtmodũ ille, qui ſanatus fuerat, dicens: Quia cùm ſacra beati viri labia tangere merui, ſtatim prodire ex eius ore quaſi vehementis auræ ſpiritum ſenſi, qui totam faciem meam, & ipſum deniq; ſinciput perflans,

omnem cerebri æſtuantis ardorem protinus effugauit.

Alio quoq; tempore idem, qui ſupra, Gregorius, tam viroſam, & marcidam tolerabat in cruribus ſcabiem, vt iam ex elephantiæ morbo crederet tam grauem prodire tumorem. Huic Romualdus hoc præcipuæ medicinæ genus indixit, vt crura per tres dies frigida aqua perfunderet, promittens quia hoc modo ſanitatem priſtinam recuperaret. Quod ille quidem adimplere ſtuduit, magis tamen neceſſitate iuſſionis, quàm recipiendæ fiducia ſoſpitatis. Mirum ſatis, & ſoli diuinæ potentiæ referendum. Confeſtim tibiarum tumor deponitur, virus omne ſiccatur, & penitus omni langore depoſito, frater ſanus per omnia redditur. Credi quoq; rationabiliter poteſt, quia eodem ſpiritu Romualdus diſcipulo vt ter aquis tumentia crura perfunderet iuſſit, quo Eliſæus Naaman leproſum lauari ſepties in Iordane mandauit. Nonnulli tamen, carnales videlicet homines, eum malitioſè reprehendere, & eius dicta, vel facta non timebant leuitatis vitio deputare.

Quidam nanq; eius diſcipulus in alia procul eremo morabatur. Qui propinquorum neceſſitati aliquando condeſcendens, pro eorum vtilitate tandem velut inuitus Romam ire quadrageſimali tempore acquieuit. Quod mox vir ſanctus per Spiritum recognoſcens, velut indignans dixit aſtanti cuidam fratri, quòd videlicet ille bonus vir pro huiuſmodi negotio Romam ire præſumpſit. Ille autem admirans vnde hoc magiſter cognoſceret, cum quo videlicet nemo aliunde veniens colloquium habuiſſet, ſollicitè perquiſiuit, & ita eſſe ſicut venerabilis dixerat comprobauit. Pergit ille ad alium ſuum condiſcipulum, videlicet Ingelbertum, qui incluſus manebat, & magiſtrum hæc dixiſſe, & ſine dubio prophetiæ ſpiritum habere prorſus affirmat. Ille autem hoc deteſtans, & penitus denegans, fratrem corripuit, & quia hoc falſum eſſet, imprecationis ſe vinculis obligauit dicens: Si Romualdus, hoc per Propheticum ſpiritum, & non magis per diabolum dixit, non me omnipotens Deus in hoc reclusorio perſeuerare permittat. Dictum, factumq; eſt. Nam vix paucis diebus tranſactis, Ingelbertus, fracto recluſorio, ſine magiſtri licentia abijt, & eum in hac vita (ſicut dicitur) iam pliùs non vidit.

Alius frater, Gaudentius nomine, Abbatis videlicet huius monaſterij ſancti Vincentij pater, cum magno feruore côuerſus, ardentiori poſtmodum ſpiritu in Dei eſt ſeruitio conuerſatus. Hic aliquando à beato Romualdo licentiam petijt, quia vellet cuncta iam pulmenta relinquere, & pane cum aqua contentus pomis quoq;, ſiue crudis oleribus victitare. Hoc igitur impetrato, cùm in eodem propoſito infatigabiliter permaneret, Tedaldus quidam alius frater infirmitati illius indiſcretè compatiens, adire magiſtrum ſtuduit, & quaſi frater ille tam graue pondus portare non poſſet, hanc eius obſtinationem frangi omnino debere ſuggeſſit. Romualdus autem, vtputa vir ſimplicis animi, Tedaldi verbis aſſenſum dedit, & Gaudentio talis vitæ licentiam abſtulit. Ille verò indignè ferens, nequaquam ampliùs cùm Tedaldo in eremo, in qua eos Romualdus poſuerat, paſſus eſt habitare, ſed Ingelberto, qui à Romualdo diſiũctus fuerat, ſe ſubdidit, & ab eo conſenſum præfatæ conuerſationis obtinuit. Hic itaq; Gaudentius nõ multo poſt tẽpore defunctus eſt, & in cœmeterio beati Vincẽtij iuxta corpus Berardi venerabilis viri, qui æquè Romualdi diſcipulus fuerat, eſt ſepultus. Romualdus autem, quia ille in præuaricatione inobedientiæ vitam finierat, orationem pro eo penitus fieri interdixit.

Aliquanto autem poſt tempore monachus quidam prædicti cœnobij dum matutinam ſynaxim cum reliquis fratribus celebraret, repente tam acrem dolorẽ ſentire in dentibus cœpit, vt iam in choro ad pſallendum ſtare omnino non poſſet. Qui protinus exiens ſuper ſepulchrum ſe Berardi, atq; Gaudentij lamẽtãdo

iactauit; dumq́ ibi aliquandiu iacens oraret, mox eum ſomnus oppreſſit. Illic eo ſanè videt Berardum ſacerdotalibus ornamentis ſplendidiſſimè ornatum, & tenentem in manibus librum aureis literis ſcriptum, ante altare ſcilicet ſtare, & Miſſarum ſolennia celebrare. At cernit Gaudentiũ mœrentem, demiſſo vultu poſt tergum Berardi procul manere, & velut excommunicatum ſacris appropinquare myſterijs non audere. Qui mox locutus eſt ei dicens: Vides, frater, illũ Berardi librum mirabiliter deauratum? Ego quoq; talem per omnia nunc haberem, niſi illum mihi, heu, heu, Tedaldus monachus abſtuliſſet. Statimq́; frater euigilans ſanus, & incolumis, fugato omni dolore, ſurrexit. Deinde lætus viſionem ſuam fratribus per ordinem retulit. Quod Romualdus audiens illico præcepit fratribus, vt iam Gaudentio fraternam charitatẽ impenderent, atq; pro eo enixius [30] orarent. Vnde non ſine ratione colligitur, ꝙ ille, qui priuatus ſocietate Romualdi librũ, quem meruerat, perdidit, iam eius gratiæ reſtitutus, & orationibus ſubleuatus, eundem librum recuperare meruit; & quem Tedaldus nõ niſi per Romualdum abſtulerat, iam Romualdus orando pro illo cum omnibus ſimul fratribus reddit. Aliquando vir venerabilis cuiuſdam cauſa neceſſitatis in viam ire diſponens, vni diſcipulorum cellam commiſit, & vſq; ad ſuum reditum in ea illum manere præcepit. Ille verò temerarius, dum debiti honoris reuerentiam magiſtro non ſeruat, audacter in eius ſtrato iacere non dubitat. Ecce aũt in illa nocte maligni ſpiritus ſuper eum immaniter irruunt, grauiſſimis eum verberibus atterunt, & proiectum de lecto penè ſeminecem derelinquunt. Meritò ſanè tam ſuperbos ſuæ offenſionis vltores pertulit, qui in talem virum poſtpoſita humilitate peccauit; & dum pio magiſtro non exhibuit reuerentiam, ex duris, & impijs ſenſit manibus diſciplinam. Similiter poſtmodum venerabilis vir iter acturus, alium in eadem cella diſcipulum dereliquit. Cui cùm diſcipulus diceret: Magiſter ego in lecto tuo non iacebo, quia quod alij contigit, mihi etiã conſequenter euenire formido: Ille reſpondit: Fili mi, iace, & dormi ſecurus; Ille enim in eo recubans, idcirco in manus inimicorum incidit, quia paruitatis meæ licentiam non accepit. Tu autem accepto conſenſu, in Deo ſpem pone, & ſine pauore quieſce. Qui videlicet in eo ſicut iuſſus fuerat iacuit, & nullum omnino caſum aduerſitatis incurrit.

30 Si viuorũ orationibꝰ defunctorũ animæ nõ iuuarentur, haud mãdaſſet vir ſanctus, orationes fieri à fratribus pro anima Gaudentij.

Secularis quidam vir, Arduinus nomine, Romualdo ſe ad ſuſcipiendum ſanctæ conuerſationis habitum tradidit; deinde domum vt ſua quæq; diſponeret remeauit. Cùmq́; eum vxor ſua venientem vidiſſet, fœmineo nimirum furore ſuccenſa, exclamauit aduerſus eũ dicẽs: Sic bone vir; Ab hæretico illo, & antiquo ſeductore nunc venis, & me miſeram, & deſtitutam omni humano ſolatio derelinquis? Quæ, hoc dicto, protinus in amentiam vertitur, & ita furere, & conquaſſari cœpit, ac ſi patenter à dæmonio vexaretur. Habebat autem vir ſanctus huiuſmodi conſuetudinem, vt ſi quando fratres in viam dirigeret, benedictum illis ſiue panem, ſiue pomum, ſeu quodcunque aliud daret. Vnde diſcipuli, vt experti multoties fuerant, certum tenebant, quòd ſi ex benenedictione magiſtri cuilibet ægroto porrigerent ad ſalutem, illum incolumem redderent. Nam & ex aqua, vnde manus eius ablnebantur, plures languidi ſæpè reſtituti ſunt ſanitati. Quod tamen cautiſſimè oportebat fieri, ne ſi vir ſanctus hoc aliquatenus comprehenderet, in grauiſſimam triſtitiam deueniret. Cùm igitur diu fœmina miſerabiliter vexaretur, quidam fratres, qui aderant, de benedictione panis, quam à magiſtro ſuſceperant, ei particulam tradiderunt. Quam cùm mulier comediſſet, mox [31] mente ſedata, ab omni redditur inſaniæ furore liberrima. Itaque protinus omnipo-

31 Vide quo res à ſanctis benedictæ ſumentibus beneficia præſtant.

tenti Deo, & Romualdo famulo eius recuperatæ ſanitatis gratias retulit, & viro ſuo conuerſionis licentiam vlteriùs non negauit.

Alio quoque tempore puer quidam dæmoniacus ad beatum virum delatus eſt, cui ille nihil aliud fecit, niſi quòd pro benedictione illi panis particulam tradidit. Qua mox puer ille refectus, confeſtim à dæmonio liberatus eſt. Iure quippe poſtquam benedictio Romualdi malè poſſeſſum corpus intrauit, inde confeſtim maledictus ſpiritus cautheriatus exiuit. Nunquam tamen diabolus à ſancti viri poterat impugnatione quieſcere. Et quia occulta iam aduerſus eum fraude nil poterat, non ceſſabat virus ſuæ malitiæ viſibiliter demonſtrare. Aliquando nanque, dum vir venerabilis in cella conſiſteret, ecce malignus ſpiritus, vt eſt re uera teterrimus, hiſpidus, horribilis, immenſum cœpit ſancto viro terrorem incutere, & cùm nimio furore, ac impetu, mortem ei minitans intentare. Cùmq; Romualdus auxilium de cœlo imperterritus quæreret, & vt ſibi Chriſtus ſuccurreret fiducialiter exclamaret, mox antiquus hoſtis aufugiens, ipſum cellæ parietem tanto iracundiæ felle percuſſit, vt grauem fagi tabulam vnius cubiti ſpatio, vel eò ampliùs fiderit. In habitaculo igitur patenter oſtendit, quanta aduerſus habitatorem flamma crudelitatis exarſit, & quodammodo ſcriptum reliquit in pariete, quod occultum gerebat in mente.

Aliquando etiam dum venerabilis vir cum ſuis diſcipulis equitaret, ecce malignus ſpiritus rubei canis effigiem ſimulans, cum magno impetu obuiam irruit, & equum, cui inſedebat, vt penè vir ſanctus excuteretur, exterruit. Interrogantibus diſcipulis ſi eum vidiſſet, exhorreſcentem quidem equum conſpexiſſe ſe aſſeruit, ſed nil tale ei apparuiſſe teſtatus eſt, dicens: Miſer ille, qui olim præclarus Angelus fuiſſe cognoſcitur, nunc ſe immundi ſpecie canis oſtendere non veretur. Rurſus alio tempore cùm monaſterium ancillarum Dei, quod eſt in Valle bona, conſtruere decreuiſſet, diſcordia mox inter ſancti viri diſcipulos oritur, quia videlicet alij nolunt, alij verò vt fieret vehementer inſiſtunt. Cùmq; ante venerabilem virum vtræq; diſſidentium partes diuerſa vtentes allegatione contenderent, cœpit diabolus ante portellam cellæ quaſi malleo ſine ceſſatione percutere, & per reboantem ſyluam crebris audiebatur tonſionum ictibus inſonare. Deinde cùm iam omnes monaſterium fieri vnanimiter concordaſſent, ecce malignus ſpiritus cunctis audientibus vlulare, plorare, & flebiles non ceſſabat voces emittere. Poſtremò autem cùm iam diuiſi ad ſuum quiſque reuerteretur hoſpitium, proſequebatur eos antiquus hoſtis cum tanta tempeſtate, & turbine, vt quaſi omnia ventorum genera commouens, totam ſyluam radicitus euellere putaretur. Quidam verò fratrum increpans eum dixit: Præcipio tibi in nomine Trinitatis, immunde ſpiritus, vt deſinas venire poſt nos. Et ita fugatus eſt. Iure quippe author diſcordiæ, compoſita pace, compulſus eſt in fletum prorumpere, qui priùs audiebatur creſcente rixa gaudere; & quia tunc circulum vacui vaſis abſtrahere, & partes, quibus compactum fuerat, diſſipare tentauit, conſtrictis iam in vinculo pacis, & charitatis compage diſcipulis, triſtis abſceſſit.

32 Ecce auſteritatẽ veſtitus, & victus Romualdi, & monachorũ eius.

Taliter autem tunc in Syrria viuebatur, ac ſi ex ſimilitudine non ſolùm nominis, ſed etiam operis altera denuo Nitria videretur. Omnes ſiquidem nudis 32 pedibus incedentes, omnes inculti, pallidi, & nimia omnium rerum extremitate contenti erant. Nonnulli verò obſeratis ianuis clauſi ita mortui videbantur mundo, velut in ſepulchro iam poſiti. Vinum ibi nemo nouerat, nec ſi etiam grauiſſimam quis ægritudinem pateretur. Sed cur

ego de monachis loquor, cum & ipſi monachorum famuli, ipſi quoque cu-ſtodes pecorum ieiunarent, ſilentium tenerent, diſciplinas inter ſe inuicem facerent, & de quibuslibet ocioſis verbis pœnitentiam flagitarent? O au-reum Romualdi ſeculum, quod etſi tormenta perſecutorum non nouerat, ſpontaneo tamen martyrio non carebat. Aureum, inquam, ſeculum, quod inter montium, & ſyluarum feras tot cœleſtis Hieruſalem ciues alebat. Cùm verò ibi fratres iam tanti eſſent, vt illic in vnum habitare vix poſſent, tunc Romualdus monaſterio ibi conſtructo, & Abbate præpoſito, in-uiolatum ſeruans ſilentium, Bifurcum ſeceſſit ad habitandum. Illic etiam volens Abbatem ſpiritualiter viuere, & rectitudinis iter tenere, multam ab eo paſſus eſt perſecutionis iniuriam.

Interea Imperator Henricus de vltramontanis partibus in Italiam veni-ens, miſit beato viro deprecatoriam legationem vt ad eum venire dignaretur, promittens ſe facturum quæcunque præciperet, ſi ſuum ei colloquium non negaret. Cùmq; venerabilis prorſus abnueret ſilentium frangere, cœpe-re vnanimiter diſcipuli eius omnes eum obſecrare dicentes: Magiſter vi-de quia nos, qui te ſequimur, tanti iam ſumus quòd hîc congruenter ha-bitare non poſſumus, quapropter ſi placet, ab Imperatore magnum aliquod monaſterium quære, & multitudinem te ſequentium ibi conſtitue. Qui-bus vir ſanctus, neſcio ſi accepta reuelatione, aut ſubita Dei inſpiratione, fidenter ſcripſit. Scitote quia montis Amiati monaſterium ex dono Re-gis habebitis; conſiderate tantummodo, quem illic Abbatem conſtituere debeatis. Igitur inuiolato ſilentio perrexit ad Regem. Cui Rex pro-tinus aſſurgens, ex magno cordis affectu in hanc vocem erupit dicens: O vtinam anima mea eſſet in corpore tuo. Quem mox vt loqueretur ſuppli-citer obſecrans, ipſo die hoc impetrare non potuit.

Poſtera autem die Romualdo ad palatium veniente, ecce Theutonico-rum multitudo 33 certatim hinc inde concurrunt, capita ſalutantes hu-militer flectunt, villos quoque pelliceæ veſtis, qua erat indutus, anxiè de-cerpentes, pro ſacris reliquiis in patriam portaturi ſtudioſè recondunt. Quæ videlicet res venerabilem virum tanto mœrore affecit, vt niſi diſcipulis ob-ſtantibus acquieuiſſet, ad cellam protinus repedaſſet. Ingreſſus igitur ad Regem non pauca ei locutus eſt de reſtituendo iure Eccleſiarum, de vio-lentia potentum, de oppreſſione pauperum. Et poſt multa vnum ſibi pro ſuis diſcipulis monaſterium petijt. Cui poſtmodum Rex montis Amiati monaſterium tradidit, & Abbatẽ, quia multis erat malis obnoxius, foras eiecit. Vbi vir ſanctus quanta aduerſa perpeſſus ſit non ſolùm ab eo, qui eiectus fuerat, ſed etiã ab illo, quem ipſe ex ſuis diſcipulis Abbatem conſtituerat, ille quidem perferre patientiſſimè potuit, nos referre, etiam ſi adeſſet facundia, non valemus. Sed qualiter illum Deus in cunctis adiuuerit, vno exemplo monſtrare ſufficiat, vt prudenti cuilibet quid etiam in reliquis euenerit innoteſcat.

33 Vide quanta deuotio tunc erat Germanorum. Proh dolor, in quã tã hodie impietatẽ apud nõnullos cõuerſa eſt.

Monachus quidam veſano aduerſus eum furore ſuccenſus, pilũ latenter exa-cuit, & id reponens, vt beatum virum interficeret, expectare congrui occaſionẽ temporis cœpit. Nocte verò dum depreſſus ſopore quieſceret, ecce videt mali-gnum ſpiritum in ſe immaniter irruentem, qui retortam in collum eius mittens, tanta ferocitate conabatur guttur eius aſtringere, vt iam ille cogeretur funditus expirare. Tunc monachus in extremo iam ſpiritu poſitus, Romualdum vt ſibi ſuccurreret obſecrauit. Qui (vt monacho videbatur) protinus aduolans, de manibus eum iniqui hoſtis eripuit. Hic igitur mox experrectus ad pedes venerabilis viri proſtratus aduoluitur, vt alliſionem ceruicis aſpi-

clat deprecatur. Confiteri etiam crimen ſuæ malitiæ non veretur. Poſtremò conſeruatæ vitæ ſibi gratias retulit, & pœnitentiam tanti reatus accepit. Et ita qui Romualdo vitam inſidiabatur eripere, iam per eundem ſanctiſſimum virum & ſuam meruit conſeruare; & cui inferre mortem ſtuduit, per eum ſuæ periculum mortis euaſit.

Habebat autem vir ſanctus conſuetudinem, cùm monaſterium teneret, vt, niſi cùm ieiunaret, ad communem menſam cum fratribus quotidie veniens vnum quidem pulmentum comederet, poſtmodum verò lectioni, vel quid ēt apud vnumquenque ageretur intentus, de reliquis non guſtaret. Quadrageſimali autem tempore, niſi neceſſitate ineuitabili cogeretur, in cellula iugiter morabatur. Dum igitur prædictum cœnobium vir beatiſſimus regeret, Quadrageſimali iam appropinquante ieiunio, quærebat cum diſcipulis per vicina montium loca vbi eremum facere potuiſſet. Dumq; longas in quærendo moras protraheret, repente aquis vndiq; circunfluentibus ita conclusi ſunt, vt nec ipſi iam redire, nec de monaſterio quiſquam ad eos poſſet aliquatenus tranſuadare. Viuebant autem ex aliquantis caſtaneis, quas ſecum detulerant. Cùmq; dies Dominicus aduenisset, & alia cibi ſpes nulla iam ſupereſſet, cœpere fratres pauculas, quæ remanſerant, caſtaneas deglubere, iam quodammodo credentes vltimum ex eis conuiuium præparare. Romualdus autem, vt erat ſemper alacri vultu, fidenter ait, quia niſi Deus ſibi panem per aliquem mitteret, ipſo die nullatenus manducaret. Diſcipuli verò mirantes inter ſe, in qua ſpe hoc ille præſumeret, certi tamen quia magiſter incautè aliquid vouere non poſſet, cibum iam tantæ ſolennitati 34 congruum cœpere fiducialiter expectare. Sexta igitur diei hora iam appropinquante, ecce tres viri onuſti pane, & vino, & alijs cibis adueniunt, qui ſe de longinquis partibus cum multo labore ad eos perueniſſe dicunt. Tunc itaq; ſpirituali omnes repleti gaudio benedicentes Deum pariter cibum ſumunt, & beatum virum per reuelationem hoc penitus agnouiſſe indubitanter agnoſcunt.

34 Diei Dñicæ magna ſolennitas.

Quodam tempore venit vir venerabilis Sytriam. Qui cùm adhuc ieiunus eſſet, & fratres vtpote in arduis montibus piſcem, quem ei ad comedendum apponerent, non haberent, cœpere inter ſe quodammodo confuſi erubeſcere, & quid pro tam venerabili hoſpite parare potuiſſent anxiè cogitare. Tunc frater quidam, puto diuinitus inſpiratus, ad ſiccum penè riuum, qui iuxta præterfluebat, cum feſtinatione cucurrit, vbi nimirum & aquæ exiguum erat, & piſcis illi viſus nunquam penitus fuerat. Cœpit itaq; frater Deum deuotè depoſcere, vt qui Iſraëlitico populo aquam potuit ex arida petra producere, ipſe ſibi dignaretur piſcem in arenti riuulo demonſtrare. Confeſtim igitur miſſa manu in exigua aqua piſcem reperit, qui beato viro ad refectionem abundanter ſufficere potuit, Deo ſcilicet ſeruo ſuo prouidente conuiuium. Inuentum quippe eſt in ſaxo, & arido monte, velut in piſcoſa valle viuarium. Sed quia de vita beati viri hæc, quæ nimirum pauca de multis dicta ſunt, ſufficere credimus, iam ad tranſitum veniamus.

Vir denique ſanctus per multa alia habitauit loca, & multa alia præcipuè à ſuis diſcipulis perpeſſus eſt mala, plura quoq; per eum ſunt facta miracula, quæ nos deſcribere ideo prætermittimus, quia longioris ſtyli prolixitatem vitamus. Poſt cuncta igitur habitationum ſuarum loca, cùm iam finem ſuum imminere conſpiceret, tandem ad monaſterium, quod in valle de Caſtro conſtruxerat, redijt, ibiq; appropinquantem obitum indubitanter expectans, cellam ſibi cum oratorio ædificari, in qua recluderetur, & ſilentium vſque ad mortem ſeruaret, mandauit. Sanè viginti annis antequam vitam finiret, diſcipulus

diſcipulis ſuis manifeſtè prædixerat, quia in præfato monaſterio oporteret eum quieſcere, nulloq́; aſtante, vel funeris exequias procurante, expediret eum ſpiritum exhalare. Facto itaq; recluſorio, cùm mens eius in eo eſſet, vt mox includi deberet, cœpit corpus eius magis, magisq́; moleſtijs ingraueſcere, & deorſum iam velut non tam langore, q̃ decrepiti longæuitate ſenij declinare. Nam à medio ferè anno nimia ſibi flemmatis abundantia cum ipſo læſi pulmonis marcore defluxerat, & graui eum tuſſis anhelatione vexabat. Non tamen propter hoc vir ſanctus vel lecto decumbere, vel in quantum poſſibile erat, ſoliti rigorem ieiunii acquieuerat relaxare.

Quadam igitur die cœpit paulatim corporis virtute deſtitui, & ingruente moleſtia grauiùs fatigari. Sole itaq; iam ad occaſum vergente præcepit duobus fratribus, qui aſtabant, vt foras exirent, & cellulæ poſt ſe ianuam clauderent, celebraturi verò ſibi matutinos hymnos ad eum diluculo remearent. Cùmq; illi de eius fine ſoliciti velut inuiti exirent, non ſtatim ad quieſcendum properant, ſed magiſtrum ne obire contingeret anxii, pretioſi theſauri talentum prope cellulam latentes obſeruant. Aliquandiu igitur commorantes cùm deinceps curioſis auribus attentiùs auſcultarent, & neq; motũ corporis, neq; ſonum vocis audirent, iam quod euenerat, ueraciter opinátes, impulſa ianua velociter irruunt, lumen accendunt, & beata anima in cœlum 35 rapta, ſupinum iacere ſanctum cadauer inueniunt. Iacebat itaq; velut neglecta cœleſtis margarita, in ſummi poſtmodum Regis ærarium honorificè reponenda. Nimirum qui ſic obiit, vt prædixit, illuc tranſiuit, quò ſperauit. 35 Anima Romualdi in cœlũ rapta.

Vixit aũt vir beatiſſimus centum viginti annis, ex quibus viginti expendit in ſeculo, tres duxit in monaſterio, nonagintaſeptem in eremitico tranſegit propoſito. Nũc igitur inter viuos cœleſtis Hieruſalẽ lapides ineffabiliter rutilat, cũ igni tis beatorum ſpirituum turmis exultat, candidiſſima ſtola immortalitatis induitur, & ab ipſo Rege Regum vibrante in perpetuum diademate coronatur. Poſt ſacratiſſimum autem viri venerabilis obitum quanta miraculorum ſigna per eũ Deus oſtenderit quis quærat tranſacta legere, cùm frequenter valeat & noua videre? Quia igitur ea, quæ apud ſepulchrum eius fiunt, miracula tanta ſunt, vt meliùs putemus cuncta ſilẽtio præterire, quàm pauca narrare, duo ſolummodo, quæ per eundem beatiſſimum confeſſorem alibi facta ſunt, ſufficiat vobis exponere.

Frater quidam, qui ſancti viri diſcipulus fuerat, paruam baſilicam pro anima ſua monaſterio dederat, ad quam videlicet baſilicam extremitatem manicæ præſciſſam ex beati viri cilicio miſit, & ſub altari honorificè recondi præcepit. Quã tamen gerulus ſub altari, ſicut iuſſus fuerat, collocare neglexit, ſed miſſam in rima parietis incautè dereliquit. Factum eſt poſtea, vt dæmoniacus quidam ad prædictam duceretur Eccleſiam. Cùmq; aſtans in medio huc, illucq́; rotans caput cuncta vndiq; circunſpiceret, tandem toruos oculos in ipſum parietem terribiliter cœpit infigere, & intentus illuc, vbi ſancti cilicij iacebat particula, crebris non ceſſabat vocibus exclamare: Ille me eiicit, ille me eiicit: et ita clamans, protinus ab eo expulſus 36 eſt. Hinc ergo iure perpenditur, quid per ſemetipſum apud diuinam clementiam impetrare non poſſit, ante cuius breuiſſimam veſtimenti particulam dæmon ſtare non potuit; & qui talia abſens exhibet, quid per corporis præſentiam non exercet? 36 Ecce q̃uo res etiam exteræ ſanctorũ beneficia præſtant.

Alio quoque tempore Caſtaldius quidam pauperculæ mulieri vaccam violenter abſtulit, & eam vociferantem, multisq́; precibus obſecrantem audire contempſit. Illa protinus accurrens duos gallinarum pullos ad Eccleſiam, quam ſupra memorauimus, detulit, & eos ante altare proijciens, huiuſmo-

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS BERGOMENSIS PIO LECTORI.

HVcusq; proceſſerunt, quæ ex duabus Bibliothecis, Capraticenſi ſcilicet, & Caſſinenſi, excepimus beati Petri Damiani ſcripta. Ab hinc leges, quæ ex Italiæ nobili quodam cœnobio, ac venerabilium D. Petri Eccleſiæ canonicorum bibliotheca de eodem beato Patre aſſecuti ſumus. Erant verò libri iſti antiquiſſimi, in membranis literis quaſi Longobardicis ſcripti, adeò lectu difficilibus, vt quandoq; nedum dictiones, ſed integræ quidē lineæ vix intelligi poſſent. Sed affuit Spiritusſancti gratia, quæ tam meum, quàm ſcribentis cor illuminauit, vt ne minimus quidem apex (quòd credam) ex iis, quæ ſcripta ſunt, exciderit. Si aliqua, præter ea, quæ hîc poſita ſunt, beati huius patris in manus venerint, quæ ad negocium hoc noſtrum pertinere videbuntur, curabimus, ſi Deo placuerit, vt ea quoq; nō te lateant. Vale, lector optime, & pro nobis Deum benignus exora.

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

SERMO IN VIGILIA NATALIS DOMINI.

TANDEM de mari ad portum, de promiſſo ad præmium, de labore ad requiem, de deſperatione ad ſpem, de via ad patriam peruenimus. Scripſerat quidem nobis frequẽtibus epiſtolis Calamus ſcribæ velociter ſcribentis, Expecta, reexpecta; ſed nos, quod ſubiungitur, dicere poteramus, Modicum ibi, & modicum ibi. Præcurrerant curſores promiſſione diuites, ſed exhibitione pauperrimi. Dicebat alius: Viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum: alter verò: Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet. Pari conſilio exierant de ſanctuario Dei, nihil ſecum niſi promiſſionum multitudinem reportantes. Vnde & Citharista noſter iam dormitauerat præ tædio, & in ipſum Deum tacitis obligationibus totam culpam modis flebilibus intorquebat. Tu verò, inquit, repuliſti, & deſpexiſti, diſtuliſti Chriſtum tuum. De flebili quoq; ad imperatiuum conuerſus eſt, exagitante impatientia, quæ mater eſt impudentiæ, & frontoſitatis. Qui ſedes, inquit, ſuper Cherubin, manifeſtare. Vt quid tandiu dominatrici ſedens in cathedra, circumuolantibus, & vallantibus Angelis, non reſpicis ſuper filios hominũ, quos abſorbuit, & obſorbuit iniquitas, per Adam quidem commiſſa, ſed à te permiſſa? Memorare quæ ſit mea ſubſtantia, ad tuæ ſubſtantiæ ſimilitudinem fabricata, quia etſi omnis homo viuens eſt vanitas, in imagine tamen tua pertranſiens, vanitas eſſe non poteſt. Nunquid ita vanè conſtituiſti omnes filios hominum, de quibus dicis? Et deliciæ meæ cum filijs hominum: vt eos verberet, & diuerberet à te maligniſſimus ille deceptor, qui decipere, niſi te permittente, non potuit? Inclina cœlos tuos, & deſcende, & illos miſericordes oculos miſeris inflecte precantibus, nec ſaltem in perpetuum obliuiſcaris nos.

Hæc quidem iſte; ſed gemitibus, & ærumnis intortus, tantæ præſumptionis ſententiam abiurabat. Dixi, inquit, cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Verùm ille vir nobilis, & profundi ſermonis vrbanitate perlucidus, affectuoſis exceſſibus incaleſcens; Propter Sion, inquit, non tacebo, & propter Hieruſalem non quieſcam, donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius. Vtinam, ait, diſrumperes cœlos, & deſcenderes: & alia multa, quæ faſtidioſa prolixitas vetat inſerere. Hic etiam moroſioris gratiæ longinquitate ſuſpenſus, & nimietate doloris excedens, impatienter oblatrat dicens; Ecce gentes, quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo; quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt ei. Hieremias in vocem gratulabũdæ laudis aduerbio demonſtrante prorumpens; Ecce, inquit, faciet

Dominus nouum ſuper terram,& mulier circundabit virum. Sed tamen repẽtinæ ſubuerſionis lachrymis edocetur, vt prius lamentum ſuſcipiens, quàm aduentum, penitus conticeſcat. Danieli dicitur: Viſio eſt in dies, & in tempora longa. Et Ezechiel tantis caliginibus inuoluitur, vt vix dignoſci poſſit, vnde veniat, aut quò vadat. Deniq; omnis ille Prophetalis conuentus, longa tardantis gratiæ moroſitate pertæſus, nunc rogando, nunc conquerendo, variat orationem,& plerunq; ſermonibus exoratiuis indignatorios intermiſcet. Nos quoq; ſatis, ſatiſq; eos audiuimus,& nobis in faſtidium releguntur. Iam fugiat Moyſes; impeditioris ſiquidem linguæ factus eſt nobis. Eſaiæ labia immunda ſunt. Hieremias neſcit loqui, quia puer eſt. Ezechiel polluto pane veſcitur. Oſeas fornicariam,& adulteram ducit vxorem. Daniel poſt viſionem grauiter infirmatur. Omnes Prophetæ elingues ſunt,& muti. Iam lætari,& exultare non poſſumus, niſi oſculetur nos oſculo oris ſui. Auditi, & exauditi eſtis. Adeſt benignitas,& humanitas Saluatoris noſtri Dei, quæ vel differri, vel auferri non patiatur amplius amorem languentium.

Quid enim audiſtis? Sanctificamini filij Iſraël,& eſtote parati, quia craſtina die deſcendet Dominus. Reſiduum diei huius, & superuenturæ noctis vix mediãda progreſſio, dirimunt nos à vultu gloriæ, à puero Deo, à puerperio ſingulari. Currite celeres horæ,& rapidiori paſſu conficite metas veſtras, vt liceat videre filium Dei vagientem in cunis, & ſaluatrici natiuitati qualiacunq; obſequia præparare. Credo vos eſſe filios Iſraël ſanctificatos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, paratos ad diei craſtinæ ſacramenta,& ſolicita deuotione, & deuota ſolicitudine. Quid enim aliud his ſacris diebus eius aduentui dedicatis egiſtis? Vidi ego ſenes ſenectutis oblitos, aſtare vigilijs ſacris iuuenili alacritate,& iuuenes, iuuentute ſepulta, ſenili grauitate reuerentiæ diuinitatis aſſiſtere. Plena erant ſubſellia continentibus,& concentu pari li voces in ſublimibus reſultabant, vt felici inuidia vos cernerem iubilare Deo in voce exultationis. Pſalteria erant præ manibus, pſalmi in labijs, in corde deuotio; ſolennitatem animi indicabant hilaritas vultus, diſcurſio corporis, operis ſolicitudo. Inſpexi ſacerdotes vigilantibus oculis primos diei ortus ſubtiliter indagare, ſacramentalibus [1] indui veſtimentis, introire ad altare Dei, ad ſacrificandum corpus, & ſanguinem Redemptoris. Vidi aſſiſtentium turbam, miniſteriali deuotione nunc flectere genua, nunc oſculari manus,& ad imperantium nutum nutu citius obedire. Sed & pueros aſpexi, qui neſciunt quid ſit inter dexteram, & ſiniſtrã, ſibi adinuicem pſalteria inuidere, & deportare ad lectulos ſuos, furari ſomnum ab oculis ſuis,& in lectulo ſuo per noctes quærere quem diligebat anima corũ. Quod licet contra conſuetudinem præſumptum ſit, non tamen contra deuotionem.

[1] Nota, Inſpexi Sacerdotes ſacramentalibus indui veſtimentis, introire ad altare Dei ad ſacrificandũ corpus,& sãguinem Redemptoris.

Fateor, inter hæc omnia cogitabam: Caſtra Dei ſunt hæc? Non eſt hîc aliud, niſi domus Dei,& porta cœli. Vellem, nollem, veſtra deuotione trahebar, & vobis negociantibus, ociari non poteram. Sequebar vos, ſed à longè, vel aberrans à via, vel claudicans à ſemitis meis, lugens, & contriſtatus, quia nõ poteram æquare currentes. Nouit ille vnus, cum quo vno vnum eſſe cœpi in Domino, quàm frequentibus querelis impleuerim aures eius, quòd vos in meridie eſſetis cum ſponſo,& ego in veſpertino frigore commorarer. Eia fratres, ſi aliqs adhuc influus humor de flumine mortalitatis huius veſtras circumſonat affectiones, tergite,& tegite illũ niueo confeſſionis amictu,& calceate vos in præparatione Euangelij pacis, vt ſitis de quibus dicit ſanctus: In flumine pertranſibunt pede. Quid autem poſt hæc? Ibi lætabimur in ipſo. De flumine hoc, immo de fluminibus iſtis Eſaias Propheta in nocturnis lectionibus largius diſputauit. Percutiet, inquit, Dominus fluuiũ Aegypti in ſeptem riuis, ita vt tranſeãt

per eum calceati. Volo de fluuio,& riuis eius paulisper confabulari vobiscum, quomodo,& qualiter percutiantur,& quid sit transire per eum calceatos.

Per Aegyptum figuraliter exprimi mundum istum, diuinorum eloquiorum scrutatores affirmant,qui positus est in maligno, qui tenebris, & confusionibus est repletus. Flumen, fluxus humani generis est, qui de primis parentibus infelici vena prorumpens, impetuosum torrentem per totam mundi latitudinem instagnauit,qui in septem torrentibus deriuatus, valles,& campestria profunda voragine superfedit, ipsis quoq; montium cacuminibus eandem refusionem intentans, vnde vnus de altioribus clamat : Torrentes iniquitatis conturbauerunt me,& intrauerunt aquæ vsq; ad animam meam.

Primus huius fluminis riuus est cogitatio mala,riuus exundans, & qui nullis obicibus repellatur. Habet frequentiam pluuiarum,fenestras corporeorum sensuum,qui ei de mundanis cataractis mortiferos imbres infusiùs administrant. Occursat aspectui mentis quod vidit,& audiuit,quod odorauit,& gustauit,quod palpauit,& tetigit,& plerunq; quod simplici oculo aspeximus,versipellis contortor ad offendiculum retorquet,& scandalum. Fingit similitudines, imagines pingit, colores aptat,& in thalamo mentis vniuersa conuoluit, si fortè consensum eliciat,et inficiat affectum. Offert horribilia de diuinitate,terribilia de fide,mirabilia de fidei institutione, & in alueolo mētis veneniferas ingerit potiōes,quas vel in confessione euomere peccator oneratus exhorret. Venit in oratorium,dormitorium occupat,insidet refectorio,circuit claustrum,reuisit officinas, nullam prætermittit artem nocendi, sed vbiq; suæ calliditatis assignat argutias, & in choro quidem inter orandum,& psallendum mentem pertrahit in diuersa,prætetitorum rememoratione puritatem intellectus inuoluens. In toro verò multiformes libidinis sensus inuoluit, insidians solitudini vestræ,& telis fortioribus oppugnans; vtinam non expugnet, pungat,non vulneret. In refectorio autē gulam allicit ad videndum quæ perferantur, & ingenti auiditate onerat distentum ventrem, vt maiore opera ad egerendum egeas,quàm ad ingerendum. In claustro libros reuellit à manibus,memoriam resecat scripturarum, & nunc de illo ad istum cum signis,& scurrilitate transuertit. Per officinarum multitudinem te facit excurrere,& vagabundo se comitem facit, donec taciturnitatis ostium aut aperiat, aut confringat. Quid plura? In choro deuotionem, in toro castitatem,in refectorio parcitatem,in claustro lectionem,in officinis silentij virtutem,virtutis inimicus extirpat. Nec sufficit in vigilando subtilibus spiculis cordis terebrare muralia,sed dormiendo singulari se versat,& reuersat astutia; quæ meliùs vestræ conscientiæ,quàm styli scientiæ derelinquo. Sed & ad altare Domini virtutum sequuntur vos spiritus isti,in ipsos mentis oculos inuolantes,& vix aliqua vel nascentis Dei,vel pendentis in cruce possunt memoria deturbari. Magnus ille Patriarcha vix volucres huiusmodi à suis sacrificijs abigebat. Nos quid sumus,qui fugare præsumimus? Quis in hoc riuo vel mersum, vel submersum se esse negauerit? Videtis quàm turbidus torrens, & limosa regurgitans cœnositate, qui vix,aut nūquam ad hoc ducitur, vt penitus exsiccetur: Non puto quòd ille,qui clausit cœlum oratione,clauserit animum à cogitatione,vt facilius sit cœlum obserare, quàm animum.

Secundus riuus est locutio peruersa. Linguam nullus hominum domare potest, ait Apostolus: membrū inquietum, membrum mortiferum, facilis ad loquendum, ad obloquendum procliuior. Et notandum, quòd nascitur alter ex altero,cùm malæ cogitationi prauæ locutionis ianua sit aperta. Et est verbum, aliud falsum, vnde dicitur: Perdes omnes, qui loquuntur mendacium: aliud vanum, de quo scriptum est: Vana loquuti sunt vnusquisq; ad proximum suum: aliud maledicum,de quo Apostolus scribit: Neq; maledici regnum Dei

poſſidebunt: aliud impudicum, de quo idem: Turpis ſermo de ore veſtro nō procedat: aliud excuſatorium, vnde pſalmiſta: Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis: aliud doloſum, de quo Propheta: Diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa: aliud otioſum, de quo idem Dominus; De omni verbo otioſo, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij: & ſi quæ alia ſunt genera peſtis huius, quæ nos breui ſaltu tranſilire non poſſumus.

Tertius eſt actio praua. Poſt cogitationem, & locutionem, venitur ad opera, quando exhibemus membra noſtra arma iniquitatis peccato, & contumelijs afficimus corpora noſtra. Quid enim turpius, quàm membra Chriſti ſanguine conſecrata, & conſepulta ei in baptiſmate, libidinoſis ardoribus maculare, nec attendere reuerentiam præſentis Dei, minantis pœnam, gloriam promittentis? Abſit vt aliquis veſtrum huic idolo ſubſternatur, vt filium virginis in Veneris templo ſuſcipiat, vt arcam Dei iuxta Dagon collocet, ne nutritus in croceis ſtercora complectatur. Quid Petro cum Mago? Quid Chriſto cum Antichriſto? Quid virgini, & libidini? Quid puritati, & impuritati? Abſit vt quiſquam veſtrum ambulet in paſſione deſiderij, ſicut & gentes, quæ ignorant Deum, qui corpus Chriſti aut conſecratis, aut Chriſti corpori miniſtratis, electi ſeruire Imperatori, vt cum Imperatore ſedeatis, cùm ſederit in ſede maieſtatis ſuæ. Qua fronte, quibus oculis videret nos, viueret nobiſcum, qui tantis inter nos obſcœnitatibus deſeruiret? Qua mente, qua conſcientia accederet ad ſancta ſanctorum, immolare ſanctum ſanctorum, cuius fama contemptibilis, vita notabilis, ſermo reprehenſibilis haberetur? Sed ſi fortè (humanum loquor) propter infirmitatem carnis noſtræ, aliquis noſtrum tale aliquid in cubiculo conſcientiæ complicauit, deplicet illud per confeſſionem, & pœnitentiam, & ego ei de miſericordia naſcentis pueri repromitto, quia ſi confeſſus fuerit, & pœnituerit, naſcetur in eo lux mundi, vt dimotis fallacibus tenebris, ſplendorem veræ lucis accipiat. Quomodo enim miſeris miſericordia hac nocte negabitur, in qua miſericorditer naſcitur miſericors & miſerator Dominus? Adeſt 2 Deus & homo, mater & virgo, caro & verbum, lux & illuminans, bonus & bonitas, miſericordia & veritas, fœcunda virginitas, virginalis fœcunditas, æterna nouitas, noua æternitas, diuina humanitas, humana diuinitas, humilis ſublimitas, & in his omnibus miſericordia fabricatur. Cohibete igitur extollentiam ab oculis, loquacitatem à lingua, crudelitatem à manibus, voluptatem à lumbis, pedes ab itinere nō trito, & venite, & arguite eum, ſi non hac nocte diſrūpit cœlos, ſi non deſcendit ad vos, & proijcit in profundum maris omnia peccata veſtra. Quis enim eſt, qui huius tertij riuuli non ſit merſus, & remerſus inſtantia?

2 Qui naſcitur nobis, Deus & homo eſt.

Quartus riuus eſt defenſio peccatorum. In veritate dico vobis, quia nihil ſic exaſperat iram diuinitatis, quàm iniquitatis defenſio. Aequo enim certamine nos decertamus cum Domino, cum defendimus quod odit, cùm nobis placet, quod diſplicet illi. Magna quippe differentia eſt inter ſuperbum, & humilem peccatorem, cùm illum deſpiciat, hunc reſpiciat, qui humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit. Quando ſanari poterit, qui medicum ſpernit, medicinam conculcat, & infirmam ſubſtantiam contrariorum receptione ſuccendit? Tu dicis malum bonum, amarum dulce, tenebras lucem, et in creatorem refundis iniurias, vt quod laudauerit, tu vituperes, quod vituperauerit, tu laudes. Non eſt hoc palpatiua diſſimulatione tacendum, cùm viderim quoſdam veſtrum tantis impatientiæ ſtimulis agitari, vt ad primas correptionis voces, non ſolùm excuſationem, ſed defenſionem exhibeant, & niſi diſciplinatis vigor obuiauerit, ad tumultus, & iurgia proſiliunt. Hæc eſt impietas maxima in Deum, delictum maximum, quæ vir ſimplex & rectus, & puer Domini ſumma circumſpectione deuitat. Eleganiſ-

ſimam ſuper his comparationem inducit Propheta,quam de ſacrario ſancti Spiritus aſportauit. Ibi,inquit,habuit foueā hericius. Hericius ſi apprehēdi ſe ſentiat vel cōtingi,ita crēbertiſſima ſpinoſitate denſatus eſt,vt vndiq; cōpūctionibus,& aculeis veſtiatur. Cùm verò ſe ſolitudinē adeptū putat,caput aperit,exerit pedes,& viuificatorios motus plana deambulatione demonſtrat. Siquis ſuperuenerit,ſtatim celerrimā velocitatē caput cum pedibus ad interius abſconditum reportatur,vt ſi illum tenere volueris,priùs videas ſanguinem tuum,quàm corpus ſuum. Sic & peccatoris caput cum pedibus,intentio cum actione,à paſtorum ſolicitudine proſpectatur, & quod ferè omnium peccantium vitium eſt,cū ab omnibus videatur, à nemine æſtimiat ſe videri. Si vitium reſecare ſtudeas, & intentionis ingreſſus cum actionis egreſſibus, correctiuis manibus deprehendere,ſtatim Ciceronis eloquentia renouatur; excuſatur,& defenditur quod opponis;accuſaris, & offenderis qui proponis. Interrogat de loco, de tempore, quando factum fuerit,& nouus dialecticus exerta lingua prorumpit; in mediū parentes aduocat,patrocinatores quærit,grauari ſe iudicat, indicat ſe receſſurū, malleq; mori,quàm pati talia, & quæ vidiſti negans,& quæ non vidit,in re conuicia retorquens. Sic ſpinam ſentis,& culpam perdis, odium incurris,nec corrigis,& quem totum tenere putabas,totum amittis. Vides quàm multiplici cumuloſitate riuus iſte omni homini,& maximè noſtro ordini ſe infundit?

Quintus eſt exultatio in peccatis. O deteſtanda lætitia,& in ſempiterni doloris triſtitiam demutanda,in peccatis ſicut in virtutibus exultare. Nonne latrocinantes,& facinoroſi quiq; cùm votorum plenitudinem aſſequuntur, non ſe capiunt præ gaudio, ita etiam vt audeant ipſi diuinitati gratias immutire? Qui cùm malefecerint lætantur,& exultant in rebus peſſimis, cadent ſuper eos carbones,& in ignem deijcientur. Sed & riuus iſte,quàm vndoſa refluxione miſeros animantes offundat,meliùs conſcientia,quàm eloquentia comprehendit.

Sextus eſt alios docere ad malum. Hæc doctrina de cathedra peſtilentiæ deriuatur,quam deteſtatur,& reprobat,qui docet hominem ſcientiam. O quàm in vano accipit animam ſuam,qui aliorum animas venatur ad mortem, qui trahit peccata ſicut longam reſtem;qui miſcet ſanguinem ſanguini, cui non ſufficit vt intereat in ſeculum ſeculi,niſi & alios ad interitum pertrahat ſempiternū. Scitis enim,quia multa vitia tenerrimis ætatibus imprimuntur,quæ poſtea in magno corpore vix mitigare, ne dum extirpare quiſquam poſſit. Infelices magiſtri, qui huiuſmodi plantaria plantauerunt, quæ explantantur ab illa cœleſti plantatione,quam plantauit pater ille cœleſtis. Quis gloriabitur, ſe huius riui torrentibus non fuiſſe vallatum?

Septimus eſt in his omnibus perſeuerare. Hic peccator ſubmerſus eſt, & abſorptus,& clauſit ſuper eum puteus os ſuum. Cùm enim non leuat oculos ad cœlum,nec recordatur iudiciorum iuſtorum,mortuus, & ſepultus eſt in ſepulchro conſcientiæ ſuæ. Tunc à mortuo,tanquam qui non eſt, perit confeſſio. Tunc peccator,cùm venerit in profundum malorum,contemnit. Hic eſt in extremo fluminum Aegypti. Hic multitudo miſerationum Domini tollitur ab oculis eius. O flumen malum, riui peſſimi, riui exterminantes. Hac nocte Dominus eos calceatus tranſiuit,cùm in virginali ſubſtantia puram carnem, & omnium prærarxatione peſtium immunem accepit, illo calceamento calceatus, quod in Idumæam extendit,cuius corrigiam ſoluere non potuit magnus ille Baptiſta. Miſit de ſummo filium ſuum,& accepit me in vtero Virginis,& ſic tandem aſſumpſit me de aquis multis: quas vobis breuiter prælibauimus. Libera me,inquit,ab his,qui oderunt me,& de profundis aquarum.

Percutiemus eos,ſi cogitemus pro peccato noſtro,ſi prohibeamus linguam à dolo, ſi declinemus à malo,& faciamus bonum, ſi confiteamur aduerſum nos iniuſtitiam

iniuſtiriam noſtram Domino, ſi dolor noſter ſit ſemper in conſpectu noſtro, ſi doceamus iniquos vias Domini, & ſemper laus Dei ſit in ore noſtro. Et vt de arte ſutoria noſtris moribus aliquid conſuamus, habeamus calceamenta denſa, & ſubtiliter conſuta, quæ poſſint aquas obuiantes excludere. Faciamus carnem noſtram firmam, & confixam timore Domini, quæ libidinis humorem excludat, & excocta tribulationibus, atq; denſata, fiat vter nouus, ad conſeruandum vinum nouum; de quo dicitur: Quia factus ſum, ſicut vter in pruina.

Sed iam corda, & corpora noſtra ad ſuſcipiendum filium Virginis præparata dimittamus in pace, & omnes in commune lumen ad reuelationem gentium innocentibus brachijs amplectamur, qui eſt Deus benedictus in ſecula.

Amen.

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

SERMO DE NATIVITATE SALVATORIS, ET PRAECLARIS MIRACVLIS IN EA FACTIS.

NON poterit explicari ſermone quod mente concepi. Stupor enim miraculorum opprimit me,& dum omnia replico, omnia complicantur. Quis poterit cogitare diem aduentus eius? Ideo fit elinguis lingua,memoria immemor,inſenſibilis ſenſus. Inſueta natiuitate relucent omnia, & omnia partui Virginis obſequuntur. Fiunt mirabilia in cœlo ſurſum, & in terra deorſum,& vniuerſa in naſcentis Dei obſequium iurauerunt. Inſigniuntur conuexa cœlorum ſtella lucentiori,& multo lumine loca flammantia præſtringuntur. Diffunduntur per quadrifidum orbem radij rutilantiores, & pluralitatem ſtellariorum ignium nouus ignis obtundit. Miratur orbis,cœlos nouum peperiſſe ſplendorem,& inconuertibilem corũ ſtatum ad ſigna,& prodigia fuiſſe cõuerſum. Vident Chaldæi in cœlis quod Balaam reliquit in ſcriptis. Orietur,inquit,ſtella ex Iacob,& conſurget homo ex Iſraël,et erit omnis terra poſſeſſio eius. Naſcitur ſtella in excelſis,& Deus in terris, cuius poſſeſſio à mari vſq; ad mare. Præparant ſe Reges Tharſis,vt cũ nouitate munerum videant nouam matrẽ,filij nouam natiuitatem. Fons olei de terra erumpit. Templum Romæ,quod vocabatur æternũ,corruit,omnibus impenſis & vrbis,& orbis mirabiliter conſummatum. Cùm enim Romani in victorioſæ antiquitatis memoriam tẽplum ſingulari ſchemate facere decreuiſſent,ab omni illa Deorum,immò dæmoniorum multitudine quæſierunt,vſq; quo durare poſſet tã excellentis operis operoſa conſtructio. Reſponſum eſt: Donec virgo pareret. Illi ad impoſſibilitatem oraculum retorquentes,tẽplum æternũ ſolennem illã machinã vocauerunt. Nocte autẽ iſta,cùm de virginali thalamo virgineus flos Mariæ egreſſus eſt,ita cecidit,& confractum eſt illud murale,& columnarum opus, vt vix appareant veſtigia ruinarum.

O' Bethleem ciuitas Dei ſummi,& in te,& in ſuburbijs tuis viſa ſunt mirabilia hodie. Deus 1 pendet ab vberibus,ponitur in præſepe,ligatur in cunis, pannis inuoluitur,& laxatis faſciolis felices manus,& ſancta brachiola per cunarum paruitatem expandit. Alludit Virgini,matri arridet, & blandientes oculos ad Mariam intorquet. Stat perterrita tantis miraculis Regina cœlorũ, cõfert in corde ſuo ſalutationẽ Archangeli,conceptionẽ Dei,natiuitatẽ pueri, & miratur

1 Deus pendet ab vberibus, ponitur in p̄ſepe,&c.

quòd ille, qui ſic potuit ad nos venire, ſic voluit ſubuenire. Adeſt & Ioſeph, ſed ab vtroq; remotus, & in exceſſu mentis miratur, & mirari ſatis non poteſt, qualiter ſit ad tantæ dignationis admiſſus arcanum. Adeſt multitudo cœleſtis exercitus, & vocibus glorioſis Gloria in excelſis Deo auditur. Paſtores veniunt, & inueniunt puerum, & puellam. Procedit ſtella; Reges accedunt; adorant filium; matrem venerantur; offerunt munera; deferunt maieſtati. Cruciatur Herodes; Hieroſolima turbatur; requiruntur ſcribæ; locus prædicitur; inducitur ſimulatio; ſimulator ad nihilum deducitur; deteguntur commenta fraudum. Magi per aliam viam reuertuntur. Pax inaudita à ſeculo regnat; vniuerſus orbis ad cenſum deſcribitur; riuus olei de terra perſudat, & in ciuitatem venam liquor ſanctificatus ebullit. Quid eſt hoc, niſi quia vera pax in terris apparuit, niſi quia ad ſupernum regnum ciues aſcribuntur, niſi quia fons miſericordiæ de Virgine emanat, oleum effuſum nomen tuum? Spiritus ſanctus ſcripturæ iſtius vnus, et vnicus fabricator, nonnullam ſuæ pinguedinis dulcedinem ſub hoc capitulo dereliquit. Sed vos nocturnis vigilijs ita defatigati eſtis, vt vix poſſitis ſomnum ab oculis remouere. Euigilate tamen paulisper, & ſomni torporem excutite. Aderit ille, de cuius natiuitate loquimur, vt illuminet oculos noſtros, ne obdormiamus. Totus autem ſententiæ ſenſus ex illius arca mutuabitur, cuius conſilium eſt, quaſi conſilium Dei. Ipſe ille eſt, Dominus videlicet Clareuallenſis, cuius religio, & diſcretio, ſapientia, & eloquentia, vita, & fama per totam latinitatem non immeritò decucurrit; libenter enim illius ſarcinas adoro. Sed ad propoſitum reuertamur.

Benignus ille ſpiritus, de cuius ſecretiori fonte Canticorum flumen euadit, in his tribus verbis tria nobis requirenda reliquit, videlicet nomen ſponſi, quare oleo comparetur, & quomodo effundatur, quia & nomen tacet, de comparatione nil loquitur, nihil dicit de effuſione. Primùm de nomine videamus. Multa, vt arbitror, vocabula ſponſi per diuinam ſcripturam ſparſa leguntur, ſed in duo vobis vniuerſa complector. Nullum profectò reperietis, quod non ſonet aut maieſtatis potentiam, aut gratiam pietatis. Puer Domini, de quo frequentius facio mentionem, ad Regis cubiculũ introductus, duo quaſi ſublimiora de ipſius ore diuinitatis audiuit; Poteſtas Dei eſt, inquit, & tibi, Domine, miſericordia. Sed & ipſe Saluator propheticæ veritati atteſtans ait: Vos vocatis me Magiſter, & Dñe, & benè dicitis. Sum etenim. Dominus nomen eſt maieſtatis, pietatis magiſter. Si enim pium eſt præbere eſcam corpori, multò miſericordius eſt eſcam animæ impartiri, quod eſt propriè magiſtrorum, qui mentes indiſciplinatas ſub diſciplinæ rigore coërcent.

Videamus quod horum nominum effundatur, vtrum nomen potentiæ in nomen gratiæ, vel nomen pietatis in maieſtatis vocabulum. Abſit vt miſericordia in potentiam includatur, quia miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Certú eſt ergo, quia poteſtas Dei in maiorem hodie pietatem effuſa eſt, cùm cœli diſtillauerunt à facie Dei, & de virgineis membris vetuſtus dietum exoritur. Nõ eſt qui ſe abſcondat à calore iſto, quia largior olei effuſio à capite deſcendit in barbam; quæ etiam extremam veſtimenti fimbriam largiùs irrorauit. Tanta eſt abundantia miſerantis, vt non ſolùm ſub nomine effuſionis, ſed & exinanitionis cẽſeatur. Exinaniuit ſemetipſum (ait Apoſtolus) formam ſerui hodierna die accipiens, & cum tota multitudine miſerationum ſuarum de thalamo proſilijt virginali; non enim habuit dulciorem modum ad redimendum nos abyſſus illa conſiliorum Dei, quia quicquid in diuinitatis theſauro pietatis inuentum eſt, totum in vtero Virginis eſt aggeſtum. Non me capio præ lætitia, quòd illa maieſtas naturam ſuam exinaniens in naturã meæ carnis & ſanguinis ſuperuehitur, & me miſerum in diuitias gloriæ ſuæ nõ ad horam, ſed in ſempiternũ includat.

Fit frater meus, Dominus meus, & timorem Domini, fratris vincit affectus. Domine Ieſu, libenter te audio regnantem in cœlis, libentiùs naſcentem in terris, libentiſſimè Crucem, clauos, & lanceam ſuſtinentem; hæc ſiquidem effuſio rapit affectum meum, & iſtorum memoria conualeſcit cor meum, viuentis, & viuidæ potionis aſperitate purgatum. Viuens eſt iſte ſermo, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens ad diuiſionem animæ, & ſpiritus, compagũ quoq;, ac medullarum ſcrutator.

Vnus illorum, qui prophetalis chori, aut magiſter, aut inter magiſtros eſt, ſub ſenaria diuinorum nominum partitione, de hac effuſione mirabiliter quidem, ſed ſubtiliter prophetauit. Vocabitur, inquit, nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſeculi, princeps pacis. Erat quidem admirabilis Dominus meus inter Angelicos ordines, audiens hymnum gloriæ ſuæ, admirabilis illi mirabili creaturæ, faciẽs mirabilia in cœlo & in terra, in mari, & in omnib⁹ abyſſis. Ego aũt in luto fecis, et miſeriæ obuolut⁹, miſer, & miſerabilis omnem ſpem emergendi perdideram. Ille in gloria, ego in miſeria; ille admirabilis, ego miſerabilis. Sanctum, & terribile nomen eius, quod vix audeat illa dignior nominare natura. Nomen iſtud clauſum, & integrum, quomodo capere poteram, quem vix Angelicus oculus proſpicere, ne dum perſpicere poteſt? Sed vide effuſionem. Ille qui erat admirabilis agminibus Angelorum, inclinat cœlos, & fit conſiliarius hominum. Maieſtatiuum nomen in pietatiuum effunditur; & qui mirabilis eſt in cœlis, conſulere venit in terris; abſcondit purpuram ſub miſeriæ veſtimentis, & ad lutum, vbi iacebam, inclinatus, non mergitur. Is (audeo dicere) infixus in limo profundi operi manuum ſuarum porrigit dexteram, de profundis aquarũm extrahit, extractum abluit, ablutum induit, indutum reportat, reportatum confirmat. Porrigit dexteram cũm naſcitur, cũm loquitur extrahit, abluit cũm moritur, induit cũm reſurgit, cum aſcẽdit reportat, confirmat cũm ſpiritum emittit de cœlis. Bonus quidem conſiliarius, qui conſilium, quod voce dederit, & morte defendit. Erat enim docens, ait Euangeliſta, ſicut poteſtatẽ habens, non ſicut eorum ſcribæ, & phariſæi.

Deus, & fortis, nomina ſunt poteſtatis, ſed Deus effunditur in patrẽ futuri ſeculi, fortis in principem pacis. Breuiter curro, quia & fatigatis, & ſcientibus legem loquor. Quid tibi, muſſitabunde lucifer, in tanta diffuſione? Clauſum eſt tibi totum itinerarium Dei, & malignans oculus tuus hîc nimium caligauit. Sed & Dominus meus admirabilis fuit in natiuitate, conſiliarius in prædicatione, Deus in miraculorum coruſcatione, fortis in paſſione, pater futuri ſeculi in reſurrectione, princeps pacis in illa æterna beatitudine. Non terreamini nouitate verborum, quia nihil nouum introducitur. Sic & olim nomina commutata, & effuſa ſunt, Abram in Abraham, Sarai in Saram, & ſi quas alias mutationes in illa veteri officina vos legiſſe recolitis. Sed & ab ipſis penè mundi principijs, in arcano quodam ſcripturarum loco, diuini nominis effuſionem inueniſſe me recolo. Loquitur Deus ad Moyſem de liberatione Iſraëlis, & poſt multam Dei, & Moyſi confabulationem, Propheta ſubtiliter inquirit nomen eius, & Dominus dicit: Ego ſum, qui ſum; hoc mihi nomen in æternum. Hæc dices filijs Iſraël, Qui eſt, miſit me ad vos. Perterritus Moyſes inextricabilis auctoritatẽ vocabuli, ac ſi diceret, Hoc excedit intellectum meum, non poſſum capere, niſi effundatur, audit à maieſtate: Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. Vides effuſionem? Ecce Deus Angelorum, vocat ſe Deum hominum. Curramus ergo, fratres, in odorem vnguentorum iſtorum. Curramus ad oleum de oliua ſpecioſa in campis expreſſum, nulla infectum amurca, nulla ſubſtantiarum amaritudine, oleum quod exhilarat faciem hominis, quod ſanat vulnera, dolorem tollit, reddit ſuauitatem. Nonne Samaritanus noſter nobis

à latrone

à latrone peſſimo vulneratis attulit oleum,& vinum,ad purgandum,& mitigandum vulneris magnitudinem? Sed multum olei,parum vini,multum miſericordiæ,iuſtitiæ parum. Sic quippe decebat miſerantem, ſic miſero expediebat. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo,Domine (ait iuſtus) quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens; ſed corona me in miſericordia,& miſerationibus. Veniens quippe hodie quinq; vaſa attulit olei,non niſi duo vini. Spiritus enim ſapientiæ,& intellectus,conſilij, ſcientiæ, & pietatis, non'ne dulcedinem ſonat,miſericordiam fragrat,eructat abundantiam ſuauitatis? Fortitudo & timor vinum ſunt. Sed hoc vino potatus eſt potens ille,cùm Chriſtus in ſpiritu fortitudinis deſcendit ad inferos, non timidus,ſed timendus.

Videamus nunc quare oleo comparetur oleum. Si vos melius non habetis, lucet, paſcit, & vngit. Idem facit Chriſti nomen,& per omnia conſonat comparationi. Lucet prædicatum,paſcit recogitatum,inuocatum lenit,et vngit. Vide qñ præclara luminaria lumen nominis huius ſuper eloquentiæ candelabrum portauerunt,ſi non illuxerunt coruſcationes Dei orbi terræ, ſi non in ſplendore fulguris commota eſt, & contremuit terra. In nomine Ieſu Chriſti ſurge,& ambula,dicit claudo princeps Apoſtolorum. Non'ne quaſi fulgur exiliuit ab ore Petri,cùm nominatũ eſt nomen,quod os Domini nominauit? Et ſtatim, inquit, conſolidatæ ſunt baſes eius, & plantæ. Vocabulum Ieſu (ſicut Origenis lingua nobilior diffiniuit) dulce, & glorioſum,omni adoratu,cultuq; digniſſimũ, quod non priùs ab hominibus decuit efferri in mũdum,ſed à quadam ſublimiori,excellentioriq; natura. Omnes quippe Prophetæ nomen iſtud ante neſcierunt,aut penitus tacuerunt,& reſeruata eſt prærogatiuæ dignitas Archangelo Gabrieli,qui ſancto ore ſanctiſſimæ Virgini illud primum euoluit. Non'ne Eſaias in exceſſus mentis raptatus,verbis Archangelicis,eiſdem penè ſyllabis cõſentit vſq; ad ſancti nominis nouitatem?

Paſcit reuera, nec eſt felicior paſtio in loco paſcuæ,vbi nos Dominus collocauit. Quid æquè mentem cogitantis impinguat? Nomen Ieſu mel in ore,in aure melos,in corde iubilus. Omnis cibus,qui non conditur hoc ſale, infatuatus eſt. Scriptura,quæ non fuerit interlita oleo tantæ deuotionis, aut inſipida eſt,aut amara. Olim mihi Tullius dulceſcebat,blandiebantur carmina poëtarum,philoſophi verbis aureis inſplendebant,& ſirenes vſq; in exitum dulces meum incantauerant intellectum. Lex,Prophetæ,Euangelium,Epiſtolæ,& omnis gloria ſententiarum Domini mei,& ſeruorum eius,aut parua videbãtur, aut nulla. Neſcio modò quid dulcius immurmurat filius Ieſſæ,qui vario ſermonũ, & ſententiarum concentu omnes illos,quos diligere conſueueram, ineloquentes reddit,& mutos.

Lenit,& vngit,quia nihil ſic recreat in tribulatione. Deniq; & probare licet. Inuoca me,inquit,in die tribulationis; eruam te,& honorificabis me. Hoc eſt nomen,hoc eſt oleum,hæc olei effuſio. Amen dico vobis,non deficiet hic lecytus olei,nec minuetur,donec pluuiam voluntariam,quæ ſegregata eſt hæreditati eius,diffuſius inſtillet,donec faciat cœlum nouum,& terram nouam,quia miſericordia eius ab æterno,& vſq; in æternum ſuper timentes eum.

Sed iam ſurgamus, & præparemus nos ad ſolennioris Miſſæ iubilationem, nec cordibus parcentes, nec vocibus,ad honorem pueri,qui natus a eſt nobis, qui eſt Deus benedictus in ſecula. Amen.

a Puer, gnatus eſt nobis, eſt Deus benedictus in ſecula.

O O

EIVSDEM BEATI
PETRI DAMIANI
SERMO DE SANCTO STE-PHANO PROTOMAR-TYRE.

ADhuc filium Virginis habemus in manibus, & obſecutoria delinitione vagientis Dei honoramus infantiã. Ducit nos Virgo ad veneranda cunabula, & ſpecioſa præ filiabus hominum ad ſpecioſum forma præ filijs hominum, benedicta inter mulieres ad benedictum inter homines nos conducit. Submurmurat nobis in aurem (ne fortè domus exaſperans audiat, & concitetur) reuelata eſſe velamina Prophetarum & completum conſilium Dei. Videte miraculum matris Domini, quia creatura creat, & Creator creatur. Scintillat ſidus, Magus adorat, exultat polus, tellus reſultat, gloriantur Angeli, paſtores adgaudent, Virgo parit, naſcitur 1 Deus, & cœlorum luminaria clariori lumine lumen exortum in tenebris proſequuntur. In iſtis bonis verſamur. Beatus vir, qui impleuit deſiderium ſuum ex ipſis. Scio quia dulce vobis eſt, In principio erat Verbum; dulcius, Verbum caro factum; dulciſſimum, Verbum in Cruce ſuſpenſum. A` tanto puerperio quis inſanus oculos ſuos amouere, ne dum auellere præſumat, niſi ipſe iubeat, qui dicit: Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt?

1 Vides Deum & hominem ex beata Virgine naſci?

Ecce dum oſculatur nos oſculo oris ſui, dum tantis miraculis & ſtupidos nos facit, & attentos, Stephanus plenus gratia, & fortitudine facit prodigia, & ſigna magna in populo. Nunquid æquum eſt derelinquere Regem, & ad militem oculos retorquere? Nequaquam, niſi imperauerit Imperator. Surgit ipſe Rex filius Regis, & lapidantium acies interrumpens, triumphatorio certamini non ſine dolore cordis aſſiſtit. Videt opprimi primum, & primicerium purpuratæ cohortis, & grandinaria làpidum denſitate fontes ſanguinis de corpore Protomartyris ebullire. Videt quia vniuerſa debacchatio redundat in ipſum, & ipſi ſoli improperia exprobrantium cumulantur. Vbi pietas, & miſericordia tua, Domine, ſi non compateris patienti? Vbi & æquitas, & iuſtitia, ſi non iudicas, & vindicas de populo lapidante? Curramus ad ſpectaculum, ad quod currit qui exultat vt gigas ad currendam viam, & videamus quibus armis armatus vexilli-

fer martyrum in campum pugnaturus deſcendit; & vt diligentiùs eluceſcat ſingularis martyrij prima prærogatiua, reuocemus ad memoriam Apoſtolicorum actuum deſcriptionem, in quibus hiſtoricis, & figuralibus dictis conuerſatio, & paſſio belligeri militis continetur.

Stephanus, inquiunt, plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia, & ſigna magna in populo. Non paruum latet hîc myſteriũ, nec vilipendẽda ſimplicioris ſcripturæ manifeſta poſitio. Ad Virginem quippe loquens Archangelus verba de cœleſtibus ſcrinijs ſumpta, nec alterius, niſi ipſius Dei Spiritu fabricata, noua ſalutatione perorat. Nulli dubium, quin omnium verborum excedãt altitudinem, vtpote de melioribus diſciplinis ſancti Spiritus euoluta, quorum enunciatione confœderandum erat illud vnicum ſacramentum verbi, & hominis, diuinitatis, & carnis. Aue, inquit fortitudo Domini, gratia plena. Quid autem de Stephano? Stephanus plenus gratia, & fortitudine. Non'ne Lucas eiſdem penè literis de vtriſq; loquitur? Sed licet longè excellentior modus in Virgine prædicetur, ſecundariò tamen laudatur in Martyre. Habet igitur gratiam Stephanus ſubliniori genere quàm reliqua martyrum multitudo, plenus gratia, refertus videlicet, & cumulatus, quod raro in ſcripturis canonicis ſubtilis inquiſitor inueniet. Iungitur gratiæ fortitudo, quia infuſo ſpiritu libertatis, ignitus animus in lucem veritatis erumpit, nec patitur vllo pacto rigorem iuſtitiæ vel ſubmitti aliquando, vel dimitti. Sic loricatus gratia, & haſta fortitudinis ſapienter infrendens, faciebat prodigia & ſigna magna in populo. Ille poteſt ſigna, & prodigia facere, in quo gratia, & fortitudo ſedem fortiſſimam ſtatuerunt. Sic exit Stephanus ad homicidas, ad legis adulteros, ad crucifixores filij Dei patris; loquitur genti peccatrici in Aegypto, populo graui iniquitate in deſerto, ſemini nequam in terra promiſſionis, filijs ſceleratis in morte Saluatoris. Dura ceruice, inquit, & incircuncisi corde, & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis, &c.

Surrexerunt aũt quidã de ſynagoga, vtiq; ſatanæ, & vndiq; cõglobantur, vel ad cõuincendũ, vel ad occidendũ; faciunt parietẽ vnũ; impietatis ſquama ſquamæ cõiungitur; ſibilant ſibi ſerpentes adinuicẽ, & conueniunt in vnũ aduerſus Dominum, & aduerſus ſeruum eius. Velit nolit, cedit impietas pietati, veritati error, ſtultitia ſapientiæ, Spiritui ſancto præſumptio, & vanitas ſpiritus humani. Et non poterant, inquit, reſiſtere ſapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur. Non dixit, Non volebant, quod rationabilium eſt, & perfectorum, ſed non poterant, vbi menti malæ facultas tollitur, non voluntas mutatur. Redarguebantur, ait, ab eo cum omni fiducia. Fiducialiter agit, nec mutat, nec mutatur mens imperterrita, quæ magis amat iuſtitiam, quàm vitam, fidem, quàm ſanguinem, mortem, quàm iuſtitiæ taciturnitatem. Concurrentes rapiunt eum, adducunt in concilium, & gaudent eum infra ſua retiacula concluſiſſe. Sed fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum. Tunc vox liberior, & illorum cordibus ſermo exacuitur veritatis, totumq; martyrem rapit ſibi Spiritus Dei, & ex eius ore ſonantiori organo modulatur. Apparet ei vna facies ſcripturarum, & veteris inſtrumenti diſpendia in compendioſam redigit breuitatem. Replicat promiſſiones, & beneficia Dei, murmurationes, & maleficia populi, bona præſtita, reddita mala, & ad extremum diuini ſanguinis exprobrat effuſionem; Vocat refractarios Spiritui, dura ceruice, incircuncisos corde, & auribus; & ſublimi voce homicidas, & proditores appellat. Non veretur conuenticula cõgregata de ſanguinibus, & inter manus quærentiũ animã eius, deliberatione iuſtitiæ cacumẽ veritatis aſcendit. Diſſecantur cordibus, & ſtrident dẽtibus in eũ, concipiunt dolorem, & prope eſt vt pariant iniquitatẽ. Mirũ quia nõ reuocantur inſueti nouitate miraculi, quòd luminoſa protomartyris facies non refrenat

inſanos. Videbant, inquit, faciem eius tanquam vultum Angeli ſtantis inter illos. Quid eſt, Iudæi? Lumine vultus Dei inſignitur glorioſus leuita, & vibranti ſplendore Stephanus ſerenatur, reuerberantur oculi veſtri, & tamen inuidiæ magnitudo, viſionis maieſtatem occludit. Reſpondeant mihi diuinorum voluminum euolutores, vbi reuoluerint, hominem in terris poſitum, vultum Angelicum induiſſe, & cùm in vtriſq; legibus vel raro, vel nunquam inuenerint, ad ſtupeant gloriæ triumphantis.

Sequitur: Cùm autem eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, &c. Mirum dictu, & totius ſupergreſſio creaturæ. Intendit in cœlum, videt iam non cœlum, ſed cœlos apertos, videt gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei. Mouet me hæc intentio, quæ de cordis puritate refuſa, vim facit cœlis, & ad ipſius diuinitatis conſiſtorium penetrat, & attingit. Cœli aperiuntur, gloria Dei videtur, Ieſus conſpicitur, ſtans non ſolùm à dextris Dei, ſed à dextris virtutis. Hanc intentionem fecerat abiectio mundi, contemptus ſui, cordis munditia, dilectio Dei, amor proximi, veritatis defenſio, deſiderium Chriſti. Retorquenda eſſent hæc omnia ad communes floſculos moralitatis, niſi eſſet excellentia martyris commendanda. Felices oculi, ſubtilis viſus, viſio glorioſa. Simulq; ſignanter recollige poſitionem verborum. Plenus eſt Spiritu, & ſic intendit in cœlum, quia qui Spiritu diuinitatis afflatur, conculcatis terreſtribus, cœleſtibus inhiat, & æternis. Poſthæc aperiuntur cœli, nullaq; præualet obfirmatio, vel clauſura, quam non transuolet, aut irrumpat mens illa ſummæ menti affectanter inhærens. Aperiuntur ergo cœli, & puto quòd omnes cœli, eorumq; apertionem ſequitur viſio gloriæ Dei, & videtur Dominus Ieſus ſtans à dextris virtutis Dei. Ne Patre minor eſſe putetur, ſtat cum ſtante, cū bellante bellatur, quia lapidatur in lapidato.

Non mediocris ſtupor inuoluit me, vtrum primitiuus flos martyrum corporeis, an incorporeis oculis iſta proſpexerit. Grande quidem miraculum, ſi mentali intuitu ſtellantibus ſe immerſit arcanis, ſi mundi corde oculi tam ſolennē inſpexerint viſionem. Quòd ſi corporalibus, certum eſt hunc omne hominū genus diſparilitate gloriæ præuolaſſe, & pennis fidei, & virtutum, incorporea corporeis, & ſi non comprehendiſſe, apprehendiſſe tamen. Nihil audeo temere diſfinire, vel ex abrupto præcipitare ſententiam, cùm finitiuam ſuper huiuſmodi regulam me non legerim inueniſſe. Securiùs tamen ſequor Apoſtolum, immò ſpiritum Dei in Apoſtolo, qui cum ſumma verborum deliberatione magis ſecuræ ambiguitati, quàm periculoſæ diffinitioni iſta committit. Siue, inquit, in corpore, ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit.

Exclamant ſtatim clamore horribili, continent aures ſuas, & eas obſtruunt veritati. Impetum fecerunt vnanimiter in eum, facti amici in morte illius, & eijcientes eum extra ciuitatem, lapidabant. Eijcitur martyr extra ciuitatem ſanguinum, in qua prius iuſtitia habitauerat, nunc autem homicidæ, de qua dicit ſanctus: Quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate. Hæc eſt ciuitas, quā die, ac nocte circūdat iniquitas, ciuitas caſtellū deſpectiuè vocata quod contra Apoſtolos, & Apoſtolorum Dominum duriſſimis infidelitatis vectibus eſt munitum. Extra portam ciuitatis huius paſſus eſt Dominus, extra eā lapidatur ſeruus exiens ad eum extra caſtra, & portans ſimilitudinem improperij eius. Deponuntur veſtimenta martyris ad pedes perſecutoris, qui ad tactum ſacrarum veſtium, & orationibus lapidandi fuerat conuertendus. Et lapidabant, inquit, Stephanum inuocantem, & dicentē: Dñe Ieſu accipe Spiritum meum. Currunt illi ad lapides, & ille ad preces; lapides lapidem percuriunt, ſed lapidem molliorem, de quo fluit oleum charitatis, & tinnitus redditur pietatis. Dominè Ieſu, inquit, ne ſtatuas illis hoc peccatum, quia

neſciunt

neſciunt quid faciunt. Rogat ſuſcipi ſpiritum ſuum, ſpiritum vtiq;, & ſpiritum illum, quem ſignanter quaſi quoddam tertium Apoſtolus in homine præcipit conſeruari. Vt integer, inquit, anima, & ſpiritus, & corpus in diem Domini ſine querela ſeruetur.

O' quanta pietas, quantus affectus, & ardentiſſimæ charitatis integritas. Rectè martyrij florem iſte ſibi præuendicat, in quo ſimilitudo Domini pendentis in Cruce, mirabilibus formulis eſt impreſſa. In ligno enim ſpinis, clauis, lancea affixus, & crucifixus, diſſimulat illum vnicum dolorem, & obliuiſcitur mortis vicinæ, nouum introducturus exemplum, aperit latitudinem charitatis, & apertiori campo terminos traduæ legis amplificat, non tam ſolùm amicus amicis, ſed velint, nolint, amicus pariter inimicis. Pater, inquit, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Non potuit eſſe inefficax oratio morientis, vnde & inimicorum numeroſitas ad numerum amicorum tranſiuit. Vide quàm recto curſu Stephanus, etſi non æquat, ſequitur tamen Redemptorem. Volat ſaxorum imber, & fortiſſimis inuidorum manibus loca vulnerum duplicantur, ſed patienter patitur coronatus noſter, de corona nominis ad coronam regiminis transferendus. Neſcit affectum carnis, & mortis horam ignorat; & vide quid deliberet faciẽdum. Poſitis autem genibus clamauit voce magna dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum, quia neſciunt, quid faciunt. Clamat voce magna, quia magna vtiq; charitate; poſitis 2 genibus, quia vera, & humili ſimplicitate. Pro ſe orans ſtat, & erigitur; pro lapidantibus flectit genua. Quis audiuit vnquam talem, & quis vidit huic ſimilem? Plus dolet perſequentium peccata, quàm ſua vulnera, illorum iniquitatem, quàm ſuam mortem. Et cùm hoc dixiſſet, obdormiuit in Domino. Felix ſomnus cùm requie, requies cum voluptate, voluptas cum ſatietate, ſatietas cum ſecuritate, ſecuritas cum æternitate. Obdormiuit, inquit, in Domino, abſorptus in claritatis abyſſum, & inter Dei ſui brachia requieſcens. Sedebat à dextris Dei Dominus Ieſus; ſed primo martyri martyrum caput. Recolitis quid illa Eccleſiæ lingua, Auguſtinum loquor, de hoc martyre ſenſerit, quem poſt mortem ſeptem mortuos aſſerit ſuſcitaſſe?

2 Beatus Stephanus orát voce magna, & poſitis genibus.

Eia vos, qui Leuitico ordine præfulgetis, cantate huic canticum nouum, & tantæ feſtiuitati 3 feſtiuis vocibus incumbite. Fortaſſis aderit canentibus, & ſuggeret de nobis Domino ſuo, iudici noſtro: Ne ſtatuas illis aliquid ad peccatum; qui eſt Deus benedictus in ſecula, Amen.

3 Et tantæ feſtiuitati feſtiuis vocibus incumbite.

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

SERMO I. DE EXCELLENTIA SANCTI IOANNIS EVANGELISTAE.

1 Solennitas glorioſa beati Ioãnis Apoſtoli, & Euangeliſtæ.

HODIE, dilectiſſimi, nobis lætitiæ gaudia geminantur, quia recenti adhuc natiuitate Dominica, beati Ioannis 1 occurrit ſolennitas glorioſa. Hodie diſcipulus, quem diligebat Ieſus, dilectoris ſui amplexibus ſtringit, ſocietate perfruitur, & quod viderat, quod audierat, quod manibus attrectauerat de verbo vitæ, tantò iam liquidiùs, quantò ſublimiùs contemplatur. Hodie ſcilicet illa mirabilis aquila, quam & olim Ezechiel eminere cæteris quatuor animalibus vidit, & ipſe Ioannes ſuimet (vt ita loquar) Propheta factus, volantem in myſtica viſione conſpexit, ad vnicam Angelorum, & hominum eſcam, pennis 2 librata ſublimium meritorum, feliciter euolauit. Licet enim vbicunque fuerit corpus, illic neceſſariò congregentur & aquilæ, iſte tamen tantò familiariùs ad vitæ pabulum, corruptionis vinculis iam ſolutus accedit quantò & in carne adhuc poſitus in ipſum æterni Solis orbem, hoc eſt in diuinæ ſubſtantiæ claritatem, radios purificatæ mentis infixit.

2 Notã, Pẽnis leuatã ſublimiũ meritorum.

O quàm miranda ſuper nos cœleſtis conſilij diſpenſatio. O quàm profunda diuinæ ſapientiæ eſt altitudo. Deſcendit Deus ad hominem, vt occultam hominibus patefaceret deitatem. Ad humanæ mortalitatis exire dignatus eſt publicum, vt nobis æternitatis ſuæ reuelaret arcanum. Sed ſi mox vt in Euangelicæ doctrinæ cœpit verba prorumpere, ac nouæ gratiæ myſteria rudibus adhuc imperitorum cordibus aperire, ſtatim diuinitatis ſuæ panderet ſacramentum, cuius, quæſo, ferret auditus, cuius vnquam caperet intellectus? Nam vt de diuinitate nunc taceam, cùm dominus diceret: Quia niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis; & qui manducat me, ipſe viuet propter me: protinus aſpernati ſunt verbum, & exhorruere dicentes: Durus eſt hic ſermo. Quis poteſt eum audire? Deinde ſcriptura ſubiungit: Ex hoc multi diſcipulorum abierunt retro, & iam cum illo non ambulabant: videlicet non de turba, non quilibet imperiti; ſed ipſi etiam diſcipuli nequiuerunt capere verbum myſterij. Quid ergo iſti facerent ante ſolem, qui cæcati ſunt ad lucernam? Quomodo tonitrui ſuſtinerent ſonitũ,

qui clangentis tubæ pondus ferre nequeunt, immò qui ſuppreſſæ, ac temperatæ humanæ vocis exilitate ſurdeſcunt?

Propterea igitur Redemptor noſter dilectum ſibi ſpeciali prærogatiua Diſcipulum, ad declarandam ſuæ diuinitatis eſſentiam quoddam quaſi organum fecit, atq; vt hic ſuppleret, quod ad tempus ipſe Dominus diſpenſatiuè ſuppreſſerat, ſibimet vicarium dereliquit, quatenus expleto paſſionis, ac reſurrectionis, aſcenſionisq; myſterio, poſt tredicim ferè annorum luſtra, cùm iam videlicet homines liberiorem ad capeſſendam veritatem haberent mentis obtutum, hic coeſſentialis, & coæterni Deo Verbi panderet ſacramentum, dicens: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.

Humanæ quippe imbecillitatis ordo poſcebat, vt priùs Chriſti humanitatis primordia, curſum, conſummationemq; pernoſceret, miracula etiam, quæ in hominem geſſit, addiſceret, ſicq; paulatim ad comprehendendum diuinitatis occultæ myſterium, ſuis vegetata prouectibus aſpiraret. Quapropter diuini fuit cauſa conſilij, vt cæteri Euangeliſtæ, qui in deſcribenda Saluatoris humanitate verſati ſunt, longè præcederent; Ioannes verò, cùm homines tanquam primò lactantes firmiora iam in via veritatis veſtigia figerent, eos ad conſcendendã diuinæ ſcientiæ gratiam promoueret. Hanc denique ſupereminentem diuinæ ſcientiæ celſitudinem tunc diuinitus illuſtrata mente concepit, cùm in ſacroſancto myſticæ cœnæ conuiuio ſupra pectus recubuit Redemptoris. Et quia in pectore Ieſu ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi, ex illo cœleſti gazophylatio ſummam traxit, vnde noſtræ paupertatis inopiam copioſa liberalitate ditauit. Ex illo (inquam) nobis ærario diuitiarum copias attulit, & in communem totius mundi ſalutem benè prodigus erogauit; immò ſuper fontem perennis vitæ recubuit, vt & ipſe tunc ſemper manantia fluenta diuinæ doctrinæ hauriret, & eadem nobis poſtmodum præfixo certi temporis articulo propinaret.

Magnus videlicet paradiſi fluuius, qui ex principali ſui fontis origine profluens, ac vberiori cœleſtium chariſmatum inundatione procedens, ſqualentiã deſerta humanarum mentium irrigat, & ad proferenda bonorum operum tanquam nouarum frugum germina, vberrima fertilitate fœcundat. Et non immeritò tam profunda, tam ſupereminens reuelatio Deitatis Virgini debebatur, vt qui carnis ſibimet amputauit illecebras, felici commercio, pro carnali dulcedine, cœleſtium epularum diuitijs frueretur. Ad tantum ſcilicet gratiæ prouectus eſt priuilegiũ, vt omnẽ tranſgrediẽs creaturam, illuc acie mentis attingeret, quò nõ Propheta, non Patriarcha, non deniq; quiſquam ab ipſo primordio cognoſcatur in carne poſitus aſpiraſſe. Nec mirum ſi Redemptor noſter beato Ioanni vicẽ ſuam ad declarandum diuinitatis ſuæ myſterium delegauit, quem ad cuſtodiendam 3 venerabilem matrem ſuam, perpetuam ſcilicet Virginem, quaſi alterũ filium ſuo loco ſuppoſuit; Mulier, inquiens, ecce filius tuus: ad Diſcipulum autem: Ecce mater tua. Dignum quippe fuerat, vt cui potiſſimùm commiſit cœleſtia, committeret & terrena.

3 Dñus Ieſus Chriſtus venerabilẽ matrem ſuã perpetuã Virginẽ, Virgini Diſcipulo in Cruce cõmẽdauit.

Et quia mediator Dei, & hominum ex duabus naturis, diuina ſcilicet, & humana cõſiſtit, vnus Emanuel, æquum admodum viſum fuit, vt beatus Ioannes vtriuſq; naturæ fidelis miniſter exiſteret, qui & diuinitatis ſacramenta conſcriberet, & beatæ genitrici, perpetuæ cuſtodiæ, ac ſedulitatis ſuæ miniſterium exhiberet. Cuius vtriuſq; excellentiſſimi videlicet ſacramenti, quodammodo miniſtrum ſe eſſe teſtatur, cùm per omnem Euangelici textus ſui ſeriem, ſic ſtyli modum temperat, & quadam viciſſitudine myſticæ varietatis alternat, vt modò humana pronunciet, modò diuina, modò quæ humanitatis ſunt, hiſtorialiter inſerat, modò quæ ſunt diuinitatis quadam ſublimium, ac ſubtilium verborum

maieſtate depromat. Tantaq; locutionis arte verborum vim temperat, ac libratæ moderationis ſobrietate diſpenſat, vt nec diuinitatis arcana vulgari, nec ea, quæ fidei noſtræ neceſſaria ſunt, patiatur abſcondi. Proinde cùm hiſtoriæ verba contexit, velut per tenuiſſimas rimas diuinitatis fulgorem ad oculos hominū coruſcare permittit; ſicq; dum tenuiſſimo lucis æternæ radio, oculus mentis noſtræ perſtringitur, ad indagandum mox illud inacceſſibile ſummæ veritatis lumen perſpicaciùs aperitur. Quia verò beatus Ioannes alternato ſuæ narrationis ordine, modò diuinitatem Chriſti ſublimiter intonat, modò quæ humanitatis ſunt, planè quodammodo, atq; humiliter aſſeuerat, ſicut ipſe in Euangelij ſui principio cœpit, ita ſeriatim vſq; ad finem, hunc eundem modum per omnem ſuæ deſcriptionis articulum tenuit. Nam, ſicut noſtis, in capite ſui libri deificū illud, ac ſingulare ponit exordium; In principio, inquiens, erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Ecce aquila Dei ad cœli verticē ſublimiter euolat, ſed ad eſcam carnis neceſſe eſt, vt preſſis alis, aliquando in imum ſubmiſſa deſcendat. Vnde & paulò poſt quid ſubdat, audite. Et verbum inquit, caro factum eſt, & habitauit in nobis.

Hanc itaq; diuerſitatem humanitatis, atq; diuinitatis vnitæ ſibimet, atq; inconfuſæ, ſponſa de ſponſo dicit in Canticis: Venter, inquit, eius eburneus, diſtinctus ſaphiris. In membris quippe humani corporis vix aliquid ventre fragilius, ſiue tenerius inuenitur, ideoq; per vētrem rectè fragilitas in Chriſto aſſumptæ humanitatis accipitur. Ebur autem os eſt Elephantis, quod videlicet animal fertur eſſe caſtiſſimum, frigidiſſimæq; naturæ. Venter ergo eburneus eſt ſponſi, quia ſuſcepta Redemptoris humanitas, ab omni peccatorum cōtagio caſta prorſus, & inuiolata permanſit. Siquidem peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius. Saphirus autem lapis eſt, ſereni cœli habens colorem, vnde & in viſione Domini dicitur: Erat ſub pedibus eius quaſi opus lapidis ſaphirini, & quaſi cœlum, cùm ſerenum eſt. Per ſaphiros ergo opera diuinitatis intelliguntur, quæ in carne Dominus oſtendebat. Venter ergo ſponſi diſtinctus erat ſaphiris, quia Chriſti humanitas diuinis virtutibus refulgebat. Nec plenus ſaphiris eſſe dicitur, ſed diſtinctus, ita videlicet, vt inter ſaphiros candor eboris appareret, quia ſic Dominus ex parte hominis aſſumpti operabatur humana, vt aliquando nihilominus ex parte deitatis oſtenderet & diuina. Nam eſurire, ſitire, flere, poſtremò crucifigi, & mori, humanitatis erant opera; miracula verò facere, & non ſolùm alios, ſed etiam ſemetipſum à mortuis ſuſcitare, euidentiſſima erant diuinitatis indicia. Hoc itaq; modo beatus Ioannes quaſi eburneum ventrem ſponſi ſaphiris diſtinguit, dum aliquando diuinitatis alta, aliquando humanitatis infirma deſcribit.

Quia igitur hic beatus Ioannes de Deo mirabiliter, atq; incomparabiliter cæteris mortalibus loquitur, iurè factum eſt, vt non ſolùm à Græcis, ſed etiam à Latinis vndiq; Theologus appelletur. Theotocos 4 Maria, quia Deum veraciter genuit, Theologus Ioannes, quia Dei Verbum ante ſecula apud Patrem eſſe, & Deum eſſe, non ſolùm inenarrabiliter vidit, ſed & profunda ſublimitate deſcripſit. Vnde non immeritò poteſt dicere cum Propheta: Eructauit cor meum verbum bonum. Rectè ergo Virgo Virgini ad obſequium traditur, & pro Domino ſeruus vice filij ſubrogatur, vt virginalis 5 pudicitiæ ſplēdor, ex vtraq; perſona ſibimet inuicem congruat, & floridus intimi candoris aſpectus, quod in vno virere conſiderat, hoc vernare & in altero deprehendat.

4 Theotocos dicitur beata Maria, quia Deum veraciter genuit incarnatum.

5 Vide hîc, hæretice, quanta ſit Virginitatis laus.

Libet hîc, fratres mei, pulchram varietatem diuinæ diſpoſitionis coram charitate veſtra perpendere, & egregios duos Redemptoris noſtri diſcipulos, qualiter inter ſe quadam dignitatis ſimilitudine congruant, comparare, Petrum videlicet, & Ioannem. Commiſit nanq; Dominus Petro claues Eccleſiæ, voluit

&beato Ioanni custodiam Mariæ delegare. Vtraq; nimirum mater, mater Maria, mater Eccleſia. Sed Maria mater Chriſti, Eccleſia mater populi Chriſtiani. De Maria Christus carnem ſuſcepit, Eccleſiam verò de lateris ſui carne produxit. Ex iſta prodijt ſecundum carnem natus, illam protulit carne iam mortuus. Ex iſta voluit naſci, pro illa dignatus eſt mori. Ex vna ſemel natus eſt in perſona ſua, ex altera quotidie naſcuntur membra ſua. Traxit ex altera quod pro altera moreretur, & quo vtraq; communiter ſaluaretur. Magna igitur, & felix mater eſt beata virgo Maria, ex cuius viſceribus caro Chriſti aſſumpta eſt, ex qua rurſus per aquam, & ſanguinem profluxit Eccleſia. Hoc itaq; modo & ex Maria prodijſſe videtur Eccleſia. Vtraq; tñ caſta, vtraq; munda, vtraq; perpetuæ virginitatis ſignaculo præmunita.

Harum itaq; duarũ matrum, duarũ perpetuò virginũ, alterã Petro, alterã Ioãni voluit commendare, vt propenſo diligenter vtriuſq; pondere miniſterij, excellentium meritorum dignitas in duobus cœli ſenatoribus videatur æquari. Dicit Dominus Petro: Tibi dabo claues Regni cœlorum. Nunquid & beata Maria cœlum non fuit, in cuius vtero virginali nouem menſibus tota diuinitatis plenitudo permanſit? Ex ipſius quippe caſtis, mundisq; viſceribus, Dei Verbum, per quod facta ſunt omnia, immaculata ſe carne veſtiuit. In anguſto ſcilicet aluo concluſus, totius orbis iura regebat immenſus. In breuiſſimo, inquã, virginalis vteri domicilio conſtitutus, & cœli gubernabat imperium, & terrenorum omnium non amiſerat principatum. Non ergo præſumptiuè cœlum dicitur venerabilis virgo Maria. Atque ideo beatum Ioannem Dominus quodammodo cœli clauicularium eſſe conſtituit, cùm beatæ genitricis ſuæ eum decreuit eſſe cuſtodem.

Proinde vt beato Petro Ioannes multipliciter comparetur, cùm Diſcipulos ſuos Redemptor noſter inquireret, qua circa ſe homines opinione ducerentur, illiq; protinus reſpondiſſent, alij Ioannem Baptiſtam, alij autem Eliam, alij verò Hieremiam, aut vnum ex prophetis, donec ad Petrum ventum eſt, nutabat aſſertio, nec ambiguitatis vinculum ſoluebatur. At vbi quid habeat Diſcipulorum ſenſus exigitur, præcedit in veritatis confeſſionem, qui primus erat in Apoſtolica dignitate, Petrus videlicet; Tu es, inquiens, Chriſtus filius Dei viui. Inter nutantis adhuc fidei ſinuoſa volumina, inter proceſſoſas ambiguitatum fluctuantium tempeſtates, piſcator ille veritatis anchoram fixit, & nauiculam fidei in tutiſſimo tranquilli portus gremio collocauit.

Sed videamus vtrum Ioannes & huic operi aliquam cum Petro ſimilitudinẽ habeat. Conſtantiſſimæ itaq; prædicationis arguitur, ſicq; à Domitiano tunc Cæſare in exilium deſtinatur. Protinus hæretici Marcion, Cherintus, & Ebion, cæteriq; quàmplurimi, quos ipſe conuenienter Antichriſtos appellat, caulas Eccleſiaſtici gregis irrumpunt, & velut lupi graues ſuper ouilia paſtoris adminiculo deſtituta graſſantur, Chriſtum ſcilicet ante Mariam non fuiſſe dogmatizantes, & ita ſimplicem Euangelicæ fidei puritatem, perfidiæ ſuæ ſqualoribus corrũpentes. Confunditur mundus, turbatur Eccleſia, vacillat fides, & velut inhorreſcente tempeſtate perfidiæ, plurimi naufragantur. Quid plura? Tandem perempto Domitiano, diuina duce gratia, redijt Ioannes Epheſum, turbatamq; gemit Eccleſiam. Sed quicquid inuenit erroris turbine, atq; tempeſtate turbatũ, ſolidiùs, atq; robuſtiùs ad priſtinæ fidei reuocat ſacramentum. Nam rogatus (vt ab hiſtoriographis traditur) à charitate ferè totius vniuerſalis Eccleſiæ, in illius tandem erupit diuinæ inſpirationis elogium; In principio, inquiens, erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc itaque ſignaculo veritatis, & hæreticorum tergiuerſationibus metam fixit, & catholicorum fidem perpetua ex tunc, & deinceps certitudine roborauit.

Petrus igitur petra. Tu es,inquit,Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Petra quoq; factus eſt & Ioannes,ſupra cuius fidei fundamẽ tum totius Eccleſiæ ſtructura conſurgit,quam videlicet,ſiue hæreticorum furor impingat,ſiue tentationum irruat impetus,non euertit. Hæc petra veri Dauid fundam implet,qua Philiſtæum Goliad ſignanter in fronte percutiat, vbi videlicet profanus, & impius Crucis vexillum non habebat. Hæc ſiquidem petra omnes Eccleſiaſticæ doctrinæ aduerſarios deſtruxit,hæc Iudaicam perfidiam cum omni prorſus hæreticorum prauitate proſtrauit. Nec mirum ſi inſtar Petri & Ioannes petra dicatur, cùm hæc ad Ezechielem Dominus dicat: Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum,& frontem tuam duriorem frontibus eorum,& vt adamantem,& vt ſilicem dedi faciem tuam. Planè quod vterq; Diſcipulus protulit de ſacramento Dominicæ fidei,quanquam profundiſſimum ſit,atq; omnino diuinum,& vtrunq; pari modo vires humanæ mentis excedat, nec videatur diuerſum in excellentiæ diuinitate,quod eodem prolatum eſt Spiritu dictante,illud tamen beati Ioannis ſingularitatis locum ſibi vendicare conſpicitur,quia neq; ante illum,neq; poſt illum hoc idem ſcripſiſſe aliquis inuenitur. Nam illam beati Petri Apoſtoli ſententiam & Martham ſororem Lazari, eiſdem ferè verbis legimus protuliſſe. Cui nimirũ cùm Saluator diceret: Omnis,qui viuit,& credit in me, non morietur in æternum: atq; ſubiungeret: Credis hoc? illico eodem Spiritu,quo & Petrus, inſpirante reſpondit; Ego credidi, quia tu es Chriſtus filius Dei viui,qui in hunc mundum veniſti.

Quid autem mirum,ſi Ioannem de diuinitate loquentem, beato Petro præferimus,cùm illud Euangelij ſui ſingulare principium ipſa etiam Dominica verba (ſi dici liceat) excedere videamus? Nec iniuria fit Redemptori noſtro,ſi dicatur aliquid ipſe ſublimius depromere per Diſcipulũ, quàm per ſemetipsum, & per illius linguam manifeſtè proferre,quod per ſemetipſum liquidò noluit aperire. Nam & hoc beato Ioanni Dominus conceſſit in verbis,quod & Petro contulit in miraculis,videlicet vt & iſte altiora proferret,& ille maioribus virtutum prodigijs coruſcaret. In Apoſtolorum enim actibus inuenimus, quia in plateis eijciebant infirmos,& ponebant in lectulis,& in grabatis,vt veniente Petro,ſaltem vmbra illius obumbraret quenquam illorum,& liberarentur ab infirmitatibus ſuis. Quod vtiq; Dominum feciſſe nuſquam legimus, vt per vmbrã videlicet ſui corporis, remedium ſanitatis alicui attulerit. Sed quod prædixit, exhibuit,quod promiſit,impleuit. Nam in eiuſdem Ioannis Euangelio dicit: Amen amen dico vobis, qui credit in me,opera,quæ ego facio,& ipſe faciet, & maiora eorum faciet,quia ego ad Patrem vado. Enimuero ipſe operabatur in Petro,ipſe loquebatur in Ioanne. Non enim,inquit,vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Meritò nempe beatus Ioannes
6 & præcedentes omnes,& ſubſequentes diuinorum ſcriptores voluminum,gloria ſingularis eloquij præcedit,quem non luxuria polluit, non libido corrupit, ſed virginalis 6 integritas ꝑpetuæ incorruptionis titulo decorauit. Qui nimirum nuptialis copulæ thalamum deſerens,omnem illecebræ carnalis ardorẽ in cœleſtium deliciarum voluptatem tranſtulit,arctiſſimeq; ſe in ſui Redemptoris, ac dilectoris amore coniunxit, propter quem ſcilicet coniugalis tori fœdera abdicauit.

6 Si ſanctũ Apoſtolũ perpetuæ incorruptionis titulo, virginalis integritas decorauit, quare dicunt hodie nõnulli, virgininatẽ ſeruare eſſe impoſſibile?

Vnde diuinitus illi conceſſum eſt,vt tanta cor eius circa fratres charitatis gratia repleretur,vt ſacroſanctum pectoris eius templum,velut caminus quidam diuini videretur incendij. Quod profectò in quibuſdam ſcripturis eius patenter agnoſcitur,in quibus vtiq; per omnem ferè paginam,quaſi per quaſdam rimas, charitatis vapores effundere,charitatis videtur ardoribus æſtuare. Modò enim patres nominatim ad charitatem prouocat,modò non filios, ſed filiolos, quaſi

tenerè diligens, appellat. Modò proprijs ætatum vocabulis infantes, modò iuuenes, modò ſingillatim admonet adoleſcentes. Modò etiam mulieribus epiſtolas deſtinat, easq; ad cautelam fidei, & ſtudium ſynceræ dilectionis inuitat. Hic itaq; inenarrabilis charitatis ardore ſuccenſus, huc, illucq; ſe vertens, vndiq; circumiens, vbiq; diſcurrens, omnia hominum genera ad ſalutem concitat, omnia ætatum incrementa perluſtrat, omnes humanæ conditionis ordines oculo curioſæ ſolicitudinis inueſtigat, & tanquam arcus vniuerſalis Eccleſiæ factus, totius humani generis ſummam, vlnis paternæ dilectionis amplectitur, atq; ad Redemptoris ſui conſortium trahere, vnumquenq; ſingillatim admonendo, conatur. Amor quippe Domini, quo eum præ cunctis mortalibus dilexit, & ei pondus fraternæ dilectionis exhibuit, vt nimirum plus amaret, qui plus amabatur, & qui primus erat in Redẽptoris amore, pcipuus fieret in fraterna charitate.

Qualem autem apud Dominum impetrandi locum, præcipuæ familiaritatis Ioãnis obtinuerit priuilegium, hinc manifeſtius colligere poſſumus, quòd idem beatus Ioannes Euangeliſta teſtatur, quia in ipſo vitalis cœnæ conuiuio Ieſus conturbatus eſt Spiritu, & proteſtatus eſt, & dixit: Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me. Deinde ſequitur: Aſpiciebant ergo ad inuicem Diſcipuli hæſitantes, de quo diceret. Moxq; ſubiungit: Erat ergo recumbens vnus ex Diſcipulis Ieſu in ſinu Ieſu, quem diligebat Ieſus. Innuit ergo huic Simon Petrus, & dicit ei: Quis eſt, de quo dicit? Atq; vt hiſtoriæ ſtylo non tenear, Ioanni interroganti Dñs mox reſpondit: Ille eſt, cui ego intinctũ panẽ porrexero. O admirabilẽ, ò incomparabilẽ virum, & omni Chriſtianæ deuotionis præconio præferendum. Ecce verbum profertur in medium, & totus tacet, ac ſub ſilentij cenſura reprimitur ſenatus Apoſtolorum. Tanta ſiquidem Magiſtri præſidentis videbatur auctoritas, vt ſub diſtricta ſe compeſceret beata Diſcipulorum concio diſciplina. Hæſitant, ambigunt, atq; inter ſe inuicẽ oculorum nutibus quodammodo interrogantes aſpiciunt; veruntamen lingua referre quod geſtiũt, vel Dñm conſulẽtes inquirere nõ pſumunt. Tacet Petrus, tacet cœli claicularius. Tacet deniq; lingua, q̃ clauis facta cœlorũ, cœlũ ſimul & terrã ligat, & ſoluit. Tacet is, inq̃, cui portæ inferi nõ pualent, qui ligandi animas, atq; ſoluendi obtinet principatũ. Silet Andreas, qui ipſi fratri ad fontẽ vitæ præuius fuit. Non loquitur Thomas, qui viam ſe neſcire profeſſus, eundem eſſe viam, veritatem, & vitam, ipſo referente, cognouit. Non præſumit os aperire Philippus, qui dum Patrem ſibi popoſcit oſtendi, profunda myſteria indiuiduæ Trinitatis audiuit. Omnes tacent, omnes dubitant, & latenter inquirunt, non quidem prolatione verborum, ſed tantùm nutibus oculorum. Sed cùm res diu ſub hac ambiguitate penderet, nec nodum dubietatis quiſpiam abſolueret, tandem Ioannis patrocinium quæritur, & ſic ad rei dubiæ notitiam peruenitur. Ille nimirum, condiſcipulorum perſona in ſe ſuſcepta, conſultor accedit, qui de ampliori familiaritatis, atq; dilectionis prærogatiua confidit.

Vnde conſiderandum eſt, fratres mei, quantæ deuotionis inſtantia beati Ioannis ipſius Dei flagitare debemus auxilium, quem ſibimet interuentorem & ipſi Apoſtoli quæſierunt. Quantum apud iuſtum iudicem pro peccatoribus 7 poterit, qui & pro ipſis cœleſtis curiæ ſenatoribus interuenit? Et qui aduocatus factus eſt ſummis, quàm humiliter implorandus eſt à minimis? Hanc nimirum hominis eminentiam, hanc meritorum ſublimium celſitudinem Angelus ille cognouit, qui ſe ab illo adorari prohibuit. Vide, inquit, ne feceris, conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu. Deum adora. Refugit obſequium ab illo ſuſcipere, quem nouerat apud communem iudicem locum gratiæ familiariter obtinere. Noluit adoratorem, quem decernebat æqualem. Fratrem recognouit, ſocium iudicauit, ſubiectionis obedientiam non accepit.

7 Vides hic ſãctos eſſe inuocãdos, & beatũ Ioannem Euãgeliſtam eſſe aduocatum noſtrum abſq; aliqua Dñi noſtri Ieſu Chriſti iniuria?

Quamuis enim in omnibus ſanctis ſemper ſit Angelicæ munditiæ contuberna-
8 Ecce quanta Virginitatis cōmendatio. lis, & cognata 8 virginitas, beatus tamen Ioannes tantò reliquos virgines
ſuperat, quantò virginitati beatæ Mariæ per ſedulitatis, ac perpetuæ cuſtodiæ
meritum appropinquat. A qua ſola videlicet præceditur, quia fœcunditas vir
ginalis, quæ eſt in Maria, nullis eſt omnino meritis comparanda, & non ſolùm
quia fœcunda eſt, ſed quia Deifica. Virginem enim parere, nouum ac ſingula-
re eſt, Deum verò parere ita nouitatem ſingularitatis exuperat, ita omnia, quæ
miranda ſunt, antecedit, atq; incomparabiliter ſupereminet, vt nec mente conci-
pi, nec lingua valeat aliquatenus explicari. Sed ſicut venerandæ matris Domi
ni virginitas, beati Ioannis virginitatem excedit, ſic ipſe pro glorioſo eius con-
tubernio cæteros à mundi primordio virgines antecellit.

Huc accedit, quòd ille recubitus in pectore Saluatoris, ille diuinus ardor, quē ex arcana eius inſpiratione concepit, ita in eius viſceribus omnium libidinum fomenta decoxit, vt corpus eius, tanquam re uera Spiritus ſancti templum, à cunctis vernaret æſtuantis luxuriæ ſqualoribus defecatum. Nec vllum locum in eo vendicabat flamma libidinis, cuius templum gratia ſancti Spiritus iugiter obumbrabat. Quocirca dignum fuit, vt beatus Ioannes Apoſtolus Archangelo Gabrieli ad cuſtodiam matris Domini ſocius haberetur, quatenus ille cœleſtis olim paranymphus intactam Virginem inuiſibiliter cuſtodiret, & iſte forinſecus fragilitati fœmineæ, obedientiæ ſuæ miniſterium exhiberet. Et cōgruum erat, vt quæ talem genuit, qui cœli ſimul & terræ Dominus eſſet, vtriuſq; patriæ ciues in ſuo conſortio haberet, vt in ore duorum, vel trium teſtium ſtaret omne verbum. Quapropter beatus Ioannes quantò familiarior cum matre Verbi verſatur, tantò & ipſi vicinior Verbo inuenitur. Et quoniam non ab alio, ſed ab ipſa Veritate Mariæ dictus eſt filius (Mulier enim, inquit, ecce filius tuus; atq; idipſum iterando confirmat, ad diſcipulum dicens: Ecce mater tua) ne

9 Nota nemi-nē eſſe maio rē meritis Io anne Euan-geliſta. mo iurè videtur maior 9 meritis eo, qui ſpeciali quadam gloria frater eſt Saluatoris.

Huius igitur tam ſublimis, tam pij, tam caſti, tamq; præcellentiſſimi Deo dilecti, fratres Chariſſimi, laboremus præcepta ſeruare; per huius veſtigia, in quantum poſſumus, duce diuina gratia ſtudeamus incedere. Sed ſi omnes cum Ioanne virginitatem habere iam in carne non poſſumus, quia poſt naufragium ſecunda reſtat tabula, ſtudeamus florere virtutibus, & ſic virginitatis amiſſæ diſpendium optimè compenſabimus. Non igitur nobis auaritiæ ardor incandeſcat; non iracundiæ nos furor impellat. Non in nobis flamma libidinis æſtuet; non turpis cogitatio pulchram animæ noſtræ coram Deo ſpeciem fœdet. Non nos terrenæ facultatis abundantia in ſuperbiam erigat; non tenacitas miſericordiæ viſcera pauperibus claudat. Vigeat in nobis perpetua caſtitas, humilitas, patientia, ſobrietas, iuſtitia cum pietate, ſeueritas cum manſuetudine. Inter hæc, fratres chariſſimi, cæterarumq; dona virtutum, charitas, quæ mater eſt omnium, in ſacrario pectoris noſtri ſemper teneat principatum, quia, ſicut Ioannes dicit, Deus charitas eſt, vt qui per charitatem Dei filius deſcendit in Virginem, per eā nos exaltet ad paternæ gloriæ claritatem, qui viuit, & regnat in Trinitate perfecta, vnus, & verus Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Eiuſdem

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

SERMO SECVNDVS DE EODEM SANCTO IOANNE EVANGELISTA.

GAVDEAMVS, fratres chariſſimi, copioſum noſtræ fraternitatis adeſſe 10 conuentum, quia dum nos ad hodiernam feſtiuitatem, beati Ioannis gloria prouocat, etiam Spiritus ſanctus vt tam reuerenter, tam pacificè, tam deuotè conueniatis, indubitanter inſpirat. Dignum quippe eſt, vt qui à Chriſto præ cunctis mortalibus ſpecialiter eſt dilectus, à Chriſti dilectoribus permaximè diligatur, præſertim cùm & ipſe circa nos tantæ charitatis extiterit, vt diuinitus ſibi traditis ſapientiæ, & ſcientiæ clauibus, omnes ſacramentorum cœleſtium theſauros expenderet, & æternæ vitæ dinitias, quas ſolus acceperat, nobiſcum participando largiretur, & fideliter erogaret. Quid enim diuinæ ſapientiæ quæris, quod apud Ioannem reperire non poſſis? Quæ enim hæretica prauitas, quæ Arriana perfidia, quæ Iudæorum veſana calumnia, quæ gentilium philoſophorum verſutia, quæ deniq; ſchiſmaticorum abominanda ſciſſura, beati Ioannis non eſt eloquio ſuperata, eiuſq; doctrinis euidenter attrita? Siquando enim ab inimicis veritatis obijcitur nobis volumina quæſtionum, illico Ioannes occurrit, Ioannes ſilentium verboſis imponit. Quoties ſiquidem de vera humanitate, ac diuinitate Chriſti certamen quæſtionis oboritur, quæ videlicet omnibus pacis inimicis communis eſt materia dimicandi, protinus ad Ioannis Euangelium curritur, Ioannis in pugna patrocinium quæritur, & ſic mox cuncta litigioſi certaminis iurgia conquieſcunt. Quid igitur neceſſariú in doctrinis, quod Ioãnis volumina ſacroſancta non teneant? Quid in virtutibus, quid in meritis, quo beatiſſimus incomparabiliter non excellat? Apoſtolus ſiquidem in Epiſtolis, Enangeliſta in Euangelio, Propheta in Apocalypſi. Propheta, inquam, & nõ qualiſcunq;, ſed mirabilis, atq; ad ſimilitudinem alterius, & pluſquam Propheta. Nam quia Prophetæ officium eſt, futura prædicere, non etiam præſentia demonſtrare, beatus Ioannes Baptiſta idcirco cæteris Prophetis enituit, quia Dominum digito, quem prophetabat, oſtendit. Nunquid & iſte Ioannes pluſquá Propheta non eſt, qui præter cõſuetudinem omnium Prophetarum, ſemetipſum prævidit in ſpiritu, & inter plurima reuelationum cœleſtium ſacramenta, dum

10 Ecce ſolẽnẽ conuentũ ad feſtiuitatem ſancti Ioánis Euãgeliſtæ.

aquilæ volantis ſimilitudinem vidit, ſemetipſum veraciter agnouit? Ezechiel autem, eandem aquilam ſpiritu reuelante conſpexit, non quidem volantem, ſed cæteris animalibus deſuper eminentem. Cùm quo videlicet Propheta beatus Ioãnes, conſiderato vtriuſq; volumine, in multis non ambigitur concordare. Cum eo nimirum & librum, qui quaſi mel dulcis erat, in ore comedit, & ſanctuarij loca deſcribit, atq; in pluribus alijs Propheta cum Apoſtolo conſonanter incedit.

O' quàm admirabilis eſt mutatio dexteræ excelſi, ò quam terribilis Dominus in conſilijs ſuper filios hominum. Quis enim dignè conſideret, de tanta humilitate iſte piſcator ad quãtæ celſitudinis culmẽ meruerit ſublimari? Enimuero qui olim vili nauicula contentus, & retibus, maris profunda ſimpliciter ſcrutabatur, nunc illuſtratæ mentis radio ſecreta cœleſtia penetrat, myſteria intonat, diuini conſilij occulta hominibus reuelat, prophetica depromit oracula, Apoſtolica tradit hominibus documenta, immò in ſpeculanda ſummæ diuinitatis eſſentia præcedit Prophetas, ſupergreditur Patriarchas, Apoſtolos ſuperat. Poſtremò totius humanitatis traſcendit ingenia, & illucuſq; mentis aciem tendit, quò vix & Angelica valet attingere creatura. O' Dei plene gratia (Pax enim Dei, ſicut dicit Apoſtolus, exuperat omnem ſenſum) vt illud ſponſæ dicere non immeritò videatur: Introduxit me Rex in cellaria ſua; exultabimus, & lætabimur in te.

Penſemus itaq;, fratres, quãtum ab eo, qui nunc eſt, homo iſte tunc differebat, quando matre interueniente rogabat, vt ipſum cum fratre Dominus, alterum à dextris, alterum ſedere concederet à ſiniſtris. Nam quantum ad verba, hoc petere viſus eſt, vt vnum ex eis Dominus cum dextris eligeret, alterum à ſiniſtris cum peccatoribus reprobaret. Sed quia inſipienter petijt, repulſam patiens, illico cum filijs quod merebatur audiuit: Neſcitis quid petatis. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Reſpondentibus autem, Poſſumus, ſtatim ſubiungit: Calicem quidem meum bibetis, ſedere autem ad dexteram, & ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis. Ecce hîc in verbis Dominicis patenter oſtenditur, quia & Ioannes martyr fuit, dum conſtat, quia calicem Domini biberit. Et reuera martyr fuit, quia multa pro Domino perſecutionum ſupplicia pertulit. Martyr vtiq; fuit, quia Crucem Domini per ſui corporis afflictionem, & proximorum errantium compaſſionem diu viuendo portauit, & quò cæteris Apoſtolis in carne prolixiùs manſit, eò durioris martyrij tormenta ſuſtinuit. Vnde piè credendum eſt, quòd inter cẽtum illa quadragintaquatuor millia virginum, qui habẽt nomen Agni, & nomen Patris eius ſcriptum in frontibus ſuis, qui empti ſunt de terra, & cantant cãticum nouum ante ſedem Dei, & Agni, hic beatus Ioãnes egregius ſit, & inſignis; atq; cum his omnibus tãtò propinquior Agnum quocunq; ierit, ſequitur, quãtò & eidem Agno dilectior, ac familiarior extitit, & inſuper matri eius, quæ Virgo eſt virginum, perpetua filij ſub dilectione permanſit. Nam ex vtriuſq;, matris videlicet, filijq; conſortio, Ioannis virginitas excellenter enituit, & quouſq; poſſunt merita 11 humana prouehi, quaſi meta virtutum factus indeſinenter excreuit.

11 Vide & ex hoc loco homines habere merita apud Deum.

Neque enim illa verba, quæ Saluator noſter in Cruce poſitus protulit; Mulier, inquiens, ecce filius tuus: ad Diſcipulum autem: Ecce mater tua: ſic ſimpliciter ſunt accipienda, vt humano tantùm videantur more prolata, ſed prorſus efficacia ſunt, & diuinis virtutibus fulta, atq; ineuitabili veritatis auctoritate ſubnixa. Illud enim, quod in Cruce Patris vnicum pendebat, ſubſtantiuum, & conſubſtantiale Patri, ac ſempiternum eſt; atq; idcirco verba, quæ locutus eſt, quia ſpiritus, & vita ſunt, inaniter tranſire non potuerunt. Cœlum, inquit ipſe pius Ieſus, & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. Sicut enim dixit matri: Hic eſt filius tuus: ita dixit diſcipulis: Hoc eſt corpus meum. Et tantus [illegible]uit in

illis verbis effectus, vt illico panis ille, quem dabat, Dominicum fieret 12 corpus. Dixit enim, & omnia facta ſunt, mandauit, & creata ſunt. Ex quadam itaq; ſimilitudine, ſi dicere audemus, & beatus Ioannes non ſolùm filij potitus eſt nomine, ſed propter verba illa Dominica, quoddam maius neceſſitudinis ſacramentum apud beatam Virginem meruit obtinere.

12 Ecce quō p verba Dñica ex pane verū Dñi corpus effectum eſt, nō aūt figuratū, vt dicūt hæretici.

Conſideremus itaq; dilectiſſimi, quantæ gloriæ vir iſte credendus eſt, qui per quoddam adoptionis arcanæ myſterium, & filius Virginis, & frater eſt Saluatoris. Hinc eſt, quòd mentem eius omnipotens Deus ad tantum puritatis, ac myſticæ reuelationis culmen euexit, vt ei non modò ſtatum præſentis Eccleſiæ oſtenderet, ſed etiam quid deinceps futurum eſſet vſq; in perpetuum reuelaret. Vnde & illam ſuam nobilem Apocalypſim 13 ſcripſit, quæ nimirum tantis creditur redundare myſterijs, vt tot videatur habere ſacramenta, quot verba; immò in verbis ſingulis multiplices latent intellectus. Quæ profectò cùm ſeptem Aſiæ Eccleſijs mittitur, omni vniuerſali Eccleſiæ, quæ ſub ſeptiformi Spiritus ſancti magiſterio regitur, deſtinatur. Vnde conſequens eſt, vt omnes Eccleſiæ per orbem terrarum circunfuſæ non dubitent beatum Ioannem communem ſe habere doctorem. Quibus videlicet tanquam egregius quidam regalis imperij nuncius, à Ieſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis, primogenitus viuorum, & mortuorum, & princeps Regum terræ, cœlitus deſtinatus, gratiam, ſimul & pacem ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, attulit, ac multa ſecreti cœleſtis myſteria patefecit.

13 Vides Apocalypſim beati Ioannis Apoſtoli ab illo eſſe cōſcriptam?

Iam verò illa beatæ migrationis eius nouitas mirabilis quem non moueat? Quis feliciſſimæ conſummationis gloriā nō obſtupeſcat? Quia enim mirabiliter vixit, mirabiliter obijt, & quia nō cōem cū hominibus vitā duxit, nō cōi hominū morte tranſiuit. Nā vt hiſtoriæ continent, quadratā in Eccleſia foueā fieri iuſſit, mox'q; in eā deſcendēs, extenſis manib⁹, poſt prolixa fuſæ orationis verba migrauit. Mox aūt tanta ſuper eum lux cœlitus eſt immiſſa, vt nullus eam ferret aſpectus. Poſtmodum verò inuenta eſt fouea nihil aliud in ſe continens, niſi manna, quod videlicet, ſicut dicitur, vſq; hodie ſca turire non deſinit. Sic nimirum, ſic; ſic dilectum authori vitæ Diſcipulum tranſire de ſeculo dignum fuit, vt tam fieret à dolore mortis extraneus, quàm à corruptione carnis fuerat alienus. In ſepultura in Crucis modum iacere voluit, quia Crucem in ſuo corpore piè viuendo ſemper portauit; & ſicut Petrus magiſtrum ſecutus eſt à perſecutoribus cruci fixus, ita quodammodo & Ioannes in Eccleſiaſtica pace ſepultus.

Sed Dominus inter eos fortè diuerſitatem docuit, cùm Petro dixit: Sic eum volo manere, donec veniam. Quid ad te? Tu me ſequere. Qui enim Petrum voluit ſecum in crucis patibulo triumphare, ipſe decreuit Ioannem in Eccleſiaſtica pace quieſcere, quatenus & ille ſubeundi martyrij præberet exemplum, & iſte erecta ſupra fundamentum fidei Eccleſiæ fabrica, quietus migraret ad cœlum. Ille ſecuturis martyribus fuit conſtantiæ forma, iſte nouiter in fide plantatis extitit morum, atq; virtutum ſpiritualium diſciplina. Sic eum volo manere, donec veniam. Veniam, inquit, vt eum vinculo carnis abſoluam. Veniam, vt eum ad gloriæ meæ conſortium transferam. Veniam, vt laboribus eius dignæ remunerationis præmium reddam. Ad huius deniq; promiſſionis effectum clarum dedit indicium, cùm in eius obitu radiantem fecit eniteſcere lucem, per quam liquidò patuit, ipſum videlicet aduenisſe lucis authorem. Affuit itaq; Dominus promiſſionis ſuæ non immemor, qui & animam 14 eius in illa ſupernæ Hieruſalem quiete ſuſciperet, & ſacratiſſimum corpus in ea, quæ ipſe nouit, ſecreta transferret. Nam & de beato Enoch legitur, quia ambulauerit cum Deo, & non inueniebatur, quia tranſtulit illum Deus.

14 Habes hìc ſancti Ioannis animā receptā fuiſſe in cœlo.

Iam verò illud quis dignè miretur, quòd in ſepulchro eius manna reperitur,

& in terræ ſpecu panis cœli non ſemel,ſed quotidie naſcitur? De manna quippe,ſaluo altiori myſterio,ſcriptum eſt: Panem de cœlo dediſti eis,Domine, habentem omne delectamentum. Veniant igitur omnes nationes gentium,& obſtupeſcant miraculum 15 omnibus inauditum. Veniant, inquam, & admirantes aſpiciant,quia in ſepulchro,quod proculdubio domus eſt vermium, panis oritur Angelorum,adeò vt cùm Propheta in magni muneris admiratione pronunciet,quòd Iſraëlitico populo manna Deus conceſſit in cibum, dicens: Panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo: quod illis tunc mittebatur è cœlo,nunc ſcaturire conſpiciatur è ſepulchro. Si enim magnum miraculum manna non eſſet, nequaquam Moyſi Dominus ſeruari per ſecula illud præcepiſſet. Imple,inquit,Gomor ex eo,& cuſtodiatur in futuras retro generationes, vt nouerint panem,quo alui eos in ſolitudine,quando eduxi eos de terra Aegypti. Ecce quid meretur pudicitia 16 virginalis. Ecce quantæ magnitudinis eſt integritas inuiolatæ carnis. Videte,fratres mei,conſiderate,perpendite, quid deliciarum incorruptio carnis habet in cœlo,ſi cibum cœli germinat in ſepulchro. Quantis illic honoribus ſublimatur beata virginitas, vbi nimirum ſola eſt gloria,ſi & in loco fœtoris,atq; putredinis tam mirabiliter eſt glorioſa.

15 Miraculum hoc inſigne ad ſancti Apoſtoli ſepulchrũ æditũ, ſanctitati ei' fideliſſimum teſtimonium affert.

16 Vide quanta hîc fiat virginitatis cõmẽdatio.

Vnde & ſi non audeamus pleniter diffinire,pium tamen eſt arbitrari, vt ſicut de beata Dei genitrice creditur,ita etiam beatus Ioãnes iam reſurrexiſſe probabiliter aſſeratur,quatenus ſicut in virginea fuerunt integritate participes, ita nihilominus in anticipata reſurrectione meritò videantur æquales,nec ſit in reſurrectione diuerſitas,quibus tanta fuerat vnanimitas conuerſationis in vita. Si enim beatiſſimi virgines iſti,videlicet Ioannes & Maria,nullatenus ſurrexiſſent, cur in eorum tumulis ſepulta cadauera non iacerent,cùm ſcilicet beatorum Petri & Pauli, cæterorumq; Apoſtolorum,ac martyrum corpora ſuis quæq; noſcãtur mauſoleis tumulata? Nam quod verè beatus Ioannes obierit,ac proculdubio mortis iura perſoluerit,nullo modo meliùs,quàm per eius verba valet probari. Cùm enim exiſſet ſermo inter fratres,quòd Diſcipulus ille non moritur, cur ipſe vera dicentibus obuiaſſet,dicens: Et non dixit Ieſus non moritur? Fruſtra nimirum hîc moram texere,ac verba multiplicare videretur,ſi dum illi vera dicerent,vt non moreretur,iſte protinus obſtitiſſet dicens: Non dixit Ieſus nõ moritur:ac per hoc veritati quodammodo contradiceret,ſi vera referentibus contrairet. Sed dum ſe non moriturum,Saluatorem dixiſſe negauit,moriturum ſe indubitanter aſſeruit. Porrò autem quòd in ſepulchro ſanctum corpus eius vlteriùs non apparuit,diuinæ ſine dubio virtutis operatio fuit. Scriptum eſt in Deuteronomio. Mortuus eſt Moyſes famulus Domini in terra Moab, iubente Domino,& ſepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor,& non cognouit homo ſepulchrum eius vſq; in præſentem diem. Renouatum eſt itaq; illud de corpore Moyſi nunc etiam in Ioanne miraculum. Et qui legiſlatorem tũc dignatus eſt,nullis ſcientibus,ſepelire,ipſe etiam corpus Euangeliſtæ ſui ſecreto quodam myſterio voluit ſepulturæ ſubducere. Vterq; ſcilicet lux mundi,vterq; cœleſtium mandatorum baiulus,vterq; diuini conſilij reuelator. Nec immeritò in dignitate ſuis delata cadaueribus congruunt, qui & in ſublimibus vitæ ſuæ meritis,licet diuerſis temporibus,concorditer claruerunt.

Verùm ſi res diligenti conſideratione perpenditur (cùm beati Moyſi pace loquar) Ioannes potior inuenitur. Ille ſiquidem miniſter extitit legis, hic prædicator eſt gratiæ. Ille præcepta tradidit, quibus peccata punirentur, iſte pœnitentiæ baptiſmum contulit,quo omnia crimina delerentur. Ille annunciator eſt vmbræ, hic miniſter eſt veritatis. Ille dixit Domino: Si inueni gratiam in conſpectu tuo,oſtende mihi faciem tuam,vt ſciam te: ſed protinus audiuit: Nõ

poteris

poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & viuet; iſte verò Deũ incarnatũ, non ſolũ vidit, & audiuit, ſed & manibus cõtrectauit, ſicut ipſe teſtaſ, dicẽs: Quod fuit ab initio, quod uidiuimus, quod audiuimus, quod oculis noſtris pſpeximus, & manus noſtræ tractauerũt de Verbo vitæ, & vidimus, & teſtamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis. Et non ſolùm Deum hominem factum oculis carnalibus vidit, ſed & ipſum Verbum, quod erat apud Patrem, per quod facta ſunt omnia, illuſtrata diuinitus mente conſpexit. Atq; vt adhuc comparatio producatur, Moyſes tabernaculo præerat, quod nubes operiebat, ita vt aliquando nec ipſe Moyſes poſſet intrare, ſicut in Exodo legitur: Quia operuit nubes tabernaculum teſtimonij, & gloria Domini impleuit illud, nec poterat ingredi Moyſes tectum fœderis, nube operiẽte omnia: Ioannes verò melioris tabernaculi cuſtos factus, beatæ Mariæ miniſter extitit, quam non videlicet corporea huius aëris nubes obtexit, ſed Spiritus ſanctus inuiſibiliter obumbrauit. Et gloria Domini, hoc eſt filius Dei, qui hoc tabernacùlum non mox diſceſſurus, ſed veram carnem ſuſcepturus impleuit, non manſit ſub aëris caligine, ſed potiùs in Solis lumine, ſicut per Prophetã dicitur: In ſole poſuit tabernaculum ſuum. Per illum manna datum eſt tunc Iſraëlitico populo; ecce quantò glorioſius habet iſte manna in ſepulchro. Et quid plura? Ille faciem ſuam obnubit, ne videatur à populo; iſte etiam diuinitatis reuelat eſſentiam, vt Deus ab hominibus agnoſcatur. Atq; vt idem repetam, ille ſplendorem ſui vultus obtexit, ne ab illa plebe conſpiceretur; iſte Dei Verbum, quod eſt imago Patris, ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, perſpicuè reuelauit, vt à nobis agnoſceretur. Poſtremò Dei filium, quem iſte præ manibus habuit, cum quo dimitiſſimè conuerſatus eſt, à quo vnicè, atq; ſpecialiter dilectus eſt, ille quidem obnixè, ac deſiderabiliter petijt dicens: Obſecro, Domine, mitte quem miſſurus es: ſed impetrare nõ valuit. Veruntamẽ dum magnis, ſummiſq; apud Deũ meritis ambo claruiſſent, vno vterq; ſpiritu plenus fuit, vno vterq; deſiderio concorditer æſtuabat. Nec nos alterum alteri præferre præſumimus, ſi diuerſitatem pro ſui cuiuſq; dignitate penſamus. Duorum quippe viatorum viuacitate parium, qui orto ſole graditur clariùs quælibet oppoſita conſpicit, quàm is, qui antelucanus exurgit. Et ditior eſt, qui autumnalem fructuum maturitatẽ carpit eo, qui vernæ propaginis arbuſta plantauit. Conuenienter igitur factũ eſt, vt ſicut Moyſi, ita & Ioannis glebam omnipotens Deus abſconderet, & in duobus mirabilibus viris vnum miraculum exhiberet.

Et notandum, quàm affectuoſè, quàm piè, quàm paternè, quàm amabiliſſimè, Saluator, Sic, inquit eum volo manere, donec veniam. Veniam, inquit, non mittam. Non mittam videlicet aliquã ſupernam virtutem, non Angelicam poteſtatem, quæ huius miniſterij mihi fungatur officio, quæ obedientiæ huius exequatur effectum. Ipſe per memetipſum veniam, ipſe egredientem eius animam in gloriæ meæ claritate ſuſcipiam, quam & in carne manentem diuinitus illuſtrabam. Quantæ igitur reuerentiæ habendus eſt hominibus beatus iſte Ioannes, quem ipſe author vitæ honorauit in carne viuentem, honorauit & de ſeculo recedentem? Nimis enim honorati ſunt amici tui Deus. Honorauit ſiquidem eum in vita, dum de ſacroſancto pectore ſuo ſibi reclinatorium fecit. Honorauit rurſus in morte, cùm ad ſuſcipiendam felicem meritis 17 animam dignatus eſt aduenire. Nec mirum ſi diuerſis eum honoribus cumulauit, quem & in conſortium ſibimet adoptiuæ fraternitatis aſciuit. 17 Nota felicẽ meritis animam.

Dictus eſt etiã frater Domini beatus Iacobus; ſed ille frater ex natura, iſte frater ex gratia; ille ex cognatione, iſte ex præcipua dilectione; ille per lineam maternæ conſanguinitatis, iſte per vinculum paternæ charitatis. Si quis, inquit, diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum

veniemus,& manſionem apud eum faciemus. Et quid amplius dicam? Frater Domini fuit ille carnalis, iſte ſpiritualis. Sed quantum cognatio ſpiritualis carnalem neceſſitudinem probatur excedere, in ipſius Domini verbis poſſumus luce clariùs inuenire. Ait enim: Spiritus eſt, qui viuificat, nam caro non prodeſt quicquam. Iacobum itaq; vt frater eſſet Domini, natura carnalis instituit; Ioannes autem tantò nobiliùs frater eſt, quantò & ipſius naturæ Dominus eũ in affinitatem ſibi ſpiritualis adoptionis aſſumpſit. Quanquam & ipſe Iacobus idcircò beatus ſit, quia eiuſdem ſpiritualis affinitatis cum Domino participium tenet. Alioquin niſi Domino per ſpiritum iungeretur, per illud terrenæ vinculum conſanguinitatis à Domino nullatenus ſaluaretur. Quod tantò excellentiùs Ioannes, quantò & ante Crucẽ conſtitutus audiuit: Ecce mater tua. Meritò ergo quò eum cæteris plus dilexit, ſublimiùs eum cæteris honorauit. Et nos, fratres pro modulo noſtro dignis eum ſtudeamus efferre pconijs, dignis veneremur ſemper obſequijs.

18 Ecce quomodo cum recta fide oportet nos etiã vitæ ſanctitatem, & innocentiam habere.

Notandum tamen, quia nunquam tam dignè, tam reuerenter beatos Apoſtolos colimus, quàm cùm 18 Apoſtolica præcepta ſeruamus, cùm eos in via Dei præcedentes ſemper attendimus, cùm eorum veſtigia ſequimur, cùm eorum anguſtam, & arctam ſemitam ſine offenſione tenemus. Enimuero in baptiſmo Apoſtolorum ducatum ſecuti ſumus, quia per eoſdem fidem ſanctæ Trinitatis inter ipſa regenerationis rudimenta didicimus. Sub cuius videlicet figuræ myſterio, ſacerdotes Iſraeliticæ plebis olim tranſeundo Iordanem præcedebant, & populus ſequebatur. Sed non ſufficere illis viſum eſt, ſi ſacerdotum tantummodo veſtigia in tranſitu ſequerentur, niſi & duodecim lapides de Iordanis alueo tollerent, atq; in Galgalis pro teſtimonio ponerent. Elige, inquit Dominus ad Ioſue, duodecim viros, ſingulos per ſingulas tribus, & præcipe eis, vt tollant de medio aluei Iordanis, vbi fixerunt ſacerdotes pedes, duodecim lapides duriſſimos, quos ponetis in loco caſtrorum, vbi fixeritis tentoria hac nocte. Vt autem non omnia, licet plena myſterijs, verba diſcutiam, quid per hoc factum nobis innuitur, niſi vt poſtquam myſtici Iordanis fluenta tranſimus, poſtquam de lauachri ſalutaris fonte conſurgimus, duriſſimos duodecim lapides, id eſt firmiſſima Apoſtolorum exempla ad imitationem nobis proponere ſtudeamus? Lapides quippe, vbi ſacerdotes pedes fixerant, in loco caſtrorum ponimus; ſi in procinctu ſpiritualis nequitiæ poſiti, Apoſtolorum veſtigia conſtanter, & firmiter teneamus. Nam iuxta Salomonis ſententiam, qui mollis, & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis. Nimirum qui in moribus ſuis præcipites, ac fluidi ſunt, more aquæ præcipites ad ima defluunt. Qui verò conſtantes, ac firmi, in arcem quotidie virtutis excreſcunt. Quod nimirum & illud eiuſdem hiſtoriæ ſignificare perpenditur, nam tranſeunte eodem populo, aquæ ſuperiores inſtar montis intumeſcunt, inferiores verò in mare mortuum delabuntur; quia profectò ex eis, qui baptizantur, alij in accepta cœleſtis gratiæ dulcedine perſeuerant, alij in peccatorum amaritudinem defluere, reprobè viuendo, non ceſſant, & velut in maris mortui ſalſuginem corruunt, dum ſapiendo terrena, per prauæ vitæ decliuia ad mortem tendunt.

Nos autem non ſic, dilectiſſimi, non ſic, ſed ad veram ſapientiam tendentes ita per Dei miſericordiam in virtutum ſtudeamus alta proficere, vt in vitiorum pudeat voraginem declinare. Sic perſeueremus ſemper ad ſuperna properare, quò tendimus, vt diuini amoris dulcedinem in noſtris iugiter mentibus conſeruemus. Illius itaq; ſapientiæ laboremus participes fieri qua beatus Ioannes per amplioris gratiæ cumulum meruit incomparabiliter illuſtrari. Cuius nimirum ſplendore concepto, cœlum velut aquila penetrat, ita vt creata cuncta tranſgrediens, ad ipſum rerum omnium verticem, mentis contẽplatione pertingat. Noſtis

fratres mei,quia in mundi naſcentis origine,tertio die germinauerit terra,quar-
to cœli facta ſunt luminaria,quinto volatilia ſunt creata. Quare autem in creã
dis rebus hic ordo decucurrit,niſi vt nos inſtrueremur,quia prius neceſſe eſt, vt
mẽs noſtra virẽtiũ virtutũ opera germinet,quatenus ſic mereatur cœleſtis gratiã
luminis,ac poſtremò euolare valeat ad contemplandam ſpeciem veritatis? Ger
minemus itaq;,fratres,vt illuminemur,quatenus illuminati,virtutum pennis ad
cœleſtia ſubleuemur. Non nos mundi huius dulcedo falſa demulceat,non car
nalis illecebræ voluptas luxurioſa reſoluat. Nuſquam certè præceptum in ve-
teris teſtamenti ceremonijs inuenitur,vt mel ſacrificijs miſceatur. Per quod in-
telligitur,quia his,qui Deo vitæ ſuæ ſacrificium offerunt,nullam Deus carnalẽ
vult ineſſe dulcedinem,nihil in eis viuere,quod ad carnalem pertineat volupta
tem. Oleum autem frequenter immittitur, vt omnis noſtræ operationis oblatio
hilariter offeratur. Hilarem enim datorem diligit Deus. In omnibus etiam ſal
iubetur admiſceri,vt omne boni operis ſacrificium,rationis,diſcretionis, ac cœle
ſtis ſapientiæ ſale ſit conditum.

Hoc aũt diuinæ ſapientiæ ſale ita omnis beati Ioãnis doctrina videtur reſper
ſa,vt meritò dicatur os Dei,lingua Spiritus ſancti,cedrus paradiſi,lux Eccleſiæ,
decus orbis,præco cœli,lumen mundi,ſidus hominum,ſpecimen Angelorum,la
pis viuus,ſpeculum lucis,logotheta diuinitatis,forma fidei,columna cœli,archi
tectus veri tabernaculi,quod fixit Deus,& non homo. Nam & Cherubin iurè
perhibetur,qui ſcientiæ plenitudinem ex ipſo Redemptoris pectore percepiſſe
cognoſcitur. Veruntamen cum nos quantumlibet efferre contendamus,celſitu-
dinis eius merita nõ æquamus,quia qui diuinæ laudis præconia meruit, ad eius
dignè laudanda merita humanæ linguæ fragilitas nõ aſſurgit. Ipſe quippe eius
laus eſt,qui illi & olim pretium,& nunc factus eſt præmium. Per huius ergo ve
ſtigia,dilectiſſimi,ad Redemptorem noſtrum pleno cordis amore tendamus, hu
ius doctrinam velut coruſcam in tenebris lampadem noſtris ſemper greſſibus
ꝑferamus. Pudeat iã terrenis incumbere,qui ꝑ ſpei deſideriũ ad cœleſtẽ cœpi-
mus gloriã feſtinare. Qui ad cœleſtiũ nuptiarũ deſideriũ properat,terrenæ volu
ptatis cœno volutari erubeſcat. Qui titulis Angelicæ dignitatis emicat, locũ in
exilio nõ requirat. Incaſſum porrò terrena lucra congerimus,qui diuitias immor
tales in regni cœleſtis palatio poſſidemus. Quẽ ergo pondus terrenæ corruptio
nis aggrauat,rerũ extrinſecus affluentiũ copia nõ extollat. Qui ad hoc conſtitu
us eſt,vt totis viribus iugiter cũ aduerſario dimicet,torporis hunc,& negligentiæ
diſſolutio nõ eneruet. Sic, ſic per diuinæ pietatis auxiliũ,& florentes virtutibus,
& vitijs repudium dantes,ſi hîc eum ſequimur,qui nobis iter Crucis oſtendit,il-
luc perueniemus ad eum,qui calcato mortis imperio, cœlum cum triumphali
gloria penetrauit,Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui cum Patre,
& Spiritu ſancto viuit, & regnat per omnia ſecula
ſeculorum. Amen.

EIVSDEM HYMNVS

DE IPSO SANCTO IOANNE EVANGELISTA AD VESPERAS.

VIRGINIS virgo venerande cuſtos,
Magnus æterni logotheta Verbi,
Dele ſeruorum facinus tuorum,
Sancte Ioannes.
Tu patrem carnis ſubitò relinquis;
Sicq; cœleſtem ſequeris Parentem.
Piſcibus ſpretis, hominum iuberis
Claudere turbam.
Fonte prorumpens fluuius perenni
Curris, arentis ſatiator orbis.
Hauſit ex pleno modò quod propinas
Pectore pectus.
Tu decus mundi, iubar atq; cœli,
Impetra noſtris veniam ruinis.
Da ſacramentum penetrare ſummum
Quod docuiſti.
Patris arcanum ſpeculando Verbum,
Tollis errorem fidei per orbem.
Nos ad æternam ſpeciem fruendam,
Dux bone transfer.
Laus honor Patri, parilíq; proli,
Vna maieſtas, eadem poteſtas;
Cum quibus ſanctus ſimul implet omnem
Spiritus orbem.
Amen.

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI.

SERMO IN EPIPHANIA DOMINI.

CV'M natus eſſet Ieſus in Bethleem Iudæ in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam dicentes: Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus cum muneribus adorare eũ. Laudate Dñm oẽs gentes, & collaudate eum omnes populi. Nã cùm omnipotens ſermo nondum à regalibus ſedibus deſcendiſſet, & nox in ſuo curſu medium iter ageret, populus gẽtium ambulabat in tenebris, quia dilexerunt magis tenebras, quàm lucem, varioſq; ſecuti errores in circuitu impij ambulabant, euntes vnuſquiſq; alius ad villã, alius ad negociationẽ ſuã; & obſcuratũ eſt inſipiens cor eorum, qa incuruatus eſt vnusquiſq; ad opus manuũ ſuarum. Patres etiam illi antiqui omnes ſub nube fuerunt, eo quòd aſpiciebant in viſu noctis, nec claritatem vultus Moyſi poterant intueri, quia velamen erat poſitum ſuper cor eorum, & erat aqua tenebroſa in nubibus aëris; cùm videlicet filij Sion inclyti, conuerſi ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli; diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum; argentum eorum verſum eſt in ſcoriam, eo quòd caupones eorum miſcebãt aquam vino; quando obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, nec erat de eis, qui faceret bonum, nec etiam vſq; ad vnum. Tunc ergo tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, quia Iudæus, & Gentilis in tenebris ſtrauerunt lectum ſuum, habitantes in tenebroſis, & vmbra mortis. Quia igitur tunc nox præceſſit, ecce dies appropinquauit, & lumen refulſit in habitaculo carceris noſtri, ex eo quòd exortum eſt in tenebris lumen rectis corde, cùm viſitauit nos Oriens ex alto; & ortus eſt nobis Lucifer maturinus, qui non nouit occaſum, quando lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, in tenebris luxit, & tenebræ eam non cõprehenderunt.

Iudæi itaq;, & Gentiles in tenebris erant vſq; ad tempus plenitudinis. At vbi venit plenitudo temporis, emiſit Agnum Dominus dominatorem terræ, de petra deſerti ad montem filiæ Sion; & lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. Et quia ad hoc venerat, vt oues diſperſas

congregaret in vnum, licet non fuerit primò miſſus, niſi ad oues, quæ perierant domus Iſraël, quia tamen alias oues habebat, quæ non erant ex hoc ouili, & illas oportebat eum adducere, vt fieret vnum ouile, & vnus paſtor; idcirco habitantibus in regione vmbræ mortis tam Iudæis, quàm gentibus, lux orta eſt eis vtriſq;, propter quod & in natiuitate claritas Dei circunfulſit paſtores, quia Angelus euangelizauit eis gaudium magnum, & hodierna die ſtellæ claritas natum denunciat Saluatorem. Iudæis itaq; tanquam ratione vtentibus loquitur vox Angelorum, Gentibus verò quaſi brutis, & iumentis in campis ſyluæ, loquitur lingua, ſiue ſtella cœlorum. Lux itaq; demõſtrat lucem, creatura ſuum indicat creatorem, ſuum loquitur factura factorem, & noua ſtella denunciat verum Solem. Laudate ergo Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi. Lætamini gentes ſimul cum plebe eius. Gaudeant Gentiles, exultent Iudæi, quia ecce Sol de ſtella enituit, & factor Virginis factus eſt in Virgine factura ſua. Homo enim, qui fact⁹ eſt in ea, ipſe fundauit eã altiſſimus. Ortus eſt itaq; Sol de ſtella, ſanitas ex ægritudine, ex morticino vita, lux ex tenebris, dulcedo ex amaritudine, ex ſpina roſa, pater ex filia, Dñs ex ancilla, & de exiguo riuulo fõs aquæ ſalientis in vitã æternã. Oritur ergo Sol de ſtella, & demonſtratur Sol per ſtellam.

Erat ſtella in aëre, ſtella in terra, Sol in præſepio. Stella in aëre, corpus illud lucidum, ſtella in terra, Virgo Maria, Sol in præſepio, Chriſtus noſter. Stella in aëre, de qua habuimus in Euangelio: Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Stella in terra, de qua Balaam prædixit in Prophetia ſua: Orietur ſtella ex Iacob, & confringet omnes alienigenas. Sol in præſepio, de quo reprobi, ſecundùm quod in libro Sapientiæ legitur, dicturi ſunt in futuro: Errauimus à via veritatis, & Sol iuſtitiæ non illuxit nobis: de quo Apoſtolus: Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram: An non ipſe eſt, qui in ſole poſuit tabernaculum ſuæ carnis, quando fuit tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo? In ſtella, fratres, quatuor principaliter attendũtur. Stella enim igneæ naturæ eſt, ſtella in ſe lucida eſt, & clara, ſtella ex ſe radium emittit, ſtella in nocte lucet. Hæc eadem in ſtella noſtra, id eſt in Virgine Maria poſſumus inuenire. Stella, vt diximus, igneæ naturæ eſt, & ipſa Virgo Maria igneæ naturæ fuit. Ipſa eſt enim rubus ille igneus, in quo apparuit Dominus Moyſi, qui videbatur quippe ardere, ſed non comburebatur, quia grauida quidem apparuit Virgo, ſed igne libidinis non eſt conſumpta. Ipſa in ſe ſplendida eſt, & clara, adeò vt de ea ſcriptum ſit in Canticis canticorum: Quæ eſt iſta, quæ progreditur ſicut aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol? Ipſa ex ſe radium illum emiſit, qui penetrat vſq; ad cordis ſecreta. Scrutatur enim corda, & renes, eo quòd viuus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus; vnde & meritò congruit ei nominis interpretatio. Maria nanq; ſtella maris interpretatur. Mare hic mundus eſt, ſicut ſcriptum eſt: Hoc mare magnum, & ſpatioſum, illic reptilia, quorum non eſt numerus. Meritò ergo ſtella maris dicitur, quia ipſa, tanquam ſidus ſingulare refulſit in mundo, & cuius ſplendor illuminat mundum, & ex ſe radium illum emiſit, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et ſicut radius proceſſit à ſtella, ſtella integra permanente, ſic filius ex Virgine, virginitate inuiolabili perdurante, ſecundùm quod & Propheta Ezechiel inquit: Porta, quam vides, ſemper erit clauſa, & nullus tranſibit per eam, ſed Dominus ſolus introibit per eam. Stella lucet in nocte, & ipſa Virgo in nocte huius ſeculi ſingulariter fulſit, ſecundùm quod de ea ſcriptũ eſt, Quæ cũctas hæreſes ſola interemiſti in vniuerſo mundo. Talis eſt ſtella noſtra, fratres, talis eſt Virgo Maria, talis eſt ſtella maris; & q̃a reliquit nobis exemplum, vt ſequamur veſtigia eius, talis etiam debet eſſe anima noſtra.

Simus ergo, fratres, igneæ naturæ, vt ſit in nobis ille ignis, quem venit Dominus mittere in terram, & ignis ille, qui erat flammigerans in oſſibus Hieremiæ, accendatur in conflatorio cordis noſtri, iuxta quem ſedet Dominus purgans,& mundans filios Leui. Simus etiam & nos clari,et fulgidi,vt aſpiret nobis dies,& inclinentur vmbræ, & deponentes veterem hominem cum actibus ſuis,induamur nouum, qui ſecundùm Deum creatus eſt,vt ſi fuimus aliquando tenebræ, nunc ſimus lux in Domino,& induti armis lucis ambulemus honeſtè, ſicut decet ambulare in die. Emittamus etiam ex nobis, fratres, radium bonæ operationis,quia ſcriptum eſt: Sint lumbi veſtri præcincti,& lucernæ ardentes in manibus veſtris. Lucernas quippe ardentes in manibus portamus,cùm proximis noſtris per exempla bonæ operationis lucemus, vt cortina cortinam trahat,& qui audit,dicat,veni; & ſic luceat lux noſtra coram hominibus, vt videntes opera noſtra bona,glorificent Patrem, qui in cœlis eſt, & currant multi in odorem vnguentorum noſtrorum. Stella lucet etiam in nocte,& nos,fratres,in nocte huius ſeculi luceamus, ſecundùm quod ſcriptum eſt: Inter quos lucetis, quaſi luminaria fixa in firmamento. Contra hæreticorum tenebras ſapientiæ lumine ſplendeamus, quia ſcriptum eſt: Capite nobis vulpeculas, quæ demoliuntur vineam Domini. Propter quod Dominus inquit: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes,& ſimplices ſicut columbæ. Sic ergo, fratres, ad verum ſolem poterimus peruenire, ſi Virginis,& ſtellæ noſtræ veſtigia fuerimus imitati.

In ſole autem quinq; principaliter attenduntur. Sol incommutabilis eſt in ſe,cùm luna ſingulis menſibus commutetur. In ſole eſt nulla macula, cùm ſemper macula ſit in luna. Sol habet plenitudinem luminis, à quo & alia luminaria lumen accipiunt. Sol licet ſit immutabilis, interdum tamen pátitur eclipſim. Sol ſemper lucet in die. Sed eadem in vero Sole noſtro ſolicitè inueſtigemus. Sol in ſe incommutabilis eſt; & ipſe Chriſtus ſecundùm diuinitatis potentiam ſemper incommutabilis perſeuerat. Vnde ipſe ait: Ego ſum Deus, & non mutor. Apud quem non eſt trāſmutatio,nec viciſſitudinis obumbratio. In ſole nulla eſt macula; & ipſe eſt,qui ſingulariter ingreſſus eſt mundum ſine macula; qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Sol habet plenitudinem luminis; & in eo habitauit plenitudo diuinitatis corporaliter, cui non eſt datus ſpiritus ad menſuram, immò de plenitudine eius accepimus omnes gratiam pro gratia, quando vnguentum à capite deſcendit vſq; ad barbam, & à barba ſtillauit in oram veſtimenti. Sol interdum patitur eclipſim; & ipſe Chriſtus eclipſim mortis paſſus eſt in paſſione, quando receſſit paſtor ouium, ponens animam pro ouibus ſuis, & inclinato capite emiſit ſpiritum. Sol ſemper lucet in die; & ipſe Dominus, poſtquam reſurgendo conſumpſit tenebras noſtræ mortalitatis, reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur, ſed lucem habitat inacceſſibilem, & in eo tenebræ nō ſunt vllæ. Hunc ſolus aquila Ioannes irreuerberatis luminibus intuitus eſt in tota ſua, quando adeò altè volauit, quòd ſi paulò altiùs intonuiſſet, totus mundus eum capere non potuiſſet,inquiens: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum,& Deus erat Verbum.

Magi ergo illuminati à ſole veniunt ad Solem,qui illuſtrati per ſtellam,quæ lumen ſuum habet à ſole,venerunt ad adorandum Solem; quorum geſta diligēter ſingula attendamus. Venerunt ergo ab Oriente Hieroſolymam, & cùm veniſſent,inquiſiuerunt: Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Cùm perueniſſent ad locum, prociderunt; cùm procidiſſent, adorauerunt; cùm adoraſſent, munera obtulerunt. Venerunt ergo infatigabili labore, inquiſiuerunt prouida ſolicitudine, prociderunt debita humiliatione, adorauerunt mentis deuotione, munera obtulerunt integra fidei religione; & obtulerunt ei aurū,

thus,& myrrham. Ecce primitiæ gentium, primò puram,& integram fidē offerunt; obtulerunt enim thus Deo, myrrham mortali, aurū Regi, thus per fidem diuinitatis, myrrham per fidem humanitatis, ſiue mortalitatis, aurum per fidem regiæ dignitatis. Fuit enim Deus, & homo, Emanuel nobiſcum Deus, cùm factus eſt ſimul in vnum diues, & pauper; fuitq; ex regia tribu, ſecundùm quòd in eius genealogia deſcribitur: Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham,&c. Vel obtulerunt hæc tria humanitati Chriſti, aurum Regi, Sacerdoti thus, myrrham mortali. Fuit enim ex regia, & ſacerdotali tribu. Fuit Rex, quia habuit in veſtimento,& in fœmore ſuo ſcriptum, Rex regum, & Dominus dominantium. Fuit & Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech Regis Salem, qui Sacerdos fuit Dei ſummi, quia non per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta. Conuerſi enim ſumus ad paſtorem,& Epiſcopum animarū noſtrarum. Fuit etiam mortalis, quia verè langores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit in corpore ſuo ſuper lignum.

Deus & homo fuit qui de ſancta Virgine natus eſt.

Hæc eadem ipſa Virgo ſtella maris obtulit ſoli nato ſuo in perſona ſua. Obtulit enim aurum regiæ dignitatis, quia fuit ipſa de regia tribu, ſecundùm quòd in dicta genealogia legitur: Iacob genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus. Obtulit etiam thus,& myrrham; vnde in Cantico amoris hæc duo in ipſa iunguntur, vbi dicitur: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ,& thuris,& vniuerſi pulueris pigmentarij? Myrrha arcet vermes à corporibus mortuorum,& ipſa corpora conſeruat à corruptione, propter quod Nicodemus attulit mixturā myrrhæ, & aloës, vt condiret corpus Ieſu. Per myrrham ergo carnis integritas deſignatur, thus verò mentis exprimit deuotionem. Benè ergo hæ duæ ſpecies in ſtella,& virga noſtra iunguntur, quia in Virgine Maria carnis integritas, & mentis deuotio ſemper indiuiſa manſerunt. Et meritò additur, Vniuerſi pulueris pigmentarij; quia ipſa adeò fuit donis Spiritus ſancti referta, vt audire meruerit: Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus,& benedictus fructus ventris tui. Sic ergo, fratres, obtulerunt Magi, obtulit & virgo Maria ſtella noſtra. Et quia exempla dederunt nobis, ergo & nos ita faciamus.

Venerunt Magi, veniamus & nos, quia ſcriptum eſt: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Et alibi: Venite ad me, qui concupiſcitis me. Inquiſiuerunt Magi, inquiramus & nos, quia ſcriptum eſt: Quærite Dominum, dum inueniri poteſt. Prociderunt Magi, procidamus & nos, quia ſcriptum eſt: Venite adoremus,& procidamus ante Deum. Adorauerunt Magi, adoremus & nos, quia ſcriptum eſt: Adorate Dominum in aula ſancta eius. Obtulerunt Magi, offeramus & nos, quia ſcriptum eſt: Obſecro vos, fratres, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. Offeramus & nos illa tria, quæ obtulerunt Magi, aliter tamen quàm illi. Offeramus myrrham mortificationis, vt mortificantes corpora noſtra, quæ ſunt ſuper terram, carnis curam non faciamus in deſiderijs, crucifigentes corpora noſtra cum vitijs,& cōcupiſcentijs; & in his tamen omnibus rationabile ſit, vt dictum eſt, obſequium noſtrum. Offeramus thus deuotæ orationis, ſecundùm quod Apoſtolus ait: Orabo ſpiritu, orabo & mente; pſallam ſpiritu, pſallā & mente; vt dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu Domini. Offeramus & aurum, ſplendorem ſapientiæ; aurum nāq; ſapientiam deſignat, iuxta illud: Theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapiētis vt ſimus parati omni poſcenti de ea, quæ in nobis eſt, fide,& ſpe reddere rationem, & ſplendore ſapientiæ fulgeamus,& contra hæreticorum tenebras intrepidi dimicemus, atq; dicere poſſimus: Bonum mihi lex oris tui ſuper millia au-

el,& argenti. Et vtinam non poſſetis dicere potiùs: Bonum mihi lex oris Iuſtiniani ſuper millia auri,& argenti: Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ita vt lex tua, Domine: Dereliquerunt venam aquarum viuẽtium Dñum; ne meritò ipſa ſapientia conqueratur dicens: Dereliquerunt me fontem aquæ viuæ. Nã hi, qui in lege Domini debent meditari die, ac nocte, à veritate ad fabulas conuertunt auditum. Cuſtodes ergo ſuper muros Eccleſiæ conſtituti, vigilantes ſint, ne vulpes Sampſonis incendant ſegetes noſtras; & ponatur turris Dauid cum propugnaculis contra Damaſcum, ex qua dependeant clypei mille; turris nanq; fortiſſima nomen Domini; ad eam confugiet iuſtus, & exaltabitur. Hæc eſt ſcriptura, vbi nomen Domini inuocatur, in qua propugnacula ſunt prælati, atq; doctores, qui eius terminos debent cuſtodire, de quibus ſcribitur: Non tranſgredieris terminos, quos tibi patres tui conſtituerunt. Statuit nanq; Moyſes terminos contra montem Sinai, quos tranſgredi non licebat. Et vtinã iſtos terminos nulli tranſgrediantur; alioquin lapidibus erunt digni. Ex hac pendent clypei mille, perfectio videlicet auctoritatum, quæ eſt ad munimentum ipſius. Hæc turris ponitur contra Damaſcum, ſcilicet contra robur hæreticorũ. Huius fundamẽtum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus, ideſt myſterium Chriſti.

Immobile profectò, & immutabile eſt Chriſti myſterium, quia multiplex habuit teſtimonium. Habuit enim teſtimonium hominum, teſtimonium Angelorum, teſtimonium mulierum, teſtimonium virorum, teſtimonium ſenum, teſtimonium paruulorum, teſtimonium terrenorum, teſtimonium cœlorum, teſtimoniũ Gentilium, teſtimonium Iudæorum, teſtimonium antiquorum, teſtimonium modernorum, teſtimonium lucis, teſtimonium tenebrarum, teſtimonium legis, teſtimonium Prophetarum, teſtimonium Regum, teſtimonium turbarum, teſtimoniũ viuorum, teſtimonium mortuorum, teſtimonium brutorum, teſtimonium Solis, teſtimonium elementorum. Habuit teſtimonium hominum, quia paſtores erant in regione illa, qui venientes inuenerunt de Verbo, ſicut dictũ erat ad eos de puero. Teſtimonium Angelorum, quia Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & dixit eis: Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus eſt hodie Saluator mundi, qui eſt Chriſtus Domini in ciuitate Dauid. Et facta eſt cum Angelo multitudo cœleſtis exercitus, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Habuit teſtimonium mulierum, quia Anna propheteſſa filia Phanuel confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſraël. Habuit teſtimoniũ virorum, quia vno die conuerſi ſunt tria millia, & alio quinq; millia, qui teſtimonium perhibebant de Ieſu. Habuit teſtimonium ſenum, quia antiquus ille dierum Symeon, cuius capilli erant ſicut lana alba, qui acceperat reſponſum à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum Domini, accipiens eũ in vlnas ſuas dixit: Nunc dimittis, Domine, ſeruum tuum ſecundùm verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. Habuit teſtimonium paruulorum, quia Innocentes illi eum, quamuis non loquendo, moriendo tamen confeſſi ſunt. Habuit teſtimonium terrenorum, quia pax facta eſt in terra hominibus bonæ voluntatis, tanta, vt ab vno homine Cæſare Auguſto totus orbis deſcriberetur; de cuius tranquillitate Eſaias inquit: Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Habuit teſtimonium cœlorum, quia cœli miſerunt nouam ſtellam, ſecundùm quòd habuimus in Euangelio: Et ecce ſtella, quam viderant Magi in Oriente, antecedebat eos vſq; dũ veniens ſtaret ſupra vbi erat puer. Habuit teſtimonium Gentilium, quia Magi venientes Hieroſolymam dixerunt: Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Habuit teſtimonium Iudæorum, quia Herodes principes ſacerdotũ, & ſcribas populi cõueniens ſciſci-

tabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur; at illi dixerunt, In Bethleem Iudæ. Habuit teſtimonium antiquorum, quia in manibus Prophetarũ aſſimilatus eſt; ipſe enim eſt Agnus occiſus ab origine mundi. Habuit teſtimonium modernorum, vnde & ipſe Diſcipulis inquit: Eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa, & Samatia, & vſq; ad vltimum terræ. Habuit teſtimonium lucis, quia claritas Dei circunfulſit paſtores, & claritas ſtellæ illuſtrauit Magos. Teſtimonium tenebrarum, quia in morte eius tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram. Habuit teſtimonium legis, quia Moyſes dixit in lege: Prophetam ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris; ipſum tanquam me audietis: & alibi: Et erit vita tua pendens in ligno; videbis, & non cognoſces. Teſtimonium Prophetarum, quia Eſaias ait: Egredietur virga de radice Ieſſæ, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini: & alibi: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Hieremias autem; Poſt hæc, inquit, in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Ezechiel in eius teſtimonio filius hominis appellatus eſt. Daniel ait: Cùm venerit ſanctus ſanctorum, ceſſabit vnctio veſtra. Oſeas in eius teſtimonio accepit vxorem fornicariam. Abacuc dicit: Cornua ſunt in manibus eius. Ionas in ventre ceti eius teſtimonium teſtatus eſt. Et quid diſcurram per ſingula? Nullus Prophetarum extitit, qui ei teſtimonium non perhiberet. Teſtimonium Regum, vnde Dauid Rex: Terra noſtra dabit fructum ſuum: & alibi: Aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Et Salomon: Oſculetur me oſculo oris ſui, quia meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis: & Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. Teſtimonium turbarum, vnde dixerunt in Euangelio: Vidimus mirabilia hodie: & Niſi eſſet hic à Deo, non poſſet facere, quod facit: propter quod voluerunt etiam eum rapere, & Regem facere. Teſtimonium viuorum, quia illi duo, qui ibant in Emaus, venerunt, & narrauerunt omnia, quæ eis acciderant. Teſtimoniũ mortuorum, quia multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt, & apparuerunt multis. Teſtimonium brutorum, quia cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. Teſtimonium Solis, quando ipſe obſcuratus eſt. Teſtimonium elementorum, quia teſtimonium perhibuit terra, quando terræmotus magnus factus eſt; teſtimonium perhibuit aqua, quãdo ſiccis pedibus ambulauit ſuper aquas; teſtimonium perhibuit aër, quaudo nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum, ſcilicet Diſcipulorum; teſtimonium perhibuit ignis, quando Angelus Domini deſcendit de cœlo, & reſplenduit facies eius, ſicut fulgur; fulgur enim igneæ naturæ eſt.

Quia ergo, fratres, myſterium Crucis habuit teſtimonium omniũ prædictorũ, erubeſcat Iudæus infelix, qui negat Chriſtum de Virgine natum, quia paſtores Iudæi inuenerunt ſicut dictum erat illis. Confundatur Gentilis, qui dicit ligno: Deus meus es: & lapidi: Tu me genuiſti: quia Magi Gentiles ipſum adorauerunt. Obmuteſcat hæreticus, qui myſterio contradicit. Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris. Ad quã gloriam nos perducat ipſe Dñs noſter Ieſus, qui cùm ſit ſplendor luminum,
flos florum, vita morum, ſchola virtutum, & corona ſanctorũ,
ſuper choros Angelorum regnat in ſecula
ſeculorum. Amen.

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

SERMO AD HONOREM, ET LAVDEM SANCTI BENEDICTI ABBATIS.

DIXIT Simon Petrus ad Ieſum: Ecce nos reliquimus omnia. In huius patris noſtri præcipua ſolennitate totis eſſet viribus incumbendum, niſi nobilis lingua Gregorij totum eius itinerarium ſermone magnifico collegiſſet. Ita enim actus eius, & vitam vndantis eloquij claritate depinxit, vt & ſtylus ſententiarum maieſtate ſcintillet, & ſententiæ ſtylo reluceant clariori. Ex abundanti igitur eſt, poſt vocem tãti viri aliquid addere, in cuius comparatione nos nõ ſolùm ineloquentes, ſed & mutos eſſe non ignoramus. Hoc tamen ſolùm dixiſſe ſufficiat, quia ſolus iſte militarem manum excelſo principi cæteris abundantiùs præſentabit, & monachorum turmis, Angelorũ more viuentibus, cœlorum adimplebit palatia. Quàm igitur refulgens, & ſplendidus miles aſtabit Imperatorio tribunali, plenus infinitis virtutibus, agminibus innumeris comitatus, conſiliarius Regis, iudicis amicus, vnicus hoſtis hoſtis antiqui?

De eo planè, cumq́; ſequentibus dixit Simon Petrus ad Ieſum: Ecce nos reliquimus omnia. Amica prorſus confabulatio Simonis ad Ieſum, & ſermo omni oratorio flore venuſtior; dignusq́; Simon, qui cũ Saluatore pleniùs proloquatur. Simon nanq; obediens, Ieſus Saluator. Loquitur ergo obedientia cũ ſalute, q̃a ſolis obediẽtibus æterna ſalus hæreditario iure debetur, ſi tñ ibi ſit Petrus, id eſt ſi obediẽtia nõ vacillet, aut titubet, ſed fundata ſit ſupra firmã petrã. Et quid ait? Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Solẽne verbũ, magna promiſſio, opus ſanctum, dignum benedictione, relinquere omnia, & ſequi Christum. Hæc ſunt verba voluntariæ perſuaſoria 1 paupertatis, quæ monaſteria genuerunt, quæ clauſtra monachis, anachoretis ſyluas copioſius repleuerunt. Hæc enim ſunt, de quibus pſallit Eccleſia: Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras, perceptura requiem pro labore, pro paupertate diuitias, pro tribulatione mercedem. Magnum reuera eſt relinquere omnia,

1 Vide volũtariæ paupertatis encomiũ.

ſed maius Chriſtum ſequi,cùm multos omnia reliquiſſe,nec Chriſtum ſecutos fuiſſe legamus. Hoc opus,hic labor eſt,hîc ſalutis humanæ ſumma conſiſtit; nec Chriſtum poſſumus ſequi,niſi omnia relinquamus,quia exultat vt gigas ad currendam viam,& oneratus eum ſequi non poteſt. Nemo cum ſarcinis enatat,ait ille diſciplinæ ſecularis orator,quem linguæ nobilitas,& profunditas ſenſus paupertatis amicum conſtituit. Meritò relinquit omnia,qui ſequitur eum, qui eſt ſuper omnia,quoniam ſufficientia noſtra ex eo eſt,& erit Deus omnia in omnibus.

Ecce,inquit,nos reliquimus omnia,non ſolùm facultates mundi,ſed & animi quoq; cupiditates; neq; enim relinquit omnia,qui retinuit vel ſe ipſum, immò verò nihil prodeſt ſine ſe ipſo cætera reliquiſſe,quandoquidem nullum aliud onus eſt grauius homini,quàm homo ipſe. Quis enim Tyrannus crudelior, quæ ſæuior poteſtas homini, quàm hominis ipſius voluntas? Nunquam ſub ea requieſcere,nunquam ſedere licet,& quò ampliùs te ad obediendum ſibi nouerit fatigari,eò magis vrget, inſtigat, & onerat, pietatis immemor,miſericordiam neſcies. Hoc enim proprium propria voluntas habet,vt quò obediens obedientior fuerit ſibi,eò ampliùs eum crudelioribus vinculis interneſtat. Sola diligitur,cum ſola digna ſit odio,principium iniquitatis, mortis infuſio,deſtructio magna virtutum. Venite ergo qui laboratis,& onerati eſtis, ad onerum leuatorē,& ei voce,& opere reſpondete: Ecce nos reliquimus omnia,& ſecuti ſumus te. Attende quia olim priuſquam Verbum caro fieret,& habitaret in nobis,ſequebantur patres antiqui temporis Deum,ſoli ſpiritui ſolo ſpiritu adhærentes. Nunc verò ſequendus etiam corpore eſt,adeò vt cùm prædicti patres terrenis legantur abundaſſe diuitijs,de cætero niſi quis renunciauerit omnibus,quæ poſſidet,non poſſit eſſe diſcipulus eius,qui cùm diues eſſet,pro nobis factus eſt pauper. Relinquendæ igitur ſunt poſſeſſiones,& propriæ voluntates, ſi volumus illum ſequi,qui non habuit vbi caput ſuum reclinaret,& qui non venit facere voluntatem ſuā, ſed eius qui miſit illum.

Sequitur. Quid ergo erit nobis? Iam omnia reliquit Petrus; iam non ſolū ſequitur,ſed & diu ſecutus eſt, & nunc primùm interrogat,quid'nam ſit accepturus. Quid eſt, Petre? Non'ne obedientiam promiſiſti in auris auditione,nō in pacti conuentione? Sed audite iam quid loquatur Dominus Deus, & attendite ſpem,in qua,mundo fluctuante,ſperare debemus. Amen dico vobis, quòd vos,qui reliquiſtis omnia,& ſecuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ,ſedebit s & vos iudicantes. Infinita prorſus dulcedo miſerationum Domini circa pauperes ſuos;nec illos relinquit in morte, pro quibus morti ſeipſum expoſuit,& tormentis. Vos, inquit,qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos iudicantes. Quid eſt hoc aliud dicere,niſi conſequemini,quem ſequimini, ſi tamen perſequemini,ſicut ſcriptum eſt: Inquire pacem,& perſequere eam. Sic ergo currite,vt comprehendatis,nec priùs reſidere velitis, quàm ſedentem apprehendatis,& mereamini conſedere. Exultauit vt gigas ad currendam viā, toto vtiq; tempore,quo in terris viſus eſt,& cum hominibus conuerſatus;nec reſedit,donec ad eum perueniret,quem ipſe conſtituit laboris, & triſtitiæ finem; Triſtis eſt,inquiens,anima mea vſq; ad mortem. Ergo cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis,qui priùs ſtetit in ignominioſiſſimo ſupplicio Crucis,inter rogatus contumelijs,pariter & tormento,ſedebitis & vos iudicantes, à quibus nunc iudicium incipit,qui minimè datis requiem vobis ipſis; ſicut & ille non iudicare,ſed iudicari,nec miniſtrari venit,ſed miniſtrare. Illic verè ſedebunt ſedes in iudicio; filius enim Dei Saluator indiuiſibili naturarum vnitate,ſecundū quòd Deus eſt,ſedet à dextris Dei,ſecundùm quòd homo, aſſiſtit nunc vultui

Dei

Dei pro nobis; nec erit ei ſeſſio triumphalis, donec ſit Deus omnia in omnibus, ideſt corpus capiti tanta pace iungatur, vt ſimus ei ſimiles, & ſi nõ pares. Adhuc enim negatur à Iudæis, à gentibus ſubſannatur, laceratur ab hæreticis, à falſis Chriſtianis grauiter impugnatur, & tu eum putas reſidere quietum, nec attendere ſuperborum oculos, malignantium impetus, repugnantium voluntates? Sed in regeneratione ſedebit cum ſedentibus, cùm nos in ſynceriſſimum nitorem in vtraq; ſubſtantia repurgabimur, & ipſe, deuictis inimicis, cum amicis intrabit in gloriam, Angelos hominibus vnitate ſempiterna couniẽs, & damna beatæ reſarciens ciuitatis. Hoc autem totum erit in regeneratione. Beata iſta regeneratio, quæ terram renouabit, & cœlum, terrigenas cœlicolis fœderabit, & perpetuæ pacis fontem indefeſſa profluxione refundet.

Notandum autem quòd vna eſt generatio, & duæ regenerationes. Et in generatione quidem, quam ex radice vitiata contrahimus, corpus mortalitate, anima autem iniquitate repletur. In regeneratione verò baptiſmatis, vbi nos oportet naſci denuo, animæ quidem purgatur iniquitas, ſed corporis mortalitas non aufertur. Neceſſaria eſt ergo alia regeneratio, ſiue reſurrectio, in qua reperiẽtur etiam corpora configurata corpori claritatis Chriſti, ſi tamen corda prius fuerint reformata ad manſuetudinem, & humilitatem cordis ipſius Chriſti. Vnde & beatus, qui habet partem in reſurrectione prima; pro eo vtiq; quoniam futurus eſt particeps & ſecundæ. In hac ergo regeneratione cùm ſederit filius hominis, & cætera. Hoc eſt quod alio in loco ſcriptura loquens; Pro confuſione, inquit, duplici, & rubore, laudabunt partem ſuam. Duo enim habet paupertas ſequentium Dominum, afflictionem videlicet, & vilitatem. Vnde Propheta: Vide, inquit, humilitatem meam, & laborem meum. Propterea igitur in terra ſua duplicia poſſidebunt, vt pro vilitate ſit honor iudiciariæ poteſtatis, pro afflictione refrigerium placidiſſimæ ſeſſionis. Quando igitur ſedebimus nos, quorum modò nec corpus, nec anima ſedet, in quibus ſedatum nihil, nihil quietum, nihil in eodem ſtatu permanet? Quando liberabimur ab inquietudine mobilitatis huius? Corpus enim noſtrum ſedere non permittitur, cùm illud impediat & præſentis ſenſus doloris, & futura mortis anxietas, quoniam paſſibile eſt, & mortale. Sed & ſpiritus ipſe nullam habet requiem ob expectationem ſpei, & timoris ſolicitudinem. Erit autem cùm anima requieſcet, in ſpe ſingulariter conſtituta, libera quidem à ſolicitudine, ſed non ab expectatione. Fiet autem hoc poſt mortem carnis, ſed ante diem iudicij. In die autem illa cùm ſederit filius hominis, perfectè, & ex omni parte ſedebimus, quia nec corpus doloris ſenſu turbabitur, nec anxiabitur timore mortis, impaſſibilitatis, & immortalitatis duplici ſtola glorificatum, liberiq; erimus, quòd ad animam pertinet, ab expectatione, & ſolicitudine vniuerſa, nihil minus habentes, nihil deinceps periculi metuentes in perfectiſſima ſecuritate, & ſecuriſſima perfectione. Sedebitis, ait Dominus, ait Veritas. Solennis ſeſſio, grata quies, plena ſufficientia. Filij hominum vſquequò graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendaciũ? Gloriam enim, quæ abinuicem eſt, quæritis, vanam vtiq;, & mendacem, quoniam vani filij hominum, mendaces filij hominum, & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non vultis, gloriam ſine dubio manentem, & veram. Miſeri, & miſerabiles, qui pro breui voluptate torrentem perditis voluptatis, & diuinam vobis interrumpitis miſericordiam, vt nũquam lactemini ab vberibus conſolationis eius.

Sed ne magnæ promiſſionis dulcedinem longanimis expectatio contorqueret, mentis noſtræ mobilitatem ſermone temperat dulciori. Nouit enim ipſe figmentum noſtrum, quoniam dilationis moras puſillanimitas noſtra non-

ſuſtinet,ideo'q; benignitate ſua huic quoq; obuiat cogitationi, & occurrit etiam ex hac parte dicens: Et omnis, qui reliquerit domum, aut patrem, aut matrem, aut fratrem,aut vxorem,aut agros,aut filios propter nomen meum,centuplum ac cipiet,& vitam æternam poſſidebit. Obſtructum eſt certè os loquentium iniqua. Iam'q; confundantur omnes iniqua agentes ſuperuacuè. Habemus enim promiſſionem vitæ huius,quæ nunc eſt,pariter & futuræ,manifeſtum'q; eſt præſentis temporis eſſe centupli promiſſionem,ex eo nimirum,quod ſequitur. Et vitam æternam poſſidebit. Sed ne quis obſtinatis diſſimulandi locus remaneat, vado ad Euangelium ſecundùm Marcum, vbi apertè declaratur,temporis huius eſſe centupli promiſſionem. Ait enim Dominus: Nemo eſt,qui reliquerit patrem, aut matrem,aut filios, aut agros propter me, & propter Euangelium,qui non accipiat centies tantùm; nunc in hoc tempore domos,& fratres,& cætera, quæ ſequuntur. Et vt magis miremini,nec promiſſionem hanc,licet huius ſit tẽporis,exhiberi de temporalibus æſtimetis, additum eſt, cum perſecutionibus. Quid enim in perſecutione poſiti terrenæ ſubſtantiæ ſancti martyres acceperunt,quando & ipſa quoq; terra beatorum corporum data eſt in manus hominum impiorum? Quòd ergo dicit Centies tantum domos, aut fratres, & cætera, minimè ſecundùm carnem intelligi poſſe vel ex eo manifeſtum eſt,quòd centum matres accipit nemo. Iam verò ſi pro communicatione poſſeſſionum, & animorum affectione, quæ inter electos eſt, promiſſionem hanc volumus intelligere,aliquibus quidem, ſed non omnibus poterit conuenire. Nonnullos enim ſanctorum terrena hac,& humana conſolatione nouimus caruiſſe. In corde ergo, & in homine interiori centuplum iſtud quæras neceſſe eſt,vt habeas nunc quidem fructum tuum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.

Qui ergo nondum centuplum acceperunt, ſcrutentur corda ſua, & vniuerſa manuum ſuarum ſtudia diligenter examinent; nec dubium quin inueniant angulum,& diuerſorium,quod Saluator non nouit. Sed vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos. Magis autem perfectiùs relinquant omnia, non quærant quæ ſua ſunt,nihil ſibi retineant,nihil alijs. Sunt enim pleriq;,qui licet propriã exaltationem,voluptatem'q; ſatis deſpiciant, propinquis tamen ſuis quodammodo retinent, quod debuerant reliquiſſe,incongrua ſolicitudine, & religioni contraria pro eis vtriq; laborantes. Quanti enim monachorum dum parentibus ſuis plus iuſto conſulunt, ſuas animas perdiderunt? Ergo relinquant omnia, ſolùm ſequantur Chriſtum,ſoli Chriſto placere contendant,& beneplacito voluntatis eius peruigili adhæreant ſolicitudine; haud dubium quin experiantur illi eo,quod relinquentibus omnia,& ſequentibus ſe Veritas pollicetur. Centuplũ, inquit,accipiet,& vitam æternam poſſidebit. Illud enim in via accipitur ad ſolatium,illa verò ad beatitudinem in patria poſſidebitur in æternum. Sed quid eſt centuplum iſtud,niſi conſolationes, viſitationes'q;, & primitiæ Spiritus, qui ſuper mel dulcis eſt, niſi teſtimonium conſcientiæ noſtræ,niſi læta, & iucundiſſima iuſtorum expectatio,niſi memoria abundantiæ ſuauitatis Dei,& magna verè multitudo dulcedinis eius, quam nec expertus neceſſe eſt dicere,nec inexpertis vllis verbis exprimere quiſquam poteſt? Non pater,non mater, non domus, non ager, non cibus,aut veſtis,non deniq; terrenum aliquid, aut corporale; ſed planè his omnibus delectabilius, ſuper hæc omnia dulcius, atq; iucundius eſt. Cui verò ſic ſpecialiter totus Euãgelicæ lectionis excurſus aſſignari poteſt,quẽadmodum patri, & magiſtro noſtro beato Benedicto?

Hic à pueritia mundum cum flore reliquit, & currentem Chriſtum curſu rapidiſſimo ſecutus eſt; nec deſtitit,donec conſequeretur. Quis inter iudicantes ſublimiùs iudicabit? Quis ita centuplum in hac vita percepit? Quis vitam

æternam glorioſiùs poſſidebit? Eius igitur interceſſione a ſuæ gratiæ largitatem ad præſentis vitæ conſolationem, & æternæ poſſeſſionem, nobis adminiſtrare dignetur, qui venit vt vitam habeamus, & vt abundantiùs habeamus, Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui eſt benedictus in ſecula. Amen.

a Nota ſanctos pro nobis intercedere.

EIVSDEM BEATI

PETRI DAMIANI

SERMO DE ANNVNCIATIONE BEATISSIMAE VIRGINIS MARIAE.

1 Nota horas beatæ Virginis etiã tunc fuiſſe in vſu.

EXVLTATE, fratres, in Domino, quia de Domina illa ſermo ſuccedit, quæ ſingularem in cordibus noſtris ſibi vendicat principatum. Hæc eſt, ad cuius nomen corpus humiliter inclinatis, cuius horis 1 reuerenter aſſiſtitis, cuius memoriam iugiter frequentatis. Hæc eſt, quæ veſtris affectibus ſuauiter indulceſcit, quia magna multitudo dulcedinis eius. Spiritus enim eius ſuper mel dulcis, in qua dulcis Domiuus cum omni ſua dulcedine ſuperuenit. Cùm enim fecerit Deus omnia opera ſua valde bona, hoc melius fecit, conſecrans ſibi in ea reclinatorium aureum, in qua ſola ſe poſt tumultus Angelorum, & hominũ reclinaret, & requiẽ inueniret. Hoc eſt quod natura miratur, reueretur Angelus, veretur homo, ſtupeſcit cœlum, extremit terra, infernus exhorret. In huius vtero maieſtas Altiſſimi mirabiliter liquefacta ſicut adipe & pinguedine, repleuit terras, infudit cœlos, inferna reſperſit. Hic exinaniuit ſemetipſum excelſus, & immenſus, menſuram bonam, & confertam, & coagitatam mittens in ſinum noſtrum. Hic diuinis manibus vnctus eſt oleo letitiæ, & ſicut ad altare in ſummum Pontificem conſecratus. De hoc altari ad aram Crucis aſcendens, proprio cruore tanquam alterius generis oleo perfuſus, iam non ſolùm conſecratus, ſed & conſecrans, totum corpus machinæ mundialis largiori ligamine copulauit. Faceſſat igitur mœror, triſtitia fugiat, eliminetur dolor, rancor abſcedat, vt liceat vacare, & videre cum Moyſe viſionem hanc grandem, qualiter Deus in hoc ventre concipiatur, decipiatur diabolus, recipiatur perditum, indebitum accipiatur. Totum me trahit affectio, ſed oratio deficit, & diues cogitatio vocis paupertate confunditur. Feruent interiora, & in vndoſam ebulliunt altitudinem, ſed frigiditas linguæ cumulos refrigerat exundantes.

Quid eſt, beatiſſima? Nunquid ita ſenſim taciturnus obdormiam, vt ibi mutus ſim, vbi omnis loquitur creatura? Veruntamen non tacebo, & non quieſcam, donec egrediatur vt ſplendor vultus tuus, & ſermo de te conceptus, ſi non vt lãpas, ſaltim vt ſcintilla accendatur. Mouet me, fateor, quòd permittente Deo peccant rationabiles creaturæ, & multis annorum millibus tam cœleſtia, quàm terreſtria in caſſum ſtare videantur, ſeruituris iſtis, illis ditutis. Stat illa magna

ciuitas,ciuium ſuorũ numeroſitate fraudata,& à ſtellantibus palatijs multiplex habitantium multitudo propellitur,obſcurantur ſtellarij ignes, ſolem loquor, lunam,& ſtellas,& multa ſibi detracta luminis claritate mulctantur,terra maledicitur,condemnatur hominum ſucceſſio,& omnis creatura, iuxta Apoſtolum, ingemiſcit,& parturit. Tacet Deus omnipotens,& ordinans eius omnipotentia tantam diſſimulat confuſionem. Tandem naſcitur Maria,& ad nubiles annos egrediẽs,ſpeciem induit ſpecioſam,quæ ipſum alliciat Deum,& diuinitatis oculos in ſe conuertat. Vide quid inde dicat ille non minimus explorator ſecretorũ Dei: Audi filia,& vide,& inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui. Et concupiuit Rex decorem tuum,quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus. Germinat igitur virga Ieſſe de tortuoſa radice generis humani, & de Patriarcharum arbore in altitudinem, & rectitudinem erumpens, omnem ignorat nodoſitatem, filiorũ tenebras neſcit,fructuoſa quæq; non habet. Videt,& ardet ille vehemens amator,& totum epithalamium in laudibus eius decantat,vbi manifeſtè ſponſus inducitur ſpirans amorem ſynceriſſimum, nec vltra valens diſſimulare quod patitur. Euocatur ſtatim cœleſtis ille conuentus,& iuxta Prophetam,init Deus conſilium, cogit concilium,facit ſermonẽ cũ Angelis de reſtauratione eorum, de redemptione hominum,de elementorũ renouatione, ac illis ſtupentibus, & mirantibus præ gaudio,de modo redemptionis. Et ſtatim de theſauro diuinitatis Mariæ nomen euoluitur,& per ipſam, & in ipſa, & de ipſa, & cum ipſa totum hoc faciendum decernitur, vt ſicut ſine illo nihil factum,ita ſine illa nihil refectum ſit. Traditur epiſtola Gabrieli, in qua ſalutatio Virginis, incarnatio Redemptoris,modus redemptionis, plenitudo gratiæ,gloriæ magnitudo,multitudo lætitiæ continetur. Miſſus eſt ergo Angelus Gabriel à Deo ad Virginem,quæ,poſtquam ei locutus eſt, ſenſit Deum ſuis illapſum viſceribus,maieſtatemq́; illius virginalis ventris breuitate concluſam. O' venter diffuſior cœlis,terris amplior,capacior elementis, qui totum claudit omnia concludentem,in quo Deus gloriæ reclinatur. Deniq; & Archangelus ait: Aue gratia plena,Dominus tecum: quia à Deo electã,& prælectã, totã eã rapturus erat ſibi Spiritus ſanctus,& cœleſtibus inſigniturus ornamẽtis. Iã conſecranda erat in locũ voluptatis,de quo fons ille debebat aſcendere, qui vniuerſam terræ ſuperficiem irrigaret.

Satis huc uſq; ſparſimus verba,& volaticis ſermonibus diuerſa præſeminauimus;nunc inſiſtamus hîc,ſi fortè aliquid dignum elicere valeamus. Fluuius (ait ſcriptura) egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandam vniuerſam ſuperficiem terræ; qui inde diuiditur in quatuor capita. Fluuius iſte eſt Deus meus Ieſus,qui à duobus locis voluptatis egreditur, ex vtero Patris,ex vtero Virginis. Vnde Propheta: Dominus Deus noſter fluuius glorioſus,exiliens in terram ſitientem. Sed ineffabilibus differentijs longè aliter à Patre, quàm à Matre egreditur,quia &ſi temporalis natiuitas glorioſa eſt,multò glorioſior eſt æterna. Orantibus igitur vobis,de vtraq; generatione volo aperire quod ſentio, non quòd aliquid exponere præſumam,cùm hoc vltra omniũ vires(quantò magis meas?) ſit,& extremæ dementiæ ſit,velle fari ineffabilia,maximè hominem imperitum. Non enim oblitus ſum Salomonem dicentem: Sicut qui nimium comedit mel, euomit illud, ſic qui ſcrutator eſt maieſtatis,opprimetur à gloria. De vtraq; enim per Prophetam dici puto: Generationem eius quis enarrabit? quia ſanè illa Patris ineffabilis,& inacceſſibilis eſt,& nulli creaturæ peruia. Hoc ſenſu credo Apoſtolum dixiſſe de Deo: Qui ſolus habitat lucem inacceſſibilem, cùm etiam puriores naturæ tanto reuerberentur intuitu,nec poſſint irrumpere tantæ claritatis abyſſum. Ipſe etiam Filius proteſtatur: Nemo nouit Filium,niſi Pater, neque Patrem quis nouit,niſi Filius,& cui voluerit Filius reuelare: non ſicut eſt,

ſed ſicut capere poteſt, cui tanta dignatio reuelatur. Vnde & illa ſublimis anima, quæ vſq; ad tertium cœlum in diuitias gloriæ rapta fuerat, dicit: Ego me non arbitror comprehendiſſe. Veriſſima igitur diffinitio eſt, quia illam Gignẽtis, & Geniti generationem nullus omnino penetrat intellectus. Hanc etiam de Matre omni humanæ creaturæ reor inextricabilem; neſcio vtrum ab illa excellentiori natura valeat comprehendi. Quis enim comprehendat cõiunctionẽ carnis, & Verbi, qualiter Deus, & homo in vnam perſonam conueniant, ſaluis imperturbatisq; proprietatibus naturarum? Vnuſquiſq; in ſuo ſenſu abundat; ego hanc omnem ſenſum ſupergredi credo, veterum virorum veſtigijs inhærẽs, qui ſuper hoc ſanas, & inconcuſſas ſententias reliquerunt.

Ad paternam igitur generationem recurrentes, locum voluptatis Patrem eſſe cenſemus, cùm Deus illocalis ſit; ſed efficientias rerum, niſi per vulgatos ſermones explicare non poſſumus. In ipſo autem omnem voluptatem eſſe intelligit, qui legit Apoſtolum dicentem: Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: & alium ex illo duodeno apice ſimiliter eructantem: Omne datũ optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcẽdens à Patre luminum. Ipſe etiam Filius dicit: Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum. Cognitio igitur Patris, vita æterna eſt, & vbi vita æterna, ibi ſempiterna voluptas, quia gignitur de vtero Patris Deus de Deo, lumen de lumine, de Domino Dominus. Egreditur autem identitate, quia idem eſt quod Pater. Idem dico ſecundùm ſubſtantiam, non ſecundùm perſonam. Egreditur & æqualitate, quia pari omnipotentia reſpicit Generantem, cùm omnia quæ poteſt Pater, poſſit & Filius, ſicut ipſe teſtatur: Omnia quæ facit Pater, facit & Filius, nec poteſt Filius facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem. Egreditur & æternitate, quia licet generetur, non eſt poſterior Generante, ſed ambo vnius antiquitatis ſunt, ſi tamen vocabuli nouitatem non exhorres, quod licet quoquomodo ſignificet quæ dicuntur, longè tamen eſt à ſententiæ maieſtate. Egreditur ſimilitudine, quia ſimilis eſt Patri, Patris imago, ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius. Egreditur alternitate, quia alius eſt ab illo, alius dico, nõ aliud. Ego, inquit, & Pater vnum ſumus. Vnum dixit, non vnus, quia vnum ſignificat ſubſtantiæ vnitatem, ſumus verò perſonarum proprietatem. Sic igitur & longè excellentiori modo de Patre Filius egrediens inundat Angelicas ſtationes, quia iuxta Salomonem, Fons ſapientiæ Verbum Dei in excelſis. Citharedus puer de hoc fonte pleno ventre potauerat, cùm diceret: Apud te eſt fons vitæ: quia non ſolùm tu vita, ſed & Filius tuus fons vitæ eſt. Et vt patenter quid ſentiebat oſtenderet, ſubiunxit: In lumine tuo videbimus lumen.

Ad irrigandam vniuerſam ſuperficiem terræ. Quænam terra eſt in illa cœlorum ſummitate repoſita, quam non præterfluat, & irriget fluuius glorioſus? Regnum cœlorum terra viuentium eſt, de qua dicit ſanctus: Portio mea, Domine, in terra viuẽtium: &, Credo videre bona Domini in terra viuentium: &, Placebo Domino in regione viuorum. Irrigatio hæc indicibilis eſt. Inebriãtur quippe Angeli ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis eius potantur. Hîc quid dicam neſcio, quia plurimus ſtupor ſenſum opprimit, atque mentem. Vbi ſunt oratorij ſermones, quos in fornace rhetorica omnis ille philoſophorum conflauit chorus? Vbi ſunt gigantes à ſeculo nominati, qui ab initio fuerunt ſtatura magna, ſcientes bellum, languentes circa pugnas verborum? Nunquid non maximus ille gigas (Platonem loquor) ab intellectu tam puriſſimæ veritatis repulſus eſt? Nunquid non acerrimo mentis ingenio tangens, ſed non attingens diuinitatem Dei, dicit: Vnum inueni, quod cuncta operetur, & aliud, per quod cuncta efficiuntur, tertium autem inuenire non potui? Rectè de Spiritu ſancto inſcius, qui illi non erat infuſus, qui ſanctarum reuelatio-

num magiſter eſt, qui reuelat Paulo, quæ oculus non vidit, ſicut idem Apoſtolus gloriatur: Nobis, inquit, reuelauit Deus. Per quid, Apoſtole? Per Spiritum ſuum, non per ſpiritum noſtrum, quem ſecuti philoſophi, & ſeducti ſunt, & ſe duxerunt. Ille noſter philoſophus, qui ſuper ſenes, & ſuper omnes docentes ſe intellexit, quid ſuper hoc ſenſerit audiamus. Rigans, inquit, montes de ſuperioribus ſuis. De ſublimioribus quippe Angelos docet, qui non per ſpeculum in ænigmate, ſed facie ad faciem ipſam Dei ſubſtantiam luminibus indefeſſis aſpectant.

Sequitur. Qui inde diuiditur in quatuor capita. In quæ quatuor capita dicamus breuiter, quia grandis reſtat nobis via. In admirationem, qua tota obſtupet illa dignior creatura de Creatoris gloria, & gloriæ ratione. In puritatem, quia non in vaſe teſteo, vel fragilitate complexionis humanæ bibunt de torrente voluptatis, ſed remoto velamine, hauriunt aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. In ſatietatem, quia etſi in eum deſiderant proſpicere, non tamen deſiderium neceſſitatem, vel neceſſitas miſeriam inducit, ſed mirabiliori modo & ſemper deſiderant, vt ſemper ſatientur, & ſemper ſatiantur, vt ſemper deſiderent. In ſecuritatem, quia de ſua ſtabilitate certi, perennibus gaudijs immerguntur, expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, quando fiet vnum ouile, & vnus paſtor, & ſuperna illa Hieruſalem conſummabitur in idipſum. Sic influit flumius iſte per Angelicas officinas. Sed hæc omnia fides capit, neſcit ratio, intellectus ignorat humanus. Hæc ſunt fortaſſis illa quatuor, quæ vas electionis felici quaternario in Epiſtola ad Hebræos diuidit dicens: Non acceſſiſtis ad montem fumantem, ſed ad montem Sion, ad Hieruſalem ciuitatẽ Dei viuentis, ad multorum millium Angelorum frequentiam, ad Eccleſiam primitiuorum ſcriptam in cœlis.

Nunc accingamus nos ad videndum qualiter egrediatur de Virgine, quia egreſſio iſta dulcior, & affectuoſior eſt humanæ miſeriæ, quæ intuentium pectora concutit, irrorat oculos, & beatis fontibus vultus amantium ſuperfundit. Hic locum voluptatis, vterum Mariæ intelligo, in quo cumulauit omnes delicias deliciarum Dominus; de cuius delicijs Spiritus ſanctus admiratorio ſermone in amoris cantico ſic eructat: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens? Nunquid in Angelis voluptatem habet Altiſſimus, in quibus ipſe reperit prauitatem? Nunquid in conſtellatione, vel ſcintillatione ſtellarum, quarum aliæ conuertuntur in ſanguinem, aliæ cadunt de cœlo, aliæ in tenebras obſcurantur? Nunquid in aëre, vel igne, vel ventis? Nequaquam, quia non in igne Dominus, non in commotione Dominus, non in ſpiritu Dominus: ſi verax eſt ille, qui curru igneo, & equis igneis eſt aſſumptus in cœlum. Nunquid in aquis, vbi furens, & tortuoſus leuiathan immoratur; aut in terra, quæ ſub maledicto Adæ ſpinas emittit, & tribulos? Non eſt locus voluptatis, niſi vterus Virginis.

Ex hoc egreditur humanitate, quia veſtitus cilicio noſtræ mortalitatis viſibilis humanis oculis apparuit, & de Virgine virgam, de libro autem generationis lineam faciens, diuinitatis hamum innexuit, quem carne operuit virginali, vt draco magnus illectus ad carnem, ferrum diuini numinis ſubſentiret. Egreditur & cum nouitate, quia nunquam ſic natus eſt homo, ſicut ipſe naſcitur. Primus enim homo primò de terra formatur, ſecundò mulier ex eius latere fabricatur, tertiò Cain cõſuetudinario ordine naſcẽdi gignitur ab vtroq;. Solus iſte de ſola Virgine naſcit̃, & Virginis vterũ 2 nouo, & ſingulari partu diuinitas humanata ſigillat. Vbi nũc Ariſtotelicæ ſubtilitatis facunda quidẽ, ſed infœcũda loquacitas: Si peperit, cum viro concubuit? Velit, nolit, vertitur in habitum priuatio, nec aſtringitur dialecticis terminis omnium terminator, ad cuius impe-

2 Dñus noſter Ieſus Chriſtus de beata Virgine natus, eius vterũ perpetuæ Virginitati cõſecrauit.

tium parit natura, deſueſcit conſuetudo. Egreditur etiam cum claritate; naſcē te quippe illo ſepelitur omnis illa ſtellantium luminum luminoſa ſerenitas, & ſtella candidior lucidioribus radijs præſcintillans totam ſibi cœli rapit poſitionem. Ambulant Reges in ſplendore ortus eius, quoniam ecce Reges congregati ſunt, conuenerunt in vnum. Ipſi videntes ſic, Deum 3 & hominem naſcētem, matrem & virginem parientem, admirati ſunt, conturbati ſunt, cōmoti ſunt, tremor apprehendit eos in tantorum luce miraculorum. Egreditur & cum paupertate, quia pannis viliſſimis inuolutus, & præſepi duriſſimo reclinatus, iam ex tunc ſanctiſſimis membris legem martyrij præfigebat. Egreditur occultè, quia ſubtiliſſimus ille fraudium inueſtigator ab altitudine tantæ dignationis excluditur. Hinc eſt quòd ambiguis alternationibus fatigatus, nunc illum tentat, nunc tentatum Filium appellat Altiſſimi, nunc inſtruit Crucem, nunc deſtruit, mandans per mulierem conſuetum ſibi organum: Nihil tibi, & iuſto illi.

3 Qui naſcitur ex Virgine, Deus & homo eſt.

Sequitur: Ad irrigandam vniuerſam ſuperficiem terræ. Ad terrenam miſeriam expiandam, quam nobis in hæreditatē primus ille peccator reliquerat. Volo vt Apoſtolus hîc eum mihi, ſicut & ſuperiùs, in quatuor capita diſtribuat, qua ſecuriùs eius expoſitionem ſuſcipio. Qui factus eſt, inquit, nobis ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio. Ad nos quippe veniens, qui eramus in carcere, primò omnium tenebras ignorantiæ noſtræ depulit luce ſapientiæ ſuæ; deinde per iuſtitiam, quæ ex fide eſt, ſoluit funes peccatorum noſtrorū, ſanctificans nos in ſuo corpore, redimens in corporis paſſione. Dominus enim ſoluit compeditos, Dominus illuminat cæcos; ſanctificat tabernaculum ſuum; de manu redimit inimici. Diuiditur & in patiētiā, qua peccatores ſuſtinet; in miſericordiam qua pœnitētes fouet; in largitatem, qua proficientes exaltat; in fortitudinem qua exaltatos conſeruat. De hoc ſecundo quaternario toto hoc aduentu veſtræ fraternitati cōfabulatus ſum, per fluminum decurſionem, & nominum interpretationem, moralia myſticis interneſtens; vtrum aliquid dignè, vos videritis. Verùm non omnia poſſumus præſenti ſermone coarctare, faſtidium euitantes.

Ego habeo quatuor capita dulciora prioribus, quæ fortaſſis veſtris cordibus ſuauiùs complacebunt. Dominus enim noſter eleuatus in Cruce, largiſſimas ſanguinis vndas à quatuor ſui corporis partibus abundantiùs emiſit. Spinis enim pungentibus ſanctiſſimum caput niuea ceruice reflexum, & clauis pedes & manus, & lancea latus eius tranſuerberantibus, pretioſus ſanguis emicuit; cuius aſperſione iudex tranſiuit in patrem, iratus in mitem, in miſericordiam virga, captiuitas in coronam. Chriſtus ergo fons latens, & occultus in cœlis, fons patens, & apertus in terris. Illic de vtero Patris, hic egreditur de vtero Virginis. Illic viuens terram irrigat viuentium, hîc moriens terram morientium. Illic diuiditur in quaternarium admirabilem, hîc in dulcem. Dulcis Dominus, dulcis Domina, quia ille Deus meus miſericordia mea, hæc Domina mea miſericordiæ porta. Ducat nos mater ad filium, filia ad patrem, ſponſa ad ſponſum, qui eſt benedictus in ſecula.

Amen.

Eiuſdem

EIVSDEM BEATI

PETRI DAMIANI

SERMO IN FESTO SANCTI SEVERI EPISCOPI, ET CONFESSORIS.

AVDISTIS, fratres chariſſimi, ex beati Seueri, dum legeretur, hiſtoria, qualiter illum Deus de lanificij ergodocio ſuſtulit, quàm mirabiliter illum non ſolùm præter opinionem omnium ciuium, ſed etiam ſui, ad arcem Pontificatus elegit. Audiſtis, pauperculum hominem à Deo mundi diuitibus anteferri. Audiſtis, abiectum, & humilem ſuper potentatus nobilium cum gloria ſublimari. Audiſtis Spiritum ſanctum ſapiẽtes ſeculi contemnentem, ſimplicem hominem eligentem, ornatos veſtibus tranſuolantem, in pannoſum & ſqualidum, quaſi in amicum familiarem, & olim ſibi notiſſimum deſcendentem.

Libet autem, dilectiſſimi, ad illud pulchrum ſpectaculum totos interiorum lu minum radios diligenter expandere, & omnipotens Deus quàm diuerſo modò ab hominibus iudicet, inquantum mihi poſſibile eſt, ſtudioſè penſare. Conueniunt vniuerſi ciues ad oratorium, deſcendit Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie ſuper populum congregatum. Multa inferius corda, vnus deſuper inſpector. Præſtolantur iſti, magnum aliquem ex diuitibus eligi; conſiderat ille, quis ex omnibus maximè valeat diues virtutibus inueniri. Iſti apud ſe præferunt eruditam linguam, luculentum ſermonem; ille autem animum ſimplicem & cordis humilis puritatem. Hinc populus viſu plebeios præterit, ad primates verò, quis eorum maximè eligatur, attendit; inde autem excelſus Dominus humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit. Hinc multi ſibimetipſis illud ſacræ dignitatis culmen exoptant, & garrulo ſilentio intra conſcientiam clamant: O' ſi columba veniat ſuper me, ò ſi Deus eligat me. Putas ego ero electus? Putas mihi dabitur Epatus? Inde autem ille ſcrutatur renes, & corda, qui finxit ſigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum. Et quidem aderant ibi multi, vtpote in egregia ciuitate, alij quidem frementium equorum glomeratis greſſibus incedere ſoliti, alij claris natalium titulis inſigniti, alij pretioſarum veſtium nitore conſpicui, alij crebris obſequentium militum cuneis conſtipati, alij omnibus his mundi muneribus multipliciter prædîti, alij alijs rebus pro ſua poſſibilitate dotati. Sed omnipotens Deus, qui corda hominum ſubtiliter intendebat, quod olim per Prophetam dixerat, ſine aliquo vocis ſtrepitu iterum

repetebat: Super quem requieſcet Spiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem ſermones meos? Videbat populus in aperto loco columbam cœlitus expectantem: Aſpiciebat illa Seuerum pauperculum poſt ianuam latitantem. Qui enim ſe hominibus abſcondebat, diuinæ maieſtatis intuitum declinare non poterat. Quid eſt hoc, beate Seuere, tam pauper, tam diues, tam humilis, tam ſublimis, tam pannoſus, tam glorioſus, apud iudicia humana deiectus, ex diuina prouidentia inuiſibiliter ſublimatus? Cur te abſcondere niteris, qui ad hoc proueheris, vt ad virtutis exemplum omnium oculis proponaris? Cur vultus hominum erubeſcis, qui diuinæ maieſtatis conſpectui præ omnibus placuiſti? Videlicet idcirco abſconderis, vt videas, & non videaris; videas ſcilicet columbam pro admiratione, non videaris autem pro veſtium fœditate. Age iam manifeſtare in publicum, procede ad medium, & Chriſtianæ familiæ ſuſcipe villicatum. Exeat margarita de ſterquilinio, vt in ſummi Regis fulgeat ornamento. Non lateat vlteriùs lucerna ſub modio, ſed ſuper candelabrum poſita omnes, qui in domo ſunt, ſplendoris ſui luce perfundat. Paſce igitur Dominicum gregem, & ſuper ouile Chriſti curam exhibe paſtoralem. Tibi Chriſtus Eccleſiam ſuam committere iam decreuit, quam inæſtimabili ſui ſanguinis pretio comparauit. Suſcipe egregiæ adminiſtrationis officium, vt de commiſſi talenti fœnore auctum referas lucrum. Nec expaueſcas ignorantiam literarum, nõ dubites de incompoſitorum enormitate ſermonum, quia ille, qui promouet te, ſine legendi labore inſtruet te; qui tibi doctrinæ committit officium, docendi etiã ſuggeret incrementum. Summum quippe eſt Verbum, quod tibi ſeminandi verbi exhibet miniſterium. Hoc Verbum tibi, tuiſq; ſimilibus per ſemetipſum dicit: Cùm ſteteritis ante Reges, &c. Et iterum: Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.

Quid plura? Tandem venit columba, & mirantibus cunctis, dilectum ſibi caput inuiſit. Et certè iam olim in eius pectore inuiſibiliter erat, in cuius nunc verticem corporaliter deſcendebat. Sed quid iam fugitiuus Dei faceret? Quò ſe verteret? Quod ſibi latibulum tutius inueniret? À conſpectu omnium fugit, valuas oppoſuit, ad videndum ſibi ſolas poſtium rimulas dereliquit. Sed qui humanos aſpectus auertere potuit, columbini acumen intuitus non euaſit. Videt ſe deprehenſum, conqueritur intra ſe, nil ſibi profuiſſe confugium. Veruntamen adhuc ſuſpicatur deceptam errare columbam, nec poſſe in tanta hominum multitudine certam eligendi notare perſonam. Tertiò igitur ad ſe volitantem agitatis manibus repulit; & ſic in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis benedictionem ſuæ conſecrationis accepit.

Ò nouum, & inauditum promotionis ordinem. Ò admirabilem egregii Pontificis dignitatem. Nam quid aliud fuit, in caput beatiſſimi viri columbam tertia vice deſcendere, niſi patenter illum in Patris, & Filij, & Spiritus ſancti nomine conſecrare? Et quid aliud fuit eandem columbam à ſe exturbando, manibus tangere, niſi ex Eccleſiaſticæ inſtitutionis ordine, in ipſis manibus 1 oleũ ſanctæ vnctionis accipere? Nã quòd columba in ſanctiſſimi viri caput illapſa deſcendit, officium manus 2 impoſitionis impleuit. Quòd autẽ ſacris ſe manibus tangi permiſit, ipſas manus ſancti Spiritus unctione ſignauit.

1 Oleum ſanctæ vnctionis ritu Eccleſiaſtico, quo liniuntur manus.

2 Manuũ impoſitio.

Nonnulla hîc deſiderantur.

Suſcepto igitur Pontificatus officio, beatus iſte Seuerus non magis ex ordine Eccleſiaſticæ dignitatis aſcendit, quàm in arcem quoq; ſummæ ſanctitatis excreuit. Nonnulli enim cùm regiminis curam ſuſcipiunt, ad lacerandos ſubditos protinus inardeſcunt. Terrorem poteſtatis exhibent, & quibus prodeſſe debuerant, magis nocent; & quia charitatis viſcera in filios non habent, domini videri appetunt, patres ſe eſſe non recognoſcunt. Humilitatis locum in elationem dominationis immutant, & ſemetipſos quaſi quidam tyranni in ſuperbia

cornibus exaltant; & ſi quando extrinſecus blandiuntur, interiùs ſæuiunt. De quibus per ſemetipſam Veritas dicit: Veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. In veſtimentis quippe ouium veniunt, quia vellus quidem innocentiæ in ſuperficie prætendunt; ſed lupi rapaces ſunt, quia malitiæ morſus in occulto cordis exacuunt, non attendentes illud, quod Dominus Diſcipulis ſuis dicit: Ecce, inquit, ego mitto vos, ſicut agnos inter lupos. Qui enim locum prædicationis ſuſcipit, mala inferre non debet, ſed tolerare, vt ex ipſa ſua manſuetudine iram ſæuientium mitiget, & peccatorum vulnera in alijs, ipſe afflictionibus vulneratus ſanet: Quem & ſiquando zelus rectitudinis cogit, vt erga ſubiectos ſæuiat, furor ipſe de amore ſit, non de crudelitate, quatenus & iura diſciplinæ exhibeat, & intus paterna pietate diligat, quos foris quaſi ſæuiendo caſtigat. Mali autem paſtores, non ſicut agni inter lupos, ſed potiùs ſicut lupi 3 inter agnos ſunt, quia dum à ſubditis ſibi nullum plerunq; morſum læſionis excipiunt, ipſi in eos rapinæ ſuæ dentes crudeliter figunt.

3 Hæretici paſtores ſunt ſub ouilla pelle lupi rapaces, qui dũtaxat mactãt, & perdunt.

Nonnulli verò antequam officij ſacerdotalis culmen attingant, mites ſe, & humiles in omnibus exhibent, excreſcere in virtutibus ſtudent, bonis moribus pollent, & in omni ſe honeſtate ſanctæ conuerſationis exercent, mala nulli aliquã inferunt, illata verò patienter ferunt, carnem ſuam aſſiduè ieiunijs, & orationibus edomant, & cunctos in ſe vitiorum motus cenſura rigidæ ſeueritatis frenãt. Sed cũ paſtoralis cuſtodiæ iura ſuſcipiũt, quicquid ſanctitatis habuerant (proh dolor) miſerè permutant; omne quod piè vixerant, obliuiſcuntur; & diſcurrentium more fluminum, ad ima abſq; vllo retentionis obſtaculo deuoluuntur; & velut mali remiges, cùm ad alta pelagi vento impellente deueniunt, quando ſcilicet maiori conamine opus eſt, in ſomnum ſe mortifera ſecuritate reſoluunt; vel potiùs cùm gubernandæ nauis clauum ſuſcipiunt, qui priùs cum cæteris ſtrenuè nauigauerant, iam in magiſterio poſiti in negligentiæ ſe torpore deijciunt, & nõ ſolùm alios non cuſtodiunt, ſed ſemetipſos etiam infeliciter perdunt.

Sed quid iſta de reprobis paſtoribus loquimur, cùm & ipſi ſummæ ſanctitatis viri, ſuſcepto curæ paſtoralis officio, etſi ad mala (quod abſit) nullatenus prorũt, ſæpè tamen ex ipſa perfectione boni, neceſſitate cogente, aliquantulum minuuntur? Hinc eſt, quòd beatus Papa Gregorius in prioris vitæ conuerſatione viſibilia quoq; ſe tranſcendiſſe gloriatur, poſtmodum verò curis exterioribus implicari pia lamentatione conqueritur. Hinc eſt etiam, quod de beato Martino Turonenſe Epõ legitur, quia maior ei virtus ante Epiſcopatũ fuerat, quàm poſt Epiſcopatum. Quanquam proculdubio credendum ſit, quia ſanctis prædicatoribus quicquid de prima perfectione pro aliorum cuſtodia ſubtrahitur, multò largius, multoq; vberius, in acquirendis ſubditorum lucris augetur.

Perpendite ergo, fratres chariſſimi, quàm mirabilis vir fuerit beatus Seuerus, cui ſanctitatis meritum ſuſcepti cura regiminis addidit, quod alijs excellentiſſimis etiam viris minuere conſueuit. Nam quod alijs ſæpè deſcenſionis eſt cauſa, hoc illi prouectionis probatur extitiſſe materia; & inde ſibi perfectionis culmen eſt auctum, vnde & perfectiſſimis viris quandoq; non ambigitur imminutum. Ecce enim ante commiſſæ prælationis officium, virtutum quidem vitam duxiſſe cognoſcitur, virtutum tamen ſigna nequaquam feciſſe perhibetur; poſt ordinationem verò facta per illum miraculorum ſigna, apertis vocibus clamant, quantum priorem vitam merita poſteriora tranſcendant.

Deſunt aliqua.

Hæc igitur tot & tanta præclara miracula, fratres chariſſimi, ad verè vtilitatis lucra conuertite, & per exteriora diuini muneris beneficia, ad interiora quoq; medullitus anhelate. Quid enim prodeſt, caduca hæc, & tranſitoria bona temporaliter ex diuina benignitate percipere, ſi non contingat ad æterni quoq; boni

ſuſcipienda præmia peruenire? Mementote quid Iudæis de antiquis eorum patribus Veritas dicat. Patres,inquit, veſtri manducauerunt manna in deſerto,& mortui ſunt. Perpendite etiam,quanta ſit in cœlis ſanctorum gloria,quibus cōtra naturæ ſuæ ordinem ipſa in terris famulantur, & obediunt elementa. Quid enim ſanctorum animæ ſiue in cœlo, ſiue in terra,ſiue etiam in abyſſo non poſſunt,qui cum ipſo,qui omnibus præſidet, vnum ſunt? Ad illam igitur,dilectiſſimi,tantæ gloriæ dignitatem totis niſibus tendite; ad illam quotidie ſanctarum virtutum,& piæ conuerſationis greſſibus properate. Contemnenda quippe ſunt vobis cuncta,quæ cernitis,ſi ad ea vultis pertingere, quæ ſperatis. Atteſtante etenim beato Paulo,non poſſumus hîc gaudere de ſeculo, & illic regnare cum Deo. Qui iterum dicit: Non contemplantibus nobis,quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur,temporalia ſunt,quæ autem non videntur,æterna ſunt. Fluxa igitur,& ſeductoria immundi huius blandimenta mundi deſpicite,minas eius cum fortitudine ſuperate, ſurgentia carnis incendia reprimite,mentes veſtras,auxiliante Deo,in virtutibus dilatate, torporis,& negligentiæ frigus de cordibus veſtris expellite,ad illud ineffabile ſupernæ beatitudinis gaudium flammato mentis deſiderio iugiter ſuſpirate. Nam ſpectator ille,qui corda veſtra ad ſe directa delectabiliter inſpicit, libenter etiam vobis ſuæ ſocietatis ianuam pandit Ieſus Chriſtus Deus noſter,qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

Eiuſdem

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

SERMO IN DOMINICA PALMARVM.

CV'M appropinquaſſet Ieſus Hieroſolymis, & veniſſet Betphage ad montem Olitieti, tunc mi-
ſit duos de Diſcipulis ſuis dicens eis: Ite in caſtel
lum, quod contra vos eſt, & reliqua. Paſſurus
ſpontè Dominus pro ſalute humana, ſpontaneus
ad locum paſſionis accedit. Ad hoc venit in
mundum, ad hoc natus eſt, vt ſua paſſione nos
liberaret. Scienter Hieroſolymam venit, ſcienter
magna populorum comitatus caterua pomposè
ciuitatem intrauit, in qua tradendus, in qua cru-
cifigendus erat. Hæc eſt Hieruſalem, quæ occi-
dit Prophetas, & lapidat eos, qui ad eã miſſi ſunt.

O' infelix ciuitas, quàm glorioſa de te dicerentur, ſi venientem Dominum a-
gnouiſſes, ſi ei cognito debitam reuerentiam exhibuiſſes. O' miſera, ò malitiæ
errore cæcata, venit ad te Saluator tuus, & non potes, nec vis cognoſcere eum.
Venit ipſe ad ſaluandum, tu recedendo accedis ad perdendum eum. Ipſe pa-
rat tibi vt ægroto ſalutem, & tu paras ei veluti furi Crucem. Cur te tanta tene-
brarum caligo contexit? Cur non recolis quod dictum eſt per Zachariam Pro-
phetam: Noli timere, filia Sion, ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſu-
per pullum ſubiugalis? Ecce tanta es, perdita conſilio es, times Regem tuum ſu
ſcipere, ne regnum terrenum amittas. Sed dum ipſum non recipis, regnum
perdis, & gentem. Vis vnum interficere, ne tota gens pereat. Sed dum vnum
interficis, tui pereunt vniuerſi. Proinde de te benè dicendum eſt: Væ genti
peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis. Genimen
es viperarum, quæ non niſi effoſſis maternis lateribus oriuntur; ſic tu non pu-
tas euadere, niſi Patris tui, qui fecit te, latus cruentes. Crudelis partus eſt,
& enecandus, qui enecat parientem. Sed quid attinet ad propoſitum cæcitas
Iudæorum? Cæci fuerunt, duces cæcorum, & ideo vtriq; , ideſt principes eo-
rum, & iuniores in foueam ceciderunt.

De te autem, Domine Ieſu, admiratio, & compaſſio creſcit. Cur ad Iu-
dæos vadis, qui animæ tuæ inſidiantur? Proditores, & homicidæ quidem
ſunt, ne credas te ipſis, quia non te diligunt, non tui miſerebuntur, crudeli, &
turpiſſima morte te condẽnabunt. Cur tot illuſiones, tot flagella, tot opprobria

accelerasſuſtinere,ſpinis coronari, conſpui, aceto potari, lancea perforari,mori,& in ſepulchro collocari? In hac tua deliberatione,in hoc tuo conſilio deficit ſpiritus meus. Compatior,Domine Ieſu, ſuper paſſionis tuæ anguſtias. Conſilium Petri amici tui videtur mihi ſedere,qui ait: Abſit à te,Domine, nequaquam fiet hoc. Non decet filium Dei mortem guſtare. Sed differt hoc cõſilium à tuo,qui diſponis mortem ſubire. Quid ergo? Petri, an Ieſu conſilium eſt tenendum? Serui an Domini? Diſcipuli,an Magiſtri? Sed nõ eſt ſeruus maior domino ſuo,nec diſcipulus doctior magiſtro. Acquieſcendum eſt itaq; Domini,& magiſtri conſilio,qui conſilio nullo eget,ne dicatur mihi cum Petro: Vade retro,ſatana, non ſapis quæ Dei ſunt. Neſciebat enim Petrus Chriſtum diſpoſuiſſe ab initio,vt mortem noſtram moriendo deſtrueret, & vitam reſurgendo repararet.

Quod igitur diuina ſapientia diſpoſuerat,ſapienter voluit adimplere. Voluit ſecundùm prophetica verba,humilis,& pauper ſedere ſuper aſinam, & Hieruſalem venire,ſicut Euangeliſta narrat,dicens: Cùm appropinquaſſet Ieſus Hieroſolymam,& veniſſet Betphage,ad montẽ Oliueti,tunc miſit duos ex Diſcipulis ſuis dicens eis: Ite in caſtellum,quod contra vos eſt,& cætera. Caſtellũ iſtud mundus eſt,qui contra Dominum,& Diſcipulos eius fuit,nõ ſolùm opprobrijs, & flagellis eos perſequendo,ſed etiam crudeliſſimam mortem inferendo. Vnde Dominus: Si mundus vos odit,ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuiſſetis,mundus quod ſuũ erat diligeret;quia vero de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo,propterea òdit vos mundus. Per aſinam,& pullum, qui erant in caſtello ligati, Iudæorum ſignificatur populus,& gentilis, quorum vterq; peccatorum vinculis ſubiacebat. Aſina ſubiugalis Iudaicum populum ſignat iugo legis ſubiectum. Pullus laſciuiens,& effrenis, gentilem populum notat ſecundùm deſideria carnis ambulantem. Duo Diſcipuli miſſi in caſtellum,duorum ſunt teſtamentorum prædicatores,gemina præditi charitate, Dei ſcilicet,& proximi dilectione. Siue Petrus,& Paulus,quorum vnus gentium,alter fuit Apoſtolus Iudæorũ. Vnde ipſe Paulus: Qui operatus eſt Petro,inquit, in Apoſtolatu,operatus eſt & mihi inter gentes. Iſti ſoluerunt vtrunq; populũ ab infidelitatis errore,& verbo prædicationis duxerunt ad fidem Ieſu Chriſti. Dominus ſedit ſuper eos,quia ex fide ſua iuſtificauit illos, ſicut ſcriptum eſt: Anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ. De vtriuſq; iuſtificatione dixit Apoſtolus: An Iudæorum tantùm Deus? Non'ne & gentium? Immò & gentium, quoniã quidem vnus Deus,qui iuſtificat circunciſionem ex fide,& præputium per fidem.

Poſſunt etiam hæc moraliter intelligi. Betphage interpretatur domus buccæ (& eſt intellectus ſacerdotum) per quam deſignatur confeſſio. Ad hanc Dominus venit,quia ad confitendum corda accendit. Caſtellum, quod eſt contra Dominum,& eius Diſcipulos,eſt animus obſtinatus,propriæ deditus volũtati. Duo Diſcipuli,ad eum miſſi,ſunt ſpes,& timor;aſina,& pullus alligati,humilitas, & ſimplicitas. Huiuſmodi enim animus aliquando nouit quid ſit humilitas, quid ſimplicitas,& quòd ſimpliciter,& humiliter ſit viuendum; ſed quaſi eas alligat, & reponit,dum non vult eas opere exercere. Terret hunc timor,vbi à malo reſipuerit, minans ei tormenta. Confortat eum ſpes, ſi pœnituerit, præmia pollicendo. Compungitur his duobus animus. Soluitur aſina, & pullus, cùm obuiam Domino eundo Betphage confitetur ſe peccaſſe, & promittit ſe deinceps humiliter, & ſimpliciter victurum. Et ſic qui prius erat caſtellum diaboli,efficitur vrbs fortitudinis noſtræ Sion; Saluator ponitur in ea murus, & antemurale. Murus humilitas eſt, antemurale patientia.

Egrediamur igitur,chariſſimi,obuiam Domino Betphage, compuncti timore

pœnæ, & ſpe cœleſtis vitæ firmati, confitendo peccata humiliter, & ſimpliciter ambulando, ſubſtratis veſtibus noſtræ carnalitatis, vt in nobis dignetur ſedere Dominus, & nos ſecum in cœleſtem Hieruſalem introducere. Amen.

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

SERMO IN COENA DOMINI.

HODIE, fratres chariſſimi, dum cœnæ Dominicæ ſolennia celebramus, plurima virtutum cœleſtium ſacramenta recolimus. Hodie nanque Saluator noſter, qui caput eſt Angelorum, dum ſuis Diſcipulis veſtigia terſit, veræ nobis humilitatis exemplum manifeſtè propoſuit, vt quod impendit Dominus famulis, ſerui non dedignentur exhibere conſeruis, & puluis nō deneget pulueri quod ſibi congruere tantæ viſum eſt maieſtati. Vbi cùm Petrus obſequium ſuſcipere tanti Præceptoris abnueret, & ille minas repulſionis, niſi ſe lauari permitteret, intentaret, tremefactus tandem, & inſiſtentis imperio protinus acquieſcens, ait: Domine, non tantùm pedes meos, ſed & manus, & caput. In quibus vtique verbis beatus Apoſtolus opera noſtra, ſimul & cogitationes, vt à Domino purificentur, atque mundentur, indigere ſignauit. Siquidem manibus operamur, cogitationes autem ex mente, quæ caput eſt interioris hominis, proferuntur. Vera ergo, ac perfecta purgatio eſt, cùm Deus omnipotens non ſolùm opera noſtra mūda, & immaculata cuſtodit, ſed etiam prauas cogitationes à cordibus noſtris ſancti Spiritus infuſione repellit. Hodie Saluator terreni panis, ac vini ſpeciem in ſui corporis & ſanguinis ſacramenta [1] conuertit, ſuiſque Diſcipulis vitalis alimoniæ pabulum miniſtrauit. Cibus enim ille vetitus, quem primus homo, intumeſcente ſuperbia, & gula pruriente, pcepit, p vniuerſa eius viſcera vitiorū omnium, ac mortalis corruptionis venena diffudit. Contra hoc igitur letale virus antidotum à Chriſtiano populo ſumitur, per quod ſpiritualis morbi peſtilentia ſalubriter euomatur. Huius noui ſacramenti virtute fermentum illico condēnatæ vetuſtatis expellimus, vt de ſeruitute ad libertatem ſpiritus, & ad noua regenerationis azima tranſeamus.

[1] Eſt igitur reipſa et veraciter Chriſti corpus in hoſtia, & ſāguis in calice, nō typicè tantū vt hæretici blaſphemāt.

Hodie ſacrum chriſma conficitur, per quod in nobis omnium cœleſtium chariſmatum ſanctificatio deſignatur. Hoc videlicet illud eſſe ſacroſanctū [2] chriſma cognoſcitur, quod non modò Sacerdotes, Reges, atque Prophetas vnxit in veteri teſtamento, ſed etiam ſanctos Apoſtolos, Martyres, & Confeſſores ſanctificauit in nouo. Hodie etiam nos oleo diuinæ virtutis inungimur, vt in ſpiritualis palæſtræ certamine colluctantes, de ſubactis, atque cōuictis hoſtibus triūphemus.

[2] Chriſma ſacroſancta.

De quo nimirum oleo Propheta dicit: Computreſcit iugum à facie olei. Nā cùm per hoc diuini chriſmatis ſacramentum libertatis nobis ſpiritus redditur, ſeruitutis antiquæ iugum in putredinem neceſſe eſt redigatur. Hoc myſteriū chriſmatis Propheta Dauid indubitanter agnouit, cùm vultus noſtros in oleo exhilarandos eſſe cantauit. Enimuerò cùm mundi crimina Deus diluuio quondam

expiaret effuſo, futuri muneris columba ſimilitudinem prætulit, cùm oliuæ ramo pacem terris redditam nunciauit. Ait enim ſcriptura: Expectatis autem vltra ſeptem diebus alijs, rurſum dimiſit Noë columbam ex arca. At illa venit ad eum ad veſperam portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore ſuo. In remiſſione, ac reuerſione columbæ ſeptenarius numerus ponitur, quia ſeptem eſſe proculdubio ſancti Spiritus dona noſcuntur. Veſpertina verò hora ad arcam columba reuertitur, quia Spiritus ſanctus, qui in mundi principio ferebatur ſuper aquas, iam veſperaſcentè ſeculo ſanctam repleuit Eccleſiam.

Ad hoc etiam diuini chriſmatis pertinet ſacramentum, quòd omnipotens Deus Moyſi famulo ſuo mandatum dedit, vt Aaron fratrem ſuum aqua priùs ablueret, deinde per infuſionem huius vnguẽti conſtitueret ſacerdotem. Aaron, inquit, & filios eius vnges, ſanctificabisq; eos, vt ſacerdotio fungantur mihi. Filijs quoq; Iſraël dices: Hoc oleum vnctionis ſanctum erit in generationes veſtras. Porrò autem ſicut iam abluto per diluuium mundo, cum oliuæ ramo ad arcam columba reuertitur, ſic etiam Aaron aqua priùs ablutus eſt, deinde chriſmate perunctus, vt ad ſacerdotium promoueretur. Sic etiam nunc quilibet ad regenerationis gratiam veniens priùs ſacri baptiſmatis vndis immergitur, vt pòſt modum diuini chriſmatis myſterio conſignetur. Illud præterea oleum, quod & tabernaculum fœderis, & cuncta eius vtenſilia conſecrauit, hoc diuini chriſmatis ſacramentum perſpicuè figurauit. Ait enim Dominus Moyſi: Tolles oleũ de oliuetis, menſura Hin, faciesq; vnctionis oleum ſanctum, vnguentum compoſitum opere vnguentarij, & vnges ex eo tabernaculum teſtimonij, & arcam teſtamenti, menſamq; cum baſibus ſuis, candelabrum, & vtenſilia eius, altaria thimiamatis, & holocauſti, & vniuerſam ſupellectilem, quæ ad cultum eorum pertinet, ſanctificabisq; omnia, & erunt ſancta ſanctorum; qui tetigerit ea ſanctificabitur. Myſticum 3 itaq; chriſma, quod tunc conſecrabat tabernaculum in deſerto, nunc Eccleſiam in nouo ſanctificat teſtamento. Quod etiam ſacramentum tũc vberiùs, & copioſiùs videtur impletum, cùm Redẽptor noſter de Iordani vndis baptizatus exijt, & apertis cœlis protinus in eum Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie manifeſta viſione deſcendit, moxq; vox Patris intonans ait: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: hunc eſſe perſpicuè comprobans, cui Dauid olim eodem Spiritu edoctus aiebat: Vnxit te Dominus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Ex illo ſanè tunc Spiritu, qui noſtrum quoq; chriſma nunc conſecrat, tantam virtutem aquarum omnium natura concepit, vt in quibuſcunq; fluentibus ſub profeſſione deificæ Trinitatis abluendus immergatur, plenum, atq; perfectum nouæ regenerationis myſterium diuinitus impleatur.

3 Myſticum chriſma Eccleſiã ſanctificat.

4 Non ergo ſola ſufficit fides, ſi Eccleſia candelabro cõparata conſpicuis ſẽper debet coruſcare operibus.

Hoc noſtrum chriſma illud etiam oleum typicè deſignabat, quo Dominus in tabernaculo ſeptem lucernas impleri, ac iugiter ardere præcepit. Præcipe, inquit, filijs Iſrael, vt afferant tibi oleum de oliuis puriſſimum, ac lucidum, ad cõcinnandas lucernas iugiter extra velum teſtimonij in tabernaculo fœderis, ponetq; eas Aaron à veſpere vſq; in mane coram Domino, cultu rituq; perpetuo in generationibus veſtris ſuper candelabrum puriſſimum ponetur ſemper in conſpectu Domini. Quid autem per ſeptem lucernas in tabernaculo, niſi ſeptem ſignificantur Eccleſiæ in vno populo Chriſtiano? In quibus nimirum oleum iubetur indeſinenter ardere, quia in ijs ſyncera charitas, quæ per Spiritum ſanctum datur, gemini debet amoris igne feruеſcere, & claris 4 atque conſpicuis ſemper operibus coruſcare. Sed cùm 5 vna ſit proculdubio catholica, & vniuerſalis Eccleſia, ſicut per Salomonem dicitur: Vna eſt columba mea, vna genitricis ſuæ: quid eſt, quòd in ſacris eloquijs ſeptem eſſe referuntur

5 Vnica eſt catholica, & vniuerſalis Chriſti Eccleſia. Ergo hæreticorum non eſt Chriſti Eccleſia, ſed ſynagoga ſatanæ.

Eccleſiæ, niſi quia vna eſt per vnitatem fidei, ſeptifonnis eſt per totidem dona Spiritus ſancti? Hæ ſunt enim ſeptem mulieres, quæ iuxta Prophetæ vaticinium, accepere virum vnum. Vir autem Eccleſiæ Chriſtus. Hoc planè ſancti Spiritus oleo cuncta ſacrarum ſcripturarum pabula condiuntur, vt animarum noſtrarum viſcera ſaginentur. Hoc oleum vitalibus epulis eloquij cœleſtus infuſum ſapit in faucibus animæ, cuius & ſtomachum recreat, & guſtum percipientis obdulcat. Nam ſcriptum eſt: Litera occidit, Spiritus autem viuificat. Vnde ſciendum eſt, quia omnes ſacrorum voluminum paginæ ſancti Spiritus 6 oleo ſunt conditæ. Quamobrem & in libro Numerorum legitur: Quia circuibat populus, & colligens manna, frangebat mola, ſiue terebat in mortario, coquens in olla, & faciens ex eo tortulas ſaporis quaſi panis oleati.

6 Si ſacra eloquia ſunt oleo Spiritus ſancti condita, non ergo humano, & carnali ſenſu exponēda ſunt, & illotis tractanda manibus. Qui mos eſt hæreticis.

Porrò autem quaſi per multa in cancellario Domini dolia tranſitum habuimus, vt ad ſolum oleatum, velut olei vaſculum, peruenire poſſemus. Manna deniq;, quo plebs viuebat Iſraëlitica, ſacrum deſignabat eloquium, quo nutritur, & vegetatur religio Chriſtiana. Quod vtiq; veraciter oleatum eſt, quia myſtica ſancti Spiritus eſt vnctione conſperſum. Notandum verò, quia idem manna, quod in libro Numerorum dicitur oleatum, in Exodo legitur non olei, ſed mellis potiùs habuiſſe ſaporem. Guſtus, inquit, eius erat quaſi ſimile cum melle. Quid'nam eſt, quòd Angelicus ille cibus priùs dicitur mellis exhibuiſſe dulcedinem, & poſtmodum non mellis, ſed olei præbuiſſe ſuauitatem, niſi quòd Redemptor noſter ſacrarum omnium author, & conditor ſcripturarum, quem videlicet illud manna principaliter figurabat, & ante paſſionem velut mel dulcedinem exhibuit miraculorum, & poſt Aſcenſionem ſuam, tanquam oleum, in Diſcipulos ſuos effudit Spiritum ſanctum? Nam quaſi mellis videtur propinaſſe dulcedinem, dum ſignis, atq; virtutibus coruſcauit; olei verò tunc ſuauitatem dediſſe, cùm in Apoſtolos ſuos ſancti Spiritus paracliti dona diffudit. Quem videlicet ordinem Moyſes congruè tenuit, cùm in Deuteronomio de petra, quæ & nihilominus manna erat, typicè decantauit. Vt ſugerit, inquit, mel de petra, & oleū de firma petra. De hoc 7 myſticæ vnctionis oleo ſponſa ad ſponſum dicit in Canticis: Vnguentum effuſum nomen tuum. Vnguentum quidem effuſum ſponſi nomen aſſeritur, quia ſicut à Chriſmate Chriſtus, ita conſequenter à Chriſto dicitur Chriſtianus.

7 Myſtici in ſacra pagina ſenſus quærēdi.

8 Oēs Chriſticolæ dicūtur ſacerdotes, myſticè tū, quia offerūt vitulos labiorum ſuorū, & ſpiritales, ac metaphoricas hoſtias, ſancti Spiritus liniti oleo. Ideo metaphoricè dicuntur ſacerdotes. Propriè verò ſacerdotes ex alijs aſſumū tur, auctore ad Hebræos Paulo.

Quia igitur, dilectiſſimi, per gratiam Saluatoris noſtri iam huius Chriſmatis percepimus ſacramentum, quia iam regiæ dignitatis expreſſum præferimus in fronte ſignaculum, ſtudeamus ita nobiliter viuere, vt conuerſatio noſtra tam diuinis, tamq; magnificis myſterijs valeat concordare. Nos enim ſumus, quibus per primum Apoſtolorum dicitur: Vos genus electum, regale 8 ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, vt virtutem annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum. Et certè ſatis ignobile eſt ſub vitiorum carnalium viuere ſeruitute, qui Deo nos adoptante, regij obtinemus generis dignitatem. Nimis turpe eſt, vt terrenæ ſimus concupiſcentiæ dediti, qui & Dei vocamur Filij, & ad obtinendam cœleſtem hæreditatem per Chriſti gratiam meremur aſcribi. Planè quia Crucifixi præceptoris nos conſtat eſſe diſcipulos, dignum eſt vt, etiam noſmetipſos huic nequam ſeculo præbeamus extinctos. A portanda igitur Cruce poſt Magiſtrum noſtrum, & Dominum nulla nos negocij temporalis cura præpediat, nullus amor terrenæ ſubſtantiæ, vel illecebræ carnalis auertat. Dirigamus fidei, ac deuotionis noſtræ oculos per,

ſtratam iam, nobisq; propoſitam viam Crucis, vt per eam inoffenſis greſ-
ſibus incedentes, ad eum mereamur attingere, qui author eſt,
& prouocator ad gloriam reſurrectionis, cum
Deo Patre, & Spiritu ſancto viuens &
regnans in ſecula ſeculo-
rum. Amen.

EIVSDEM BEATI
PETRI DAMIANI
SERMO DE RESVRRECTIONE DOMINI.

POSTVLAVI Patrem meum, dedit mihi gentes, Alleluia. Si conſulamus adiutorium iuriſperitorum, primum capituli propoſiti verbū ſic deſcribitur: Poſtulare eſt deſiderium ſuum, vel amici ſui, in iure apud eum, qui iuriſdictioni præeſt, exponere, vel alterius deſiderio contradicere. Actus iſte publicus eſt, & eſt officiū aduocatorum, qui glorioſæ vocis confiſi munimine, lapſa erigunt, fatigata reparant, nec minus prouident humano generi, quàm ſi clypeis, & thoracibus ſeſe, patriamq; defendant.

In exequendo actu iſto attendere debemus, qui poſtulet, quem, vbi, & quid poſtulet. Aduocatus poſtulat iudicem in iure rem ſuam, vel ſibi poſtulat, actione propoſita. In negocio præſenti aduocatus eſt Christus, iudex Deus Pater, & locus iuris patibulum Crucis, res poſtulata Eccleſia de gentibus, nomen actionis, petitio hæreditatis. Rectè Ieſum Chriſtū dicimus aduocatum. Vnde Ioannes: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Dominum Ieſum Chriſtum; ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Aduocatus iſte apud Patrem deſiderium ſuum expoſuit, quando pro ſalute humani generis oblatus eſt, quia ipſe voluit. Deſiderium eius eſt ſalus noſtra, quam in Cruce ſitiens vſq; in finem ſuos legitur dilexiſſe. Sed & hoc deſiderium amicorum fuit, quibus dixit: Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos, quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis. Item, Maiorem charitatem nemo habet, q̃ vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Conuenienter Patrem poſtulat, qui ſemper exauditus eſt. Nam & vulgò & vulgariter dicitur: Securus vadit ad placitum, qui Patrem habet iudicem. De eo nanq; Pater dixit. Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Nam cùm Filius eiuſdem ſubſtantiæ ſit cum Patre, in natura quidem humana, quam ſibi perſonaliter vniuit, poſtulat pro nobis, vel allegat propitium iudicem, & propoſiti ſui deſiderij nobis fructum reportat. Nec incongruè Patrem dicimus, cùm in perſona Filij Propheta dicat: Iudica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me. Et ipſe Filius: Non quæro gloriam meam, eſt qui quærat, & iudicet.

In pleriſq; ſacræ ſcripturæ locis ordo quidem iudiciorum ab ipſo Deo inſtitui videtur, & ſeruari. Quidam vir ſimplex, & rectus, ac timens Deum, cùm

expleto

expleto officio matutino, egrederetur Eccleſia,& à diſcipulis rogaretur: Quid audiſti in Eccleſia, Pater? reſpondit: Quatuor audiui, ſex notaui. Subtilis planè reſponſio fuit,& fidelis. Quatuor nanque verſiculos pſalmi decimioctaui audierat, ſcilicet, Lex Domini immaculata, conuertens animas,& tres alios, qui ſequuntur, in quibus ſex nontantur, quæ ſunt, lex, teſtimonium, iuſtitia, præceptum, timor, iudicia. In his partim perſonæ, q̃ in iure ſunt neceſſariæ, partim actus eorum exprimuntur. Nam & Dominus, qui iudex eſt, & lex, ſecundùm quam iudicatur,& officium teſtium ſub hoc nomine teſtimonium, actoris quoque, & rei merita per hoc nomen iuſtitiæ deſignantur. Nam & merita cauſarũ partium aſſertione panduntur. Sententia iudicis ſub hoc nomine præceptum, accuſatoris,& executoris officia, duobus vltimis nominibus, quæ ſunt timor,& iudicia, indicantur. Quinque priora binis accidentibus innituntur, ſextum quadrinis. Lex Domini immaculata, conuertens animas. Teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis. Iuſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda. Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Timor Domini ſanctus permanet in ſeculum ſeculi. Iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemetipſa, Deſiderabilia ſuper aurum,& lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel,& fauum. Præfata ſanè Domini dicuntur eſſe. Eſt etenim lex, quæ non eſt Domini, vt peccati, de qua dicit Apoſtolus: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ,& captiuãtem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Sunt & iuſtitiæ humanæ, de quibus dicitur: Omnes iuſtitiæ noſtræ, tanquam pãnus menſtruatæ. Sunt & præcepta humana, quibus Petrus obediendũ non eſſe dicit: Obedire, inquiens, oportet magis Deo, quàm hominibus. Timor quoque humanus à Domino reprobatur. Vnde ait: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.

In propoſitis autem verſiculis omnia dicuntur eſſe Dei. Primum, ſcilicet lex, bina habet accidentia, quæ ſunt, immaculata, conuertens animas, ſiue de lege intelligas naturali, vel ſcripta, ſeu lege gratiæ. Vnicuique enim harum trium legum, ſcilicet naturali, ſcriptæ,& legi gratiæ, hæc duo conueniunt; nam immaculata debet eſſe,& conuertens animas. Naturalis lex hæc duo habebat præcepta: Quod tibi fieri non vis, alij ne feceris; & quod tibi vis fieri, alij facias: quæ ſunt non obeſſe,& prodeſſe. Et hoc quantùm ad primum, ſcilicet immaculata. Quãtùm ad ſecundũ, cõuertens animas, in primo non malefica, in ſecundo benefica; in primo ſine macula malitiæ, in ſecundo conuertens animas ad manſuetudinẽ beneuolentiæ. Nam cùm tres naturales potentiæ inſint animæ, ſcilicet ira, ratio, concupiſcentia, concupiſcentia data eſt, vt monearis ad appetendum quæ tibi licita ſunt; ira ad indignandum contra ea, quæ illicita ſunt; ratio data eſt in medium, cohibens,& dirigens vtrunque ne ira vltra terminos iræ moueatur, & ne cõcupiſcentia appetat illicita. Itaque lex naturalis, quantũ in ſe eſt, eſt immaculata. Lex quoque ſcripta immaculata eſt,& conuertens animas. Immaculata, ideſt ſine ſordibus idololatriæ; conuertens animas ad ſeruiendũ Deo; quod tantum filij Iſraël faciebant. Lex autem gratiæ reuera eſt immaculata,& conuertens animas. Nam & Eccleſia hac lege ducitur: dicitur enim eſſe ſine macula,& ruga, ſine macula criminis, ſine ruga ſimulationis. Etiam lex Euangelica eſt ſine errore hæreſis, conuertens animas ſimpliciter,& directè ſine figmento hypocriſis. Attendite gradus iſtos, quia prima lex eſt immaculata, ſecunda magis, tertia maximè; ſic & conuertens animas.

Teſtimoniũ Dñi bina habet accidẽtia, ſcilicet fidele, ſapientiã præſtans paruulis. Teſtimoniũ Dñi dicitur, q̃cunque in ſcriptis ſanctis teſtificatur Dñs, aut pmittens, aut præcipiens. Continentur itaque teſtimonia in promiſſis,& pceptis, quia quæ promittit, ſoluit, ſiue iuſtis pmia, ſiue iniuſtis tormenta. Sapientiã præſtans

paruulis,inquantū eſt præcipiens; quia qui paruuli ſunt ſcientia,ex præceptis Dñi redduntur ſapientes; vt ibi oſtenditur, A mandatis tuis intellexi. Eſt itaq; fidele teſtimonium Domini,in explanatione præceptorum eius. In primo intellige promiſſiones,& comminationes; in ſecundo prohibitiones. Fidele eſt, promittens,& comminans. Sapientiā præſtans paruulis,prohibens,& pcipiens.

Iuſtitiæ Domini binis conuertuntur accidentibus, quæ ſunt,rectæ,lætificantes corda. Iuſtitiæ Domini,opera iuſtorum; vnde & ipſi iuſti appellantur. Sed dicuntur eſſe Domini,quia omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt,deſcendens à Patre luminum. Quid enim habes, ò homo, quod non accepiſti? Item gratia Dei ſum id quod ſum. Ea autem opera iuſtitiæ appellari poſſunt,quæ fide naſcuntur,& dilectione conſummantur. Nam ſicut ſine fide impoſſibile eſt quenquam placere Deo, ita & fides ſine operibus mortua eſt. Fides autem,quæ per dilectionem operatur,& proficit,& ſufficit ad ſalutem. Hæc ſunt iuſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda per ſerenam conſcientiam.

Præceptum binis gaudet accidentibus. Eſt enim lucidum,illuminans oculos ex ſui doctrina. Sunt quippe quædam lucida,& non illuminantia, vt carbo ſine flamma lucidus eſt,non tamen illuminat. Flāma ſine carbone & lucet, & illuminat. Præceptum Domini lucidum eſt ſine confuſione ſententiarum, illuminat oculos ex infuſione gratiarum. Vnde illud: Lucerna pedibus meis verbum tuū, & lumen ſemitis meis. Et beatus Petrus:Cui benefacitis, inquit,attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco. Singulariter autē ponitur præceptum, quamuis multa ſint pcepta,quia (vt ait Gregorius) præceptū Dñi & vnū eſt,& multa ſunt; multa propter diuerſitatem operis,vnum in radice charitatis.

Timor Domini ſanctus permanet in ſeculnm ſeculi. Excluſo humano timore,hîc notatur filialis,ſiue caſtus. In hoc quod dicitur,Timor Domini ſanctus, intelligitur caſtus, & eſt initium ſapientiæ timor Domini. Quod autē dicitur, Permanens in ſeculum ſeculi,filialem deſignat.

Iudicia verò Dñi ſuo quaternario vehunť; ſunt vera,iuſtificata in ſemetipſa, deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum; dulciora ſup mel, & fauum. Iudicia Domini ſunt retributiones, quibus vel reprobos punit, vel iuſtos remunerat. Ea quamuis ſint ſæpè occulta,ſemper tamen vera ſunt,& iuſta,veritatem iuſti iudicis ſequentia. Sunt iuſtificata in ſemetipſa, non ſicut humana iudicia,quæ aliunde formantur,ſicut ex allegationibus aduocatorum, & ex depoſitionibus teſtium,& recitationibus inſtrumentorum. Vnde & per hoc ſæpè falluntur iudices; & quamuis ordo iudiciarius ſeruetur, nonnunquam tamen innocens condemnatur,& nocens abſoluitur. Iudicia autem Dei ex ſemetipſis iuſtificationem accipiunt,ſicut per Prophetā dicitur: Non ſecundū viſionem oculorum iudicabit;nec ſecundū auditum aurium arguet,&c. Sunt autem deſiderabilia, ideſt deſiderari digniſſima ſuper diuitias,& delicias. In auro, & lapide pretioſo intellige diuitias,in melle,& fauo delicias. Diuitiæ aūt maximè intelliguntur in pecunia, & potentia. Per lapidē pretioſum,quo potentes,& nobiles vtuntur,gloria potentiæ. Porrò diuitiæ aliæ cū difficultate acquiruntur,aliæ ſine difficultate. In melle,quod liquidum eſt,deliciæ,& voluptates ſine labore. In fauo,quod mel & ceram cōtinet ſimul, voluptates cum difficultate.

Ecce quidam ludus iudiciarius occurrit nobis in ſcripturis,Deum Patrem repræſentans. Locus iuris,in quo Aduocatus noſter poſtulat, patibulum Crucis fuit. Cùm enim ex officio ſuo aduocati habeant ſtare, ipſe non ſtans, ſed toto corpore extenſo in ligno Crucis,apud Patrem pro nobis allegauit, deſiderium ſuum,& amicorum ſuorum exponens,& aduerſarij deſiderio contradicens vſq; ad proprij ſanguinis effuſionem. Rem ſuam poſtulat, ideſt genus humanum,

quod ipſe creauit,cuius verum dominium habebat. Eccleſiam de gentibus conuerti poſtulauit,tanquam proprius hæres hæreditatis petitionem proponens,& in poſſeſſionem de iure mitti deſiderans. Petitio autem hæreditatis ex ordine, & regulari iure proponitur aduerſus eum,qui poſſidet pro hærede, vel poſſeſſore. Pro hærede poſſidet,qui dicit ſe hæredem eſſe,cùm non ſit; pro poſſeſſore poſſidet quis,cùm nullo titulo poteſt tueri ſuam poſſeſſionem, qui ſi requiratur quare poſſideat, nullam aliam cauſam allegat,niſi quia ſic poſſideo. Rectè autem propoſuit Dominus noſter aduerſus diabolum, quia hæreditatem Domini pro poſſeſſore poſſidebat malignus prædo; de quo Propheta: Væ qui prædatis, non'ne ipſe prædaberis?

In hac aduocatione,ſiue poſtulatione Aduocati noſtri maximè gaudet Eccleſia die reſurrectionis Dominicæ,quia Aduocatus poſtulauit,quia poſtulata impetrauit,quia impetrata obtinuit,& poſſedit. Inde eſt quòd tripliciter laudem ſubiungit. Introducens enim filium loquentem ad Patrem,& dicentem: Poſtulaui Patri meo: Eccleſia reſpondet: Alleluia,ideſt Deo laudes,quia poſtulaſti. Item, Dedit mihi gentes: & reſpōdet Eccleſia: Alleluia, ideſt Deo laudes,quia impetraſti. Item, In hæreditatem mihi: Reſpondet: Alleluia, quia obtinuiſti,& poſſediſti. Conſociemur igitur & nos in hanc laudem vniuerſalis Eccleſiæ, vt cum electis in hæreditatem Domini intraturi, ad reſurrectionem Domini peruenire valeamus perpetuò gauiſuri.

Quod ipſe præſtare dignetur,qui viuit,& regnat per omnia ſecula ſeculorum.

Amen.

EIVSDEM BEATI

PETRI DAMIANI

SERMO IN FESTIVITATE SANCTI VICTORIS CONFESSORIS.

HIC ille magnus prouidentiæ oculus dulciori verberē carnem carnaliter ambulantem afflixit, & confixit timore ſuo. Qui enim patientiam Dei, pœnam inferni, gloriam regni animo irreuerenti, & infrunito contempſeram, paratus ſum, & non ſum turbatus, vt cuſtodiam mandata Domini. Intus erat vrens conſcientia multis obuoluta criminibus, & artificioſo velamine deteſtandum ſilentium diligens, plus elegerat mori, quàm loqui, perire, quàm redire. Sic obdurationis ſuæ legibus preſſa, oculos ſuos ſtatuerat declinare in terram. Sed ille, qui non dormit, neq; dormitat, pauperis animæ recordatus, aggreſſus eſt flagellis vincere, quàm vincere beneficijs non valebat. Adeſt illa maxima febris, quam acutam Phyſici nominant, & membris omnibus profuſiùs ſuperfuſa, miſerabili corpore inſedit. Exaggeratur calor, & in ipſam animæ ſedem ignis furioſus irrumpit. Iam flammis vltricibus peccantis ſubſtantia conflagratur, & æternalium ſentit præludia tormentorum. Intelligens igitur, quia horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis, multiplicitatem facinorum meorum recolligo, confeſſus 1 illi, quem electio patrem, amicitia fidelem, familiaritas conſortem effecit. Vtrum taliter reſponderit, qualiter ego clamauerim, eius diſcretioni cenſui relinquendum. In propoſito meo eſt, & 2 præterita mea plangere, & cauere futura. Donet ille perſeuerantiam, qui negligentiam excitauit. In ipſius miſericordia, non in iuſtitia ſua confidit ſeruus ſuus, vt memor ſit mandatorum ipſius, non ſolùm ad ſcribendum, ſed ad faciendum ea. Hæc ergo cauſa fuit operis interrupti. Hæc tantæ taciturnitatis occaſio. Nunc igitur ſcribemus tantò lætiùs,

1 Habes hîc cōfeſſionem ſacramentalē factā Sacerdoti.

2 Vides veram pœnitentiam non eſſe duntaxat nouam vitā, vt mentiuntur qdā, ſed vnà cum ea dolorē de peccatis cōmiſſis, & firmū propoſitū de nō cōmittendis?

quantò

quantò ſecuriùs, cùm ſummum periculum ſit docere, nec facere; nec attendatur hîc ſtyli lenocinantis excurſus, cùm veræ religionis ſit, euentilatis caruiſſe ſermonibus, nec verborum gloriam redolere.

Ad manum eſt patris noſtri Victoris 3 ſolennitas, ad cuius ſacratiſſimum corpus, ſi vera eſt antiquitatis fides, quotidie reſidemus. Hic eſt vir, qui 4 in virtute Domini virtutum ſignis, & mirabilibus glorioſus effulſit, Apoſtolis, & apoſtolicis viris miraculorum gloria comparandus. Quæ & quanta ſint, & quanta ſublimitate fulgentia, libellus de vita, & ortu eius latiùs exaratus ſufficit indicare. Huic ſignificanter aſſignari poteſt illud, quod in illa ſolenni viſione Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribitur: Vincẽti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei. Ipſe etenim nomen ex opere ſortitus ante vicit, quàm vincere noſſet, nec quemlibet hoſtem, ſed illum, de quo rara, & nunquam ſecura victoria. Lignum vitæ eſt ſapientia, de cuius fructu & hîc in ſpe, & illic manducat in re, fructu vtiq; ſpecioſo, & pretioſo, ſpecioſo propter ſpeciem, pretioſo propter vtilitatem. Hæc eſt illa ſublimis arbor, cuius vmbra montes, & arbuſta cedros Dei operuerunt. Cedrus Libani, quæ ramoſa denſitate Angelicas perumbrat ſtationes. Sub vmbra huius arboris ſedet ſponſa, & fructus eius dulcis gutturi ſuo. Huic dicimus: In vmbra tua viuemus inter gentes. Huius vmbraculum protegit ab æſtu diei in ſecuritatem, & abſconſionem à turbine, & à pluuia. Hoc eſt illud granum ſinapis, quod in vtero Virginis Dei Patris manibus ſeminatum, minus fuit omnibus oleribus terræ, ſed in tantam altitudinem exurrexit, vt veniant volucres cœli, & habitent in ramis eius; lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, lignum vitæ in medio paradiſi.

3 Ad manũ eſt patris noſtri Victoris ſolẽnitas, ad cuius ſacratiſſimum corpus quotidie reſidemus.

4 Vide ſanctos in virtute Dei miracula facere, & virtutum ſignis coruſcare.

Et attende magnum ſacramentum. Filius Dei totus, & integer eructatus eſt de corde Patris in vterum Mariæ, de ventre Matris in gremium Eccleſiæ. Quãtus in Patre, tantus in Virgine, quantus in Virgine, tantus in Eccleſiæ vnitate. In Patre ineffabiliter, in Matre mirabiliter, ſingulariter in Eccleſia. Cum Patre eiuſdem & æqualis ſubſtantiæ, cum Matre euiſdem, & diuiſæ, cum Eccleſia eiuſdem, ſed occultæ. Sic diſtillauerunt cœli miſericordiam, ſic Verbum Dei transfuſum eſt, & effuſum vbiq; totum, ſine quo nihil totum. Felix effuſio, quæ currentes adoleſcentulas ad odorem ſuauitatis inuitat, viſu recreat; ſatiat guſtu, vbiq; autem in medio. Nam & in illa Deitatis eſſentia, media eſt inter Patrem, & Spiritum, perſona familiaris humano generi benignitate, familiarior identitate; c..m ſola noſtræ carnis ſuſceperit paupertatem. Vnde & Dauid in ipſius diuinitatis abyſſum immerſus, ait: Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus: & illum in medio maieſtatis eſſe proteſtans, & noſtrum afferens ſpecialiter, qui noſtræ mortalitatis induit veſtimentum. Pater enim, & Spiritus impleuerunt quidem Virginem, ſed maieſtate, non ſuſceptione. Eſt & in medio Virginis ipſius vtero ſubſtantialiter illapſus, qui medietatem ſtateræ comprehendit humanæ. Deus enim noſter Rex ante ſecula operatus eſt ſalutem in medio terræ, terræ vtiq; illius, de qua ſcriptũ eſt: Nemo erat, qui operaretur terram. Eſt etiam in medio Eccleſiæ, dicente Pſalmiſta: Sanctificauit tabernaculum ſuum altiſſimus, Deus in medio eius non commouebitur.

Colligamus pauca de pluribus, qualiter Saluator medius ſit, & ſemper in medio videatur. Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos; ipſe non habet nidum, foueam ignorat, angulum neſcit, locum illum elegit, vnde pateat omnibus, excluſa perſonarum acceptione. Deniq; & natus poſitus eſt in medio duorum animalium, & quæſitus inuenitur in medio doctorum, & medius Iudæorũ ſtat, quem ipſi neſciunt. Loquitur & ad Diſcipulos: Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum in medio eorum: &, Ego in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat. Crucifixus eſt etiam in medio duorum latronum.

Reſurgens ſtetit in medio Diſcipulorum ſuorum,& à Ioanne viſus eſt in medio ſeptem candelabrorũ aureorum. Medius ergo medium ſequere, nec angulorum ſordibus,nec fouearum tenebris delecteris,ſed dic cum iuſto: In medio Eccleſiæ laudabo te. Hoc eſt igitur lignum vitæ plantatum in medio paradiſi, arbor aromatica, puriſſima, balſamorum mella diſtillans. Ex huius arboris ſubſtantia ſeptemplicium ramorum corona progerminat,in quorum ſummitate fructus illi dependent,quos cœleſtis illa fiſtula,Paulus Apoſtolus,verbis elegantibus explanauit.

Primus ramus eſt incarnatio Filij Dei. Iſte ſiquidem ſubtilis,& neceſſarius, cùm& inſtauret cœleſtia, terreſtria reſtauret,& vtranque naturam ſua viuificet viriditate. Si in viridi, inquit, ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? ſe vocans viride lignum,de virginali pullulatũ virore,cùm nos & natiuitatis munditiam,& fidei viriditatem in primo parente verũ ſit amiſiſſe. Viriditas hæc tam ſapienter ab ipſa ſapientia excogitata eſt,vt & cordis,& oris tranſcéat facultatem. Oportebat enim ad redemptionem hominis,vt victus homo victorem diabolum vinceret. Sed vnde fieret hoc,non habebat. Omnes enim in illo proſcripti eramus,& per illum originalis peccati grauitate depreſſi. Deus autem non debuit,cùm potiùs potentia videretur,ſi ſeruum à ſe recedentem,cui illum ſubiugauerat,enodaret. Quod igitur homo per ſe non potuit, Deus per ſe non debuit,artifex ſapientia Deum & hominem collocauit,vt ex parte hominis pro hominibus ſatisfaceret,& ex parte Dei ſuperbum ſicut vulneratum humiliaret. Clauſa eſt principi tenebrarum hæc tam glorioſa coniunctio,nec verſuta calliditas conſilium Dei potuit coniectare. Aſſumitur purum ſemen de virginea puritate,& illum propitiationis fontem ſapientia Dei ſecretiori nouitate repurgat. Primus itaq; ramus eſt incarnatio eius;fructus eius ſpiritus ſapientiæ.

Secundus ramus eſt baptiſmus Chriſti. Intuere Filium Virginis non ad ablutionem membrorum ſuorum,quæ de Virgineis membris exierant,fuiſſe baptizatum,ſed vt tantæ mundationis priuilegium in aquarum ſubſtantia ſanciretur. Tene intellectu,quod viſu non potes,deſcendere in aquam,cùm aliquis baptizatur,filium diaboli, & aſcendere filium Dei,vaſa iræ in miſericordiæ vaſa conuerti,euerti peccatum originis,ſubuerti latronis ædificium,diuinitatis domiciliũ præparari. Adeſt Spiritus ſanctus,& de ſumma cœlorum arce deſcendens,elementum ſanctificat,deificat baptizatum,clarificat miniſterij dignitatem. Conſtipátur Angelicæ virtutes alludentes ſacramẽtalibus inſtitutis,& cœleſtibus creaturis vnda purificans coronatur. Cordis,non carnis oculos deſiderat ſacramenti tranſcenſio,quia intelligibilis eſt.. Secundus ergo ramus eſt baptiſmus Chriſti; fructus eius ſpiritus intellectus.

Tertius eſt paſſio Redemptoris. Vide conſiliũ Dei,quod in abyſſo iudiciorũ eius clauſum fuerat ab æterno. Conſilium tuum antiquum,Domine,verũ fiat: ait vnus illorum,qui ad arcanum diuinæ prouidentiæ fuerat intromiſſus. Numquid non cõſuluit tibi,cui non erat adiutor,cùm ſanctiſſimam illam carnem addixit opprobrijs,tormentis expoſuit,& inclinato capite emiſit ſpiritum? O' quàm indebita miſeratio,quàm gratuita,& ſic probata dilectio,quàm inopinata dignatio,quàm ſtupenda dulcedo,Filium Dei ſic affligi, Regem gloriæ in lacu miſeriæ crucifigi. Deniq; nihil melius ad te redimendum habuit,quàm quòd ſemetipſum exinaniuit,nec excellentiorem modum inuenit ſapientia Dei in omni ſapientia ſua. Paſſio iſta conſilium tuæ redemptionis eſt. Ramus neceſſarius, & mirabilis; cuius fructus eſt ſpiritus conſilij.

Quartus eſt deſcenſio eius ad inferos. In fortitudine ſingulari deſcendit ad inferos,tanquam potens crapulatus à vino,& conturbauit virũ, qui cõturbauit

terram,qui poſuit orbem deſertum,confringens malleum vniuerſæ terræ,& hor rendum illud palatium fortiſſima ſubuerſione concutiens. Fortis quidem erat il le,ſed fortior ſuperuenit,qui vaſa diriperet,auferret arma,ligaret inimicum. Et ramus quidem iſte rectus,atq; ſubtilis; cuius fructus eſt ſpiritus fortitudinis.

Quintus eſt Reſurrectio Chriſti. Hîc oſtendit nobis exemplo, quòd promiſe rat in præmio,& ſcire nos fecit,quòd carne ſua reſurgente reſurgeremus, quæ etſi diſſimilis gloriæ,tamen eiuſdem naturæ in vtero Virginis fuerat fabricata. Excluſa eſt totius ambiguitatis offenſio. Viderunt Apoſtoli manus, tenuerunt pedes,palpauerunt latus,& omnia mortis inſignia beatis oculis aſpexerunt. Et hic igitur ramus magnus,atq; ſublimis; fructus autem eius ſpiritus ſcientiæ.

Sextus eſt Aſcenſio ad cœlos. O' ſingularis pietas,ſuauitas ſpecialis,cùm lu men carnis noſtræ ſublimibus intulit officinis, & ad dexteram Patris colloca- uit in gloria. Vident,& admirantur cœleſtium agmina legionum, & ad tantæ gratiæ largitatem inceſſabiliter obſtupeſcunt; exuperat enim ſenſum omnem tá tæ dignationis intuitus, ipſi ſoli peruius Trinitati. Sed & hic ramus ſpectabi- lis, & mirandus; fructus verò eius ſpiritus pietatis.

Septimus eſt dies Iudicij,quando veniet cum poteſtate magna, & maieſtate, reddere in ira vindictam,& vaſtationem in flamma ignis. Tunc erit timor ille timendus,cùm cœlis ardentibus,pugnantibus elementis,terra ſuccenſa,conſcien tijs obuolutis,dæmonibus accuſantibus,trementibus Angelis, Iudice furibundo, & miſericordiam neſciente,fiet illa diſcuſſio,quæ vtinam nos paratos inueniat. Ramus iſte magnus,& metuendus; fructus eius ſpiritus timoris Domini. Ame- mus ergo lignum vitæ,& de fructu eius aſſiduè manducemus, quia fructus iſte Filius Mariæ eſt, qui eſt Deus benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

EIVSDEM BEATI
PETRI DAMIANI
SERMO DE INVENTIONE SANCTAE CRVCIS.

HODIE, fratres chariſſimi, quia Crucis inuentionem colimus, quaſi reperto communi totius mundi theſauro, communiter in Chriſto gaudere debemus; & ſicut ille, inuenta perdita oue, vel dragma, conuocatis amicis, & vicinis, congratulatus eſt, ita & nos, inuento eo, non quod ipſe perdiderat, ſed quo nos perditos acquiſierat, iuſtum eſt gloriari, præſertim cùm Apoſtolus dicat: Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti: tantoq; propenſius ſpiritualem lætitiam alacri debemus mente concipere, quantò non ignoramus & ipſum humanæ ſalutis inimicum amarius ſuſpirare. Gaudebat nanq; diabolus ad euadendum ignominioſæ ſuæ confuſionis opprobrium, quòd triumphale vexillũ, ſub quo perdiderat, ſub quo proſtratus, & captiuatus fuerat, catenus maneret occultum, & ruinæ ſuæ dedecus, quod ſuccumbendo pertulerat, ſuppreſſo ſigno victoriæ, compenſabat. At vbi repertum eſt, vbi cum tanta gloria Chriſtianæ deuotioni, & pietati perpendit eſſe conſpicuum, erubeſcit ſe vbiq; iam videre proſtratum, quia vbiq; titulum diuinæ victoriæ cernit erectum. Vbicunq; enim ſignum Crucis erigitur, illic proculdubio & Chriſti victoria, & diaboli captiuitas denotatur.

Porrò autem veternoſus hoſtis per lignum primum hominẽ vicerat, omnẽq; illius progeniem per quinq; millia ferè annorum, tanq̃ ſeruum ſub iugo ſuæ tyrannidis opprimebat. Venit autem Dei filius, tanquam gigas ad currendam viam, vt debellaret aëreas poteſtates, & lignum ligno oppoſuit, dum per Crucis amaritudinem expuit venenatam pomi illius vetiti voluptatem. Primus ſcilicet homo cùm manum ad arborem diabolo ſuadente porrexit, tanquam ligneæ tabulæ chirographum dedititiæ ſeruitutis inſcripſit. Secundus homo cùm in Cruce manus extendit, cautionem illam letiferæ paſſionis obliterando deleuit. Per lignum ergo ſerui facti, per lignum ſumus libertati priſtinæ reſtituti. Per lignum de Paradiſo fueramus eiecti, per lignum ſumus ad patriam reuocati. Et qui per lignum inimici deputati fuimus, per ſacramentum Crucis in amicitiam Dei, & in Angelorum concordiam reconciliati ſumus, teſtante Apoſtolo, qui de Chriſto ad Epheſios loquens; Ipſe eſt, inquit, pax noſtra, qui fecit vtraq; vnum,

& medium parietem maceriæ,diſſoluens inimicitias in carne ſua,legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in ſemetipſo in vnum nouum hominem, faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore Deo per Crucem interficiens inimicitias in ſemetipſo.

Hoc deniq; ſalutis humanæ vexillum non ſolùm lex per quaſdam typicas intelligẽtias, & ænigmata præfigurat,ſed & omnium Prophetarum oracula,& cũcta veteris inſtrumenti veneratur auctoritas. Quæ eſt enim ſacri eloqnij pagina, quæ Crucis myſterium non redoleat,& ad hoc, quaſi ad totius humanæ ſalutis caput,atq; principium non intendat? Ex quibus nimirum non otioſum credimus,ſi aliqua hîc teſtimonia,quæ Crucis myſterium innuãt,proferamus,vt per ea,quæ hîc breui ſermone perſtringimus,ad illa etiam,quæ tacentur, facilioris intelligentiæ aditum præbeamus. Primus igitur 1 Abraham accedat in medium,qui dum immolare Deo filium voluit, cuncta penè per ordinem paſſionis Dominicæ ſacramenta ſignauit. Sicut enim Abraham,qui Pater excelſus dicitur, vnicum,& dilectum filium offerre Deo non dubitauit,ita & ſummus Pater vnigenitum dilectumq; Filium pro nobis omnibus tradidit. Et ſicut Iſaac ipſe ſibi ligna portauit, quibus erat imponendus,ita quoq; Chriſtus Crucis ſuæ geſtauit in humeris lignum, in quo erat pro noſtra ſalute paſſurus. Duo autem ſerui illi procul dimiſſi Iudæos ſignificant,qui cùm ſeruiliter viuerẽt,& carnaliter ſaperent, non intellexerunt altiſſimam paupertatem Chriſti,atq; ideo nõ aſcenderunt in montem,locum videlicet ſacrificij. Cur autem duo ſerui, niſi quia, peccante Salomone,ex vna Iſraëlitica plebe duo facti ſunt populi? Quibus vtiq; ſæpè per Prophetas dicitur: Aduerſatrix Iſraël,& præuaricatrix Iuda. Aſinus autem ille,quo tunc vtebatur Abraham,inſenſata erat ſtultitia Iudæorum. Illa planè bruta ſtultitia omnia ſacramenta portabat, quæ tamen quid ferret,velut irrationale animal,ignorabat. Iam verò quid eſt quod dictum eſt eis: Expectate hîc cum aſino;poſtquam autem adorauerimus, reuertemur ad vos? Audi Apoſtolum. Cæcitas,inquit,ex parte Iſraël facta eſt,vt plenitudo gẽtium intraret,& ſic omnis Iſraël ſaluus fieret. Quid eſt enim quod dicitur: Cæcitas ex parte Iſraël facta eſt? Hoc eſt videlicet, Expectate hîc cum aſino. Vt plenitudo gentium intraret: hoc eſt, Poſtquàm adorauerimus, Vbi videlicet ſacrificium Dominicæ Crucis impletum, per omnes gentes fuerit prædicatum. Quod autem ſequitur: Et ſic omnis Iſraël ſaluus fieret: hoc eſt, Reuertemur ad vos. Quid eſt autem quòd aries inter vepres hærens cornibus inuenitur, qui pro Iſaac immolatus offertur? Crux nempè cornua habet; duo ſiquidem ligna inuicem componuntur,& ſic Crucis ſpeciem reddunt. Hinc eſt enim quòd de Chriſto ſcriptum eſt: Cornua ſunt in manibus eius. Hærens ergo cornibus aries Chriſtus eſt crucifixus inter aculeatas,& vulnificas Iudæorum iniquitates; ſicut ipſe per Hieremiam conqueritur,dicens: Spinis peccatorum ſuorum circundederunt me populus hic. Peracto ſacrificio,dicitur Abrahæ: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes: & poſtquàm Dominus dicit: Foderunt manus meas,& pedes meos: paulopòſt in eodem pſalmo ſubiecit: Reminiſcentur, & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ,& adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ gentium,quoniam Domini eſt Regnum, & ipſe dominabitur gentium. Oblato itaq; Abraham filio, & pro eo ariete immolato,appellauit nomen loci illius,Dominus videt,quia Redemptor noſter,poſtquam in ara Crucis oblatus mortis noſtræ debitum ſoluit, videndum ſe deinceps fidelium ſuorum obtutibus præbuit; vt nimirum redempti omnes illum iam per fidem videant,qui eatenus fidei oculos non habebant.

1 Sanctæ Crucis typi,ac teſtimonia.

Verùm nos,dum ſacrificantem Abraham aliquantò longiori ſermone proſequimur, ab alijs,quæ dicenda ſunt,diutius præpedimur. Hoc nempè Crucis

myſterium & Iacob figuraliter expreſſit, cùm de Chriſto inter reliqua verba benedictionis intulit dicens: Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum. Stola Chriſti,& pallium multitudo eſt gentium, quas tunc Dominus induit,quando ſibi eas per gratiã redemptionionis adiunxit,ſicut per Prophetam pollicetur dicens: Viuo ego,dicit Dominus,niſi hos omnes induam ſicut veſtimentum. Stolam ergo ſuam Dominus in vino,& pallium in ſanguine vuæ lauit,quãdo ſicut botrus in Crucis ligno pependit. Tunc enim ex latere eius ſanguis,& aqua profluxit. Sed aqua nos abluit,ſanguine redemit, nimirum vt exhiberet ſibi ſponſam non habentem maculam,neq; rugam. Crucis myſteriũ idem Iacob tunc etiam patenter exhibuit,quando iuniorem Ephraim Manaſſe primogenito præferens,in modum crucis ſuper eos brachia permutauit. Per Crucem nanq; factum eſt,vt populus gentium,tanquam primogeniti iure præcepto,populum præcederet Iudæorum. Illud quoq;,quod in Exodo legitur, ad Dominicæ Crucis refertur proculdubio ſacramentum. Dixit enim Dominus ad Moyſem: Proijce virgam,quam in manu geſtas,in terram: & proiecit, & verſa eſt in colubrum. Expauit illico Moyſes,& fugit. Et ait illi Dominus: Apprehende caudam eius; & apprehendit,factusq; eſt iterum virga. Cuncti liquidò nouimus, quia ſerpens ſuaſit homini mortem. Ergo mors à ſerpente. Quis autem virga,niſi Chriſtus,de quo Propheta dicit: Quia egredietur virga de radice Ieſſe? Virga itaq; in ſerpentem, Chriſtus in mortem. Moyſes autem expauit,& fugit,quia ſuſpenſo in Cruce,vel moriente Domino,omnis ille Apoſtolorum numerus tremefactus expauit,& à certæ ſpei,ac firmæ fidei ſoliditate receſſit. Quia verò cauda extrema pars corporis eſt,quid niſi finem Dominicæ ſignificat paſſionis? Moyſes igitur caudam apprehendit, & nihil in virga vltra ſerpentis apparuit,quia completo Dominicæ paſſionis, Crucisq; myſterio,& fidelis quiſq; tunc ad fidem redijt, & Chriſtus,conſumpta morte,idipſum in ſe,quod fuerat,per reſurrectionis gloriam reparauit.

Iam verò quid eſt,quòd Iſraëlitica plebs poſtibus domorum de ſanguine agni iubetur imponere,niſi vt nos præfiguret Crucẽ Chriſti,qui verus eſt agnus, in fronte portare? Ad veſperam ſiquidem immolabatur agnus, & in veſpera mundi paſſus eſt Chriſtus. Liniuntur vtriq; poſtes,ne vaſtator Angelus audeat inferre perniciem,& nos Crucis vexillum in corde geſtamus,& fronte, ne repentinus hoſtis irruens valeat auferre ſalutem. Vnde & ſecuri canimus: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine. Quod tamen ſecuriùs,digniuſq; cantamus,ſi rubro iam mari tranſmiſſo,& hoſte demerſo,tympanũ cũ Maria Moyſi ſorore deferimus. Quid eſt autem tympanum portare? Audi Dominum dicẽtem: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuã quotidie,& ſequatur me. Qui enim carnem ſuam cum vitijs,& concupiſcentijs crucifigit,qui membra ſua,quæ ſunt ſuper terram,abſtinendo mortificat,ille verè cum Maria tympanum portat,quia ſemetipſum à noxijs terrenæ voluptatis humoribus aridum ſeruat. Iuxta rationis igitur conſequentiam,& hîc tympanum Crucis myſterium non obſcurè deſignat. Præterea & illud non inconuenienter occurrit,quòd videlicet Iſraëliticus populus in Marath aduerſus Moyſem murmurat,vociferans ſcilicet,non ſe poſſe reperire quod bibat. Tunc oſtendit Moyſi Dominus lignum,quod cùm ille miſiſſet in amariſſimas aquas,in dulcedinẽ protinus ſunt conuerſæ. Quid enim amaræ illæ aquæ,niſi occidentis literæ,& duræ,atq; inſipidæ legis ſpeciem tenent? Scriptum eſt enim: Conſtituit populo ſuo Dominus legem,& iudicia,& tentauit eum. Et alibi: Ego dedi eis præcepta a non bona, & iudicia, in quibus non viuent. Cui tamen legi ſi cõfeſſio Crucis,& Dominicæ paſſionis myſterium copulatur,protinus quod amarum fuerat,in ſpiritalis intelligentiæ dulcedinem vertitur.

a Nõ bona, qa gratiam non conferebant, & occaſione quadã occidebãt. Vnde nihil ad pfectũ adduxit ex.

Notandum autem iuxta veritatem hiſtoriæ, quòd aqua in dulcedinē verſa, ſubinde populus venit in Helim, vbi erant duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ. Quid enim duodecim fontes, niſi duodecim ſunt Apoſtoli, quos Dominus ad hoc conſtituit, vt arida, & ſqualentia humani generis pectora ſuæ prædicationis inundationibus irrigarent? Quid verò ſeptuaginta palmarum arbores, niſi totidem ſunt Diſcipuli, quos ante faciem ſuam idcirco miſit, vt per eos victoriæ ſuæ palmas mundus agnoſceret? Et certè ſatis congruè videtur conſequentium rerum ordo diſpoſitus, vt primò populus duceretur ad literam legis, à qua nimirum, dum amara fuit, tranſire non potuit. At poſtquam eſt per lignum vitæ dulcis effecta, & intelligi ſpiritualiter cœpit, illico Dei populus de veteri teſtamento ad Apoſtolicos fontes, & palmarum arbores, ideſt ad Euangelij gratiam tranſijt. Et benè poſt acceptum decalogum ſeptuplus prædicatorum numerus conſtituitur, quia per ſeptiformem Sancti ſpiritus gratiam omne mandatum diuinæ legis impletur. Nec immeritò planè prædicatores Crucis palmarum videntur nomine figurati, dum & ipſa Crux iure dicenda ſit palma, quia in ea ſcilicet facta eſt de proſtratò mundi hoſte victoria; ſicut de ipſa Cruce ſponſus ad ſponſam; Dixi, inquit, aſcendam in palmam, apprehendam fructus eius, & erunt vbera tua ſicut botri vineæ, & odores tui ſicut malorum, guttur tuum ſicut vinum optimum. Fructus nempe Crucis omnes electi ſunt.

Aſcendit igitur Dominus palmam, & apprehendit fructus eius, quia mox vt in Cruce pro noſtra ſalute pependit, omnes electos ad ſemetipſum per amoris deſiderium traxit. Et tunc ſancta Eccleſia per duorum teſtamentorum vbera, ſpiritalis cœpit lætitiæ vina diffundere, atque odorem cœleſtis concupiſcentiæ naribus humanarum mentium inſpirare, vt incitata ad obſequendum mens noſtra ſibi gratulans dicat: Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. Quod profectò & petra illa Oreb in Raphidim ſatis expreſſè denunciat, quam virga Moyſes, Domino iubente, percuſſit, & aquas elicuit. Hanc ſanè petram Chriſti tenuiſſe figuram & Apoſtolus teſtatur, cùm dicit: Bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra. Petra autem erat Chriſtus. Huic itaque petræ lignum Crucis acceſſit, & mox tanquam aquæ profluentis inundantiam, ſancti Spiritus larga dona profudit. Ad quas nimirum hauriendas aquas omnes ſitientes inuitat ipſe, cùm dicit: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat, & de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem (inquit Euangeliſta) dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.

Sed quid in reliquis diutius immoramur, dum conſtet eſſe perſpicuum, quòd & ipſæ tabulæ, quæ Dei digito ſcriptæ ſunt, Crucis Dominicæ prætulerint ſacramentū? Decem nanque præcepta in eis ſcripta ſunt, & denarius numerus per X literam, quæ Crucis exprimit ſpeciem, deſignatur. In hac ſanè litera, quæ denarium in ſe continet numerum, ſic vnus apex à ſummo in imum per obliquum ducitur, vt alter quoque non diſpar per tranſuerſam lineā, productis vtrinque brachijs, compingatur. Et ſic apicis vtriuſque facta complexio non solùm exteriorem Crucis prætendit imaginem, ſed & myſticam eius quandam videtur indicare virtutem. Dicit enim Dominus: Non veni ſoluere legem, ſed adimplere.

Per Crucis itaque ſacramentum præcepta veteris inſtrumenti Euangelicæ gratiæ copulauit, & (vt ita loquar) duo teſtamenta velut vnius doctrinæ corpus effecit. Et primo quidem datæ ſunt tabulæ, ſed protinus ſunt, populo præuaricante, effractæ; ſecundo verò dantur tabulæ, ſed perpetuò permanſuræ. Planè priores tabulæ priſcæ legis tenuere figuram, quæ à ſui cultus obſequio erat poſtmodum defectura. Poſtea verò dantur tabulæ, ſed non franguntur, quia noui teſtamenti gratia, quæ per Crucis eſt ſolidata myſterium, nullum nouit habere defectum. Porrò autem nec arca illa veteris

teſtamẽti beatæ Crucis credenda eſt caruiſſe theſauris. Crucis nanq; incõparabiles diuitias occultabat, quia & Cruci iam per cuncta figurarum ſuarum, atque ænigmatum myſteria militabat; eius quippe ex tunc iã erat miniſtra, imago ſcilicet veritatis, & initium plenitudinis. Arca ſcilicet, ſancta erat Eccleſia. Tria verò continebantur in arca, duæ videlicet lapideæ tabulæ, quæ profectò duorum teſtamentorum innuunt perpetuam firmitatem, quas etiam Crucis in ſe myſterium continere ſupra docuimus. Vrna quoq; aurea habens manna. Hæc profectò puram, atq; ſynceram carnem Redemptoris exprimit, quæ proculdubio dulcedinem perpetuæ diuinitatis includit. Quæ dulcedo extunc in palato noſtrarum mentium ſapuit, ex quo miles pendentis in Cruce Domini latus aperuit, cùm botrus videlicet expreſſus eſt, qui dum calcaretur, torcular calcauit ſolus. Tertiò in arca fuit virga Aaron, quæ poſt ariditatem floruit. Quæ nimirum q̃d aliud ſignificat, niſi ſummi, veriq; Pontificis noſtri illud ſalutare vexillum immortalis memoriæ ſemper viriditate floridum, & exuberantium fructuum fertilitate fœcundum? Crux enim ſemper viret in ſpe, floret in fide, fructificat in charitate. Et poſtquam à terreno ceſpite præciſa eſt, frondet, quia quiſquis per amorẽ Crucis à terrenis deſiderijs ipſam mẽtis radicem præcidit, ad hæreditatẽ immarceſſibilem capeſſendam, & ſemp virentia æternæ vitæ paſcua cõualeſcit.

Verùm quid amplius de laude beatæ Crucis ediſſeram, quandoquidẽ omnia illa ſacrificia, quæ ſub legalium ceremoniarum ritu offerri iubentur, ad hoc vnum ſingulare, verumq; ſacrificium, quod in ara Crucis oblatum eſt, referantur? Per vitulum nanq;, qui de armento offerri præcipitur, Redemptor noſter, qui de Patriarcharum deſcendit progenie, figuratur. Hic nimirum aratro Crucis ſuæ terram carnis noſtræ perdomuit, & ex Spiritus ſancti ſemine virtutum nos fruge ditauit. Hic vitulus ſine macula non in tabernaculo, ſed ante oſtium eius à filijs Aaron offerebatur, quia & Dominus, qui ſine peccato eſt, ſub Anna, & Caipha extra portam eſt crucifixus. Ipſe agnus, quia mundi peccata deterſit. Ipſe hœdus, quia auctorem peccati diabolum Crucis gladio iugulauit. Ipſe columba, in cuius nimirum ſpecie Spiritus ſanctus ſuper eũ ad Iordanis flueta deſcendit. Ipſe etiam turtur, quia perpetuæ caſtitatis auctor exiſtit, ſicut ſibi à ſponſa dicitur: Speciosæ genæ tuæ ſicut turturis. Eandem porrò viuificæ Crucis hoſtiam deſignabat & vitula illa rufa, quæ ætate quidem integra, ſed iugi eſſe iubetur ignara. Rufa nimirum vitula caro eſt Saluatoris, roſea ſcilicet ſanguine paſſionis. Perfectæ quidem ætatis Dominus ad paſſionem venit, ſed eius collum iugum peccati cuiuslibet non attriuit. Qui vitulam offerunt immundi ſunt, & qui Chriſtum crucifigunt, vnde mundus abluitur, ipſi damnabiliter inquinantur. Qui verò cinerem colligens extra caſtra proijcit, mundus eſt, q̃a quicunq; Crucis Dñicæ, paſſioniſq; myſterium per mundi latitudinem prædicant, à peccatorum ſe contagio per ædificationis fraternæ miniſteriũ purgãt.

Sed quibuſdam fortaſſe diſpliceat, quòd nos ad laudem Crucis tot ſacri eloquij exempla congerimus, & velut inſtructam inſtrumenti veteris aciem huic regio vexillo prorſus intentam parere monſtramus. Quibus certè quid aliud dicendum eſt, niſi quod Apoſtolus perhibet dicens: Verbum Crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt, his autem, qui ſalui fiunt, ideſt nobis, virtus Dei eſt. Quicquid enim de Crucis laude diſſerimus, in eius non ambigitur redundare præconium, qui Crucis illuſtrauit propria morte vexillum [illegible]

3 Quid ergo nonnulli ætatis noſtræ delirant, non eſſe adorandũ Crucis vexillum, aliaſ'ue imagines?

Per hæc itaq;, fratres mei, quæ dicta ſunt, liquidò colligere poſſumus, quia hoc cœleſtis victoriæ ſignum, per quod mundus erat de captiuitatis antiquæ vinculis abſoluendus, ab ipſo mundi principio patres adorant, Prophetæ prænũciant, omneſq; ſacrarum ſcripturarum paginæ præfigurant. Quippe quod nos adoramus 3 in munere, illi iam venerabantur in fide. Et quod apud illos

erat

erat quibuſdam ænigmatibus figuratum, nos per Mediatoris gratiam iam videmus impletum, vt quod illi præſagabantur per ſpiritum, nos iam per corpora lem cernamus, & ampleſtamur obtutum. O admiranda Conditoris noſtri pia clementia, ô prædicanda ſingularis noſtri Redemptoris humilitas. Atrociſſimæ mortis ſubire dignatus eſt pœnam, vt nos proueheret ad coronam. Turpiſſimum Crucis elegit propria voluntate ſupplicium, vt nos de ſeruitutis iugo ſublimaret ad regnum. Maledici non reſpuit, vt nos de maledicto legis abſolueret. Probroſam mortem pertulit, vt nos ab æternæ mortis opprobrio liberaret. Vnde & Apoſtolus; Chriſtus, inquit, nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia ſcriptum eſt: Maledictus omnis, qui pendet in ligno: vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Ieſu, vt pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem.

Quia ergo, fratres mei, ſeruitutis iugo ſoluti benedictionem Abrahæ in Chriſto iam ſumus adepti, quid reſtat, niſi vt ea, quæ gratia præueniente percepimus, etiã per vitæ 4 meritũ Redemptoris noſtri dona ſeruemus, ne qui per baptiſmum in Chriſto renaſcimur, ſecundùm veterem rurſus hominem viuentes ad damnationis eius ſententiam reuocemur? Nam & hodie in Eccleſia illud Dauid canimus: Maledicti qui declinant à mandatis tuis. Conſideranda nempe ſententia, quia non dicitur, Maledicti qui non renaſcuntur in ſacramentis tuis, ſed, qui declinant à mandatis tuis, quia videlicet non ſolùm illi maledictionis nexibus ſunt obnoxij, quos in Chriſto aqua baptiſmatis non regenerat, ſed illi 5 etiam, quorum prauitas à rectitudine mandatorum Dei per vitiorum abrupta declinat. Quid ergo prodeſt, quia de vinculis quis vetuſtæ maledictionis abſoluitur, ſi per vitam reprobam eiſdem vinculis denuo retrudatur? Nam & Apoſtolus ait: Qui non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema, & maranatha. Vbi æquè notandum, quia non dicit, Qui non renaſcitur in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſed qui non amat; vt etiamſi baptiſmo probetur quis in Chriſto renatus, ſi non ſit etiam ex conuerſatione commortuus, nequaquam ſit à maledictionis omnino vinculis abſolutus. Si enim (iuxta Apoſtolum) complantati ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus. Et rurſus: Si compatimur, & conregnabimus, ſi commorimur, & conuiuemus. Sed quis ille eſt, qui non amat Chriſtum? Quis enim noſtrum, ſi de Chriſti dilectione conſulitur, non protinus conſtanter, immò promptiſſimè ſe Chriſtum diligere fateatur? Verùm ille non amat Chriſtum, qui non amat 6 Crucem Chriſti. Et qui ſunt, qui Chriſti Crucem non amant? Audi Paulum manifeſta eos voce notantem. Multi, inquit, ambulant, quos ſæpè dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimici Crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione eorum, qui terrena ſapiunt. Loquatur & Iacobus. Qui amicus, ait, eſt huius ſeculi, inimicus Dei conſtituitur.

4 Non ſatis ergo fidei gratia, ſed & vitæ meritũ exigitur ad ſalutem.

5 Videsq̃ non ſat ſit baptiſmus, ac fides, ſed et mãdatorũ obſeruatio expoſcat? Maledicti enim q declinant à mandatis tuis.

6 Ergo non amãt Chriſtũ hæretici; qui auerſantur Crucẽ eius, dũ Eccleſiæ ieiunia, & mã data cõtemnũt, vt liberiũs vẽtri, carniq; inſeruiant.

Quiſquis ergo deſiderat ab omni vinculo maledictionis abſolui, & plenã nouæ gratiæ benedictionem conſequi, Crucem diligat, ex qua videlicet omnis plenitudo benedictionis emanat. Per Crucem ſe Dei mandatis aſtringat. Per Crucem effrenis carnis incentiua cohibeat. Sicut enim conſentiendo carni ſententiam maledictionis incurrimus, ſic refrenando carnem benedictionis gratiam promeremur. Ex torculari nanq; Crucis largiſſima benedictionis vnda profluxit, quæ maledictionis antiquæ virus omne deterſit,

Inde nimirum ſtillicidia chariſmatum cœleſtium proruperunt, quæ ariditatem humanarum mentium ſalubriter irrigant, omniumq́; virtutum felici fruge fœcundant. Hæc eſt enim nubes illa, quæ Eliæ ſub veſtigio hominis in tempore ſiccitatis apparuit, & mox inundantis pluuiæ copia abundanter erupit. Sic enim ſcriptura commemorat. Ecce, inquit, nubecula parua quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari. Quia enim non quaſi homo, ſed quaſi veſtigium hominis aſcendiſſe dicitur, rectè per hoc Crux, quæ membris eſt aptata Dominicis, deſignatur. Et benè Crux veſtigium hominis dicitur, quia per eam Deus homo tranſitum fecit, cùm ad Patrem redijt, ſicut per Ioanem dicitur: Sciens Ieſus quia venit eius hora, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem. Paſcha quippe tranſitus dicitur. Et hic tranſitus per Crucem factus eſt, ſicut dicit Apoſtolus: Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Sicut ergo per Virginem deſcendit ad noſtra, ſic per Crucem eſt reuerſus ad propria. Quod congruenter expreſſit illud factum ſub Eliſæo miraculum. Nam cùm iuxta Iordanem ligna cæderentur, repente ſecuris cuiuſdam materiam ſuccidentis in aquam cecidit. Tunc Propheta lignum in aquam miſit, & mox ferrum natauit, atq; ad manubrium redijt. Quid eſt autem ſecuris, niſi ſapientia Dei operata per corpus? Quid ferrum, niſi diuinitas? Quid lignum, niſi humanitas? Et rectè corpus Chriſti lignum dicitur, quia in ligno pependit. Securis igitur iuxta Iordanem arbores ſuccidebat, quia Dei ſapientia iuxta fluidum mortalitatis noſtræ decurſum, dignata eſt impios Iudæos ſuæ prædicationis auſteritate corripere, & velut infructuoſas arbores à ſtatu rigidæ ſuperbiæ deſecare. Vnde & Ioānes dicit: Iam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Itaque dum ligna cæduntur, ferrum in aquam de manubrio cecidit, quia dum ſylueſtres Iudæorum mentes Veritas corripit, Diuinitas carnem deferens ad inferni profunda deſcendit. Sed lignum in aquam mittitur, & ferrum redit, quia corpus Domini, quod in ligno pependerat, in ſepulchro ponitur, deinde ex profundis inferi ſpiritu redeunte ſurrexit.

Vnde notandum eſt, fratres mei, & diligentiſſimè perpendendum, quia ipſe Redemptor noſter ante per Crucem tranſijt, & ſic humanitatem ſuam in paternæ dexteræ gloriam ſublimauit. Exemplum 7 quippe nobis exhibuit, vt vnde caput præceſſiſſe cognoſcitur, per eandem viam & membra ſubſequentia gradiantur. Præferimus igitur Crucem in fronte, ſed eandem Crucem multò ſalubrius recondamus in corde. In vtroque poſte ſanguinem percuſſor Angelus videat, vt excluſus euadat, non peremptur us irrumpat. Nec ſibi quiſpiam de ſolo ſigno Crucis applaudat, ſi veritatem Crucis in operibus 8 non exhibeat. Crucem nempe ille in ſuis moribus ſignanter expreſſerat, qui dicebat: Ego enim ſtigmata Ieſu in corpore meo porto.

7 Per Crucē redijt ad Patrē Chriſtus, per eandē redeamus & nos oportet.

8 Crux in operibus, nō ſolū in ore, & fronte, ferri debet.

Mundantes igitur noſmetipſos, chariſſimi, ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, accingamur aduerſantium vitiorum impetus frangere, carnalis illecebræ paſſionibus obuiare, piè proximorum neceſſitatibus condeſcendere, illatas etiam contumelias ſeruata charitate perferre. Sit mens noſtra ab omni terrenæ cupiditatis pondere libera, vt ſancti deſiderij librata pennis, ima iam deſerat, atque ad auctorem ſuum rediens, in eius amore ſuauiter requieſcat. Faſtidio nobis ſint cuncta quæ cernimus. Ad illa verò, quæ credimus, continui laboris inſtantia feſtinemus. Hæc profectò Crux eſt, quam moribus, & actibus noſtris debemus imprimere. Hæc eſt, quam iubemut quotidie poſt Dominum baiulare. Qui hanc portat, paſſioni Redēptori

ſui verè communicat. Hoc ſignũ oues ab hoedis in extremo examine ſegregat. Et Iudex, qui reprobos neſcit, hunc in ſuis characterem recognoſcit. Quibus autem impreſſum propriæ mortis ſtigma conſiderat, mox ad æternæ vitæ præmia gratus remunerator inuitat; Venite, inquiens, benedicti Patris mei, percipite Regnum. Cum quo ipſe viuit, & regnat per omnia ſecula ſeculorum.

Amen.

EIVSDEM BEATI
PETRI DAMIANI
SERMO IN FESTIVITATE SANCTI ANTHIMI MARTYRIS.

CVM beati Anthimi, fratres chariſſimi, triũphalia geſta recolimus, triumphãtis in eo Chriſti victorias celebramus. Ille ſiquidem in eo pugnabat, ille ſuperabat, qui & fidei conſtantiam præbebat animo, ne ſupplicijs cederet, & verba vitæ labijs ſuggerebat, vt infideles, & perditos ab errore veteris perfidiæ reuocaret. Non enim, inquit, vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Stringebatur corpus loris nexuum, ſed verbum Dei nõ erat alligatum. Horrebat tenebris carcer anguſtus, ſed mens atria ſupernæ claritatis inhabitans, beato lumine fruebatur, dicens cum Paulo: Quos reſuſcitauit, conſedere fecit ſecum in cœleſtibus. Liuebant membra plagis verberum, ſed aiebat: Licet is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur, ſed is, qui intus eſt, renouatur de die in diem. Cum talibus armatis noſter Ieſus aſcendit in prælium, defuncto Moyſe, & Iordane tranſmiſſo, ceſſante veteris legis obſeruantia, & percepto baptiſmatis ſacramento. Lex enim, & Prophetæ vſque ad Ioannẽ, vt videlicet illic legi veteris teſtamẽti finis occurreret, vnde nouæ gratiæ lauachrum perfluendi ad ſalutem hominum originem inueniret. Ieſus itaq; ille Iſraëliticæ plebis Dux, noſtrum verum Ieſum humani generis ſaluatorem, & vocabulo præfigurauit, & facto. Mittitur ille ad perdendas gentium nationes; venit hic ad debellandas aẽreas poteſtates. Mittit ille Hierico duos exploratores; dirigit iſte in hunc mundum ſub eiuſdem numeri ſacramento ſuos prædicatores. Miſit enim (teſtante Euangelio) binos & binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem, & locum, quò erat ipſe venturus. Mittebantur illi, vt locorum ſitus ſolicita curioſitate perquirerent; miſſi ſunt iſti, vt venienti Ieſu viam fidei in humanis cordibus præpararent. Illi in Raab meretricis hoſpitio recipiuntur; iſti apud Eccleſiam Gentium, quæ cum idolis fornicata erat, requieſcunt. Porrò Raab coccineum funiculum, ſanguinei videlicet coloris, in feneſtra propriæ domus appendit; & ſancta Eccleſia in feneſtra ſuæ domus quodammodo ruborẽ ſanguinis ponit, dum & paſſionem Chriſti publicè confitetur in voce, & ſignum

Crucis

Crucis palàm portat in fronte. Vnde benè ſponſus ad ſponſam dicit in Canticis; Sicut vitta coccinea labia tua,& eloquium tuum dulce. Quid enim labia ſponſæ, niſi doctores intelliguntur Eccleſiæ? Coccus autem ſanguinis habet ruborem, vel ignis ſpeciem, quod ſignificat charitatem. Labia ergo Eccleſiæ, hoc eſt prædicatores ſancti, coccineæ vittæ ſunt ſimiles, quia mortẽ Chriſti iugiter prædicant, eum'q; pro charitate generis humani Crucis ſubijſſe patibulum conſtanter affirmant. Et benè per vittam coccineam prædicatorum ordo ſignatur. Vitta ſiquidem capillos ligat, in vnumq; conſtringit, & ſancti doctores in vnitatem fidei 1 prædicatione ſua fideliũ colligunt multitudinem, atq; in vnum redigunt ſub mutuæ charitatis compage decorem. Poſtremò quiſquis extra domum illam inuentus eſt, gladios non vitauit; quicunque etiam ab Eccleſiæ limite, qui 2 fides eſt, exterior fuerit, periculum proculdubio mortis incurrit.

1 Veri ſunt Eccleſiæ doctores, qui idem ſentiunt. At hæreticis nihil verſicolorius, qui nũq̃ ſibi conſtant, & diſſiliunt mutuò, nec niſi ad fidem auditores cõuocant, ſuſq; deq; habentes opera, quę de fonte charitatis emanant.

Extra hanc domum ſacrilegus ille Ceremon inuentus eſt, qui acceptis ab imperiali tyrannide codicillis, dum contra Chriſtianos veſana rabie fureret, eorum'q; necem cruentis dẽtibus eſuriret, à dæmonio repente correptus de vehiculo corruit, diu'q; vexatus, dum ſanctos inuocaret, quos ipse laniauerat, expirauit. Ad hanc domum Pinianus confugium fecit, qui mox vt per beatum Anthimum verbum ſalutis audiuit, credens in Chriſtum, omnem moleſtiam deſperati langoris, quem patiebatur, euaſit. Et benè factus transfuga, dum victoris Ieſu caſtris applicuit, peregrinus in domeſticum trãſijt, & Iſraẽliticam dignitatem alienigena ſubintrauit. In ore quippe beati martyris Anthimi, tanquam ex feneſtra domus coccineus quodammodo funiculus depẽdebat, quia trophœum Crucis Chriſti omnibus notum facere non ceſſabat. Præterea beatus Anthimus, cuius iam per multa certamina teſtabatur terra victorias, vt & in alio elemento nobilis euis palma clareſceret, in Tyberini gurgitis fluenta demerſus eſt. Et vt artifex carnificum rabies nihil dimitteret intentatũ, ſaxea corda geſtantes, pondus alligant ſaxi, minus fidentes corporeæ grauitati. Sed fruſtra lapidea moles aggrauat, quem penna meritorum leuat. Aliena peruerſitas inaniter deprimit, quem ſublimia petens ſanctitatis propriæ virtus extollit. Felix ille vinctus, qui dum humano ſolatio deſtituitur, ne puſillanimis fiat, Angelitus viſitatur. Felix, inquã, naufragus, qui vt de voragine pelagi ad ſtationem littoris reportetur, non terreni remigis officio fruitur, ſed cœleſtis nuncij vehiculo baiulatur. Angelus enim Domini veniens (vt in ipſa paſſionis eius narratur hiſtoria) & vinculum ſoluit, & beatum martyrem ad orationis ſuæ cellulam reuocauit.

2 Eccleſiæ limes eſt fides, nõ tñ ad culmen ducit, niſi adſit cum operibus charitas. Nam fides ex dilectione operãſ ca eſt, quæ iuſtificat.

Imitemur hunc egregium virum dilectiſſimi, ſanctè 3 viuendo, carnis incentiua frenando, mundi gloriam contemnendo. Beati nos martyres in operatione præcedant, vt ſancti Angeli nobis in tribulatione ſuccurrant. Delicatus ſiquidem miles eſt, qui ante vult triumphare, quàm arma conſerere, priùs triturare, quàm rura proſcindere.

3 Beatorũ martyrum opera imitanda.

Deſunt nonnulla.

Inter hos ſanè principes, & cœleſtis militiæ bellatores beatus Anthimus inſignis enituit, quòd & cruentis impiorum manibus in perſecutione non ceſſit, & in pace poſitus inſurgentium portenta vitiorum ſpiritali virtutum mucrone truncauit. Carnis ſuæ membra tormentis expoſuit, interioris hominis viſcera illæſa ſeruauit. Caput non timuit feruenti gladio ſubdere, vt Chriſto capiti mereretur inſeparabiliter adhærere.

Hic deeſt aliquid.

Imitemur, dilectiſſimi, fidem martyrum, per quam vincentes regna terrarum, adepti ſunt præmia promiſſa cœlorum. Sit ergo fides noſtra ſolida, ſit vera, ſit robuſta, vt nunc eundo per fidem, perueniamus ad ſpeciem, nunc videndo.

per ænigmatis ſpeculũ,quãdo perducamur ad ipſius ſummæ veritatis obtutũ, vbi nũc beat⁹ martyr Anthimus, depoſita ſarcina corruptibilis carnis, ſtolã adeptus eſt Angelicæ claritatis. Ecce enim inter ignitos ſupernæ Hieruſalem lapides coruſcat. Ecce inter purpuratas martyrum legiones victor, & coronatus exultat. Conſummato quippe glorioſi certaminis curſu, eundem ipſum in præmio remunerationis accepit, qui factus eſt & pretium, cũm redemit, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

SERMO DE SANCTO IOANNE BAPTISTA.

Hodie, dilectiſſimi, dies illuxit inſignis, tantò cæteris diebus ſanctior, quantò ſanctiorem hominē terris effudit. In hac ſiquidem die natus eſt ille ſanctorum ſplendor, iuſtorum gloria, lætitia Angelorum, excellentiſſimus homo, conſanguineus Chriſti, amicus ſponſi, ſponſæ præparator. Vnus eſt, & ſecundum non habet, qui choris intertextus Angelicis ſublimioris coronæ titulis vniuerſitatis humanæ trāſcendit aſcenſum. Deniq; inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. Felix homo, qui feliciter cœlorum perambulans officinas, curſu velociſſimo ſequitur Redemptorem, nec alicuius intercluditur faſtigio dignitatis, quem ſūmæ felicitatis immenſitas largiùs irrorauit. Lætantur Angeli, & vtriuſq; naturæ numeroſitas admiratur hominē ſic ingreſſum abyſſum luminis, & in æternæ diuinitatis pelagus abſorptū, vt ipſam reuerberet Angelicæ puritatis originē. Eleuētur oēs, & meritorum prærogatiuis ante conſiſtorium maieſtatis exultent, non erit tamen, qui ad Baptiſtæ Ioannis priuilegiū audeat aſpirare. Agè iā aggrediamur virtutum inſignia, quæ Deus maieſtatis in amico ſuo glorioſa cumulatione ſignauit; ſic enim ab ortu vitæ vſq; ad occaſum cū hominibus cōuerſatus eſt, vt forma vitæ, morū informatio habeatur. Et licet hîc ſermonis aurei non rutilet pulchritudo, tentabimus tamen rerum veritatem qualicunq; ſtylo perſtringere, illud ſapientis attendentes, prudentibus viris non placere phalerata, ſed fortia.

Primus eius honor eſt, gloria in annunciatione. Non eſt diſſimulāti ſilentio tranſeundum, quàm ſolenni glorificatione pueri huius in hunc mundum nūciatur ingreſſus. Adeſt Angelus Gabriel, & à ſuperiori cœlorum cardine Domini fortitudo deſcendens ſtat à dextris altaris incenſi, nec quilibet Angelus, ſed ille ſublimior, qui beatæ Virgini nuncium attulit ſingulare; & electus eſt vt nunciaret militem, qui Regem nunciare debebat. Aſtat ſacerdos ſacerdotalibus indutus, & multiplici veſtimentorum varietate, cœleſtium ſacramentorum præfigurans imaginem, purgationem peccatorum myſtici ſanguinis aſperſione præſignat. Conſiſtit coram arca fœderis, & ante teſtamenti tabulas, vrnam auream habentem manna, virgam Aaron, Cherubin, & propitiatorium, ſolenniter infulatus, vultui Dei, gloriæ maieſtatis, rerum omnium

Domino,vota percelebrat. Dies inſtat ſolennis,& cæteris diebus multitudini Iudæorum celebrior, Domini præcipientis atteſtatione ſublimis,planè ſpectabilis, & feſtiua, in qua ſola ſoli Pontifici licebat introire in ſancta ſanctorum,& aſpergine multiformi ſummæ diuinitatis iram refrigerare. Conuenitur vndiq; in ſanctam ciuitatem,& populorum turba frequentior cumulat materiam gaudiorum. Inter hæc ſacra conſiſtens Archangelus; Ne timeas,inquit,Zacharia, quia naſcetur tibi filius,parentum gaudium,nobilitas generis,orbis exemplum,finis legis, Euangelij principium,mortis expulſio,ianua vitæ,decus hominum,conuerſationis ſplendor,omnis iuſtitiæ principatus. Et ne diffuſiori tractatu rerum excellentiam confundamus,naſcentis,& conuerſantis integritas in libris Euangelicis plenius aſſignatur.

Conſidera nunciantis ſublimitatem,dignitatem loci,diei reuerentiam,& tunc intelligere poteris,quàm ſuperexcellenti gloria Ioannis Baptiſtæ genitura prædicitur. Salua igitur reuerentia Redemptoris,quia non derogamus Regi,ſi Regis militem honoramus,cùm ille Dominus,hic ſeruus,ille Creator,creatura iſte, digniori præmonſtratione Ioannes nunciatur,quàm Chriſtus. Chriſtus fortaſſis in thalamo, Ioannes in templo,& non ſolùm in templo,ſed etiam ante ſancta ſanctorum in inſigni die ſolennitatis eorum. Ioannes ab eodem Archangelo in loco digniori,tẽpore ſacratiori,apertiori miraculo prædicatur. Recole Iſaac ab Angelis nunciatum, Sampſonem per Angelum prædicatum, & vniuerſam Nazaræorum ſectam circunſpice,ſolumq; Baptiſtam tam in hoc,quàm in alijs inuenies digniorem.

Secundus honor eſt, ſanctificatio in ventre matris. Quicunq; de maſſa præuaricatrice mundum ingredimur,lõgam reſtem originalis peccati trahimus nobiſcum. Solus ille,qui peccatum non fecit,excipitur, quem Virginalis thalamus,ignorante viro,terris effudit. Longè quippe aliter, & diſſimili modo cõceptus eſt,Spiritu ſancto tota maieſtate Virginem inundante, atq; mundante,ſuperans vſum carnis,naturæ ordinem,viri commixtionem. Sic quippe decebat vt peccatum neſciret,qui peccata tollebat,vt ſimilitudinem carnis peccati ſuſciperet,non autem carnem peccati. Cùm igitur omnes in iniquitatibus concepti ſint,neminem vnquam mortalium intra materna viſcera ſanctificatum legimus, præter Hieremiam,& Ioãnem Baptiſtam; quanq̃ & de ſingulari Virgine nulla ſit ambiguitas,quin ipſa maternis circunſepta viſceribus ſublimiori ſanctificationis genere mundata ſit,vtpote ſacrarium illud,in quo Deus Dei Filius carnem fuerat ſuſcepturus. Sed longè minor Hieremiæ ſanctificatio,quàm Ioãnis. Ille quidem in matris vtero ſanctificatus,hic Spiritu ſancto repletus fuiſſe cognoſcitur. Multò quippe excellentius eſt Spiritu ſancto repleri, quàm ſanctificari; ibi enim ſanctificatio emundationem,hic repletio inundationem ſignificat. Deniq; & Apoſtoli,qui manibus ſuis tractauerunt de Verbo vitæ,cùm Spiritum ſãctum de Saluatoris accepiſſent afflatu,vix quinquageſimo à reſurrectiõis die ad illum gradum peruenire potuerunt,vt diceretur de eis: Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto. Et licet Spiritus ſanctus largiori tunc munere credẽtium corda repleuerit,hoc tñ Ioãnes in vtero legitur aſſecutus,quod Apoſtolica celſitudo tandem largiori promiſſione meruit obtinere. Attẽde,obſecro,diligenter quàm ordinata diſpoſitione Spiritus ille multiplex Hieremiam ſanctificat,implet Ioãnem ſuperuenit in Mariam. Et Hieremiæ quidem admiranda ſanctificatio, quia etſi in peccato conceptus eſt, naſcitur tamen ſine peccato. Antequam enim exiret de ventre, ſanctificatus eſt, nec poterat naſci non ſanctus, qui in matris vtero erat ſanctificatus. Mira res, & à retrotranſactis ſeculis inaudita, hominem conceptum in peccatis naſci ſine peccato. Ioannem verò longè glorioſior virtus impleuit,qui & ſãctificatus eſt à peccato, & ita dominante Spiritu

ſuperfuſus

ſuperfuſus, vt & purgatus exeat, & repletus: Verè magnus coram Domino, quẽ Angelus nunciat, ſanctificat Deus, ſanctus replet Spiritus, vita commendat. Ineffabiliori autem modo ſuperuenit in Virginem, quam tota diuinitatis plenitudo ſine menſuræ diſcretione perfudit, vt totam caperet, qui fecit totum, vt non ſolùm à peccatis abluta, repleta Spiritu, ſed & de Spiritu ſancto concepiſſe credatur, quia quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Inde eſt, quòd ſingulari prærogatiua fides catholica Filium Dei natum de Virgine, conceptum de Spiritu confitetur, vt deitatis, & humanitatis indiuiſibilis adunata connexio, vocabulorum indifferentia deſignetur. Vides ergo, quàm remotiori priuilegio ſpecioſus forma præ filijs hominum à filijs hominum in concipiendo diſcretus ſit? Illi etenim de peccatis, & in peccatis concepti ſunt, hic in Spiritu, & de Spiritu ſancto concipitur. Hæc ſanè dicta ſunt de conceptione Ioannis nihil præiudicantia ſanius ſapienti. Sed etſi in aliquo ſanctorum auctoritatibus videntur obuiare, volumus vt ſine omni excuſationum, vel defenſionum patrocinio ſubtrahantur.

Tertius eſt, excellentia in exultatione. A` ſeculo non eſt auditum, quòd exultauerit quis in vtero matris, cùm hic in gaudio exultaſſe legatur. Prorſus obſtupenda dignatio, puerum vix conceptum in motum exultationis erumpere, eiq́; gratanter occurrere ſeruitio dulciori, quem Virginali ſubſtantiæ præſenſit infuſum. Beata anima, quæ in via peccatorum non ſtetit, ſed ſecretiori ſemita de cœleſtibus officinis egrediens inauditæ gratulationis eſt ſortita dulcedinem. Felix Eliſabeth, ad quã Mater properat Redemptoris, quam ſalutatorijs obſequijs cœlorum Imperatrix alloquitur. Sed puer multò felicior, qui ſalutantis maieſtatem agnoſcens intra viſcerum tenebroſa volumina gaudio gaudet, quia vim tam beatæ ſalutationis attendit. Et factum eſt, inquit, vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultauit in gaudio infans in vtero eius. Aſcendit Virgo cum feſtinatione in domum Zachariæ ad ſalutandam Eliſabeth, portans in vtero filium Dei, Regem gloriæ, Dominum maieſtatis. Occurrit Eliſabeth, & antiquæ ſterilitatis carens opprobrijs, amicum ſponſi, præconem Verbi feliciſſimo ventre deportat. Iunguntur amplexus, venitur ad oſcula, copulantur felices vteri, Regemq́; & militem non niſi duo teneriimi parietes abiungunt. Quid mirum, ſi miratur, & exaltat puer ad tactum tam proximæ diuinitatis afflatus? Poterat'ne vacare à quocunq; miraculo, cui præſens aderat Regis præſentia, regnantis mater, mũdi Redẽptor? Quid quòd non ſemel tam ſanctorũ amplexuũ fuit celebrata coniunctio? Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus, ait Euangeliſta. Tanto tpe manet cum Eliſabeth virginalis integritas, & nũc dulciori colloquio, nunc amplexu feliciori Ioannem puerum conſecrat, & inſignit. Et fortaſſis vſq; in diem natiuitatis eius glorioſa Virgo cum cognata ſua morata eſt, donec puerum natum ſinu beatiſſimo confoueret, & vno pariete remoto, propinquiorem redderet præſentiæ Creatoris. Facilè autem hoc ex Euangelio coniectare liquet, quia iam ſex menſes à conceptione Ioannis defluxerant, cũ ad Virginem Archangelus miſſus eſt, qui renouationem mundi pudori virgineo noua ſalutatione portauit. Ex hinc Virgo feſtinat ad Eliſabeth, & tribus menſibus præſentia ſua cognatæ dignatur hoſpitium, donec noni menſis fine concluſo natiuitas imminet Patriarchæ. Alij, qui librum iuſtorum diligentioribus oculis inſpexerunt, ibi ſe vidiſſe teſtantur, quòd ipſa Dei genitrix felicem puerũ primùm de terra leuarit, & cognatæ partum omni proſecuta ſit ſeruitute. Quocunque autem modo rei huius veritas decernatur, illud pro certo certum eſt, quia non parum contulit puero naſcituro tam felix, & moroſum intemeratæ genitricis hoſpitium.

Quartus verò, gaudium in natiuitate. Erubeſce, lucifer, qui manè oriebaris,

& conatuum tuorum fractus impulſibus,tandem intellige,quia in nouiſſimo dierum,tanquam perdix ſtultiſſimus remanebis. Machinationibus tuis factum eſt vt humani generis vniuerſitas in peccatis cõciperetur,naſceretur in triſtitia.Sed ecce iſte in vtero ſanctificatur,oritur in gaudio,letitiamq́; mundo ſua natiuitate refundit. Ecce genus armaturæ,quod tibi conſtitueras ad victoriam,Ioanni naſcitur ad coronam. Apprehende arma,& ſcutum,& toto malignitatis tuæ ſpiritu debacchare,non tamen poteris irrumpere Ioãnis priuilegium,quod benigna ſcribentis manus proprio charactere conſignauit. Multùm deceptus, multùm deluſus es. An ignoras,quia tibi vir bellator ab adoleſcentiá,& etiam à matris vtero conſurgit? Neſcis quia à diebus iſtius regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud? An oblitus es, quia iſte mittitur parare Domino plebẽ perfectam? Intuere ordinem rerum,& ab ipſis ſuæ conceptionis initijs inuenies hunc validiori conamine tuam fortitudinem irrupiſſe: Tu feciſti, vt fratricida Cain, qui priùs natus eſt,pollutus,& obuolutus exiret,& originalis peccati reſpergeretur infamia. Hunc excepit orbis exterritus;& humani generis ſubſecuta natiuitas ad infinitæ triſtitiæ cumulum tranſmigrauit. Natiuitas autem hominis iſtius in gaudio eſt,& in ſolennitatem præclaram. Letatur orbis, & quatuor mundi climata circunſonat glorioſæ feſtiuitatis inſtantia,ipſis etiam cœlis celebris,& famoſa. Quis putas puer iſte erit? Amicus ſponſi,inimicus tibi,tua poteſtate potentior. Conſiderandum eſt,quanta dignitate præpolleat natiuitatis huius celebranda deuotio,quantamq́; gratiam in oculis Eccleſiæ potuerit inuenire. Nullius hominis natiuitatem,præter ſolius Dei,eiusq́; Matris,in auctoritatis arcem recepit Eccleſia,huius iſtius exceptione ſeruata. Nouit enim quia melior eſt dies mortis die natiuitatis,& quòd ortus hominũ triſtitia comitetur. Inde eſt,quòd martyrum mortes,non natiuitates ſolennizat Eccleſia,mortem eorum natalitiorum nomine nominans,quibus factus eſt de morte natalis. Tunc enim incœperunt naſci ad vitam,cùm vitam depoſuerunt pro vita. Huius verò natiuitatem ſponſa Chriſti tantò ſecuriùs beneuolentiſſima dignatione ſuſcepit, quantò ſingulariùs eam veritatis Euangelicæ irrefragabilis commendat auctoritas.

Quintus eſt, ſingularitas in conuerſione, & conuerſatione intra teneritudinem annorum. Beatus nanq; iſte puer ad eremum Spiritu ducente deductus eſt, nec obſtitit ætatis infirmitas,quàm maieſtas Domini fœcundabat. Spiritus enim ſanctus non attendit differentiam ſexuum, fragilitatem corporum, temporum annoſitatem,ſed quęcunq;, & quomodo vult dignantiſſima replet benignitate. Relinquit Ioannes mundũ,homines fugit,neſcit patriam, parentes aſpernatur,& in ſolius diuinitatis apicem beatæ contemplationis figit obtutus. Mira rerum conuerſio,hominem vix mundum ingreſſum,mundi fugere gloriam,& ſeculi cupiditates non ſolùm obliuiſci,ſed & neſcire,perpetuumq́; cum diuinitate ſtabilire conſortium. Receſſus montium, ſyluarum anfractus,& vallium ſubteriacẽs vaſtitas,puero Patriarchæ domicilia præbuerunt. Non opponatur mihi Hieremias,nec prædicantis pueritiæ virtus audeat obuiare,quia ſi ille conſecratur in Prophetam,hic in pluſq̃ Prophetam; & licet ille populo futura prædicet,non tamen conuerſationis humanæ declinat aſpectus. Sic ſic Ioannes ætatis ſupergreſſus infantiam,& nobilioris generis generoſitatem oblitus, ſoli vacat diuinitati,forma vitæ,monachorum propoſitum,anachoretarum principium,totius religionis aſſertio. Et hæc quidem pro conuerſione. Porrò quanta ſublimitas in conuerſatione fuerit,non eſt currentis linguæ volubilitatibus differẽdũ, ſed Euangelicæ dignitatis comprobandum eloquio. Ioannes, inquit, habebat veſtimentum de pilis camellorum;& zona pellicea circa lumbos eius; eſca aũt eius erat locuſta,& mel ſylueſtre. Ecce qui mollibus veſtiuntur,in domibus

Regum ſunt. Rigida veſtis, & duriſſimis hiſpiditatibus circumtexta, rigore ſqualoriſero corpus afficit Patriarchæ; carnemq́ꝫ tenerrimam immatura diſtri ctio diſciplinæ feritate coarctat; teneros artus, & ſacratiori Spiritu ſuperfuſos continui quaſſat longitudo martyrij. Cibus autem eius qualis erat? Non quæ ruuntur faſides aues, nec per totam diſcurritur regionem, vt Patriarchalis ſtomachus impleatur. Sed erat, inquit, eſca eius 1 locuſta, & mel ſylueſtre. Cœli rore paſcitur, & animalis viliſſimi ſatiatur edulio, nihilq́ꝫ coctum accipit ieiunantis auſteritas. Caſtigato quippe ventri, & diuturna maceratione diſtento ignota fuit varietas ferculorum, nec introiuit in os eius, quod gulam alliceret, ſufficeret vētri, ſtomacho blandiretur. Elias comedit carnes, & ſi quid aliud apponitur, cum gratiarum perceptione; nec aliquem (niſi fallor) legimus in veteri officina ad legis huius aſpiraſſe faſtigium. Veſtis 2 aſpera, cibus tenuis, mens deuota perfectum conſecrant Patriarcham.

1 Vide in ſancto Præcurſore mirũ ciborum delectũ, & continuũ ieiunium.

2 Nota in eodē veſtis aſperitatem.

Sextus eſt, nouitas in prædicatione. Hîc volo attentiùs attendat intentio veſtra, quia paulò ſubtilius ordiendum materiæ præcipit magnitudo. Poſt peccatum Adæ, & illius diluuij vaſtationem ſolennem, electa eſt iuſtorum infinita pluralitas, cum quibus Deus facie ad faciem locutus fuiſſe dianóſcitur. Transfertur Enoch, eligitur Noë, vocatur Abraham, Iſaac diligitur, Iacob Deum facie ad faciem contemplatur, Ioſeph vocatur mūdi Saluator, nec tamē Dei ad illos, vel illorum ad homines fit aliqua mentio de regni cœleſtis perpetua manſione. Moyſes aſſumitur in Ducem populi Iudæorum, Pharaoni in Deum conſtituitur. Facit Deus in Aegypto magnalia, & mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro. Aſcendit Moyſes ad caliginem, in qua erat Deus; datūr in monte multiplex præceptorum auctoritas; loquitur ille cum Deo, quaſi homo ad vicinū ſuum; nō eſt occultatum à Moyſe quod facit Dominus in occulto, & glorioſum nomen Adonai, quod omnibus obuelatum fuerat, reuelatur; ſed in his omnibus regni cœlorum memoria nec nominatur, nec auditur. Aſtat Aaron ſummus ſacerdos potentis virgæ geſtarius, vnctus, & delibutus cœleſtium ſacramentorum vnctione; ſuccedit Ioſue, & omnis illa Iudicum multitudo, nec eſt vel vlla tenuis mentio regni cœleſtis. Inuenit Dominus Dauid virum ſecundùm cor ſuum, Salomonem filium eius ſapientia cumulat ſingulari, & omnem illum Prophetalem chorum Spiritus ſanctus ordinat, & infundit, nihilq́ꝫ de cœleſtis regni gloria prophetatur. Claudit Elias cœlum annis tribus, & mēſibus ſex; Eliſæus mortuus mortuum vitæ reſtituit, & ab his nec vel vlla ſcintillula beatæ māſionis elucet. Quid plura? A' principio mundi vſq; ad Ioannem vniuerſitatis humanæ electionem recollige, nec in ſermone, vel opere illius ſanctuarij potens reperire dulcedinem. Veni ergo ad Ioannem, & audi vocem exultationis, vocem nouitatis, vocem lætitiæ, miſericordiæ verbum, ſermonem gloriæ, gratiæ largitatem, quod celauerat Deus, tacuerat Angelus, latuerat Patriarchas, Prophetæ neſcierant. Pœnitentiam, inquit, agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Verbum pœnitentiæ dulce, & glorioſum, verbum regni cœlorum lætum, & adorandum, illi ſoli primario conueniens, qui primus noui teſtamenti poſuit fundamenta. Hæc eſt illa vox, de qua maximus ille contemplator cœleſtium viſionum in hæc verba proſequitur: Et vox prima, quam audiui, tanquam citharœdorum citharizantium in citharis ſuis. A' diebus Adæ vſq; ad Ioannem, organum noſtrum verſum eſt in vocem flentium, quia vbi peccatorum frequentia, nec pœnitentiæ locus, duplex erat deplorandi materia. Occidis, occidi iuberis; ſabbato ligna colligis, lapidari iuberis; & ille, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, niſi ferire non nouit. Dederat quippe eis præcepta non bona traditor præceptorum, & iuſtificationes, in quibus viuere non poſſent. Hoc eſt, quod iuſtus miratur dicens: Vbi ſunt

miſericordiæ tuæ antiquæ, Domine? Ioannes natus oſtendit medicamentum vulneri, peccato pœnitentiam, veniam iniquitati. Hæc eſt prima vox, quã vox clamantis in deſerto propoſuit; & vox turturis audita eſt in terra noſtra. Ex tunc miſit in os noſtrum canticum nouum, carmen Deo noſtro, & reſonat in ore noſtro gratiarũ actio, & vox laudis, ſuperexaltatur miſericordia iudicio, peccatoribus parcitur, regnat pietas, iuſtitia diſſimulatur, & miſerẽdi, non feriendi quærit occaſionem miſericors, & miſerator Dominus. Citharizant ergo in citharis ſuis, qui voluptatum effuſionem pœnitentiæ diſtrictione reuerberant, & de profunda peccatorũ voragine reſpirantes, Pharaone ſubmerſo, cantant in vijs Domini, quoniam magna eſt gloria Domini.

Septimus eſt, dignitas in baptiſmate. Singularis prorſus humilitas. Verbum caro factum, & in perfectum egrediens virum, relicta hominum vniuerſitate, Ioannem quærit, Ioannem deſiderat, ad Ioannẽ vadit. Terribilis in conſilijs Deus ſuper filios hominum, portansq; omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, venit à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. Stupet Ioannes, & timore concutitur, totumq; Patriarcham infinitus horror inſumit. Ego, inquit, à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Dicit ei Saluator: Sine modò; ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. Acquieſcitur vtrinq; ſalutaribus monitis, & accingit ſe Ioannes ad baptizandum, ad ſuſcipiendum Dominum Angelorum. Exuitur veſtimentis ſuis Rex gloriæ, ſplendor luminis, & figura ſubſtantiæ Dei Ioannis manibus attrectatur. Caro illa ſumpta de Virgine, candidioriq; deriuata materia nudatur in flumine, felicibus Baptiſtæ manibus infundenda. Deſcendunt Angeli, & cœlorum agmina tota reuerentia currunt ad Creatorem, baptizantemq;, & baptizatum dominantia numina circuncingunt. Infundit aquam capiti Creatoris creatura nobilior, & Dei verticem mortalis dextera contremit, & contingit. Pauet cœlum, ſtupet terra, Iordanis arridet, mirantur Archangeli, Dominum Sabaoth inter manus baptizantis includi. Quid eſt Ioannes? Cherubin, & Seraphin vix audent reſpicere, & tu nudum tenere præſumis. Hic eſt, in quem deſiderant Angeli proſpicere, cui, Sanctus, Sanctus, ſublimi melodiarum organo beatæ ciuitatis conuentus ingeminat, qui ſolus habitat lucem inacceſſibilem, Dominus virtutum, Deus ſcientiarum, miſericordiarum Pater, & tu non metuis. Tibi datum eſt, quod omnibus eſt negatum, baptizare eum, qui baptizat in Spiritu ſancto, & igne, Virginemq; Virginis filium virgineis manibus irrorare. Totus adſtupeo baptizanti, hominemq; Dei magiſtrum reuereor, dignantem admiror, veneror dignationem, & hominem video violentiam ipſis cœlis inferre. Porrò illud quale eſt, quòd in iſto baptiſmate terminatur lex, finem accipit Prophetia, & omnis illa ſacrificiorum multitudo propulſatur, & pellitur? Hic incipit, & ſtabilitur nouæ regenerationis perduranda purgatio, & in vnam baptiſmatis formam legalium tranſeunt diſpendia figurarum. Ad ablutionem enim aquæ, & inuocationẽ Spiritus, ſepelitur hircorum, & vitulorum ſanguinolẽta congeries, & pecora pecoribus Iudæis relinquimus, illud Dauidicum attendentes: Holocauſtum, & pro peccato non poſtulaſti.

Octauus eſt, prima reuelatio de Trinitate. À creatione cœli, & terræ vſq; ad hunc locum nunq̃ Trinitas hominibus manifeſtè apparuit, ſed rerum, & verborum inuolucris inuoluta fuit tantæ claritatis æternitas. Deniq; creationem hominis Creator rerum ſumma dignitate commendans; Faciamus, inquit, hominẽ ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Reuerendum reuera priuilegium, nec vlli traditum creaturæ. Creatur illa ſublimior numeroſitas Angelorum, & elementorum omnium ordinatur variata connexio, ſed omnipotentis præſentia tantum opus alta taciturnitate proſpectat. Vt verò ventur ad hominem, & nobilis creatura creari diſponitur, accingit ſe Trinitas ad creandum, & conſilium accipit ſapientia, vt creaturæ dignitas Creatoris priuilegio clara eſſe mõſtretur.

Nec ibi tamen ſatis apertè diuinæ maieſtatis eluxere vocabula, cùm ad Angelos obſequentes quidam referant diuini ſermonis oraculum; vel, ſi minus hoc cautum eſt, ſignata pluralitas abſq; nominum differencia prædicetur. Abraham tres vidit, & vnum adorauit. Sed & ibi ſcripturæ ſacræ reuerentia nunc mixtim, nunc ſeparatim claudit eloquium, vt modò Dominum, modò viros placeat nominare. Iudæi tamen longam hîc texunt reprehenſionis parabolam, tres Angelos à Domino miſſos aſſeuerantes, vnum ad natiuitatem Iſaac prædicendam, duos ad Sodomam ſubuertendam. Illum enim, cum quo locutus eſt iuſtus dicens: Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis: prophetali ſpiritu ſomniant cognouiſſe, natiuitatis Iſaac aduenisse præconem: Illum adorat, ſicut Berſabee Dauid Regem, ſocijs'q; eius propter ipſius reuerentiam indefeſſus aſſiſtit. Vnde & non niſi duo in ſubuerſione ciuitatum infelicium numerantur, illo ſuperius iam reuerſo, qui natiuitatem Iſaac fideli deuotiòne compleuerat. Tres enim viri Satam vocari præcipium, ſed vnus eſt, qui promiſſionis inſpiratæ manifeſtat arcanum. Hæc Iudæi, & qui magis elegerunt iudaizare, quàm credere. Sed vt breuiter concludamus, omnis illa ſiue Patriarcharum, ſeu Prophetantium copulata ſocietas, nullam vel in ſermonibus, vel in rebus do Patre, & Filio, & Spiritu ſancto reperitur apertè feciſſe mentionem. Veni ergo, & intuere filium Zachariæ Deum & hominem proprijs manibus continentem, & vide quia cœli aperiuntur ibi, & deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba in Chriſtum, & vox Patris audita eſt: Hic eſt Filius meus dilectus. Vides quia ad ſacratiſſimorum nominum nouitatem cœlorum palatia reſerantur? Patet auditur in voce, Filius baptizatur in flumine, Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie demõſtratur. Adeſt Ioannes totius medius Trinitatis, glorioſum'q; Baptiſtam ſanctificant indiuiſæ ſubſtantiæ perſonata vocabula, & nomen Trinitatis prioribus ſeculis obuelatum abſq; totius velaminis obumbratione relucet. Domine, quis eſt iſte, quia innotuiſti ei?

Nonus eſt, teſtimonium ſapientiæ. Cùm audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti, miſit ad eum diſcipulos ſuos, & reſponſum eſt eis: Cæci vident, & cætera, quæ veritatis Euangelicæ proſequitur copioſa narratio. Recedentibus autem nuncijs, ne fortè in eorum præſentia adulationem redolere videretur, cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne: Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinẽ vento agitatam? O' mira teſtificatio Redemptoris. Quis ingreſſus eſt mundum, & mundum vel in aliquo non cognouit? Quis eſt, quem vel ventoſa felicitas, vel aduerſitas turbida, vel cuiuslibet peccati aura tenuior non inflexit? Ad extremum ſubinfertur quod terram excedat, tranſeat cœlum, ipſum'q; verticem Angelicæ dignitatis attingat. Inter natos, inquit, mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. Quid vis amplius? De nullo alio dici potuit (dicit Auguſtinus) quod dictum eſt de Ioanne. Non opponas mihi Euangeliſtam inter cæteros Apoſtolos magis dilectum, non Apoſtolorum principem omnibus Apoſtolis antelatum, non vas electionis ad cœli tertij ſecreta translatũ; nec Apoſtolicus ſplendor audeat occurrere Præcurſori, quia iá omnes iſti adoleſcentiæ metas exceſſerant, cùm à Veritate prolatũ eſt: Inter natos mulierũ non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. Conſidera manſiones regni, & vniuerſum ordinẽ humanæ genationis obãbula, ſolũq; Ioãnẽ tã nouis q̃ veteribus videbis eſſe propoſitum.

Decimus eſt, aſſertio matris Eccleſiæ. Texitur ora chlamydi, vnguentũ'q; profusũ in capite, extremã quoq; veſtimenti fimbriã inũdanter infundit. Illa enim mater, & magiſtra omniũ Eccleſiarũ Eccleſia Rom. cui dictũ eſt: Ego pro te rogaui, vt nõ deficiat fides tua: in honore Ioãnis Baptiſtæ poſt Saluatoris nomen cõſecrata eſt, & ſignata: Dignũ nanq; erat, vt ſententiã ſponſi ſponſæ ſequeretur auctoritas, & ſingularẽ amicũ ei⁹ illuc pueheret, vbi principatũ ipſa cõſcẽdit. Electio pculdubio ſingularis, in illa ipſa vrbe Ioãnẽ primatũ Eccleſiæ vẽdicare, quẽ duo cœli luminaria morte clariſſima cõſecrarũt. Crucifigit Petrus, Paulus

obtrũcatur, dignitas remanet Præcurſori. Purpuratur Roma multitudine martyrum, totaq́ ſublimitas beato refunditur Patriarchæ. Ioannes vbiq; maior, in omnibus ſingularis, mirabilis ſuper omnes. Quis ſic glorioſè annunciatus eſt? Quis ita ſpecialiter in matris vtero Spiritu ſancto legitur fuiſſe repletus? Quem legiſtis infra matris vterum exultaſſe? Cuius natiuitatem vidiſtis celebrare Eccleſiam Dei? Quis ſic puer eremum concupiuit? Quis ita legitur ſublimiter cõuerſatus? Quis pœnitentiam, & regnum cœlorum primus oſtendit? Quis baptizauit Regem gloriæ? Cui ſe primùm Trinitas reuelauit? Cui tale teſtimonium perhibuit Deus? Quem ſic honorauit Eccleſia? Vide ſi non hæc omnia ita ſingulariter ſunt huic ſingularia, vt nullus mortalium prædictis dignitatibus audeat inhiare.

Forſitan mihi diſponis opponere, quia ſic iſta habet propria, vt cætera ſanctorum communia non attingat. Audi ergo: Ioannes Patriarcha, immò Patriarcharum finis, & caput. Ioannes Propheta, immò pluſq̃ Propheta; quia quem venientem nunciat, digito demonſtrat. Ioannes Angelus, ſed & inter Angelos electus, Saluatore teſtante, qui dicit: Ecce mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam. Ioannes Apoſtolus, ſed & Apoſtolorum primus, & princeps; quia fuit homo miſſus à Deo. Ioannes Euangeliſta, ſed & Euangeliſ primus meſſor, prædicans Euangelium regni. Ioannes virgo, immò virginitatis inſigne, pudicitiæ titulus, caſtitatis exemplum. Ioannes martyr, ſed & martyrum lumen, inter natiuitatem, mortemq́; Chriſti conſtantiſſima forma martyrij. Prætereo quia Vox clamantis in deſerto, quia Præco Verbi, quòd Iudicis Præcurſor. Illud quoq; relinquo, quia vſq; ad Ioannem lex, & Prophetæ, quia Ioãnes ipſe eſt Elias, quòd lucerna ſit ardens, & lucens, quòd amicus ſponſi, ſponſæ præparator. Silentio trãſeo, quòd ſic nouem Angelorum ordinibus inſertus eſt, vt etiam ad Seraphin apicem transferatur. Verùm hoc laborioſi operis eſt, & ſenſus noſtri paupertas non ſufficit. Sufficiant hæc ad præſens, quæ dicta ſunt de laude Ioannis ad gloriam Redemptoris, qui eſt Deus benedictus in ſecula ſeculorum.

Amen.

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

SERMO DE SANCTO PETRO APOSTOLO.

ADoleſcentulæ dilexerunt te nimis. Petrus Apoſtolus, Apoſtolorum princeps,& principum primus, hodiernā diem nobis reddidit clariorem. Sacra profectò dies, quia ſacratiſſimo homini conſecrata,& illius aſſignata præconijs, quem conuentus Angelicus non mediocriter reueretur. Vnus eſt enim, quem prænobilitant ſingularis primatus 1 inſignia, clauicularius regni, cœlorum lingua, fidei fundamentum. Conſummatus honor,& dignatio glorioſa, hominem in terris poſitum cœlis imperitare,& inter Angelorum choros iudiciariæ poteſtatis exercere virtutem. Sedet dominator Dominus inter agmina lucidiori luce fulgentia,& de Thronis ad Cherubin tranſuolans, vices ſeſſionarias intermutat. Quamobrem admiranda quidem ſeſſionum mutatio, longèq; rationis humanæ ſuperducta conſpectibus, cùm modò Thronos, modò Cherubin inſediſſe legatur. Et licet aſſiſtant Angeli Præſidentis imperium expectantes, & Adminiſtratorij ſpiritus aſſignata ſibi miniſteria ſortiantur; nullus tamen eorum ligandi, atq; ſoluendi poſſidet poteſtatem. Adeſt Petrus,& ad eius arbitrium 2 orbis vniuerſitas ſoluitur,& ligatur,& præcedit Petri ſententia ſententiam Redemptoris, quia nō quod Chriſtus, hoc ligat Petrus, ſed quod Petrus, hoc ligat Chriſtus, ipſo idipſū atteſtante. Quodcunq;, inquit, ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis.

1 Ecce quomodo beatus Petrus nobilitatus eſt ſingularis primatus inſignijs.

2 Cui Eporum data eſt tāta poteſtas, quā ta Petro, ad cuius arbitrium orbis vniuerſitas ſoluitur,& ligat.

O' quàm potens dignitas, quàm digna potentia. Iudicat Petrus, & Petri iudicia confirmat Omnipotens,& eſt in manu Petri, manus Altiſſimi, ſolusq; ille efficitur familiaris Chriſti, qui Petri familiaritatem habuerit. Quid eſt, quòd Angelorum,& hominum agminibus excluſis, ſolus Petrus in conſortium diuinæ maieſtatis,& cum Domino reſidet præſidente? Dulce colloquium, ſancta conuerſatio; conſilium ſpeciale Petri,& Dei, vbi ſecretorum indifferentia mortalem hominem Deo copulat,& counit. Nō ergo mirū, ſi ardētiori affectu diligit Saluatorē Petrus Apoſtolus, cùm ſingularis amor refuſus ſit in eū, vt & ſingulariter diligat,& ſpecialiter diligatur. Anima eius vna eſt de adoleſcentulis, quæ dilexerunt eum nimis. Puerilis ætas nondum amori congruit, ſenilis deſijt ab amore. Puer eſt, qui nondum æternis ſtudere cœpit; ſenex eſt, qui cœperat, ſed dimiſit. Vtroſq; igitur ille ſummus amator excludit, & à maieſtate ſuæ

mi

dilectionis eliminat. Sola adoleſcentia ardentiſſimis ignibus incandeſcens, eclipticum amorem non recipit, ſed ardorem ſibi vendicat copioſum. Inter adoleſcentulas igitur, animas videlicet electorum, quæ cœleſti ſponſo dilectionē promiſerunt, & fidem, iſta ſola dilexit ardentiùs, & amoris impatiens ait: Domine ſi tu es, iube me venire ad te ſuper aquas. Non timuit ſingularem elementi moleſtiam, & pelagi ſæuientis vndoſitas affectum Apoſtoli retinere non potuit. Sed quid eſt quod dicit, Nimis, cùm nimis ille diligi non poſſit, qui toto corde, tota anima, totis viribus præcipitur diligendus?

Tres ſunt gradus in amore Dei, quorum alterum ſine altero conſcendere, aut parum valet, aut nihil. Cucurrit eos Apoſtolus pede velociori, donec in tertij ſummitate repoſitus, ad cœleſte palatium euolaret. Amandus enim eſt Deus dulciter, ſapienter, & fortiter. Sed iam videamus, quid ſit dulciter amare Deum. Dulcis enim eſt, & dulciter diligi debet, qui multitudinem dulcedinis ſuæ vel amantibus, vel timentibus ſe miniſtrare non ceſſat. Amatur in dulcedine, cùm amatur in carne, cùm neſcimus niſi Chriſtum Ieſum, & hunc Crucifixum, cùm tota carnis eius frequentia frequenti memoria retinetur, & oſſa noſtra medullitus concurit tantæ miſerationis dignatio. Cùm enim recordamur Regem gloriæ paruuli vagientis ſuſtinere miſerias, pannorum vilium vilitate deuolui, fatigatum ex itinere reſidere, phariſæorum opprobria, conuitia Iudæorum aure patientiſſima pertranſire, nunquid non compungi debemus ad tantæ pietatis intuitum? Conſidera Filium Virginis illitum ſputis, liuidum plagis, clauis confiſum. Attende Rectorem cœli ſtantem in Cruce, pallidum morte, carne deformem. Ne pertranſeas Dominum Angelorum, factum opprobrium hominum, virum dolorum, & ſcientem infirmitates, virum percuſſum à Deo, & humiliatum,
1 virum leproſum, & omnibus expoſitum detrimentis. Hæc recordatio ſuccendit cor, pectus adurit, interiora depaſcitur. Talis memoria elicit lachrymas, ſuffundit oculos, vultus humectat.

Circa hunc ferè gradum obuoluitur omnis religioſorum inſtantia, raraq́; auis in terris eſt, quæ poſſit hunc tranſire profectum. Aſtat enim orantibus vel imago naſcentis Dei, vel pendentis in Cruce, tenetq́; mentis affectum incaleſcens affectio, & ad vlteriora vix permittit excurrere. In hoc gradu Petrus impreſſus conſiſtebat, cùm carnem, & conuerſationem Ieſu Chriſti tenerrimè diligens, Saluatorē etiam à ſaluatione generis humani retraheret dicens: Propitius eſto,
2 Domine, tibi ipſi, ne fiat hoc. Cui Dominus: Vade, inquit, poſt me, ſatana, quia non ſapis quæ Dei ſunt, culpans conſilium, non affectum. Diligebat eum dulciter, non tamen ſapienter. Quomodo enim ſapienter, qui mundi redemptionem, & Dei prouidentiam nitebatur excludere? Sed ſuccenderat cor eius familiaritas dulcior, & verbum de Redemptoris abſentia pati non poterat benignitas diligentis. Hîc diligitur Deus ex toto corde, cùm in corde hominis affectus, & dulcedo inhabitet, ſolumq́; cor hominis amoris dulcedinem perſeueranti ſtabilitate cuſtodiat. Vnde & vulgaris vſus obtinuit, vt cùm aliquem ab aliquo vehementer amari conſpicimus, dicamus: Ex corde diligit eum; quem ſcilicet amat, & ſequitur.

Secundus eſt, diligere ſapienter. Gradus iſte multæ altitudinis eſt, & nimis difficilem pollicetur aſcenſum. Non autē euadit ad cacumen eius, niſi mens mūdior, & quæ mundi huius ſapientiam ſapientia ſuperuolat Angelorum. Non attendit hîc naſcentis, vel itinerantis Dei cumulata deuotio, ſed Verbum in principio apud Deum. Recordare Filium Dei cum Patre omnia fabricantem, creantem Angelos, elementa iungentem, diſponentem mundum, omnia gubernantem, & cognoſce quàm excelſior ſit iſta cognitio, quàm illa. Intuere ineffabilem ipſius genituram, & Genitum Gignenti non diſſimilem, nec priorem Patrem, quàm

quàm Filium, & tunc intelliges quanta differentia natiuitatem vtramque diſtungat, cùm aliud ſit naſci in gloria, aliud in miſeria, aliud æqualem Deo, aliud Angelis eſſe minorem. Hæc eſt ſapientia ſingularis, ſupergredi cor-poris, & corporeorum obſtacula, & in illius lucis ſubſiſtere ſplēdorem, vbi lumē videtur in lumine, & Deus non ſeruiens, ſed imperans demonſtratur. Felix anima, quæ feculentæ carnis ſuperata materia, in huius ſapientiæ lumine re-quieſcit. Vis videre Paulum, quomodo à primo gradu ad ſecundum aſcenderit? Cùm dixiſſet: Mihi abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti; ſcripſit alio loco: Et ſi noueramus Chriſtum ſecundùm carnem, ſed nunc iā non nouimus. Hic affectus ſapientiæ ſedet in anima, quæ ſola rationis capax eſt, incorporeumque, & incircunſcriptum ſpiritum indefeſſa meditatione proſpectat. Hic diligitur Deus ex tota anima, ideſt ex tota ſapientia, qui priùs ex toto corde, ideſt ex dulcedine diligebatur.

Tertius gradus eſt amare fortiter, ideſt ex omnibus viribus. Fortiter diligit, qui, cùm neceſſe fuerit, pro Saluatoris fide corpus, & animā tormentis exponit. Hic eſt fructus operis, laboris cōſummatio, probatio dilectionis. De gradu enim dulcedinis ad ſapientiæ gradum aſcenderat Apoſtolus Petrus, cùm diceret: Animam meam pono pro te. Nihil ſapientius, neque fortius, quàm Animam meā pono pro te; nil inſipientius, neque debilius, quàm Neque ſcio, neque noui quid dicas. Profectò iam diligebat dulciter, iam ſapienter, ſed vtrunque perdidit, cùm fortiter non dilexit, cùm ad vocem mulierculæ Dominū, & Magiſtrum ſuum celeriter abnegauit. Sed cùm mori pro Chriſto diſpoſuit, dilexit nimis, quia maiorem hac 3
dilectionem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Affixus Cruci à fide ſeparari non potuit. Vides ergo, quomodo tres gradus iſti trinæ legis dilectioni conueniant. Itaque amemus dulciter, ſapienter, & fortiter, vt ad Magiſtrū Petri, Petri interceſſione peruenire valeamus, qui eſt benedictus in ſecula. Amen.

Nota ſanctorum interceſſione nos peruenire poſſe ad Dominū.

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

SERMO DE SANCTIS APOSTOLIS PETRO, ET PAVLO.

Sanctorũ Apoſtolorum Petri,& Pauli feſtiuitas ſolẽnis, toti cognita mundo.

HOdierna dies, dilectiſſimi, clara eſt,& ſolennis, vniuerſamq; creaturam ſuo lumine ſanctificat,& infundit. Non enim eſt ignota feſtiuitas,vel alicuius obſcuritatis tenebris offuſcata, ſed ab ortu ſolis vſq; ad occaſum toti cognita mundo, ipſis etiam cœlis clara luce relucens. Duo enim Apoſtolorum principes, Eccleſiæ luminaria, martyres ſummi, legis doctores, amici ſponſi, oculi ſponſæ, paſtores gregis, mundi cuſtodes, hodierna die cœleſtia regna felici martyrio conſcenderunt,alter princeps regni cœlorum,alter raptus ad tertium cœlum;alter Iudæis prælatus,alter gentibus datus; in vita ſocij, conſortes in morte,in corona pares,æquales in gloria,iudices orbis,Domini confeſſores.

Admiranda prorſus diſpoſitio Redemptoris,& iudicia Dei abyſſus multa,cũ illos Eccleſiæ ſuæ præfecit,qui ſic criminaliter lapſi ſunt,vt in peccatorum fluctus abſorberentur. Cùm intueor Petrum,quem ipſa manus Omnipotentis regni cœleſtis clauibus inueſtit,cui Pater reuelat Filij maieſtatem,ſuper quem fundatur Eccleſia,cui poteſtas ligandi,& ſoluendi conceditur,qui cœlos claudit,& aperit,quod Cherubin,& Seraphin habere non legitur, vehementer admiror. Rurſus cùm reflecto oculos,& eundem Petrum video à longe ſequi Saluatorẽ, & ad vnius ancillæ vocem deteſtari,& iurare, Quia nõ noui hominem, ipſumq; quem Dei Filium confeſſus fuerat,trepida fugitatione relinquere,timore concutior,dicens mecum: Quis cognouit ſenſum Domini? Cùm reſpicio Paulum ſpirare minas,& cædes in diſcipulos Domini,vinctos ducere,damnare morti, & in corpus Eccleſiæ tota debacchatione ſæuire,intra memetipſum cõtremo,dicẽs: Neſcit homo vtrum amore,an odio dignus ſit. Cùm reſpiro deſuper, & video vas electionis portare nomen Chriſti coram gentibus,& Regibus,& filijs Iſraël, ad tertij cœli ſecreta raptari,& audire arcana verba,quæ nõ licet homini loqui, & in illam ipſam Trinitatem oculos figere clariores,gaudeo,dicens: Hic eſt vir, qui non eſt derelictus à Domino. Quid eſt,quòd ſic labuntur, qui præficiuntur Eccleſiæ? Sapientia ſuauiter diſponens omnia,hæc ideo fecit,vt in ſeipſis prædicti Principes diſcerent,qualiter alijs miſereri deberent.

Huius virtutẽ miſericordiæ præſens capitulum demonſtrare conatur. Iſti ſunt, inquit,duæ oliuæ. Digna prorſus comparatio oliuæ ad Apoſtolos,nec alia dignior eſt inuenta. Arbor enim iſta ſemper viridis eſt,& illum excellentiſſimum olei liquorẽ effundit,ſine quo nec regia,nec ſacerdotalis conſtat auctoritas. Oleũ

autem quatuor habet, ſupernatat omnibus liquoribus, illuminat, paſcit, & vngit. Cuicunque enim liquori oleum ſuperponas, ſtatim ſibi ſuperioris loci vendicat poteſtatem, ita & miſericordia Dei omnibus eius operibus præfertur, Pſalmiſta teſtante, qui dicit: Miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Miſerator, & miſericors, patiens, mitis corde, & ſuauis vniuerſis, Dominus prædicatur. Eſt autem & iuſtus, ſed nunquam multum iuſtus legitur in ſcriptura, ſicut multum miſericors. Vis videre quomodo Diſcipuli ſequuntur Dominum, & Magiſtrum ſuum? Aſpice quantus pietatis affectus Apoſtolorum principi ſe infudit, quando circunſteterunt illum omnes viduæ flentes, & oſtendentes tunicas, & veſtes, quas faciebat illis Dorchas. Circundatur multitudine pauperum Apoſtolorum princeps, & vocibus lachrymoſis concutitur viduarum, Apoſtolicumque pectus irrumpit clementiæ multitudo. Orat Apoſtolus ante vultum gloriæ coram Domino maieſtatis, reſuſcitatur mulier, & miſeris redditur miſericordiæ propinatrix. Hæc miſericordia facit Petrum ab Hieruſalem in Antiochiam currere, ab Antiochia venire Romam, prædicare verbum Dei, ſubuenire peccatoribus, peccatis parcere, miſericordiam ſuperexaltare iudicio. Aſpice & Paulum, & intellige quam dulcioris miſericordiæ cumulata benignitas totam Apoſtoli mentem vera compaſſione ſuccedat. Quis infirmatur, inquit, & ego non infirmor? Doleo, inquit, & lugeo ſuper eos, qui peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam. Beata anima, quæ omnium miſerias ſuas fecerat, vt omnes lucrifaceret. Hoc affectu nauigat mare, currit in Hieruſalem, lapidatur, verberatur, affligitur. Inde currit ad Epheſios, Corinthios quærit, circuit Coloſſenſes, Philippenſes viſitat, reuertitur ad Romanos, miſericordiam ſpargit, vbique diffundit pietatem, & cœleſtium ſeminat ſemina gaudiorum. Cernis ergo, quia ſicut oleum omnibus liquoribus antecellit, ſic & Apoſtolica pietas omnibus eorum virtutibus antefertur.

Illuminat oleum, illuminant & Apoſtoli. Recole actus Apoſtolorum, & vide quanta luce fulgurat Apoſtolus Petrus. In plateis, ait ſcriptura, ponebantur infirmi in lectulis, vt veniente Petro, ſaltem vmbra illius obumbraret quenquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis. Oleum infinitum, admirabile lumine, & omni ſole lucidius, ad vmbram Apoſtolici corporis langores fugere, diſcedere infirmitates, & omnem morborum inſtantiam inaudita velocitate fugari. Ah quam copioſa luminis immenſitas ab ore Petri largius exiliuit, cum ait claudo: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula? Reſpice Paulum totum Illyricum peragrantem, ſuſcitantem mortuos, ſubuertentem templa Deorum, & in ſplendore huius lucis totius orbis illuminare circuitum. Currit Paulus, & potenti virtute ſermonum illuminat quæ in tenebris ſunt, clarus ſermone, opere clarior, miraculorum coruſcatione clariſſimus. Habete, inquit, formam veſtram, & attendite non ſolum quæ audiſtis, ſed & quæ vidiſtis in me. Bonus, & perfectus magiſter, qui fidem facit verbis opere meliori. In huius lucis clariſſima ſerenitate illuxerunt coruſcationes tuæ, Deus, orbi terræ. Commota eſt, & contremuit terra ad vocem Apoſtolorum, cum in omnem terram ſonus eorum exiuit.

Oleum paſcit, paſcunt & Apoſtoli. Epiſtolæ Petri, & ſublimis illa ſermonum doctrina, nunquid non mirabiliter paſcit Eccleſiam Dei? Audi quid Saluator de hac ipſa paſtione dicat ei; Paſce, inquit, tertiò, oues meas. Paſce verbo, paſce exemplo, paſce oratione. Paſce verbo, vt potens ſis exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt arguere; paſce exemplo, vt quod prædicas voce, opere compleas; paſce oratione, vt pro illis intercedas, quorum anima tibi commiſſa eſt. Vas electionis Paulus Apoſtolus vide quomodo paſcit populum Dei diuerſorum varietate ferculorum. Lac, inquit, potum dedi vobis, non eſcam; perfectorum autem ſolidus cibus eſt, eorum, qui pro exercitatione conſummatos habent ſenſus. Et alibi: Facti eſtis, quibus lacte

opus ſit,non ſolido cibo : & iterum : Sapientiam loquimur inter perfectos. Vi-
des quomodo ſe contemperat,& conformat,illos ſublimi, hos tenera imbuens
doctrina ?

Vngit oleum;vngunt & Apoſtoli. An non Petrus Apoſtolus vngit omnes,
cùm dicit: Vos autem genus electum,regale ſacerdotium,gens ſancta, populus
acquiſitionis;vt virtutes annuncietis eius,qui de tenebris nos vocauit in admira
bile lumen ſuum ? Paulus etiam ipſe nonne præcipit dicens : Si præoccupa-
tus fuerit homo in aliquo delicto, vos,qui ſpirituales eſtis,inſtruite huiuſmodi in
ſpiritu lenitatis ? Oliua ſemper eſt viridis,nec frigoris immenſitate percutitur ;
ita & Apoſtolorum fides inconcuſſa perdurat, nec vnquam tyrannica rabie po-
tuit ſuperari;& ſi impulſus eſt Petrus vt caderet,non tamen cecidit,quia Domi
nus ſuſcepit eum. Stupefactus quidem ad momentum hæſit Apoſtolus,ſed ſta
tim in virtute fidei redijt,quia reſpiciente Domino,fleuit amare;& ſi ad tempus
concuſſus eſt,non tamen deijci potuit; quia ſententia veritatis caſſari non pote-
rat dicens : Ego pro te rogaui,Petre;vt nõ deficiat fides tua. Hodierna enim die
crucifigitur Petrus,Paulus gladiatur,& vitam ponunt pro fide Christi, vt non
deficiat fides Chriſti. Iſti ſunt ergo duo viri oliuæ,viri habentes fidem , illumi-
nantes patriam,paſcentes Eccleſiam,peccatores vngentes. Quod igitur ſcriptu-
ra hæc dicit : Iſti ſunt duæ oliuæ: alibi planiùs aperit dicens : Hi ſunt viri mi
ſericordiæ .

Sequitur: Et duo candelabra lucentia ante Dominum. Candelabrum tribus
pedibus innititur,& in altiora conſurgens cereum ſuperportat,vt qui ingrediun-
tur,lumen videant;ita & Apoſtoli tribus virtutibus innitentes,operatione,præ-
dicatione,miraculorum coruſcatione,lumen verum Dominum Ieſum Chriſtũ.
ingredientibus ad fidem tota claritate monſtrarunt. Et attendẽdum quod dicit,
Ante Dominum. Hypocritæ etenim lucent,non ante Dominum, ſed ante mun-
dũ,vt videantur ab hominibus. Apoſtoli verò luxerunt ante Dominum, ſed nõ
ante mundũ, quia ludibria,& verbera experti,diuinæ maieſtati ſolũmodo place
re ſtuduerunt. Quòd ipſi ſint duæ oliuæ, & duo candelabra lucentia , & ante
Dominum,Zacharias Propheta manifeſtè his verbis innuit dicens: Iſti ſunt duo
filij olei ſplendoris,qui aſſiſtunt Dominatori vniuerſæ terræ . Sunt etenim filij
olei,quia viri ſunt miſericordiæ ;ſunt & ſplendoris,quia ſunt candelabra lucen-
tia ; lucent ante Dominum,quia aſſiſtunt Dominatori vniuerſæ terræ . Sequi-
tur: Habent poteſtatem claudere cœlum nubibus. Serenitas cœli nubibus im-
peditur,ne videatur,& diuinitatis contemplatio peccatis noſtris clauditur,ne vi
deatur Deus,Propheta teſtante,qui dicit : Oppoſuiſti nubem, ne tranſeat ora-
tio . Nubes opponitur,ne oratio tranſeat,cùm peccata noſtra ſeparãt inter nos
& Deum. Habent poteſtatem claudere cœlum nubibus, ideſt peccatoribus , &
portas eius fidelibus aperire . Mira res,& omni ſtupore digniſſima,
ad hominum linguam claudi,& aperiri cœleſtium
palatia manſionum . Amen .

EIVSDEM BEATI
PETRI DAMIANI
SERMO DE SANCTA MARIA MAGDALENA.

HOdie miſericordia,& veritas obuiauerunt ſibi,& multitudo miſerationum Domini in peccatricẽ fœminam refuſa eſt. Filius enim Virginis, peccatricis,& menſtruatæ manibus attrectatur, Deumq́; & Dei Filiũ mulier infirmata contingit. Tangit pedes mundi, atq; mundantis immunda, & ad veſtigia Creatoris mulier criminoſa procũbit. Tranſit in affectum cordis præuaricatrix,& redit ad cor,atq; magnitudinem ſcelerum lachrymarum multitudo condemnat. Diſſimulat pietas tangentis officium, & obſequiorum inſtantiã remuneratorius ille Maieſtatis oculus felici dedignatione non inſpicit. Oſculatur Maria pedes Chriſti frequentibus oſculis; & oculis inundantibus veſtigia Redemptoris infundit, tergit crinibus,odoriferis illinit,& irrorat vnguentis. Videt, & inuidet ſingularitatis amator,& vtrunq; redarguit Phariſæi iactantia,illum ignorantiæ, præſumptionis illam. Sed deliberans Prouidentia ſuſpendit iudicium,dum affectat obſequium, & inuectiuam retinet præparatam, donec Mariæ ſacrificium in holocauſtum pertranſeat. Gaudent Angeli ſuper peccatrice pœnitentiam agente, & odoris fragrantia cœleſtis ille conuentus aſpergitur,ſaluantemq́;,& ſaluãdam totam miſericordiæ dulcedo procingit. Vbi abundauit peccatum, ſuperabundat gratia, & numeroſitatem criminum præponderans pietas intercludit.

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, in peccatricis confeſſione, quàm iuſta reprehenſio in Phariſæi ſuperbia, & abuſione? Enumeratur obſequentis obſequium,& per obliquum tangitur indignantis iniquitas,tota literali cohærentia Simonis inuidiam impugnante. Et quia vbi Spiritus Domini,ibi libertas, dimittũtur illi peccata,quæ multùm diligit, immò immittuntur illi, qui multùm negligit. Non erat ſatiatus ab vberibus ſponſæ,nec induerat compaſſionis affectum legem relegens,quæ miſericordiam neſcit,nouit iuſtitiam. Lex dura duris,& lapideis promulgata,parata percutere,neſcia miſereri. Lex excludens pœnitentiæ locum, veniam negans, emendationis ignara. Lex vinum durum,& acidum, de botris amariſſimis eliquatum, conſecratum feritati,deriua

tum Iſraëli, Saluatori propinatum. Vinum,de quo dentes bibentium obſtupeſcunt,non de genimine vitis illius, quod Saluator bibit nouum in regno Patris ſui. Verè meliora ſunt vbera ſponſæ vino iſto. Quæ'nam autem ſunt illa? Procedat in medium Paulus Apoſtolus,& vbera felici lacte manantia nobis aſſignet. Gaudere, inquit, cum gaudentibus, & flere cum flentibus. O quàm breui ſermunculo totius religionis depinxit inſigne, tam eleganti clauſula propoſuit pietatem,æquitatem ſtatuit, ſubmouit inuidiam. His vberibus mater Eccleſia lactat proficientes,perfectos nutrit. Gaudere,inquit,cum gaudentibus.

Faceſſat hinc ſecularis plauſus inſania, & lætitia mundialis abſcedat, quia non eſt gaudere impijs, dicit Dominus. Nunquid illorum os gaudio repleri æſtimas, qui lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis? Vel illi, qui laudibus adulatorijs rapiuntur, diuinæ iubilationis agnouere lætitiam? Nunquid qui ueſtiuntur purpura, & byſſo, & epulantur quotidie ſplēdidè, gaudium, & lætitiam obtinebunt? Abſit,vt in terra ſuauiter viuentium, gaudiorum inueniatur materia, cùm tantis alternationibus tanta mundi facies immutetur, vt eleuans allidatur, & reſpiret alliſus. Sed eſt gaudium continua ſui iucunditate firmiſſimum, quod perfectus animus de ſecura ſibi conſcientia pollicetur. Mens enim à mundi huius aſpergine purè,preſſe'q;deterſa,& in diuinæ contemplationis acumen totum deſiderij ſui figens affectum, gaudens gaudet in Domino, & exultat anima ſua in Deo ſuo. Talis anima minas aſpernatur,neſcit timorem,ſpem falſam eludit, & omnium ſcandalorum immunis, in pace in idipſum dormiens requieſcit. Pax multa diligentibus legem tuam (ait iuſtus) & non eſt illis ſcandalum. Nouerat enim,quia lictores nō perſequuntur martyres, ſed coronant. Cum huiuſmodi gaudentibus gaudet Apoſtolus,& vt abundantiùs gaudeant,tota ſecuritate promittit. Hoc gaudium plenum,& certum eſt,tanto'q;certius idem,quantò vicinius circa identitatem imprimitur. Hæc eſt mamilla congratulationis,de qua lac exhortationis effunditur, quo nutriuntur perfecti,vt cùm auulſi fuerint à lacte iſto,epulentur ab introitu gloriæ Dei.

Secunda eſt, Flere cum flentibus. Nunquid Apoſtolus præcipit flere rerum amiſſionem,intermiſſionem voluptatum,filiorum mortes, morborum inſtātiam, grauitatem inopiæ,potentiam fortioris? Abſit. Plorandi enim ſunt, qui taliter plorant. Religioſa enim triſtitia aut alienum peccatum luget,aut propriū. Beati,quorum luctus in hac intentione verſatur, quia conſolatoriam poſſunt expectare dulcedinem. Quam leni,& dulciſſimo ſpiritu imbibitus eſt ſpiritus illius, qui nouit in ſpiritu lenitatis peccantes inſtruere,ſuſpendere vindictam, & affectuoſis officijs inuiſcerare ſibi peccatorem,donec vitæ reddatur. De hac compaſſionis mamilla lac conſolationis effunditur,& hoc lacte paſcit Apoſtolus illos, q ſolido cibo veſci nō poſſunt. Amator innocentiæ, pacis amicus, patientibus compatiens, & congaudens gaudentibus, perfectionis metam,curſu conſummato,contingit. Hæc ſunt verba lacteis irrorata liquoribus, meliora vino, melle dulciora,miſericordiam ſonantia,redolentia pietatem, fragrantia, inquit, vnguentis optimis. Digna prorſus vbera, de quibus eliquatur vnguentorum infinitas,odorata diffluxione ciuitatem Dei viuentis circunquaq; reſpergens. Hæc ſunt vnguenta, quæ Regina Saba attulit in Hieruſalem,de quibus dicit ſcriptura: Non ſunt allata vltra aromata tam optima,quàm ea, quæ dedit Regina Saba Salomoni. Quàm excellenter appoſuit Optima Spiritus ille ſubtilis,qui totam ſibi libri huius rapit poſſeſſionem. Eſt enim vnguentum bonum,quod Maria pedibus Saluatoris infudit. Eſt & melius, quod eadem,ſi tamen eadem, ſuper caput recumbentis effudit. Eſt & optimum, quod & ipſa præparauit toti corpori Chriſti. Primum vnguentum contritionis eſt, de recordatione peccatorum, de ſpiritu contrito,& contribulato deſcendens. Hoc infunduntur pedes

illius, qui ambulat ſuper pennas ventorum. Hic adorat Maria in loco, vbi ſteterunt pedes eius. Steterunt, inquam, quia validiſſima amoris manu pedē vtrũq; retinuit, donec vtrunq; perungeret, & audiret criminum remiſſionem, dimiſſionē in pace. Remittuntur, inquit, tibi peccata, & vade in pace. Magnam prorſus miſeriam magna miſericordia diluit, & abſtergit, & hoc quidem feſtinanter, quia ſine vllo interuallo coniunguntur & lachrymæ peccatricis, & indulgentia Saluatoris. Remittuntur peccata, & in pace dimittitur, vt & de præterito non ſit ſolicita, ſecura de futuro.

Pedes iſti ſunt miſericordia, & iudicium, quorum alterum ſine altero oſculari vel temeraria ſecuritas eſt, vel deſperatio fugienda. Quis enim Dei miſericordiam indeſinenter attendens, non ſtatim tepidioris vitæ quietem exoptet? Cùm enim recogitat vniuerſitatis Dominum, formam ſerui pro ſeruis ſuſcipere, triginta & tribus annis operari ſalutem noſtram in medio terræ hujus, capi, ligari, lanceari, crucifigi, & hoc totum pati pro filijs hominum, ſtatim deceptoria ſpe ſibi blanditur, & alludit, gaudet obuerſari miſericordia, & miſerationibus, iudicium neſcit, ignorat iuſtitiam, & punienda æſtimat non puniri. Fallitur qui ſic oſculatur miſericordiæ pedem, vt pedem iudicij non attendat, qui totum de miſericordis pietate præſumit, hoc ſolum ad ſalutem ſufficere credens, quod 1 credit. Rurſus cùm abducit os, & iudicij pedem crebrioribus oſculis intertangit, ſubcutitur caro, animæq; ſubſtantia, & vtriuſq; hominis ſtatum vehementior aura percellit. Horrendum eſt enim in manus Dei viuentis incidere, offendere Creatorem, neſcire Dominum, recalcitrare Dominantis imperio, qui habet poteſtatem corpus, & animam mittere in gehennam. Terribilis certè, ſicut ait Apoſtolus, quædam expectatio iudicij, quando ignis in conſpectu eius exardeſcet, & virtutes cœlorum mouebuntur, & vacillantibus conſcientijs latitudinem mundi validiſſimus ignis aduret. Nihil prorſus terribilius, quàm videre latronis officinam plenam ſanguine, cumulatam opprobrijs, tormentis vndantem. Quis hæc diutius cogitans non ſtatim contremiſcat, & in deſperationis rotetur abyſſum? Non eſt igitur huic pedi moroſius incumbendum, ne pietatis intuitum ferocia iudicantis occludat. Vtrũque igitur inungat pedem, animæ pœnitentis affectus, & nunc miſericordiam amplectens, nunc iudicium oſculans, contribulati ſpiritus offerat holocauſtum.

1 Nota nō ſufficere ad remiſſionē peccatorū credere duntaxat, ſed operis ſatisfactio etiam requiri tur.

Vide Mariam iudicij pedem fortiter attendentem, dum nobilis, & laſciua mulier conuiuantium faciem non attendit, ſed extenſo corpore prouoluitur pedibus Maieſtatis, doloris plena, timoris impatiens, compunctionis iaculo vulnerata; ſed & miſericordiæ pedem labijs impreſſioribus oſculatur, in cuius ſpe firmiter inhæret veſtigijs accumbentis, donec audiat: Remittuntur tibi peccata tua. Sanè pretioſum vnguentum, quo non ſolùm terrena domus, ſed etiā cœleſtis aſpergitur. Viliſſimæ autem ſunt ſpecies, de quibus conficitur, & magna eorum copia intra noſtros hortulos poterit inueniri. Peccata igitur noſtra plantata in conſcientijs noſtris, quorum numeroſitas præ multitudine numerari non poteſt, ſpecies eius ſunt. Ipſa igitur in mortariolo pœnitentiæ macerationis piſtillo contuſa, & reſperſa diſcretionis oleo, doloris igne ſuppoſito, & in aheno diſciplinæ concocta, vnguentum exhibent pretioſum, & acceptū pedibus Saluatoris. Compendiosè autem illud confecimus, ſapienti rerum occaſionē penitus relinquentes. Et licet materia videatur indignior, interim tamen bonum eſt vnguentum iſtud, quod domum replet, penetrat cœlos, Angelos lætificat, & beatæ ciuitati lætitiam refundit, & gaudium. Hoc eſt ſacrificium iuſtitiæ, quia ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus.

Secundum vnguentum eſt deuotionis de recordatione beneficiorum Dei. Prorſus digniſſima huius vnguenti compoſitio, & in iſtius comparatione

prioris eſt conſperſio vilipendenda. Eius enim ſpecies de cœleſti paradiſo allatæ ſunt, & in terra filiorum hominum nequeunt inueniri. Virtutes enim diuinitus collatæ, & in mortariolo cogitationis, piſtillo diligentiſſimæ meditationis intritæ, & exultationis oleo ſuperfuſæ, ſuffuſo igne iuſtitiæ, & humilitatis aheno decoctæ, vnguentum faciunt & odore, & virtute mirabile, quod ſolum ſuper caput Domini recumbentis poſſit effundi, & exhiberi reuerentiæ Maieſtatis. Sed & hoc recollegimus breuiter, illis, qui multa de paucis eſculpere cognouerunt, verborum multitudinem reſeruantes. Notanda tamen vtriuſq; differentia, & ſecundi ſublimitas attendenda, quia illud eſt Deo ſacrificium ſpiritus contribulatus, & iſtud ſacrificium laudis, quod honorat Deum. Pedes igitur vngimus Redemptoris, cùm de peccatis compungimur, vngimus caput, cùm de collatis virtutibus virtutum largitori gratias cumulamus. Interſtitij tamen moroſitas inter pedes eſſe debet, & caput, quia profectò difficillimus, & præſumptuoſus ſaltus eſt, à veſtigijs ad verticem Domini tranſuolare. Neq; enim eadem, quæ vnxit pedes, vnxit caput, cùm illa meretrix, hæc nihil horum feciſſe legatur, ſecundùm illud: Verte impios, & non erunt. Vnxit ergo Maria ſanctum Dei verticem profectò iam dilecta, iam familiaris effecta, longeq; peccatricis illius tuo luta contagijs, quam infelix ille ſeptenarius confundebat.

Porrò ſi duo præmiſſa vnguenta tantæ dignitatis ſunt, vt alterum pedibus, alterum capiti complaceat Dominantis, illud tertium, quod optimum eſt, & ſuper excellens, vbi'nam inuenire poterimus? Sed abſit, vt ſponſa veritatis à veritate diſſentiat, & tale aliquid habere ſe iactitet, quod habere non poſſit. Eſt ergo tertium pietatis vnguentum, quod eſt ſuper omnia aromata, morbis omnibus, & periculis ſalutare, quodq; nulli vnquam peſti inueniatur inefficax. De ipſo nanq; ſic legitur: Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum. Vides'ne in prima capituli fronte propoſitum, quòd non vna, vel duæ, ſed tres vix ſufficiunt ad emendum tantæ compoſitionis vnguentum? Intelligis, quia non pedes, aut caput, ſed totum Crucifixi corpus ſibi vendicat iſta confectio? Confectio ſine dubio pretioſa, quæ toti ſufficiat corpori Creatoris. Et attende, quia vnguentum pedibus infuſum adeò digniſſima lenitate ſuſcepit, vt Phariſæum murmurantem parabolica prolixitate conuinceret, & retorto ſugillaret exemplo. Sed & de refuſo ſuper caput eius vnguento Diſcipulos indignantes coarguit, bonum mulieris opus eſſe proteſtans, & tumidam eorum animoſitatem verbis compeſcuit moderatis. Hoc verò tam ſalubre, tamq; mirificum in mortuo corpore ſuo voluit expendi, quod viuo vtiq; reſeruabat. Duo enim corpora habet Chriſtus, vnum, quod ſuſcepit in Virgine, alterum Eccleſiæ, quod charius habet benignitas Redimentis. Deniq; illud pro iſto morti expoſuit & tormentis, addictus Cruci, uinctus cum ſceleratis, morte turpiſſima condemnatus. Poterimus'ne tam ſalubrem confectionem conficere? Vniuerſæ miſerorum miſeriæ tam animarum, quàm corporum, oculo pietatis inſpectæ, ſpecies eius ſunt. Iſtæ igitur in mortariolo largitatis, dulcedinis piſtillo cõfractæ, & delinitæ charitatis oleo, ſuccenſo compaſſionis igne, & in aheno perſeuerantiæ deſpumatæ, vnguentum faciunt ipſis etiam Angelis admirandum.

Sunt viri diuitiarum in domo Domini virtutum; veſtigemus, an apud eos huiuſmodi habeantur vnguenta. Primus occurrit mihi Paulus, ſicut vbiq; ſolet, totus præſenti delibutus vnguento. Quis infirmatur, inquit, & ego non infirmor? Felix anima, facta ſibi tanquam vas perditum, vt omnium miſerias in ſua conſcientia colligaret. Totum ſe toti corpori Chriſti donauerat, omnibus omnia factus, vt omnes lucrifaceret. Sed & ille vir ſimplex, & rectus, & timẽs Deũ, vide

quomodo

quomodo non ſecundùm hominem, immò verò ſecundùm hominem, & (quod verius eſt) ſupra hominem ambulabat. Oculus, inquit, fui cæco, & pes claudo, pater eram pauperum, & cætera: quæ ſic eum hoc vnguento perunxerant, vt de miſericordiæ thalamo largiùs irroratus exiret. Samuelem recolo, qui non ſemel, ſed omnibus diebus vitæ ſuæ lugebat ſuper Saul; & cùm ſciret illum ab oculis diuinitatis longiùs elongatum, non ceſſabat tamen compaſſio, quæ condolentis animum irrepſerat, fundens lachrymas etſi non profuturas, pias tamen. Dauid parricidam filium continua deploratione plorabat, plorans in eo non carnis neceſſitudinem, ſed fidei deſtructionem. Cerne quomodo Ioſeph totus hoc melle illitus erat. Veniunt fratres iam non ante fratrem, ſed ante dominum aſſiſtentes, conſcij proditionis, homicidij rei, fratricidij ſuccenſores. Videns eos Ioſeph, & omnium iniuriarum immemor, dulciſſimis fletibus inundatur, & pietatis adeps, qui intus latitat, foras per oculos emanat. Fugit odium, neſcit iram, tempus iracundiæ non reſeruat, reddens bonum pro malo, pro crudelitate dulcedinem. Penè oblitus ſum Moyſem adeò ſacri huius liquoris rore perfuſum, vt totus ex eo ſi perfundatùr, & profluat. Peccat Iſraël, & Moyſes peccantem reconciliare nititur Creatori; ſed diſſimulat Dominus exaudire rogantem. Promittit plurima Moyſi Creator omnium, & feriendi licentiam quærit à Moyſe, qui Moyſem fecit. Dimitte me, inquit, vt iraſcatur furor meus contra eos, & faciam te in gentem magnam. Reſpondit Moyſes: Si dimittis, Domine, dimitte, alioquin dele me de libro, quem ſcripſiſti. Obſtupenda profectò dulcedo. Et principatum gentis reſpuit alienæ, & de libro viuentium deleri deſiderat, niſi peccãtibus dimittatur offenſa. Hæc ſunt vnguenta propinationis, & miſericordiæ, quæ à ſponſæ vberibus eliguntur, infirmitates omnes fugantia, profugantia paſſiones. Felix Maria vnxit pedes Ieſu; felicior eadem caput vnxit Authoris, feliciſſima, quæ rorem vnguentarium toti Chriſti corpori præparauit.

Conſidera, quàm vehementiſſimo dilectionis affectu beata hæc mulier diligebat Chriſtum Regem. Domine, inquit, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, & ego eum tollam. Quem Eum dicis, Maria, cùm de nullo feceris mentionem, ad quẽ relationem facias? Putas'ne quòd in omnium cordibus ita verſetur memoria dilecti tui, ſicut & in conſiſtorio cordis tui? Et ego, inquit, tollam eum. Mira res. Hominem perfectæ ætatis, virum, cuius corpori vix centum libræ ſufficiunt vnguentorum, tenerrima mulier portabis, & tolles? Ardens, & affecta locutio, quæ de puritatis amore refuſa, promittit quod implere non poteſt; nihil enim amanti difficile eſſe videtur. Quis deſperare debeat, tanta peccatrice non ſolùm veniam, ſed gloriam conſequente? Ipſa [2] hodie intercedat pro peccatis noſtris, & placatum nobis reddat iudicem noſtrum, ſponſum ſuum, qui eſt Deus benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

[2] Vide ſanctos intercedere pro peccatis noſtris, et placatum nobis reddere iudicem noſtrũ.

TT iij

EIVSDEM BEATI

PETRI DAMIANI

SERMO DE ASSVMPTIONE SANCTISSIMAE MARIAE VIRGINIS.

❧

HIC totum decurrat ingenium, & aureus ſermo tota reluceat maieſtate. Voluntaria oris noſtri beneplacita faciat ſibi Genitrix Dei, Domina mundi, cœli Regina. Ipſa ſenſum acuat, dirigat ſtylum, & linguam pauperis venuſtiori reſpergat eloquio. Illuſtret lucem hanc lumine clariori, & ſuo conuentui ſuam præſentiam donare dignetur. Sublimis iſta dies, & ſplendidiori Sole refulgurans, in qua Virgo regalis ad thronũ Dei Patris euehitur, & in ipſius Trinitatis ſede repoſita, naturam etiam Angelicam ſolicitat ad vidẽdum. Tota conglomeratur Angelorum frequẽtia, vt videat Reginam ſedentem à dextris Domini virtutum, in veſtitu deaurato, in corpore 1 ſemper immaculato, circundatam varietate, virtutum multiplicitate diſtinctam.

1 Vides quòd ſanctiſſima Dei Genitrix ſemper Virgo fuit?

Hæc eſt illa dies, quæ cœlorũ officinas ſublimiori gaudio cumulauit, annua mundo, Angelis continua, continuãs homines Angelis, & Angelos hominibus felici fœderatione coniungens. Intuere mentalibus oculis Filium aſcẽdentem, & Matrem aſſumptam, & videbis aliquid excellentius in Aſcenſione Filij exhiberi, & aliquid glorioſius in Aſſumptione Virginis demonſtrari. Aſcendit enim Saluator in cœlum poteſtatiuæ virtutis imperio, ſicut Dominus, & Creator, Angelorum comitatus obſequio, non auxilio fultus; aſſumpta eſt Maria in cœlum, ſed gratiæ ſubleuantis iudicio, comitantibus, & auxiliantibus Angelis, quã ſubleuabat gratia, non natura. Ideo dies hæc Aſſumptio, Aſcenſio illa vocatur, cùm aliud ſit potentia, aliud miſericordia, ſolum'q; ſoli ſit priuilegium Creatori, naturam rerum propria poteſtate ſupergredi. Hoc eſt illud excellẽtius, quod ſibi vendicat ſuper creaturam Creator, vbi etiam ſuperabundans, & ſingularis gratia non audeat aſpirare.

Sed ſi diligenter attendamus Aſcenſionem Filij, & Matris Aſſumptionem,

inueniemus profectò aliquid,quod nos inueniſſe gaudebimus. Aſcendenti quippe Domino egreſſa eſt obuiam omnis illa beatorum ſpirituum glorioſa ſocietas, quando naturæ ſuperiori prætulit inferiorem,& inconuertibili ſacramento ſuſceptum hominem in ipſa diuinitatis clauſit identitate. Occurrentibus autem Angelis electorum animas, quas ſecum educebat,adiunxit,& ſic vtrorumq; triũphali pompa deductus ad Patrem,ſedet ad dexteram Maieſtatis. Attolle iam oculos ad aſſumptionem Virginis,& ſalua Filij maieſtate,inuenies occurſum huius pompæ non mediocriter digniorem. Soli quippe Angeli Redemptori occurrere potuerunt,Matri verò cœlorum palatia penetranti Filius ipſe cum tota curia tam Angelorum,quàm iuſtorum ſolenniter occurrens, euexit ad beatæ conſiſtorium ſeſſionis, & ait: Tota pulchra es, amica mea,& macula non eſt in te. Tota pulchra,quia tota deificata; macula non eſt in te,quia Spiritus ſanctus ſuperuenit in te,qui te mundauit. Sed & Virgo gratioſis cumulata muneribus, tantæ benignitati Dauidico ſermone reſpondet, ſummæ dignationis claritatem admirans: Tenuiſti manum dexteram meam,& in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me. Nota verborum poſitionem differenti graduum diſtinctione ſignatam. Tenuiſti,inquit,manum dexteram meam,quia etſi leua tua ſub capite meo,dextera tua iam amplexatur me. Et in voluntate tua deduxiſti me, non in mea ſublimitate,quia totum opus gratiæ eſt,non naturæ. Et cum gloria ſuſcepiſti me; gloria vtiq; glorioſa,quam non nouit, niſi qui dedit, & cui donare dignatus eſt.

Attende autem diligentiam,& conſequentiam ſcripturarum. Spiritus enim ſanctus, in cuius fabrica, tam veteris, quàm noui teſtamenti fuit compoſitio fabricata, Aſcenſionem Filij,& Matris Aſſumptionem ſimili ſtylo perambulans, ter interrogat: Quis eſt iſte? & tertiò repetit: Quæ eſt iſta? Primum de Filio, poſtea de Matre videamus. In ſpiritu fortitudinis Saluator ad inferos deſcendens contriuit portas æreas,& vectes ferreos confregit,& gehennalis ollæ diſſipatis fragminibus,totum illud infelix habitaculum ruinoſa concuſſione ſuccuſſit. Conclamantibus Angelis: Attollite portas principes veſtras: illi, qui ſuperbiæ lapſu irremediabili corruerunt, ignoratione dedignatiua retorquent: Quis eſt iſte Rex gloriæ? Hic eſt ille inſipiens,qui dixit in corde ſuo: Non eſt Deus,& Neſcio Dominum, & Iſraël non dimittam. Angeli pacis confidenter ingeminant: Dominus fortis,& potens,Dominus potens in prælio: fortis ad veſtram fortitudinem infirmandam; potens ad veſtram potentiam vacuandam; in prælio, illo vtiq; ſingulari, quo poteſtates aëreas ſingulariter debellauit. Reſurgens ab inferis,& ſolennis victoriæ vexilla reportans,hominem vnitum ſibi, quem nunquam dimiſit,reſuſcitauit,& triumphatrici palma cœlis inuectus, Patri ouem centeſimam, quam perdiderat,repræſentans audit ab Angelis: Quis eſt iſte Rex gloriæ? Sed & eiſdem conclamantibus: Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ: cœlorum inſonuere palatia, & tota ſupercœleſtis domus profuſioribus gaudijs inundauit. Verè Dominus virtutum,in reſurrectione virtutem faciens,quam ante non fecerat,redimens ſeruum,& pro ſeruo filium efficiens. Clariſſima autem Aſcenſionis die,quando, videntibus Diſcipulis, eſt eleuatus in cœlum,ſummum illud,reuerendumq; collegium venit obuiam Redemptori,& omnis illa tam aſſiſtentium,quàm miniſtrantium Angelorum auctoritas cucurrit ad Filium,& aſcendentem demirans ait: Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de boſra? Videntes enim eum ſanguinei ruboris vnda perfuſum, mirantur eius patientiam, & ſæuitiam Iudæorum, qui non ſunt veriti Filium Dei Crucis ignominia condemnare. Gradiens, inquiunt, in multitudine fortitudinis ſuæ, non ſolùm in fortitudine, ſed etiam in multitudine fortitudinis, quia nulla fortitudo fortior fuit, quàm

redimere ſeruum,& in diuinitatis dextera perpetuò collocare. Hæ ſunt illæ voces,quæ deſcendentem ad inferos,ab inferis reſurgentem, aſcendentem ad cœlos,multiformi præconio proſequuntur.

Sed iam vertendus eſt ſtylus ad Sanctam ſanctarum,& illorum verborum eno danda proprietas,quæ Virgini Matri ſunt ſpecialiter dedicata. Sed vti ſuperliminarem titulum in fronte futuri ædificij proponamus,dicamus breuiter, quia prima interrogatio conuenit eius natiuitati, ſecunda eius conuerſationi,tertia aſſumptioni. Quæ eſt iſta(inquit Spiritus ſanctus de eius natiuitate) quæ progreditur,ſicut aurora conſurgens,pulchra vt luna,electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata? Hæc eſt,quæ neſciuit thorum in delicto, Virgo Dei Filio ſingulariter conſecrata,ſpecialiter ſancto coniugata Spiritui. Quæ progreditur,inquit,ſicut aurora conſurgens. Quàm elegans,& clara ſimilitudo,& ex illius diſciplina deſcendens,qui ſummum ſapientiæ fontem in Canticis affluenter incluſit. In meridiano lumine primus ille parens creatus eſt,factus ad imaginem,& ſimilitudinem Conditoris. Quid enim clarius, quàm creatum Creanti non eſſe diſſimilem? Faciamus,inquit,hominem ad imaginem,& ſimilitudinē noſtram. Imaginem dedit ei in æternitate,ſimilitudinem in moribus, vt ſit ſimilis Creatori,ſi non identitate,ſimilitudine tamen. Sed ille tanti priuilegij dignitate reiecta,apoſtatæ ſpiritui falſa promiſſione delinitus inhæſit,& ſe cum poſteritate ſua perpetuæ morti deſtinauit,& tenebris. Ab illa hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſq; ad Virginem,nec inuentus eſt aliquis, qui vel exiret de tenebris,vel tenebras diſſiparet;ſed mundo creſcente,concreuit & tenebroſa vorago, donec in denſiſſimam conglobata nigredinem, humanum genus nocte terribili ſepeliuit. Hæc eſt illa nox ſolitaria,nec laude digna,de qua ſcriptū eſt: Poſuiſti tenebras,& facta eſt nox. In ipſa pertranſierant omnes beſtiæ ſyluæ;quia crudeles,& indomiti ſpiritus,dimotis repagulis, humanum genus totis viribus obtriuerunt. Sed nata Virgine, ſurrexit aurora, quia Maria veri præuia luminis,natiuitate ſua mane clariſſimum ſerenauit. Hæc eſt ſtella matutina in medio nebulæ,quæ in cœli cardine ſummo ſplēdore coruſcans,orbem ſubditum ſplendidioribus radijs incolorat. Hæc eſt aurora, quam ſequitur, immò de qua naſcitur Sol iuſtitiæ,ſolius Solis claritati ſuccumbēs. Hæc eſt aurora,quam ille non vidit, qui vidit omne ſublime, & orat beatus Iob vt ei multa ſuppreſſio ne claudatur,dicens: Non videat ortum ſurgentis auroræ. Tuus eſt dies, Domine, in quo Adam eſt conditus;tua eſt nox,in qua Adam a die eſt eiectus;tu fabricatus es auroram,idest Virginem Matrem,& Solem,Solem videlicet iuſtitiæ, qui de virginali thalamo conſurrexit. Nam ſicut aurora terminum noctis, diei principium adeſſe teſtatur, ſic & Virgo noctem expulit ſempiternam, & de die diem de terra ſuæ virginitatis exortum, terris infudit. Progreditur,inquit, quaſi procul egreditur,quia procul,& de vltimis finibus pretium eius. Aurora, quia noctis finis,& lucis initium. Conſurgens,quia de cadente ſuperſurgens materia. Pulchra vt luna.Quid Luna pulchrius,cùm ſtellis coruſcantibus in ſignifero limite, reliquorum ſiderum ſplendorem excedit? Conſidera quàm ſtellaris,& ſerena vibratio, quàm luminoſus fulgor circularem orbem tanti ſideris ſuperfundat,vt aliorum luminum claritatem non mediocriter obfuſcet. Sic & Virgo inter animas ſanctorum,& Angelorum choros ſupereminens,& euecta,merita ſingulorum,& omnium titulos antecedit. Quantumlibet aliæ ſtellæ reluceant,Luna tamen & magnitudine præminet, & ſplendore. Sic vtranq; naturam Virgo ſingularis exuperat, & immenſitate gratiæ, & fulgore virtutum. Electa vt ſol: Hanc attende ſimilitudinem, qua nulla in rebus mundi poteſt eſſe ſublimior. Nihil enim habuit Spiritus in viſibilibus creaturis excellentius,cui excellentiam Virginis compararet. Multò enim altius aliquid habet claritas Solis,quàm Lu

næ, quia etſi illa minores ſtellas obſcurat, non tamen penitus occultat; hic verò lucidiùs incādeſcens, ita ſibi ſiderum, & Lunæ rapit poſitionem, vt ſint, quaſi non ſint, & videri non poſſint. Similiter & virga Ieſſe, veri præuia luminis, in illa inacceſſibili luce perlucens, ſic vtrorumq; ſpirituum habetat dignitatem, vt in comparatione Virginis, nec poſſint, nec debeant apparere. An putas, quòd non contremiſcat tota rationalis creatura ad contemplationem tantæ dignitatis? Conſidera & quæ in cœlis, & quæ in terris, in Virgine refabricata, Deum, qui cœlum palmo metitur, virginei ventris breuitate 2 concluſum, redemptionē hominum, Angelorum reſtaurationem, deniq; quicquid eſt, fuit, & erit, per Virginis vterum renouatum, & tunc tibi cogitatio ſuggeret, quod locutio demonſtrare non poteſt. Electa, inquit, ſed & prælecta. Vt Sol, quia ſicut Sol ſolus orbē illuminat, ſic hæc ſola ſolidiori lumine & Angelos, & homines illuſtrat. Terribilis vt caſtrorum acies ordinata, terribilis dæmonibus, ordinata virtutibus, ſingularis timor malignorum ſpirituum, ſpecialis amor ciuium beatorum.

2 Beata Virga in ventre ſuo Deum conclusum geſtauit.

Sequitur de eius conuerſatione. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij? Iſta eſt ſpecioſa inter filias Hieruſalem. Deſertum eſt vaſtitas huius mundi, in quo beſtiæ agri frequentiùs ludunt, vbi princeps ille nequiſſimus omni fortitudine principatur. Deſertum autem dicitur, quaſi derelictum à virtutum adminiſtratione, cùm earum conuentus, abundante iniquitate, ad proprios ortus reuolauerit. Quæ aſcendit, inquit. In huius ſeculi vanitates omnes vel deſcendere, vel cadere cognoſcuntur, rarusq; qui non vel deſcendat, vel cadat in huius turbulentiſſimæ profunditatis oceanum. Sola illa Mater, & filia Creatoris, nec deſcendit, nec cecidit, ſed de virtute in virtutem aſcendens, conſummatione virtutum veſtita eſt. Qualiter autem aſcendit? Sicut virgula, inquit, fumi. Sed & hæc operatio quàm ſignificanti ſimilitudine ſit ſignata, recollige. Virgula fumi recta eſt, ſubtilis, odorifera, & quantò magis in aëra extenditur, tantò ampliùs dilatatur. Sic & Angelorū Regina, recta eſt in ſublimitate conuerſationis, quia virga directionis, virga regni Domini. Subtilis in Deitatis contemplatione, quia ipſa eſt, quæ conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo. Odorifera in virtutum opinione, quia currimus in odore vnguentorum ſuorum. Anguſta in temporalibus, quia non erat ei locus in diuerſorio. In ſpiritualibus dilatata, quia aſtitit Regina à dextris Domini. Hæc eſt virga illa, qua retunduntur impetus aduerſantium dæmoniorum, virga Aaron, per quam fiunt ſigna, & mirabilia. Baculum autem Crucis intellige, quo non ſolùm verberatus eſt, ſed & occiſus ille inſanabilis homicida, qui mortibus hominum paſcitur, & nutritur. In Virgine virga, & baculo Cruce, miſerorum ſpes, & conſolatio continetur, ſicut ſublimis Propheta clara voce declarat. Virga, inquit, tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.

Sequitur. Ex aromatibus myrrhæ, & thuris. Nominantur ſpecies, de quibus aromatica virgula ſubleuatur, myrrhæ, & thuris. Myrrha corpora diſſoluta conſolidat, & cadauer exanime ſibi vendicat, ne putreſcat. Thus autem Deo in oratione accenditur, ſicut multiplicibus ſcripturarum teſtimonijs edocemur. In myrrha continentiam, in thure deuotionem intellige. Caro enim Virginis ex Adam aſſumpta, maculas Adæ non admiſit, ſed ſingularis continentiæ puritas in candorem lucis æternæ conuerſa eſt. Porrò quis eius deuotionem votiuis laudibus poterit adæquare, cùm rememoret miſſum Archangelum, ſuperuenientem Spiritum, Filium conceptum, Deum natum, ſtellam nouam, Magorum gloriam, munerum gratiam, & ſuper hæc omnia teſtimoniū conſcientiæ ſuæ? Hæc ſunt duo, quæ virginalē ſubſtantiam tota circundedere virtute, cōtinentia ſcilicet, & deuotio, quorum alterum carnem, alterū mentē ita poſſedit, vt caro mundiſſima,

mens puriſſima genitricem Domini ſingulariùs conſecrarent.

Sed ne putares his duabus ſolis virtutibus inſignitam Dominam orbis, & Reginam cœlorum, ſubſequitur ſcripturarum auctoritas: Et vniuerſi pulueris pigmentarij. Hic expreſſum eſt quicquid exprimi potuit. Species quidem integræ odorem reddunt, ſed non tantum, quantum confractæ. Crebris enim tunſionibus ſupertritæ, remotiorem etiam locum odorifera conſperſione refundũt. Sic & virtutes in pace quidem fortiter redolent, ſed fortiùs in tribulatione, quia virtus in pace acquiritur, in perſecutione probatur, approbatur in victoria. Vniuerſus ergo puluis pigmentarius in Virgine coniectus eſt, quia in ea virtutum conuentus reuerendum ſibi thalamum conſecrauit, & ſi cæteris per partes Spiritus affuit, Mariæ tamen tota plenitudo gratiæ ſuperuenit. Nec integræ fuerunt in ea ſpecies, ſed in ſubtiliſſimum comminutæ, quia ipſa eſt, quæ fortioribus tribulationum malleis ſuperpreſſa, vidit ſuum & Dei Filium affigi Cruci, militari lancea vulnerari, & inter duos latrones poſitum expirare.

Sequitur de eius aſſumptione. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, delicijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Hæc eſt Regina illa, quam videntes filiæ Sion, beatiſſimam prædicauerunt, & Reginæ laudauerunt eam. Aſcendit autem hodie de deſerto, ideſt de mundo ad Regalis throni celſitudinem ſublimata. Delicijs, inquit, affluens. Verè affluens, quia multæ filiæ congregauerunt diuitias, hæc ſupergreſſa eſt vniuerſas. Deliciarum autem eius non eſt numerus, quia dum Spiritum ſanctum ſuſcipit, cõcipit Dei Filium, Regem gloriæ generat, penetrat cœlos, cumulata diuitijs, & delicijs affluens ad Regnum euolat ſempiternum ſuum. Innixa ſuper dilectum ſuum. Rex virtutum dilecti Pater eſt, in quo ſibi benè complacuit. Super hunc innititur Mater illa felicior, & & in aureo reclinatorio diuinæ maieſtatis incumbens, intra ſponſi, immò Filij ſui brachia requieſcit. O quanta dignitas, quàm ſpecialis potentia, inniti ſuper illum, quem Angelicæ poteſtates reuerentur aſpicere.

Hæc ſunt ergo, quæ præſenti feſtiuitati ſub vmbris, & imaginibus dignanter alludunt, & ſacratiore tegmine velata, gratioſiùs lucent, cùm potuerint reuelari. Amen.

EIVSDEM IN ASSVMPTIONE IPSIVS SANCTISSIMAE VIRGINIS HYMNVS.

Gaudium mundi, noua ſtella cœli
Procreans Solem, pariens Parentem,
Da manum lapſis, fer opem caducis,
Virgo Maria.
Te Deo factam liquet eſſe ſcalam,
Qua tenens ſummum, petit altus imum,
Nos ad excelſi remeare cœli
Culmina dona.
Te beatorum chorus Angelorum,
Te ſacri vates, & Apoſtolorum
Ordo prælatam ſibi cernit vnam,
Poſt deitatem.
Aula cœleſtis ſpecioſa Regis
Fulta ſeptenis ſophiæ columnis,
Quem nequit totus cohibere mundus,
Claudis in aluo.
Quem tremunt cœli, metuunt abyſſi,
Fluminum guttæ, maris & procellæ.
Laudat Occaſus, veneratur Ortus,
Stringis in vlnis.
Lacte nutritur cibus Angelorum,
Fertur innuptæ gremio puellæ,
Qui ſua latæ ditione terræ
Pondera librat.
Sit decus ſummo ſine fine Chriſto,
Sancta quem Virgo genuit Maria,
Qui Patri compar, Flaminiq; ſancto;
Regnat in æuum.
Amen.

EIVSDEM PARACTERICVM CARMEN DE EADEM SANCTISSIMA VIRGINE MARIA.

SCALA, thronusq; Dei, nitor orbis, ianua cœli,
Mater aue Chriſti, ſcala, thronusq; Dei.
Tu noua ſtella maris, qua lux eſt reddita terris;
Ortus & es Solis, tu noua ſtella maris.
Concipis abſque viro, tu ſola puerpera virgo,
Quæ Verbum verbo concipis abſq; viro.
Tartara quod metuunt, tellus pauet, aſtra verentur,
Pectoris antra ferunt, tartara quod metuunt.
Virgine vita redit homini, quem virgo peremit;
Mors nece victa perit, Virgine vita redit.
Tu ſuper aſtra leua, petimus, quod ſubruit Eua;
Illa grauat culpa, tu ſuper aſtra leua.
Gloria ſumma Patri, genitæ ſit gloria Proli,
Flamine cum parili, gloria ſumma Patri.
Amen.

Eiuſdem

EIVSDEM RYTHMVS DE EADEM.

Genitrix æterni, Virgo Maria, Verbi, quæ
 Vox illa carnis par erit tuæ laudis?
Tu noua maris ſtella, celſa poli feneſtra,
 Scala, quæ cœlum terris iungis, ima ſupernis.
Immenſum concepiſti, Parentem peperiſti.
 Fit Factor ex factura, Creans ex creatura.
Quem mundus ferre nequit, totum Virgo concepit.
 Quo circuitur æther, puellæ clauſit venter.
Serui forma indutus, diuina non exutus,
 Suſcepit quidem tua, ſed non amiſit ſua.
Oritur ortus rerum, fit antiquus dierum;
 Orbis origo cœpit, factus ex his quæ fecit.
Conceptus fœcundauit, natus non violauit;
 Intrauit & exiuit, ſed clauſam dereliquit.
Tu Aaron es virga fœcunda, licet ſicca,
 Quæ germen protuliſti, ſed virgo permanſiſti.
Te rubus prælucebat, qui ardens non ardebat,
 Quæ ſine æſtu mentis fructum dediſti ventris.
Et ante partum virgo, ſed poſt virginum Virgo;
 Creuit in ortu prolis integritas pudoris.
Eſt Angelorum cibus tuo lacte nutritus;
 Qui mari præbet vndas, papillæ ſugit guttas.
Geris in ſinu prolem, quæ terræ librat molem;
 Foues à quo foueris; ſeruas à quo tueris.
Blandire, Mater, charo, qui te creauit, nato
 Oſcula grata fige, faſcijs membra cinge.
Amplectere cœleſtem, quem genuiſti, Regem,
 Cui ſeruit Sol, & Luna, & omnis creatura.
Chori virtutum tremunt, quem viles panni tegunt.
 Pauet cœlum, & terra, quem baiulat puella.
Vagit in ſinu Matris, regnat in throno Patris.
 Legem Matris obſeruat, mundi iura gubernat.
Tu fontis fons viuentis, oriens orientis,
 Liber ille ſignatus victori viro datus.
Tu porta templi clauſa, ſuperni Regis aula,
 Aerarium talenti, per quod ſumus redempti,
Hortus deliciarum, odor ſuauitatum,
 Tu ager ille plenus, cui benedixit Deus.

Ex te botrus egreſſus, qui Crucis prælo preſſus,
Vino rigat arentes ſancti Spiritus mentes.
Es & terra cœleſtis ferax lactis, & mellis,
Ex qua Veritas orta tollit errorum dogma.
Arcem nobilitatis de prolis ſtirpe trahis,
Filia quidem regum, ſed Mater Regis regum.
Salue iam, Virgo fœta, Aue gratia plena,
Noſtrum Aue digneris, vt illud Gabrielis.
Ille dum te ſalutat, Euæ nomen commutat.
Reduc nos, Virgo ſancta, vnde eſt nequam lapſa.
Tu ſolue quod debemus, auerte quod timemus,
Impetra quod optamus, perfice quod ſperamus.
Sit laus Trinitati, ſit decus Vnitati,
Cui lex, & ordo rerum per omne patet æuum.
Amen.

EIVSDEM VERSVS.

Annũciatio. Ecce parat clauſam Regi prænuncius aulam.
Natiuitas. Natus ab æterno prodit de Virginis aluo.
Baptiſmus. En fluuius fontem, mundum lauat vnda lauantem.
Ablue, Iordanis, per quem magis ipſe lauaris.
Purificatio. Non capitur cœlis, Symeon quem ſtringit in vlnis.

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

SERMO DE SANCTO BARTHOLOMAEO APOSTOLO.

LAetamur, & gloriamur in Domino,dilectiſſimi, de ſancto veſtræ dilectionis affectu,quia quantò vberiùs diuini verbi poculum bibitis,tantò feruentiùs in idipſum deſiderij faucibus æſtuatis. Nec immeritò. Nam ita eſt omnis Apoſtolici culminis beatitudo coniuncta, & tot gratiarum compage,vt glutino,probatur vnita, vt cùm vnius eorum feſtiuitas 1 colitur, protinus omniũ Apoſtolorum non diuerſa ſublimitas interioribus obtutibus ingeratur. Vna 2 ſcilicet inter eos excellentia iudiciariæ poteſtatis,eadem dignitas ordinis,nec diuerſa in ligando, ſiue ſoluendo virtutis habetur auctoritas. Hæ ſunt enim illæ pretioſæ margaritæ,quas in Apocalypſi beatus Ioannes ſe conſpexiſſe pronunciat, ex quibus etiam cœleſtis Hieruſalem portas perhibet eſſe conſtructas. Singulæ,inquit,portæ erant ex ſingulis margaritis. Ipſi nimirum portæ,ipſi ſunt nihilominus magaritæ,quia dũ ſignis,atq; prodigijs quoſdam diuini ſplendoris radios mittunt, ad ſupernæ Hieruſalem gloriam conuerſis ad fidem Gentibus aditum pandunt. Et quicunq; ſaluatur,per hos quaſi portas ad vitã viator ingreditur. Quorum myſticam 3 tenuere figuram & lapides illi,qui,Deo iubente Moyſi,rationali ſummi Sacerdotis leguntur impreſſi; quod quidem rationale Sacerdos ferebat in pectore, cùm ingrederetur ſancta ſanctorum. Præceptum eſt ergo,vt in eo ponerentur duodecim lapides, terni per quatuor angulos,incluſi auro,quia nimirum ſancti Apoſtoli per quadrifidum orbem,de Trinitate,quæ Deus eſt,prædicarunt catholicæ fidei veritatem. Qui etiam lapides auro referuntur incluſi,quia & beati Apoſtoli in ſapientiæ cœleſtis arcano perſeuerant inuiolabiliter confirmati.

1 Sanctorũ Apoſtolorũ feſta colenda.

2 Apoſtolorũ tñ omniũ caput eſt Petrus,cuius alij ſunt oues.

3 Senſus myſticus in ſcriptura quærẽdus.

Legitimum ergo eſt,vt 4 Sacerdos,cùm ingreditur ſanctuariũ,duodecim pretioſos lapides in rationali pectoris deferat,quatenus quiſquis ſacris altaribus appropinquat,Apoſtolicæ ſibimet rectitudinis exempla proponat,vt quorum miniſterio fungitur, eorũ vitã,in quantum ꝑualet,imitetur,& quorũ gerit officium,in eos ſanctæ æmulatiõis ſtudio mẽtis defigat obtutũ. Et quid mirũ, ſi nos imbecilles,& paruuli,beatorũ Apoſtolorũ,q ſãctæ Eccleſiæ baſes ſunt, & colũnæ,iubemur imitari normã,ſãctã q; tenere doctrinã,cũ& ipſi Apoſtoli priorũ ſuorũ,anti-

4 Non ergo promiſcuè mares, & fœminæ ſunt ſacerdotes, vt delirant hæretici.

quorū ſcilicet patrū, ſint auctoritate firmati? Vnde & in cōſtructione tabernaculi, vt colūnæ argenteæ interiùs ſtarent, paxilli ærei figi per circuitum exteriùs iuſſi ſunt, in quibus religatum tabernaculum teneretur. Columnæ itaq; argenteæ interiùs, paxilli verò ærei in circuitu figuntur, atq; in ipſis funes ligati ſunt, vt tabernaculum fixum maneret, quia videlicet vt ſancti Apoſtoli in luce ſermonis ſui ſolidi ſtarent, vtq; totum tabernaculum, ideſt ſancta Eccleſia, in fidei integritate conſiſteret, tanquam paxilli ærei in circuitu patres teſtamenti veteris, ac Prophetæ exteriùs fixi ſunt, qui verborum ſuorum funibus prædicatorum mentes in ſoliditate conſtringerent, atq; hoc habitaculum Dei fidei ſtabilitate ligarent. Extra verò paxilli ſunt, quia ante tempus huius ſanctæ Eccleſiæ fuerunt. Sed tamen eos ligant, qui in ipſa ſunt, quia dum cœleſtia myſteria ventura prædicant, hæc poſtquam oſtenſa ſunt, credibilia omnia fecerunt. Vt ergo intus columnæ immobiles ſtent, foris paxilli funes continent, quia vt ſancti Apoſtoli perfectæ incarnationis Dominicæ myſterium crederent, illorum prædicatio obtinuit, qui hoc, priuſquam fieret, & videre, & prædicare potuerunt. Vnde rectè quoq; ipſe primus a Apoſtolorum, magna ſcilicet columna veri tabernaculi, loquitur dicens: Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis intendentes, quaſi lucernæ in caliginoſo loco. In quibus verbis indicat (quamuis ad alta ſurrexerit) ex culmine, vbi religata perſiſtat in fide. Quæ tamen lucerna prophetici ſermonis iam quidem intelligentibus lucet, ſed adhuc non intelligentibus cooperta allegoriarum obſcuritatibus permanet. Vnde etiam per Pſalmiſtam de eiſdem dictis Prophetarum dicitur: Tenebroſa aqua in nubibus aëris: quia videlicet occulta eſt ſapientia in Prophetis.

a Petrus primus Apoſtolorum prædicatur. Ergo eius ſucceſſor eſt prim⁹ Ep̄ſus, qui eſt Romanus. Vnde agnoſcas licet Pōtificis Romani primatū.

Nec immeritò columnæ argenteæ, paxilli verò ærei facti ſunt, quia quod clarè iam Apoſtoli prædicant, hoc Prophetæ ſub intellectu myſtico obſcurè locuti ſunt. Rectè verò per æris metallum ſignati ſunt, qui clari in ſuis prædicationibus non fuerunt. Sancti verò Apoſtoli, quia de Redemptoris noſtri myſterio lucem prædicationis habuerunt, argenteis columnis expreſſi ſunt. Et notandū quia argentum ſonat, & lucet, æs verò ſonat, & non lucet, quia prædicatores noui teſtamenti apertè locuti ſunt, quæ etiam monſtrare potuerunt; prædicatores verò teſtamenti veteris, quia per allegoriarum vmbras de cœleſti myſterio obſcura dicta protulerunt, quaſi ſine luce ſonitum dederunt; quanquam æs & ſanctis aliquando congruere reperiatur Apoſtolis, de quibus ſub Aſſer ſpecie per Moyſem in Deuteronomio dicitur: Ferrum, & æs calceamentum eius. Calceamentum quippe in ſcriptura ſacra munimentum prædicationis accipitur, ſicut ſcriptum eſt: Calceati pedes in prædicatione Euangelij pacis. Quia ergo per ferrum virtus, per æs autem perſeuerantia longanimitatis exprimitur, ferrū, & æs Apoſtolorum dicitur eſſe calceamentum, necnon & ſanctorum quorumlibet prædicatorum. Per ferrum ſcilicet aduerſantia mala patienter tolerant, per æs verò bona propoſita longanimiter ſeruant. De quibus Apoſtolis, ſiue Apoſtolicis viris, prædicatoribus ſcilicet ſanctis, ad eundem Aſſer, cùm præmiſiſſet: Aſcenſor cœli auxiliator tuus: illico ſubdidit: Magnificentia eius diſcurrunt nubes. Quis enim eſt aſcenſor cœli, niſi Saluator noſter, qui poſtquam mortis imperium moriens perdidit, cœlum Angelis comitantibus, & Diſcipulis ſuſpicientibus, penetrauit? Huius magnificentia nubes diſcurrunt, quia eius auctoritate Doctores ſancti per mundum ſalutiferæ prædicationis imbrem pluunt. De quibus & Propheta; Qui ſunt, inquit, iſti, qui vt nubes volant?

Iſtæ nubes reſoluuntur in aquam, cùm terram cordis noſtri doctrinæ ſuæ fluentis inebriant, vt eam ad proferenda pij operis germina fertilem reddant. Vnde & Bartholomæus (quod vtiq; Syrum nomen eſt, non Hebræum) interpretatur Filius ſuſpendentis aquas, filius vtiq; Dei, qui prædicatorum ſuorum

mentes ad cœleſtia contemplanda ſuſpendit, vt quantò libetiùs ſe ad intelligendum Creatorem ſuum pennis virtutum librant, tantò feraciùs, & vberiùs imbrē cœleſtis eloquij noſtris cordibus infundere valeant; vtq; ex illo fonte ſuſpenſi bibant, quod in nos poſtmodum propinando transfundant. Vnde benè Moyſes myſticè de ſancta dicit Eccleſia: Non eſt terra, ad quam ingredimini poſſidendam, ſimilis terræ Aegypti, de qua exiſtis, vbi iacto ſemine, in hortorum morem aquæ deducuntur irriguæ, ſed de cœlo pluuias expectans, quam Deus ſuus inuiſit omni tempore. Secularis enim prudentia, quaſi coluber per humū ſerpit, & huc illucq; lubrica varietate declinat, diuina verò ſapiētia de cœleſtibus intonat. Hortus etiam hîc ſiniſtram habet ſignificationem. Nam carnalis ſciētiæ videtur deſignare laſciuiam. Sicut & illic, vbi Achab petijt vineā Naboth. Da mihi, inquit, vineam tuam, vt faciā mihi hortum olerum. Ille quippe in hortum conatur vineam vertere, qui rigorem virtutis iucunda carnalis illecebræ vult amœnitate mutare. Et Pſalmiſta ſuperbos oleribus comparat dicens: Tanquam fœnum velociter areſcent, & ſicut olera herbarum citò cadēt.

Terra itaq; repromiſſionis, hoc eſt ſancta Eccleſia, de cœlo 6. pluuias præſtolatur, quia ſapientiæ cœleſtis imbre perfunditur, & nubes eius, ſcilicet Doctores, de cœleſti vno 7 fonte inuiſibiliter hauriunt, quod in nos poſtmodum ſuauiter eructando transfundunt. Vnde Propheta; Memoriam, inquit, abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt, & iuſtitia tua exultabunt. An non ad illum fontem Paulus, magna ſcilicet nubes, redijt, cùm ſupra tertium cœlum raptus, verba, quæ loqui non licebat, audiuit? An non ad eundem fontem reuerſus eſt Petrus, cùm in extaſim ſubitò rapitur, & non modò diuerſa animantium genera, ſed & ſerpentia mactare, & manducare iubetur? Nam hæc quidem nubes non erat tunc aqua ſapientiæ pleniter grauida, quia communis omnium gentium vocationis erat ignara. Sed acceſſit ad fontem, & hauſit limpidiſſimam, atq; perſpicuam de ſalute gentium puritatem. Nunquid & beatus iſte Bartholomæus de plenitudine fontis huius hauſtum cœleſtis gratiæ non percepit, quando ſuper eum cum coapoſtolis ſuis omnibus venit Spiritus ſanctus in ignitarum diuerſitate linguarum? Sed qui ignem audis, aquam forſitan non intelligis. Audi quomodo Dominus eundem Spiritum ſanctum, qui in igne ſuper Apoſtolos venit, aquam vocauit. Si quis, inquit, ſitit, veniat ad me, & bibat. Moxq; ſubiungit: Qui credit in me (ſicut dicit ſcriptura) flumina de ventre eius fluēt aquæ viuæ. Hoc autem (ait Euangeliſta) dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. De quibus credentibus per Prophetam dicitur: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniā apud te eſt fons vitæ. Philoſophi dicunt, ſpatium aēreæ craſſitudinis non pluſquam decem ſtadijs à terra diſtendi, quæ nobis aliquando Solis ſplendorem ſubtrahit, & pluuias fundit. Iſtæ verò, de quibus nunc loquimur, nubes cœlorum celſa tranſcendūt, & lumen veri Solis non auferunt, ſed oſtendunt. De quibus etiam ſub fluuiorum nomine per Salomonem dicitur: Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat; ad locum, vnde exeunt, flumina reuertuntur, vt iterum fluant.

6 Diuinarū ergo literarum ſenſus cœlitus, ideſt ab orthodoxis patribus, veris, ſinceriſq; Chriſti Doctoribus, eſt hauriendus, quos hæretici ſuperbè reijciunt, è ſuo ipſorū capite omnia fingentes.

7 Vnus eſt fōs, vnde omnes accipere debēt. Hæretici verò ſuū quiſq; ſibi fontē fodit. Vnde tā variè funduntur, ac putreſcunt.

Inter quos vtiq; fluuios beatus Bartholomæus inſignis eſt, atq; conſpicuus, qui quodam præſagio futurorum, huius myſtici vocabuli titulo cernitur inſignitus. Nam cùm dicitur Filius ſuſpendentis aquas, dicitur proculdubio filius Dei, non quidem naturalis generationis origine, ſed propenſioris gratiæ dignitatē. Erat enim verè Dei templum, cœleſtis gratiæ ſanctuarium, arca fœderis, tabernaculum teſtimonij. Nam ſicut arca illa legalis ex imputribilibus lignis ſethim myſtica fuerat arte compoſita, auro quoq; puriſſimo reſplendebat, intus, & extrinſecus inaurata; Ita vir iſte mirabilis, qui ſpem ſuam in æternitate poſuerat,

& exterius radiabat imitandæ vitæ ſplendore,& intrinſecus prælucebat diuinæ ſapientiæ claritate. In illa quoq; arca erat vrna aurea,in qua manna ſeruabatur,tabulæ nihilominus teſtamenti,& virga Aaron,quæ fronduerat. Quid eſt autem vrna aurea,niſi caro Chriſti munda,ſyncera,atq; ab omni reatus contagione puriſſima? Quæ reconditum habet manna, Angelicum videlicet panẽ, hoc eſt diuinitatis æternæ dulcedinem. Duæ verò lapideæ tabulæ inuiolabilem vtriuſq; teſtamenti ſignificant firmitatem. Quid autem Aaron virga, niſi ſummi,veriq; Pontificis noſtri ſalutare vexillum,& viuificæ Crucis exprimit ſacramentum? Quæ etiam in eo quod germinaſſe perhibetur, præfigurauit beatam Crucem immortalis memoriæ viriditate vernantem.

Hæc ſunt ſacramenta vniuerſalis Eccleſiæ,hæc etiam ſalutaris inſtructio cuiuſcunq; fidelis animæ Chriſtianæ. Quod enim arca per adumbratam prætendebat imaginem,hoc nunc Eccleſia, vel quæq; mens iuſti per efficaciſſimam,& apertam poſſidet veritatem. Hæc beati Apoſtoli myſticæ refectionis alimenta portabant,hæc tanquam panem paruulis exponendo frangebant. Nam poſtq̃ Euangelicus ille ſermo prorupit,quoniam aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas,prophetica querela ceſſauit,qua dicitur: Paruuli petierunt panem,& non erat qui frangeret eis. Hic eſt panis ille quotidianus,fratres mei, quem nos Veritas docuit inhianter expetere; hoc cœleſtis ſapientiæ pabulum, quod debemus iugiter eſurire.

Audiamus itaq; per os Salomonis ſapientiam nos ad menſam ſpiritualis alimoniæ claris vocibus inuitantem. Sapientia,inquit,immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum,& propoſuit menſam ſuam; miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem, & mœnia ciuitatis: Si quis eſt paruulus,veniat ad me; venite,comedite panem meum,& bibite vinum,quod miſcui vobis. Chriſtus enim, qui ſapiẽtia Patris eſt,victimas immolauit,cùm ad noſtræ imitationis exemplum beatos Martyres occidi permiſit. Miſcuit vinum,quia propinauit credentibus Spiritum ſanctum. Propoſuit menſam,quia cœleſtem parauit hominibus gloriam. Miſit ancillas ſuas,id eſt ſãctos Verbi miniſtros,qui ſe infirmos,& fragiles aſſeuerant. Quid ergo iã reſtat, niſi vt,relicta fame ſeculi, properemus ad menſam Dei? Sed ad hanc ingrediendi aditum reperire non poſſumus, niſi per ſanctos Apoſtolos,quibus claues commiſſæ ſunt Regni cœlorum. Vnde ſcriptum eſt: Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam,in capite turbarum clamitat,in foribus portarum. Ipſi quippe ſunt caput turbarum,foresq; portarũ, quia ipſi ſunt populorum principes,ac ſupernæ Hieruſalem,ſublimioris excellentiæ priuilegium, ianitores. Ipſi ſunt regales illæ ſedes,de quibus in libro Sapientiæ dicitur: Dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet,omnipotẽs Sermo tuus,Domine,de cœlo à regalibus ſedibus venit. In aduentu quippe Domini medium ſilentium omnia continebant,quia iam & Prophetæ ceſſauerant, & nõdum Apoſtoli ad prædicandam nouæ fidei gratiã veniebant. In quodam planè mundus meditullio conſiſtebat,dum nec Prophetarum oracula ſupereſſent,& Apoſtolica nõdum prædicatio coruſcaret. Quid autem hìc nox intelligitur,niſi diabolus,qui auctor eſt tenebrarum? qui nimirum quodammodo tunc ambulat,cùm non facilè valet implere quod optat; tunc verò currit,cùm malitiæ ſuæ vota abſq; vllo contradictionis obſtaculo perficit; & non iam viæ marginem,ſed medium iter tenet,dum nihil ſibi videt occurrere,quod ſui curſus impetum valeat retardare. Cùm igitur ſub tam noxio mundus ſilentio conticeſceret,& hæc ad perdendos homines occaſio diabolum prouocaret,ille non modò medium iter habebat,ſed currebat, quia quicquid nequitiæ ſuæ mente conceperat, efficaciter adimplebat. Nam & cuncta iam Romanum occupabat imperium,& neceſſe erat eos,qui legem Dei eatenus ſaltem

vtcunq; tenuerant, iam ſubeſſe legibus paganorum. Sub hoc igitur pereuntis mundi ſiletio Sermo Domini à regalibus ſedibus venit, quia de pectoribus Apoſtolicis, quæ Regis æterni veraciter ſedes ſunt, verbum Euangelicæ prædicationis erupit. Ipſi quippe regales ſunt ſedes, quas Deus inhabitat, ipſi Reges, & Patres Eccleſiæ, ſicut dicitur: Omnis gloria eius filiæ Regum ab intus. Iſti ſanè Reges armati gladio Spiritus, quod eſt Verbũ Dei, debellarunt principem mũdi. De quo nimirũ Apoſtolorum gladio legitur: Durus debellator in mediam exterminij terram proſiluit, gladius acutus in ſimulatũ imperium tuum portans, & ſtans repleuit omnia morte, & vſq; ad cœlum attingebat ſtans in terra.

Iſtorum itaq; Regum, dilectiſſimi, ſubdamur imperijs; eorum magiſterijs inſtrui, eorum patrocinijs elaboremus abſolui, quatenus abſoluti per conceſſam beatis Apoſtolis auctoritatem, ad ipſum Apoſtolicæ dignitatis introducamur auctorem, Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, qui cum Deo Patre, & Spiritu ſancto uiuit, & regnat in ſecula ſeculorũ.
Amen.

EIVSDEM BEATI
PETRI DAMIANI
SERMO PRIMVS DE NATIVITATE BEATISSIMAE VIRGINIS MARIAE.

DE gaudijs properamus ad gaudia, & feruentem ſtylum glorioſa materia facit feruentiorem. De Virgine venimus ad Virginem, & de Maria ad Mariam recurrimus. Bonum eſt nos hîc eſſe, melius immorari, optimũ permanere. Felices Angelici ſpiritus, qui beatæ Virginis habent præſentiã. Nos interim memoriam abundantiæ ſuauitatis ſuæ eructamus. Illi præſentiam, nos memoriam. Si ſic dulcis eſt memoria, quid eſt præſentia? Et illi quidem abundantiori rore diuinitatis infuſi, Genitum, & Genitricem viſione mirabili contuẽtur, Regis, & Reginæ gloria cumulati. Nos verò, quos carcerariæ mortalitatis ærumna contorquet, memoria paſcimur, ſcripturis releuamur, & quod illi vident, nos legimus. Vtinam veniat, qui nos in lucem reponat, dies, vbi non legere liceat, ſed videre. Interim conſolemur nos ſuauitate memoriæ, donec dulcedine præſentiæ ſatiemur. Hodie nata eſt illa, per quam omnes renaſcimur, cuius ſpeciem concupiuit Omnipotens, & in qua Deus poſuit thronum ſuum. Ipſa eſt thronus ille mirabilis, de quo in Regnorum hiſtoria legitur in hæc verba: Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem, & veſtiuit eum auro fuluo nimis. Per ſex gradus aſcendebatur ad eum. Rotundus erat in poſterioribus. Duodecim leunculi ſtabant ſuper gradus, reſpicientes ad thronum. Porrò duæ manus tenebant hinc, & inde ſedile. Duo leones ſtabant iuxta brachiola. Non eſt factum ſimile opus in vniuerſis Regnis. Sed iam verba propoſita producamus in lucem, & aquam eliciamus de petra, ipſa loquente in nobis, de qua loqui vobis proponimus.

Fecit, inquit ſcriptura, Salomon Rex thronum de ebore grandem. Tribus nominibus in ſcripturis Salomonem vocatum legimus, & vbiq; regio nomine titulatum, videlicet Salomonem, Eccleſiaſten, Ididam. Filius Regis, immò & Rex, nec ſolùm Filius Dei, ſed etiam Deus, Salomon, ideſt pacificus, eſt nobis in hoc exilio; Eccleſiaſtes, ideſt concionator, erit in iudicio; Idida, ideſt glorioſus, erit in Regno; in exilio amabilis, in iudicio terribilis, in Regno admirabilis; in exilio pius, in iudicio iuſtus, in Regno glorioſus. Vide autem ſi non vbiq; Rex. In exilio rector morum, in iudicio diſcretor meritorum, in Regno præmiorum diſtributor; ſimulq́; conſidera, quia non Eccleſiaſtes, non Idida, ſed Salomon tam glorioſum opus facere prænotatur. Auerte oculos tuos ab illius terreni Regis delicijs, qui licet fuerit ſapientia ſingularis, ſublimis

gloria

gloria, rebus affluens, pace ſecurus, non tamen tale opus facere potuerit, quale factum non ſit in vniuerſis regnis. Nunquid ſacræ ſcriptor hiſtoriæ omnia ope ra mundi, & gloriam eorum intuitu diligenti proſpexerat, vt hoc ſtatim tota de liberatione, non vni, ſed omnibus anteferret? Inania ſunt hæc, ſi non recurra mus ad intimos cœleſtis diſciplinæ receſſus, ſi non deuienus à via literatoriæ qualitatis. Salomon noſter non ſolùm ſapiens, ſed & ſapientia Patris, non ſo- lùm pacificus, ſed & pax noſtra, qui fecit vtraq; vnum, fecit thronum, vterum videlicet intemeratæ Virginis, in quo ſedit illa Maieſtas, quæ nutu concutit or bem. Hanc ſeſſionem Filij & probauit, & cognouit Pater, ipſo dicente: Tu co gnouiſti ſeſſionem meam: et, Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi: &, Thronus iſte ſicut Sol in conſpectu tuo. Sedes, inquit ſcriptura, ſuper thronum, qui iu- dicas æquitatem. Quid enim iuſtius, quàm vilem, & transfugam ſeruum, & conſerui ſui ſedulum deceptorem, perpetuis ignibus aſſignare, & illum, quem fe- fellerat, ſuo reſignare principio? Ait ille alter filius Virginis: Et vox de throno exiuit dicens: Laudem dicite Deo noſtro omnes ſancti eius: Ex hoc throno laus Angelorum prorumpit, & hominum, quia dum hic reſtituitur, & ille re- ſarcitur, vtriq; gratiarum debent deuotionem. Noſti quid'nam dicat, qui ſedet in throno? Ecce, inquit, noua facio omnia. Felix thronus, in quo ſedet domi nator Dominus, in quo, & per quem non ſolùm omnes, ſed omnia renouantur. Parco verbis, quia quoſdam veſtrum ſentio præuolare, & currentis ſtyli præue- nire pauperiem. Meritò ergo tale opus non eloquenti, non glorioſo, ſed pacifi co ſcribitur aſſignatū, quia venit Ieſus inſtaurare & q̄ in cœlis, & quæ in terris, pacem'q;, & concordiam inter homines, & Angelos, mediāte Virgine, reformare.

De ebore, inquit. Quid eſt, quòd aurum, & argentum, & lapides pretioſi, & omnis deniq; pretioſioris materiæ prætermittitur gloria? Sola eboris ſubſtantia capax eſt tantæ compoſitionis, & fabricatur in ea quod omnibus operibus præ- feratur. Ebur enim & mirabili candore relucet, & multa præminet fortitudine, frigidioris'q; naturæ ſortitur auſpicium. Et quid candidius illa virginitate, quæ ſingularis aſpectus ſui gratia ſupercœleſtem curiam allicit ad videndum? Quid fortius illa fortitudine, per quam Domini fortitudo vaſa diripuit fortioris? Quid frigidius illa ſubſtantia, quam obumbrauit virtus Altiſſimi, & ab æſtu peccati defendit ſuperuenientis Spiritus plenitudo? Ex hoc ebore (niſi fallor) fiunt illæ domus eburneæ, de quibus dicit Pſalmiſta. Myrrha, & gutta, & caſſia à veſti mentis tuis, à domibus eburneis.

Sequitur, Grandem. Quid grandius virgine Maria, quæ magnitudinem ſum mæ diuinitatis infra ſui ventris concluſit arcanum? Attende Seraphin, & in il- lius ſuperioris naturæ ſuperuola dignitatem, & videbis quicquid maius eſt, mi- nus Virgine, ſolum'q; opificem opus iſtud ſupergredi. Et veſtiuit eum auro ful uo nimis. Aurum omnibus metallis pretioſius, intellige diuinitatem Dei, omni præminentem mundo, omnia gubernantem. Hac veſtita eſt, immò ſuperueſti- ta Mater Altiſſimi, totam'q; Virginem tota illa indiuiſibilis natura largiori gra- tia ſuperfudit. Quid eſt autem quod dicit, Fuluo nimis? Hîc aliquid requiren dum reliquit nobis Spiritus ille multiplex; & vtinam poſſim explicare quod ſentio. Quatuor modis ineſt Deus omnibus creaturis. Primo modo eſſentialiter tam bonis, quàm malis, nihil'q; intercludit Deitatis eſſentiam, per quam eſſe om- nia acceperunt. Inde eſt, quòd nuſquam, & in omni loco eſſe legitur, cùm om- nibus præſentialiter aſſiſtat, & à nullo comprehendatur. Habent etiam & mali Dei præſentiam, ſed non gaudent, cùm inanimata quælibet hoc poſſint priuile- gio gloriari. Secundo modo ineſt bonis operatione; agit enim in eis virtus ope ratiua, vt operentur opera Dei; nec otioſè creati ſunt inter creaturas, ſicut & ma li, qui elegerunt areſcere, vt ſempiternis ignibus alimenta miniſtrent. Ineſt &

pleriſq; bonis illuminatione, quos de futurorum cognitione nobilitat, & partici pes ſuorum efficit ſecretorum. Quarto modo ineſt vni creaturæ, videlicet Mariæ Virgini identitate, quia idem eſt quod illa. Hic taceat, & contremiſcat omnis creatura, & vix audeat aſpicere tantæ dignitatis, & dignationis immenſitatem. Dominus tecum, inquit Archangelus. Habitat in Angelis Deus, ſed nõ cum Angelis, quia cum illis eiuſdem non eſt eſſentiæ. Habitat Deus in Virgine, habitat cum illa, cum qua vnius naturæ habet identitatem. Hoc eſt ergo aurum fuluum nimis, quo thronus eſt veſtitus, quia tali modo Deus Virginem induit, & in Virgine indutus eſt, vt meliori non poſſet.

Mira res, & quæ Virginis ꝑconia in immenſum augeat, Deus idem eſt qđ illa.

Sequitur. Per ſex gradus aſcendebatur ad eum. Elige meditari quæ ſancta ſunt, quia peruerſæ cogitationes ſeparant à Deo, & primum gradum aſcendiſti. Inſueſce linguam tuam benè loqui, & ſubſiliſti ad ſecundum. Iuſtè quod iuſtum eſt operare, & tertium aſcendere meruiſti. Doce iniquos vias Domini, & conſolare omnes lugentes, & ad quarti ſublimitatem raptatus es. Relinque mundum, & ea, quæ in mundo ſunt, & ad quinti cacumen euolaſti. Teneat te perſeuerantia in motu, perſeuerantiam non relinquas, & ſextum gradum viriliter attigiſti. Ex hoc ſubſilire licet in cœlum, & ad illam gloriam aſpirare, in qua Regina glorioſior Angelicam reuerberat dignitatem.

Sequitur. Rotundus erat in poſterioribus. Poſteriora Virginis Aſſumptionem eius intellige, in qua finem vitæ mortalis accepit, quæ vitam reddidit orbi. Et nota cum quanto ſacramento tranſitum Virginis ſcriptura comparet rotunditati. In rotundo nec principium, nec finem poteris inuenire. Ita & gloria, quæ eam de hoc mundo tranſeuntem excepit, principium ignorat, neſcit finem; de qua nil aliud poſſumus dicere, niſi quia glorioſa dicta ſunt de te, gloria Dei. Sequitur. Duodecim leunculi ſtabant ſuper gradus. Duodecim leunculi duodecim Apoſtoli ſunt, qui ꝓfixis gradibus validiùs inſiſtẽtes, Reginã cœli nõ ſine maximo ſtupore demirantur, & dicunt: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit ſicut aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorũ acies ordinata? Porrò duæ manus, quæ tenebant hinc & inde ſedile, actiuam, & contẽplatiuã vitã ſignificant, quæ Matrem Virginem propenſiori diligentia ambierunt, adeò vt nec actio contemplationem minueret, & contemplatio non deſereret actionem. Recordare, quia nõ erat ei locus in diuerſorio, quomodo Filium ſuum proprijs vberibus lactauerit, & omnes deniq; vagientis paruuli ſuſtinuerit actiones, & tunc intelliges, quia plurimum miniſtrauit. Conſidera quia ipſa eſt, quæ in contemplatiuæ dignitatis ſuperuecta dulcedinem, in ipſius Dei ſubſtantiam lucidiores infixit obtutus. Leua, inquit, eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Duo Leones ſtabant iuxta brachiola. Duo Leones ſunt Gabriel Archangelus, & Ioannes Euangeliſta, quorum alter dexteræ Virginis, alter ſiniſtræ cuſtos deputatus eſt. Gabriel enim mentem, Ioãnes carnem peruigili ſolicitudine ſeruauerunt. Qui benè Leones dicuntur propter rugitum altiſonæ vocis; duo enim verba nunciauerunt orbi terræ, qualia nec dicta ſunt, nec dicentur, & in quorum comparatione omnia muta debeant apparere. Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum: ait Archangelus. Audis'ne in hoc verbo incarnationem Dei, redemptionem hominum, renouationem mundi? In principio erat Verbum: dixit Euangeliſta. Animaduertis hìc Verbi diuinitatem, Eccleſiæ fidem, hæreticorum ſilentium, locum quietis, ſecretum ſolitudinis, luminis arcanum, habitaculum pacis? Ob hanc fortaſſis cauſam vocauit Iacobum, & Ioannem Boanerges, ideſt filios tonitrui.

Non eſt factum ſimile opus in vniuerſis regnis. Nihil verius, nihil ſublimius, nihil dulcius miſeræ mortalitati, & mortali miſeriæ. Nam etſi multa magna

facta ſunt in creaturis mundi,nihil tamen tam excellens,tam magnificum fecerunt opera digitorum Dei. Virgo Dei Genitrix,cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur. Subueni, 2 Domina,clamantibus ad te iugiter. Reuertere, reuertere Sunamitis,reuertere,reuertere,vt intueamur te. Tu benedicta,& ſuperbenedicta, reuertere primò per naturam. Nunquid quia ita Deificata, ideo noſtræ humanitatis oblita es? Nequaquam,Domina. Scis in quo diſcrimine nos reliqueris,vbi iaceant,quantum delinquant ſerui tui; non enim conuenit tantæ miſericordiæ,tantam miſeriam obliuiſci,quia etſi ſubtrahit gloria,reuocat natura; non enim ita memoraris iuſtitiæ Dei ſolius,vt miſericordiam non habeas; neq; ita es impaſſibilis,vt ſis incompaſſibilis. Naturam noſtram habes,non aliã; & iuſtum eſt,vt de rore tantæ pietatis diffuſiùs infundamur. Reuertere ſecundò per potentiam. Fecit in te magna qui potens eſt,& data eſt tibi omnis poteſtas in cœlo,& in terra. Quid tibi negabitur,cui negatum non eſt, Theophilum de ipſis perditionis faucibus reuocare? Infelicem animulam,totum illud, quod in te factum eſt,proprio charactere denegantẽ, de luto fecis, & miſeriæ ſubleuaſti. Nil tibi impoſſibile,cui poſſibile eſt deſperatos in ſpem beatitudinis releuare. Quomodo enim illa poteſtas tuæ potentiæ poterit obuiare,quæ de carne tua carnis ſuſcepit originem? Accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare,nõ ſolum rogans,ſed imperans,Domina,non ancilla. Moueat te natura,potentia moueat,quia quantò potentior,tantò miſericordior eſſe debebis; poteſtati enim cedit ad gloriam,iniurias vlciſci nolle,cùm poſſit. Reuertere tertiò per amorem. Scio, Domina,quia benigniſſima es,& amas nos amore inuincibili,quos in te,& per te,Filius tuus, & Deus tuus, ſumma dilectione dilexit. Quis ſcit,quoties refrigeras iram Iudicis,cùm iuſtitiæ virtus à præſentia Deitatis egreditur? Reuertere quartò per ſingularitatem. In manibus tuis ſunt theſauri miſerationum Domini,& ſola electa es,cui gratia tanta conceditur. Abſit vt ceſſet manus tua,cùm occaſionem quæras ſaluandi miſeros,& miſericordiam effundendi; neq; enim tua gloria minuitur,ſed augetur,cùm pœnitentes ad veniam,iuſtificati ad gloriam aſſumuntur. Reuertere ergo Sunamitis, ideſt deſpecta,cuius animã pertranſiuit gladius,quæ fabri vxor appellata fuiſti. Ad quid? Vt intueamur te. Summa gloria eſt,poſt Deum te videre,adhærere tibi, & in tuæ protectionis munimine demorari. Audi nos; nam & Filius nihil negans honorat te. Qui eſt Deus benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

2 Vides quòd beata Virgo inuocatur,vt ſubueniat humano generi?

3 Nota datam beatæ Virgini omnẽ poteſtatẽ in cœlo, & in terra, & nihil ei negatũ eſſe.

4 Ecce quõ in manibus ſacratiſſimæ Virginis ſunt theſauri miſerationum Domini.

EIVSDEM BEATI
PETRI DAMIANI
SERMO SECVNDVS IN NATIVITATE IPSIVS BEATISSIMAE VIRGINIS.

1 Orthodoxi patres beatiſſimæ Virginis ſolennitates ſummo cultu, ſummaq; religione proſequi cōſueuerūt. Quid ergo hæretici noſtri temporis garriūt, dum ſanctorū omnium ſolennia reijciūt?

NAtiuitas 1 beatiſſimæ,& intemeratæ Genitricis Dei, fratres chariſſimi, meritò præcipuum,& ſingulare præbet hominibus gaudium,quæ totius extitit humanæ ſalutis exordium. Sicut enim omnipotens Deus ineffabili prouidētiæ ſuæ intuitu, antequam homo fieret, hominem periturum diabolica machinatione præuidit, ſic etiam redemptionis humanæ conſilium ante ſecula in immenſæ pietatis ſuæ viſceribus habuit. Et non ſolùm qualiter redimeret,modum,& ordinem in profundiſſima ſapientiæ ſuæ ratione conſtituit,verumetiam quando redimeret, certum temporis articulum præfiniuit. Sicut ergo impoſſibile erat,vt humani generis redemptio fieret,niſi Dei Filius de Virgine naſceretur,ita etiam neceſſarium fuerat, vt Virgo, ex qua Verbum caro fieret,naſceretur. Oportebat quippe priùs ædificari domum,in quam deſcendens cœleſtis Rex habere dignaretur hoſpitium, illam videlicet, de qua per Salomonem dicitur: Sapientia ædificauit ſibi domum,excidit columnas ſeptem. Septem itaq; Virginalis hæc domus ſuffulta columnis extitit, quia venerabilis Mater Domini ſeptem Spiritus ſancti donis, ideſt ſapientiæ & intellectus, conſilij & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis, atque timoris Dei dotata fuit. Quam vtiq; æterna ſapientia, quæ attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter, talem conſtruxit,quæ dignificaretur illum ſuſcipere, & de intemeratæ carnis ſuæ viſceribus procreare. Neceſſe erat priùs erigi thalamum, qui venientem ad nuptias ſanctæ Eccleſiæ ſuſciperet ſponſum. Cui Dauid exultans in ſpiritu epithalamium canit, dicens: Tanquam ſponſus Dominus procedens de thalamo ſuo.

Meritò ergo hodie profuſis gaudijs totus vbiq; terrarum orbis exultat, meritò vniuerſa ſancta Eccleſia,naſcente ſponſi ſui Genitrice (vt ita præ gaudio dixerim) feſcennini carminis laudes alternat. Exultemus,inquam,in hac die præcipua, & totis viſceribus in Domino delectemur,in qua dum Redemptoris noſtri recolimus Matrem,reliquarum feſtiuitatum 2 celebramus originem. Quæ enim cunctis ſolennitatibus eſt antiquior tempore, nequaquam eſſe debet inferior dignitate. Nam ſi Salomon cum Iſraëlitico populo in dedicatione tēpli ex lapidibus facti tam copioſum,& magnificum ſacrificium ſolenniter celebrauit,quale,quantum'q; gaudium beatæ Mariæ natiuitas populo Chriſtiano debet afferre, in cuius vtero,velut reuera ſacratiſſimum templum, Deus ipſe

2 Solennitates ſanctorum celebrandæ.

deſcendens,& humanam naturam ex ea ſuſcipere, & cum hominibus dignatus
eſt viſibiliter habitare? Licet enim & in illud Salomonis templum Deus de-
ſcendiſſe credendus ſit, in hoc tamen rationabili ſanctuario, hoc eſt in beatiſſi-
mæ Virginis vtero, multò mirabiliùs, multòq; feliciùs dignatus eſt manere pro
nobis, in quo Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. De illo quippe, an-
tiquo videlicet templo, ſcriptum eſt: Factum eſt, cùm exiſſent ſacerdotes de ſan-
ctuario, impleuit nebula domum Domini, & non poterant ſacerdotes ſtare prope
propter nebulam. Impleuerat enim gloria Domini domum Domini. Quæ om
nia (ſicut egregius Prædicator dixit) in figura contingebant illis. Gloria quip
pe Domini intelligitur Chriſtus, cuius fide repletus eſt mundus. De qua gloria,
cùm pro obdurato Iudæo deprecaretur Dominum Moyſes, vt parceret populo
peccatori, reſpondit Dominus: Propitius ero illi. Veruntamen viuo ego, & vi-
uit nomen meum, quia implebitur gloria mea omnis terra. Et Pſalmiſta; Im-
plebitur, inquit, gloria eius omnis terra. Quòd autem nebula impleuit domum
Dei, & non poterant ſacerdotes miniſtrare propter nebulam, hæc ſententia ſu-
perbos Iudæorum pontifices, ac doctores inſinuat, qui dum incarnationis Chri
ſti ſacramenta inueſtigare deſpiciunt, debitum fidei ſuæ miniſterium per erroris
nebulam perdunt. Ita enim eorum mentes infidelitatis caligo repleuit, vt pro
prijs exigentibus meritis, non agnoſcant debitum credulitatis. Ad illud ergo
templum Dominus in nebula deſcendit, vt cæcam Iudaicæ infidelitatis caligi
nem deſignaret; in hoc (ſicut ſcriptum eſt) in Sole poſuit tabernaculum ſuum,
vt ſedentes in tenebris, & vmbra mortis illuminaret. Illi deniq; templo Deus
omnipotens gloriam quidem ſui aduentus contulit, ſed nihil ex eo in ſua natura
ſuſcepit; in beatiſſimæ autem Virginis vterum non ſolùm dignatus eſt deſcen-
dere, ſed ex eo etiam perfectam ſibi ſubſtantiam noſtræ mortalitatis vnire. Quan
tò igitur noſtri templi maior eſt dignitas, tantò glorioſior debet eſſe ſolẽnitas.

Sed quo pacto eius ſolennitatem dignè celebrare valet infirmitas hominum,
quæ gaudium parere meruit Angelorum? Qualiter eam laudare poterit morta
le hominis tranſitorium verbum, quæ illud de ſe protulit Verbum, quod manet in
æternũ? Quæ lingua in eius laude inuenitur idonea, quæ illum genuit, cui om-
nia benedicunt, & cum tremore obediunt elementa? Nam dum cuiuslibet mar-
tyris fortia facta extollere cupimus, dum virtutis eius inſignia ad Redemptoris
gloriam prædicamus, etiam ſi ad cogitandum tardior ſenſus impediat, vel ad lo-
quendum balbutiens lingua non ſuppetat, verborum tamẽ copiam ipſius rei ma
teria ſubminiſtrat. Cùm verò Genitricis Dei laudes ſcribere volumus, quia no
ua, & inaudita ſunt quæ tractanda ſuſcipimus, nulla inuenimus verba, quibus
ad hæc dignè exprimenda ſufficere valeamus. Tollit enim facultatem ſermo-
nis materia ſingularis. Quæ enim lingua explicare ſufficiat, vel quæ ratio hu
mana non obſtupeſcat, cùm cogitare cœperit, quia Creator oritur ex creatura, Fa
ctor fit ex factura? Quòd in Virginea puellæ matrice concipitur, qui vaſtiſſima
totius mundi amplitudine non tenetur? Quòd iacet intra materna viſcera par
uulus, qui cum coæterno Patre rerum omnium iura gubernat immẽſus? O bea
ta vbera, quæ dum tenue lac puerilibus labris infundunt, Angelorum cibum,
& hominum paſcunt. Exiguum exprimunt liquorem, & mundi reficiunt
Creatorem. Qui ſuæ virtutis imperio marium procellas mitigat, qui flumini-
bus indeficientem aquarum impetum ſubminiſtrat, qui aridam terram innume-
ris vbiq; fontibus irrigat, raras de virgineo pectore guttas lactis expectat. Ma-
nat liquor ex vberibus Virginis, & in carnem vertitur Saluatoris.

Hic, dilectiſſimi fratres, hîc (rogo) perpendite, quàm debitores ſumus huic
beatiſſimæ Dei genitrici, quantasq; illi poſt Dominum de noſtra ſalute gratias
agere debemus. Illud ſiquidem corpus ʒ Chriſti, quod beatiſſima Virgo

ʒ Quid clari-
us, quidue
cõſtãtius de
vera Chriſti
pſentia in ſa
cramẽto Eu-
chariſtiæ af-
ferri põt? Il
lud, inqt cor
pus, qd Dñs
ipſe de beata
Virgine ſum
pſit, et eius ſã
guinẽ abſq;
dubio vllo in
Euchariſtia
percipimus.
Et tñ id quo
q; nũc in du
bium nefarij
reuocant.

genuit, quod in gremio fouit, quod faſcijs cinxit, quod materna cura nutriuit, illud, inquam, abſque vlla dubietate, non aliud, nunc de ſacro altari percipimus, & eius ſanguinem in ſacramentum noſtræ redemptionis haurimus. Hoc catholica fides habet, hoc ſancta Eccleſia docet. Nullus ergo humanus ſermo in laude eius inuenitur idoneus, de qua Mediator Dei, & hominum cognoſcitur incarnatus. Impar eſt illi omne humanæ linguæ præconium, quæ de intemeratæ carnis ſuæ viſceribus cibum nobis protulit animarum, illum videlicet, qui de ſemetipſo perhibet dicens: Ego ſum panis viuus, qui de cœlo 4 deſcendi; ſiquis ex hoc pane manducauerit, viuet in æternum. Per cibum namque à Paradiſi ſumus amœnitate deiecti, per cibum quoque ad Paradiſi gaudia reparati. Cibum comedit Eua, per quem nos æterni ieiunij fame mulctauit; cibum Maria ædidit, qui nobis cœleſtis conuiuij aditum patefecit.

4 Cibus noſter Euchariſtia, nimirũ non panis terrenus, at ille, q de cœlo deſcẽdit, ac ſub terreni panis ſpeciebus latitat.

Hîc etiam (obſecro) dilectiſſimi fratres, hîc lineam noſtræ redemptionis attẽdite, & quàm circa nos diuinæ pietatis viſcera fuerint intenta, cordis aure penſate. Fecit Deus hominem (vt ita dixerim) mortaliter immortalem, videlicet vt ſi cuſtodire vellet præceptum obedientiæ, in æternum viueret, ſi verò contemneret, mortis mox imperio ſubiaceret. Quid plura? Peccauit homo, diabolo ſuadẽte, & tota humani generis arbor venenata eſt in radice. Cecidit infelix pater per gulam, & eius progenies rea facta eſt per naturam, dicente Apoſtolo: Eramus natura filij iræ, ſicut & cæteri. Factus eſt itaque Adam fermentum, & vniuerſam corrupit multitudinem filiorum, quia dum ille peſtifero ſerpentis viciatur afflatu, tota in illo humani generis maſſa 5 corrumpitur. Vnde mediante iam nouæ gratiæ ſplendore, per egregium nobis Prædicatorem dicitur: Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio. Sed pius, & miſericors Deus noluit omnimodo perire creaturam ſuam, quam formauerat ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam. Ex omni itaque multitudine nationum vnum ſibi elegit Iſraeliticum vidilicet populum, cui & legem dedit, & ſacrificia ſibi diuerſorum animalium offerre præcepit. Sed lex illa, vt homo per eam perfectè ſaluaretur, nequaquã erat idonea. Sicut enim per Paulum dicitur, Nihil ad perfectum adduxit lex. Quia enim rudis adhuc ille populus, ſuperbus, & rigidus erat, ad portandum perfectæ legis iugum ceruicem cordis humiliare non poterat. De quo nimirum populo ad Moyſem Dominus dicit: Cerno quòd populus iſte duræ ceruicis ſit. Danda ergo illi fuerat huiuſmodi lex, quæ nec omnino à diuinis obſequijs liberum ire permitteret, nec tamen præcipiendo ſumma, & grauia, deterreret. Sacrificia autem, quæ tunc offerebantur, ad emundationem carnis aliquatenus prodeſſe poterant, ad conferendum verò animabus ſalutem, ſufficere non valebãt, dicente Apoſtolo: Si enim ſanguis taurorum, aut vitulorum, aut cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſe obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientias noſtras ad ſeruiendum Deo viuenti? Cùm enim ad emundationem carnis ſacrificia illa prodeſſe denunciat, purgationem animabus conferre nequaquam potuiſſe deſignat. Neque enim irrationalis creatura ad ſanctificandam rationalem eſſe poterat valida. Sed nec ipſi ſacerdotes ſanctificare populum poterant, quia & ipſi pro ſuis reatibus offerre hoſtias indigebant. Neque delictis obnoxij delictorum valebant vincula ſoluere, vel peccatores peccatorẽ iuſtificare. Neceſſe ergo erat, vt talis ſacerdos inueniretur, qui dum in alijs peccatorum ſordes ablueret, ipſe in ſe abluendum aliquid non ſentiret, & dum alieni reatus contagia tergeret, in ſemetipſo aliquam lepræ maculam non haberet. Sed huiuſmodi homo in humano genere inueniri non poterat, quia vnuſquiſque cum Propheta hunc verſiculum veraciter decantabat: Ecce enim in iniquitatibus 6 conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea: et ſicut per Apoſtolũ

5 Agnoſce hîc originale peccatũ, quo abſque delectu omnes infici mur, vt hic Auctor palã affirmat. Fermentũ quippe Adam totã maſſã corrumpit, &c.

6 Vnuſquiſque peccato obnoxius cum Propheta clamat: In iniquitatibus conceptus ſum.

dicitur: Omnes peccauerunt,& egent gloria Dei.

Obſecro,dilectiſſimi fratres mei,hanc veſtræ,immò noſtræ ſalutis hiſtoriā diligenter attendite,& humanæ reſtaurationis ordinem etiā in veſtris cordibus ordinate. Corda vigilent,oculi nō dormitent. Cùm igitur huiuſmodi homo in humano genere inueniri non poſſet,ne in peccato ſuo periret homo,Creator hominum de beatiſſima Virgine carnem ſumēs,ſine peccato factus eſt homo, ſine peccato conceptus in Virginis vtero,ſine peccato eſt conuerſatus in mundo. Eia, fratres,intendite. Intendite,inquam,& ineffabile redemptionis noſtræ myſteriū vigilanter audite. Ecce iam Sacerdos,fratres,nulla ipſe habens peccata,& idcirco dignus,& potens,vt ſacrificiū offerens aliena mundaret peccata. Ille videlicet,cui per Prophetā dicitur: Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Sed,ſicut per Paulum dicitur,neceſſe eſt ſacerdotē aliquid habere quod offerat. Veruntamen (ſicut ſuperiùs dictū eſt)impoſſibile erat,vt brutorum carnes animalium ſanctificarent animas hominum, & irrationalis hoſtia ratione vtentium ſufficeret abolere peccata. Vnde ex perſona Filij ad Patrem per Pſalmiſtam dicitur: Sacrificium, & oblationem noluiſti: Holocauſta etiā pro delicto non poſtulaſti; tunc dixi: Ecce venio. Oportebat ergo,vt rationalis hoſtia fieret,quæ creaturam rationabilem expiaret. Sed peccator aliquis homo,ſicut indignus erat vt ſacrificium offerret,ſic etiā nihilominus vt ipſe ſacrificium fieret. Quid ergo Sacerdos noſter faceret? Quò ſe verteret? Quod redēptionis noſtræ conſiliū inueniret? Vnde Mediator Dei,& hominum placationis hoſtiā ſumeret,qua pacem inter Deum,& hominem reformaret? Omnis quippe terrena creatura,ſi rationalis erat,peccati virus de primi parentis radice contraxerat; ſi irrationalis, rationalem iuſtificare non poterat.Quid ergo faceret Mediator pacis,& pax ipſa? Ipſe eſt enim pax noſtra,qui fecit vtraq; vnū,& mediū parietem maceriæ ſoluēs,inimicitias in carne ſua,legem mandatorū decretis euacuans,vt duos conderet in ſemetipſo in vnum nouū hominem, faciēs pacem, vt reconciliaret ambos in vno corpore Deo per Crucē,interficiens inimicitias in ſemetipſo,& veniens euangelizauit pacem his,qui lōgè,& pacem his,qui prope. Quid,inq̄,faceret? Conſiderate,fratres mei,diligenter,conſiderate ineffabilis viſcera pietatis,perpendite immenſum,& inæſtimabile pondus diuinæ charitatis. Quia enim in rebus inueniri non poterat pretiū noſtræ redēptionis,Redemptor noſter ſemetipſum obtulit Patri pro nobis hoſtiam in odorem ſuauitatis. Sic ipſe factus eſt Sacerdos,& ſacrificiū,ipſe Redemptor,& pretiū. Vnde rectè per Paulū dicitur: Talis enim decebat vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus,innocens,impollutus,ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus,qui non habet quotidie neceſſitatem,quēadmodum ſacerdotes,priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populo Hoc enim fecit ſemel ſe offerēdo Dñs noſter Ieſus Chriſtus.

Audiſtis itaq; nunc,dilectiſſimi,breuiter reparationis noſtræ mirabile ſacramētum,audite etiam ſalutis noſtræ opportunū valde conſilium. Tradidit ſemetipſum pro nobis Chriſtus ad mortem,mortificemus & nos pro eius amore omnē in nobis terrenæ concupiſcentiæ voluptatē. Quod enim ſubire Crucis patibulum voluit,viā nobis,qua redire valeamus ad patriam,ſtrauit,vt qui voluptatibus delectati diſceſſimus, fletibus amaricati redeamus; & qui per illicita defluēdo cecidimus,etiam à licitis 7 noſmetipſos aſtringendo ſurgamus; & quod deiecerat elatio ſuperbiæ,erigat dilectio humilis vitæ. Vnde & Paſtor Eccleſiæ clamat dicens: Chriſtus paſſus eſt pro nobis,vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Et Paulus; Imitatores,inquit,Dei eſtote,& ambulate in dilectione,ſicut & Chriſtus dilexit nos,& tradidit ſemetipſum pro nobis oblationē, & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.

7 Pœnitentia ergo exigit, & ſua cuiq; Crux tollenda eſt,nō ſola fides ſufficit.

Deguſtemus ergo nunc, dilectiſſimi, cum Chriſto temporalem momentaneæ mortis amaritudinem, vt ad æternam poſtmodum reſurrectionis eius

mereamur peruenire dulcedinem. Quod enim fecit pro nobis, hoc etiam fieri quærit à nobis, teſtante Propheta, qui dicit: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Pro noſtra etenim redemptione non aurum dedit, non argentum appẽdit, non pecuniam numerauit, ſed ſemetipſum tradidit, pretioſum ſui corporis ſanguinem fudit, propriam pro nobis animam poſuit. Vnde & Petrus ait: Non corruptibilibus argento, & auro redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati, & incontaminati Chriſti.

Expedit ergo, vt Redemptori ſuo ſemetipſum offerat quicunq; ad eius conſortium peruenire feſtinat. Illius veſtigia imitetur in via, qui cum eo gaudere anhelat in patria. Illum ſibi ducem faciat in itinere, qui ei particeps eſſe deſiderat in peruentione. Si enim compatimur, & conglorificabimur. Si 8 commorimur, & conuiuemus. Et iterum idem dicit Apoſtolus: Si complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus. Nemo ſe, fratres mei, inaniter 9 ſeducat; nemo ſe vanæ ſpei ſecuritate decipiat. Non enim poſſumus hîc gaudere de ſeculo, & illic regnare cum Chriſto. Ecce intemerata, & glorioſa Virgo Maria, cuius hodie ſplendidiſſima natiuitate vniuerſa per orbẽ ſancta illuſtratur Eccleſia, in lege præfigurata, in Patriarcharum, & Prophetarum oraculis prænunciata, ab Angelo ſingulari honorificentiæ priuilegio ſalutata; thronus Dei, ſolium diuinitatis, palatium Regis æterni, gazophylacium theſauri, quo ſumus de cruenti prædonis ſeruitio cõparati, nobis proponitur in exẽplũ.

8 Non moriuntur cũ Chriſto, qui Curios ſimulant, & bacchanalia viuunt. Quales ſunt noui libertatis cuiuſdam Euangelicæ ꝑdicatores,,, quorũ duntaxat ſcop⁹ eſt voluptas carnis.

9 Vanæ ſpei ſecuritas, qua nituntur hæretici.

Hæc tam ſingularis, tam incomparabilis Virgo, ſi non ſequeretur humilitatem Chriſti, nunquam pertingeret ad celſitudinem Chriſti; ſi iniuncta 10 mandata contemneret, ad promiſſa præmia nullatenus perueniret. Nam dum, prædicante eo, quædam mulier extolleret vocem de turba, dicens: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti: reſpondit: Quinimmò beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Alibi etiam cùm quidam ſibi propinquos ſecundùm carnem adeſſe nunciaret, dicens: Ecce Mater tua, & fratres tui foris ſtant quærentes te: reſpondit: Quæ eſt Mater mea, & qui ſunt fratres mei? & extẽdens manus in Diſcipulos ſuos dixit: Ecce Mater mea, & fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt. Notate, fratres, notate dignitatem veſtrã, ſi adimplentes legẽ Dei, frangitis voluntatem veſtram. Ecce beata, & venerabilis Virgo Maria ſecundũ carnem quidem Mater Chriſti fuit, frater non fuit, ſoror non fuit. Nam quicunque aliquid horũm ſecundùm carnalis iura propinquitatis extiterit, aliud ſibi eſſe omnino non valebit, vt nimirum ſi mater fuerit, frater, vel ſoror eſſe non poſſit; ſi verò frater extiterit, mater non ſit. Nos autem hæc ſimul omnia Chriſto per Spiritum ſumus, ſi voluntatem Chriſti, quæ illi ſemper cum Patre communis eſt, adimplere ſatagimus. Sed quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt, quia Deus Spiritus eſt. Ex illa ergo parte, qua Redemptor noſter Deus eſt, propinqui ſibi tam multipliciter ſumus, quantum illi beata Virgo, ex qua naſci dignatus eſt, ſecundùm carnem eſſe non potuit. Proprium & ſingulare fuit illi beatiſſimæ Virgini Chriſtum in vtero concipere, commune verò, & vniuerſale eſt omnibus electis in cordis eum deuotione portare. Felix illa, & nimium beata fœmina, quæ illum nouem menſibus geſtauit in ventre. Felices etiam nos, ſi illum aſſiduè portare ſtudeamus in mente. Mirabile quidem fuit Chriſtum concipi in vtero carnis; ſed non eſt inferius, ſi deferatur in ergaſtulo pectoris. Vnde & per Ioannem teſtatur, dicens: Ego ſto ad oſtium, & pulſo; ſi quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cũ illo, & ipſe mecum. Notandum verò, quia priùs ſe cœnaturum narrat, deinde cœnã

10 Mandata obſeruãda, ſine quorũ obſeruatione nec beata quidẽ Virgo, alioq; veriſſima Dei Mater, ſalutis cõpos fuiſſet.

daturum grata vice pronunciat, quia cuius nunc bonis operibus ıı paſcitur, cum eo ſimul poſtmodum in æterni conuiuij dapibus epulatur. Hîc etiam, dilectiſſimi, conſiderandum eſt, quanta ſit dignitas noſtra, quantaq; nobis ſit proportio cum Maria. Concepit Maria Chriſtum in matrice carnis; deferimus & nos in viſceribus mentis. Reficiebat Maria Chriſtum, cùm teneris labris lac exprimeret vberum; reficimus & nos varijs bonorum delicijs operum.

ıı Chriſtus bonis hominũ operibus paſcitur.

Libet autem nunc, dilectiſſimi, pro ædificatione noſtra in regula diuinæ iuſtitiæ parumper radios mentis infigere, & qualiter omnipotens Deus electos ſuos deprimi temporaliter ſinat, quos extollere in æternum decreuerit, indagare. Vt enim nunc de cæteris ſileam, hæc eadẽ beatiſſima Virgo, cuius hodiernam natiuitatem debitis veneramur obſequijs, ante conſtitutionem mundi in conſilio æternæ ſapientiæ electa, & prælecta, licet de regali fuerit ſtirpe progenita, nulla tamen humanæ dignitatis altitudine floruit, nullis rerum temporalium diuitijs abundauit. Præſepium quippe parturientis indicat, quia diuerſorium, in quo pareret, non habebat. Solent autem homines naſcentibus pueris futuri ſucceſſus læta promittere, & ex eorum auſpicijs proſpera matribus nunciare. Beata verò Maria, cùm Filium ad templum deferret, & hunc Symeon in vlnis acciperet, audiuit: Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius: ac ſi apertè diceret: Dum Filius tuus ſenſerit paſſionem Crucis in corpore, te etiam transfiget gladius compaſſionis in mente.

Studeamus & nos, dilectiſſimi, ſeculi huius blandimẽta deſpicere, rerũ terrenarũ affluentiã deuitare, carnis incentiua reprimere, Crucẽ Chriſti aſſiduè in mẽte portare, quatenus dum nunc gladio Mariæ transfigimur, cum ipſa poſtmodum de æternæ felicitatis dulcedine ſatiemur. Quod ipſe præſtare dignetur, qui ex Patre ante ſecula genitus, ex ipſa naſci dignatus eſt in fine ſeculorum.

Amen.

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

SERMO TERTIVS DE NATIVITATE IPSIVS BEATISSIMAE VIRGINIS. MARIAE.

INitium ſancti Euangelij ſecundùm Matthæum.

Liber generationis I E S V Chriſti filij Dauid, filij Abraham. Et reliqua.

Homelia lectionis eiuſdem.

Audiſtis, fratres chariſſimi, Dominicæ incarnationis ineffabile ſacramentum. Audiſtis in genealogia beatiſſimæ Genitricis Dei, reparationis humanæ myſterium. Audiſtis, quia Creator Angelorum dignatus eſt propagari de ſtirpe mortalium. Audiſtis, quia proauos habere eſt dignatus in terris, qui fons, & origo omnium rerum iura gubernat in cœlis. Ait enim beatus Euangeliſta: Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham.

Deſiderantur nonnulla.

Hinc, fratres, hinc (rogo) perpēdite, quibus laudibus digna ſit beata, & glorioſa Virgo Maria, quæ illum nobis de caſtiſſimis ſuis viſceribus genuit, qui nos de tam profundo gutture auidiſſimi draconis eripuit. Ad eius nanque dignè efferēda præconia non rhetoricorum diſerta facundia, non dialecticorum ſubtilia argumenta, non acutiſſima philoſophorum apta reperiuntur ingenia. Et quid mirum, ſi hæc ineffabilis Virgo in ſuis laudibus modum humanæ vocis exuperat, cùm & ipſam humani generis naturam excellentium meritorum dignitate tranſcendat? Non denique excellentiſſimus ille Patriarcharum chorus, non prouidus Prophetarum numerus, non iudex Apoſtolorum ſenatus, non Matyrum victor exercitus, non aliquis antiquorum, non quiſquam ſequentium patrum, huic beatiſſimæ Virgini poterit comparari. Quid enim ſanctitatis, quid iuſtitiæ, quid religionis, quid perfectionis, ſingulari huic Virgini deeſſe potuit, quæ totius diuinæ gratiæ chariſmate plena fuit? Sic nanque ab Angelo, dum ſalutaretur, audiuit: Aue gratia plena, Dominus tecum. Quid (rogo) vitij in eius mente, vel corpore vendicare ſibi potuit locum, quæ ad inſtar cœli, plenitudini totius diuinitatis meruit eſſe ſacrarium? In Chriſto enim (ſicut per Paulum dicitur) habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Nec mirum, ſi cunctorum merita tranſcendat mortalium, quæ & ipſam ſuperexcedit celſitudinem Angelorum. Per hanc enim beatiſſimam Virginem non ſolùm amiſſa olim vita hominibus redditur, ſed etiam beatitudo Angelicæ ſublimitatis augetur, quia dū homo ad ſuperna reducitur, illorū numerus, qui diminutus fuerat, reparatur. Hoc

nempe Angelorum multitudo illa ſignauerat, quæ paſtoribus audientibus in Redemptoris noſtri natiuitate clamabat: Gloria in excelſis, &c. Cùm enim priùs dicitur, Gloriam eſſe Deo in excelſis, deinde additur, Et in terra, patenter oſtenditur, quia ineffabilis intemeratæ Virginis partus, non ſolùm terris, ſed & ipſis nihilominus generabat gaudium cœlis. Hoc etiam illa beatorum puerorum indoles aſſerebat, qui, veniente ad paſſionem Domino, cōcordi voce cantabant: Oſanna in excelſis, benedictus qui venit in nomine Domini.

O mirabiliter fœcūda virginitas, quæ nouo, & inaudito miraculo & Mater dici poſſit, & Virgo. Qui toto mundo non capitur, puellæ innuptæ membris infunditur. Sentiebat quidem pondera ventris, quæ pudorem non amiſerat caſtitatis. Mirabatur partus inſignia, quæ nulla nouerat viri contagia. Erat ſpes in partu, cùm non fuiſſet voluptas in coitu. Immenſum concepit, æternum genuit, genitum ante ſecula parturiuit, qui ſibi & munus fœcunditatis attulit conceptus, & decus virginitatis non abſtulit natus; qui antequam naſceretur, talem creauit eā, vt ipſe dignè naſci poſſet ex ea. De qua Propheta Dauid multò ante prædixerat: Mater Siō dicet hō, & hō natus eſt in ea, & ipſe fundauit eā Altiſſimus. Creatus eſt ex ea, quam creauit, portatus eſt manibus, quas formauit, ſuxit vbera, quæ repleuit. Puellæ confouebatur in gremio, quem vaſtiſſima cœli non recipit latitudo. Puerilibus faſcijs cingebatur, qui immenſitatem orbis terræ pugillo complectitur. Matris parebat arbitrio, qui omnium rerum iura ſuo gubernat imperio. Vagiebat in cunabulis, qui Angelorum gaudium eſt in cœlis. Vilibus tegebatur crepundijs, qui electos ſuos ſtola induit immortalitatis. Imperabat illi puella, cui cuncta obtemperant, & obediunt elementa. Sic nāq; in Euangelio ſcriptum eſt: Quia venit cum parentibus Nazareth, & erat ſubditus illis. Meritò itaq; beata Maria dicitur Parens Parentis, fons fontis viui, origo principij, quia ille ex ea prodijt per materiam carnis, qui caput eſt, & initium omnium rerum per eſſentiam Deitatis.

Hæc eſt porta illa, de qua Ezechiel teſtatur dicens: Conuertl me ad viam portæ ſanctuarij exterioris, quæ reſpiciebat ad Orientem, & hæc erat clauſa; & dixit Dominus ad me: Porta hæc, quam vides, clauſa erit, & non aperietur, & vir non tranſibit per eam, & ſemper erit clauſa. Verè ſemper clauſa, quia ſemper incorrupta. Incorrupta ante partum, incorrupta poſt partum; concipiens virum, neſciens virum; ſicut per Hieremiam dicitur: Faciet Dominus nouum ſuper terram, & ecce mulier circundabit virum. Gaudeamus itaq; dilectiſſimi, & exultemus in natiuitate Virginis Dei Genitricis, quæ nouūm mundo nunciauit gaudium, & totius extitit humanæ ſalutis exordiū. Exultemus, inquam, & ſicut gaudere ſolemus in natiuitate Xp̄i, ita & gaudeamus in natiuitate Matris Xp̄i.

Hodie nata eſt Regina mundi, feneſtra cœli, ianua Paradiſi, tabernaculum Dei, ſtella maris, ſcala cœleſtis, per quam ſupernus Rex humiliatus ad ima deſcendit, & homo, qui proſtratus iacebar, ad ſuperna exaltatus aſcendit. Hodie apparuit ſtella mundo, per quam Sol iuſtitiæ illuxit mundo, illa videlicet, de qua per Prophetam dicitur: Orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo de Iſraël. Hodie nata eſt ſplendidiſſima illa Virgo, ex qua proceſſit ſpecioſus forma præ filijs hominum, tanquam ſponſus de thalamo ſuo. Hodie prodijt ex vtero matris, quæ templum fieri meruit diuinitatis. Hodie impleta eſt prophetia illa, quā eximius Prophetarum ille Eſaias, quaſi præco factus ad aduentum Reginæ mūdi, magna voce clamabat dicens: Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Et benè hæc incomparabilis Virgo virga dicitur, quæ per intenſionem deſiderij ad ſuperna emicuit, non per ſiccitatem boni operis diſtortæ nodoſitatis vitium incurrit. De qua virga Redemptor noſter, quaſi flos aſcēdit, qui Martyribus, & Confeſſoribus ſuis totius orbis cāpos, velut roſis, & lilijs

decorauit. Singularis nanque flos ſanctæ Eccleſiæ ipſe eſt, ſicut de ſemetipſo in Canticis canticorum loquitur, dicens: Ego flos campi, & lilium conuallium. Hoc lilium non in montibus, ſed in conuallibus naſcitur, quia ſuperbis Deus reſiſtens, in humilium cordibus inuenitur. Lilium vocatur Chriſtus, lilium dicitur & Mater Chriſti, ſicut in eodem Cantico ſubinfertur: Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Sicut lilium inter ſpinas, ſic beatiſſima Virgo Maria enituit inter filias; quæ de ſpinoſa propagine Iudæorum nata, candeſcebat munditia virgineæ caſtitatis in corpore, flammeſcebat autem ardore geminæ charitatis in mente; fragrabat paſſim odore boni operis; tendebat ad ſublimia intentione continua cordis.

Deeſt aliquid.

Aue, inquit Angelus, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. O' dulce, ò admirabile nuncium. O' nouum, & inauditum Angelicæ ſalutationis obſequium. Plenam appellat gratia, quia ipſe in eam deſcendebat, per quem omni mundo collata eſt gratia. Dominus, inquit, tecum, quia ille in te eſt, qui talem fecit te, vt & ipſe fieret ex te. Benedicta tu in mulieribus. Per mulierem infuſa eſt maledictio terræ, per mulierem redditur benedictio terræ. Per cuius manus potus mortis amaræ porrigitur, per eam quoque dulcis vitæ poculum exhibetur. Largiſſimum benedictionis nouæ fluentum, totum deterſit maledictionis antiquæ contagium. Sed quid ad hæc Maria? Nunquid, delato ſibi cœlitus nũcio, in immoderatæ ſe lætitiæ riſum ſoluit? Nunquid in ſuperbiæ faſtum ceruicem mentis erexit? Nunquid non, antequam reſponderet, ipſũ Angelicæ ſalutationis pondus librata mentis lance penſauit? Ait enim Euangeliſta: Quæ cũm audiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio. Vbi ſunt illæ, quæ dicunt: Ego ſum virgo, ego ſum virgo: ventoſæ, contẽtioſæ, ſuſpicioſæ, delicioſæ, veſte compoſitæ, moribus diſſipatæ? Ego ſum virgo. Neſcio enim virum, ignoro coniugium. O' virgo, quàm felix eſſes, ſi quod habes in carne, ſeruares in mente, cuſtodires in actione. Quid enim prodeſt, ſolius carnis integritatem ſeruare, & malignorum ſpirituũ ſtupris, mentis interiora corrumpere? Quid iuuat virginem eſſe, & exigentibus actionũ meritis nequaquam ad virginale præmium peruenire? Virgo carne, non animo, virginitatis præmio non potitur. Aliud enim eſt, tentationum fortiter illecebris contraire, aliud eiſdem blandè irrepentibus, & ſi non corpore, mente tamen eneruiter cedere.

Non ergo cuiquam ſufficit ad capeſſenda præmia ſolus pudor virgineus, niſi & alijs fuerit ditata virtutibus. Ioanni quippe in Apocalypſi per Angelum dicitur: Ii ſunt, qui cum mulieribus coinquinati non ſunt; ſequuntur Agnum, quocunque ierit. Agnus enim noſter, ille videlicet, qui tollit peccata mundi, charitatem habuit, quia pro ſalute hominum proprium 1 ſanguinem fudit. Gratia humilitatis emicuit, quia humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem, mortem autẽ Crucis. Patientiam ſeruauit, quia cũm malediceretur, non maledicebat, cũm pateretur, non comminabatur. Mundanæ dignitatis altitudinem ſpreuit, quia (ſicut per Ioannem dicitur) cũm vellent illum Regem conſtituere, montis latibulum petijt. Inimicos dilexit, pro quibus & in Cruce poſitus exorauit, dicẽs: Pater, ignoſce illis, &c. Ille itaque Agnum, quocunque ierit, ſequitur, qui non ſola virginitate eius veſtigia, ſed per omnes quoque virtutum ſemitas, in quantum præualet, imitatur. Ille Agnum ſequitur in peruentionis requie, qui illum imitari ſtuduerit in itineris aduerſitate.

1 Snguine Xpi vt cauſa primaria, nõ tñ ſine nobis ſaluamur. Ideo neceſſe eſt, vt illũ imitemur in operibus humilitatis, patientiæ, charitatis.

Sed plerunque conuerſatione coniugatorum vita confunditur virginum, cũ illi vltra habitum aſſumunt opera, & iſti iuxta ordinem proprium non excitant corda. Vnde & per Prophetam dicitur: Erubeſce Sidon, ait mare. Quaſi enim

per

per vocem maris ad verecundiam Sidon adducitur, quando per comparationē vitæ ſecularium, atque in hoc mundo fluctuantium, eius qui munitus, & quaſi ſtabilis cernitur, vita reprobatur. Sæpè enim nonnulli ad Dominum poſt carnis peccata redeuntes, tantò ſe ardentius in bonis operibus exhibent, quantò dānabiliores de malis videntur. Et ſæpè quidam in carnis integritate perdurantes, dum minus ſe reſpiciunt habere quod defleant, plenè ſibi ſufficere vitæ ſuæ innocentiam putant, atq; ad feruorem ſpiritus nullis ſe ardoris ſtimulis inflammant. Et fit plerunq; Deo gratior amore ardens vita poſt culpam, quàm ſecuritate torpens virginis innocentia. Vnde & voce Iudicis dicitur. Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Et iterum: Gaudium eſt Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia.

Illa ergo virginitas perfecta eſt, quæ reliquis virtutibus cingitur, quæ vera mentis humilitate conditur, quæ non ſolùm illibatam ſe ſeruat in carne, ſed etiā pudicam cuſtodit in ore. Vnde & beata virgo Maria, audito Angelicæ legationis myſterio, ſolitum modeſti ſilentij rigorem tenuit, & licet ipſa intra ſe diſcutere non poſſet, qualis eſſet illa ſalutatio, verbis tamen inquirere ſuperfluum deputauit. Sed mox tacendo audire meruit, quod inquirere non præſumpſit. Ait enim Angelus ei: Ne timeas, Maria, inueniſti enim gratiam apud Dominum. Ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Quod Propheta multò ante venturum prædixit, hoc præſens adeſſe eiſdem verbis Angelus nūciauit. Dicit enim (vt præmiſſum eſt) Eſaias: Ecce Virgo in vtero concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Illic Ieſus, qui Saluator dicitur, hîc Emanuel, qui nobiſcum Deus interpretatur.

Qua lætitia, quo tripudio, fratres mei, Mariæ mens impleta eſſe potuerat, quando hæc Prophetica, & Angelica verba intra ſe inuicem conferebat? Maria enim (inquit Euangeliſta) conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo. In quanta ſe excellentia ſuper humanum genus ſublimari conſpexerat, quæ ſe Creatoris ſui Matrem fieri audiebat? Sed quæ tanto apud Deum faſtigio creſcere meruit, quanta ſe apud ſe ipſam humilitatis deiectione ſubſtrauit? Ait enim: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Dei Mater ab Angelo dicebatur, & ipſa ſe ancillam Domini fatebatur. Et verè Mater, ſimul & ancilla. Ancilla ſiquidem per communem conditionis humanæ naturam, Mater verò per ineffabile diuini muneris gratiam. Mater in eo quòd genuit, ancilla in eo quòd genita fuit. Nondum Euangelium ſcriptum erat, & iam Euangelica præcepta ſeruabat. Præcepit enim Dominus: Quantò maior es, humilia te in omnibus. Quid enim maius Matre Domini? Quid humilius ancilla Domini? Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuū.

Aliquid deſideratur.

Ecce (inquit Propheta) Dominus aſcendit ſuper nubem leuem. Sol quippe cùm nube tegitur, ab humanis viſibus occultatur. Sic nimirum, ſic Saluator noſter, ſumpta ex Virgine ſe carne veſtiuit, in qua diuinitas latens humano intuitu videri non potuit. Quæ nubes idcirco leuis dicitur, quia beatiſſima Virgo nullo viri ſemine grauida, ſola ſancti Spiritus gratia fœcundatur. Quæ & dignitatem genitricis obtinuit, & virginalem pudicitiam non amiſit. Quæ ſine contaminatione concepit, & ſine dolore Filium procreauit. Non ſecutus eſt dolor partum, quia non præceſſit libido conceptum. Dictum nanq; fuerat Euæ: In dolore paries filios. Quæ ſententia in alijs matribus viguit, in Maria verò modū ſui iuris amiſit. In mulieribus fixa perſtitit, in Virgine præualere non potuit. Quæ enim Virgo permanſit concipiendo, dolorem ſentire non potuit pariendo. Ille quippè, qui ex ea ineffabiliter prodijt, clauſtrum virginalis pudicitiæ

non corrupit. Virginem deniq; veniens introiuit, Virginem nihilominus exiens dereliquit. Hæc enim eſt hortus concluſus, fons ſignatus, quæ & fructum fœcũditatis ædidit, & virginitatis meritum non imminuit.

O mirabilis, ò ſingulariter nobilis caro beatiſſimæ Virginis, in qua mulieribus natura mutatur, humana conditio non tenetur. Per coitum quidem eſt genita, ſed non per efficaciam coitus enixa. Aedita communi naſcentium iure, ædidit ſingularis gratiæ nouitate. In humano deniq; genere ille nobilis dicitur, qui claris maiorum titulis inſignitur. Beata verò Maria, licet de genoroſa ſit patrum ſtirpe progenita, ab illo tamen trahit excellentiſſimæ nobilitatis genus, qui de illa eſt nouo naſcendi genere procreatus, & per clariſſimam ſobolem omnem humani ſtemmatis excedit nobilitatem. Clara proauorum titulis, ſed incomparabiliter clarior generoſitate prolis. Filia ſiquidem Regum, ſed Mater Regis Regum.

Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei. Sed quicquid de te à mortali homine dicitur, celſitudinis tuæ meritis non æquatur. Quam enim excellens gratia ſuper Angelos eleuat, ad eius dignè efferenda præconia humana fragilitas non aſpirat. Rogamus te, clementiſſima ipſius pietatis, & miſericordiæ 2 Mater, vt qui tuæ laudis inſignia frequentare gaudemus in terris, tuæ interceſſionis auxilia habere mereamur in cœlis, quatenus ſicut per te Dei Filius dignatus eſt ad nostra deſcendere, ita & nos per te ad eius valeamus conſortium peruenire, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & gloriatur per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

2 Ecce quo animi ardore imploranda ſit beata Virgo. Quod tñ ipſius Virginis, ac diuorũ omniũ oſores noſtri tpis omni telorũ genere oppugnant, digni pfectò qui & à beata Virgine, & à Chriſto, omnibusq; illius proceribus quouis prorſus auxilio deſtituantur.

EIVSDEM BEATI

PETRI DAMIANI,

SERMO DE EXALTATIONE SANCTAE CRVCIS.

DE Virga Ieſſe deuenimus ad virgam Crucis, & principium redemptionis fine concludimus. Ex illa Ieſus Chriſtus Virgo virga virgine mirabiliter eſt generatus; in iſta Martyr martyrum caput, & martyrij forma turpiter eſt appenſus. Illa virga directionis, virga regni tui: ait illud familiare Spiritus ſancti organum, quia nihil Virgine rectius, ſubtilius nihil. Audi & de alia: Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. Profectò Crux fuit virga virtutis, in qua Dominus virtutum viriliter pugnauit, & vicit. Aſſumpſi mihi duas virgas (ait Propheta) vnam vocaui decorem, & alteram funiculum. Virga pulchritudinis, vterus Virginis (Pulchra, inquit, vt Luna) virga funiculi, lignum patibuli, diſterminans vtraq; regnum Dei, & diaboli, imponens frenum malitiæ eius, latâq; eius peruagationem validiſſima poteſtate coërcens. In hac confoſſum eſt latus innoxium, & ad horam crucifixus eſt innocẽs manibus, & mundo corde. Terribilis ille latro, cuius manus plenæ ſunt ſanguine, in hac item confoſſus eſt, & confectus. Sed Chriſtus aliter, aliter ipſe; Chriſtus ad momentum, ille in æternum. Debellauit aëreas poteſtates (ait Apoſtolus) & affixit eas Cruci ſuæ. Ex altera parte crucifixus eſt Redemptor noſter, ex alia ſummus ille præuaricator. Rex Hai (vt narrat hiſtoria) ſuſpenſus eſt in gemino patibulo: ita rex mortis in duplici patibulo ſuſpenditur, quia dum Chriſtum interficit, in ipſa Cruce crucifigitur, quam inuenit.

Magnum ſacramentum Crucis, nec eſt aliquid hoc ſacramento ſacratius. Reſpice Crucem ſtantem, & vide quàm recta cacuminatione de terris erigatur ad cœlum, & veritatem rei ipſa imagine proteſtetur. Non'ne tibi videtur figura eius cœlum, & terram ſublimi continuatione coniungere? Hæc eſt firmiſſimum, ac indiſſolubile gluten, quo conglutinantur rationales creaturæ, vt ex vtriſq; fiat illa ciuitas, cuius participatio eius in idipſum. Vide etiam quomo-

do quadrifaria ratione quatuor mundi climata comprehendat, & omnem ad ſe pertrahat creaturam. Aſtat Ieſus in medio; quadrifariaſui corporis parte diſtentus, & expanſis manibus, omnibus ad ſe ex omni parte venientibus ampliſſimum miſericordiæ ſinum oſtendit. Nam apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio. Prorſus copioſa, non ſtricta, quia largiter vnda ſanguinis de corpore Chriſti per quinq; partes emanauit. Sufficeret ad redemptionem orbis vel vna pretioſiſſimi ſanguinis gutta; ſed data eſt copia, vt virtus diligentis in beneficij redũdatione clareſcat. Sed ne fortè occurreret tibi, vt vbiq; terrarum currens, Redemptorem tuum inuenire non poſſes, à quaq; mundi parte procedas, ſiue ab Oriente, ſiue ab Occidente, ſeu à Meridie, vel à Septentrione, paratus eſt ipſe ſuſcipere venientẽ & blanda confouere dulcedine. Sed attende quid tibi exprimitur de corde Altiſſimi. Venis ad hominem crucifixum? Crucifixus venias, aut crucifigendus. Qui enim Chriſti ſunt, crucifixerunt carnem ſuam cum vitiis, & concupiſcentijs. Sic dignum Chriſto, neceſſarium tibi. Sed iam aſcende mecum ad Verbi huius celſiora faſtigia, & vide quid'nam ſit quod egreditur.

Scriptum eſt in Regnorum hiſtoria, quia beata illa mater ait ad Eliam: En colligo duo ligna. Duo ligna, duo Crucis brachia ſunt. In his duobus humanam, & Angelicam naturam intellige. Et illud quidem lignum, quod recta ſublimitate tendit ad cœlos, ſuperiorem accipe naturam, quæ ſtetit in rectitudine, & officioſiſſima deuotione voluntati Dominantis adhæſit. Illud verò, quod tranſuerſum eſt, humanam deſignat, quæ tranſuerſa, immò (vt veriùs dicamus) euerſa, ſtatus ſui perdidit æquitatem. Intuere cum quanto ſacramento iungantur. In vtroq; ligno fit ſciſſio, & ex occaſione vulnerum iunctior iunctura componitur. Supercœleſtes ſpiritus non mediocre vulnus acceperunt, cùm Deus in Angelis ſuis reperit prauitatem; nec contemnenda plaga, cùm eam reſarciri oporteat, quia non reſtituto ſociali numero, numeroſitas cadens facta videtur in vanum. Inferior verò natura à planta pedis vſq; ad verticem, ita venenifera fermentatione infecta eſt, vt neſciat vnde veniat, aut quò vadat. Vtrorũq; ſpirituum igitur vtriſq; vulneribus non mediocriter hiantibus, impreſſio facta eſt iuncturalis, quæ Chriſto coniungente ita eſt reſarcita, vt nihil vulniferum videatur ineſſe. Chriſtus enim in vtriſq;, & pro vtriſq; confixus, vtroſq; cauilla corporis ſui validiùs nectit, & corpus proprium iuncturis opponit, ne valeant reſilire. Crux igitur iungit cœlum, & terram; Chriſtus in Cruce trahit omnia; leo rugiens ibi ligatur; Angelus confœderatur, & homo; totumq; per eam reficitur, quicquid fecit manus Altiſſimi.

Excede ergo pauliſper ſenſus carnis, & irruentia corporearum phantaſmata voluptatum, & intuere diuinæ naturæ bonitatem, ſuauitatem, dignationem. Meditare poſitionem crucifixi corporis. Vide ſi aliquid eſt in eo, quod non peroret pro te apud Patrem. Diuinum illud caput multiplici ſpinarum denſitate denſatum, vſque ad cerebri teneritudinem confixum eſt, dum configitur ſpina. Spinis peccatorum ſuorum, ait Dominus per Prophetam, circundedit me populus iſte. Ad quid hoc? Ne doleret caput tuum, ne tua vulneraretur intentio. Caligauerunt in mortem oculi ſui, & illa luminaria, quæ illuminãt orbem, ad horam extincta ſunt. Non'ne illis obtenebrantibus, tenebræ factæ ſunt per vniuerſam terrã, & illa duo magna luminaria cũ illis luminaribus ſubmota ſunt? Hoc autem totum factum eſt, vt auerterentur oculi tui, ne viderent vanitatem, & ſi viderent, non adhærerent. Aures illæ, quæ in cœlis audiũt, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth: audierunt in terris:

dæmonium habet, & Crucifige, crucifige eum. Vt quid iſtud? Ne aures tuæ obſurdeſcerent ad clamorẽ pauperis, ne reciperent auditum vanum, ne detractionis virus apertis, propitijsq́ auribus ſuſciperent. Specioſa illa facies ſpecioſi forma præ filijs hominum, ſputis illita eſt, afflicta colaphis, addicta deluſionibus; ſic nanq; ſcriptum eſt: Cœperunt conſpuere in eum, & percutere faciem eius, & illudere ei dicentes: Prophetiza quis eſt, qui te percuſſit? Quare hoc? Vt facies tua illuminaretur, illuminata confirmaretur, & diceretur de te: Vultus eius non ſunt ampliùs in diuerſa mutati. Os illud, quod docet Angelos, homines inſtruit, quod dixit, & factum eſt, parumper obmutuit, vt veritatem, & iudicium loqueretur os tuum, & confiteretur Dominum Deum ſuum. Manus illæ, quæ fundauerunt cœlos, extenſæ ſunt in Cruce, clauisq́ tranſuerberatæ duriſſimis, vt manus tuæ extenderentur ad inopem, & dicere poſſes: Anima mea in manibus meis ſemper. Quod tenemus in manibus, non facilè obliuiſcimur; ſic & qui animam ſuam bonæ operationi imprimit, non tradit eam obliuioni. Pectus illud, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi, lancea militari perfoſſum eſt, vt pectus tuum à prauis cogitationibus mundaretur, mundatum ſanctificaretur, conſeruaretur ſanctificatum. Pedes illi, quorum ſcabellum adorare debemus, quia ſanctum eſt, dura transfixione confixi ſunt, ne pedes tui feſtinarent ad malum, ſed currerent viam mandatorum Domini. Quid plura? Foderunt eius manus, & pedes, & dinumerauerunt omnia oſſa ſua: pro te carnem, & animam ſuam poſuit, vt corpus, & ſpiritum tuum ſibi vendicaret. Toto ſe totum te comparauit. Quid vltra debuit facere, & non fecit? Abſoluit vinctum, illuminauit cæcum; quia Dominus ſoluit compeditos, Dominus illuminat cæcos. Reduxit erroneum, reconciliauit reum, qui te portauit in humeris ſuis, qui pro te Patri proprio ſanguine ſatisfecit.

Attende ergo conſilium Dei tui, non ſolùm cum Patre regnantis, ſed & dulciſſimi amici tui in Cruce pendentis; nec enim falli poteſt, quia Sapientia eſt, nec fallere te vult, pro quo ignominioſam ſuſtinet pœnam. Si quis, inquit, vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Audi conſilium, non præceptum. Si enim præceptum eſſet, quicunq; effectui non manciparent, cruciatus poſſent expectare perpetuos; ſed cùm dicit, Si quis vult, in noſtra poſuit voluntate, vtrum ex æquo cum eo currere feſtinemus. Grandis profectò labor, ſed præmium incomparabile. Poſt me, inquit. Poſt eum eundum eſt, quia ipſe eſt Veritas, ne decipiamur; per eum, quia ipſe eſt Via, ne aberremus; ad eum, quia ipſe eſt Vita, ne moriamur. Ego ſum, ait, Via, Veritas, & Vita. Sequitur, Abneget ſemetipſum. Primus ille parens præfixis obedientiæ legibus coarctatus, in campum malæ libertatis exiuit. Acceperat in præcepto, vt voluntatem Creatoris præponeret ſuæ, ſed vſus, immò abuſus propria voluntate, cùm habere ſe voluit, perdidit ſemetipſum. Depulſus ergo ab illa felici hæreditate, exilium ſortitus eſt pro patria, mortem pro vita, pro gloria ignominiam. Si vis ergo ad tuam hæreditatem reuerti, tuam abnega voluntatem. In hac abnegatione duo ſolummodo ſunt, aduerſus quæ pugnare, & expugnare oporteat; elatio in mente, voluptas in corpore. Fuge Regem, & Regis exercitum, ſuperbiam, & ſuperbiæ prolem, & illum ſecutus, immò conſecutus es, qui dixit: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Pretioſa veſtis, epulæ lautiores, & voluptas ſecretior longè ſint à te, & carnes tuas timore Domini confixiſti. Abnegatio igitur voluntatis, hæreditatis

eſt recuperatio.

Sequitur, Tollat crucem ſuam. Si non cecidiſſet Adam, & in illa ſui ſtatus dignitate manſiſſet, eſſet tamen aliis euocandus, & in ordinem promouendus Angelicum; ob duplicem enim cauſam factus erat, & ad reſarciendum numerum imminutum, & ad illum implendum, qui deerat, ſi Angelus non cecidiſſet. Quia igitur per abrenunciationem propriæ voluntatis nobis hæreditas redditur, conſequenter per crucis portationem grata illa beatorum ſpirituum ſocietas reparatur. Duo verò notabilia ſunt, quæ in hac crucis portatione nos habere oporteat, vt læſi non lædeamus, & benefaciamus lædentibus. Magnum quidem, & vltra hominem eſt, aſperitatem verborum, & verberum non ſolùm pati, ſed & non reddere. Illud verò maius eſt, & diuinum quiddam ſapit, benefacere his, qui oderunt te. Magiſter noſter, & Dominus, Chriſtus filius Dei, & lædentes patienter pertulit, & benefecit lædentibus, dicens: Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Conſidera beneficium; dum fel ori, claui manibus, lancea lateri apponerentur ab inimicis, os, & manus, & latus agebant pro inimicis. Vide ergo, ſi Angelicæ dignitati iuſtè hæc aſſignemus. Hæc enim duo illorum proprietati ſunt propria. Quotidie illos ad noſtri cuſtodiam deputatos multipliciter offendimus, & offenſam negligentia cumulamus. Ipſi autem licet à nobis frequenter iniurias patiantur, ſuſtinent tamen, & compatiuntur peccantibus; nec minor illorum circa nos cuſtodia, immò maior ſolicitudo, cùm boni cuſtodis ſit, infirmis magis, quàm ſanis operam exhibere.

Subiungitur, Et ſequatur me. Cùm in ſui abnegatione reuocetur hæreditas, & in tollendo crucem dignitas Angelorum, in imitatione Chriſti ſumma nobis felicitas reſeruatur. Hic eſt virtutum conſummatio, finis curſus, principium præmiorum. Sed in hac imitatione duo ſunt adimplenda, videlicet vt magiſtrorum ſubdaris imperijs, & perſeuerantiam non amittas. Ita planè poteris ſequi Chriſtum, qui non venit facere voluntatem ſuam, ſed eius, qui miſit illum, & qui pro eadem voluntate non timuit ponere animam ſuam. Quo fructu, qua vtilitate, quo præmio? Vt vbi ego ſum, inquit, illic ſit & miniſter meus. Quanta dignitas eſſe cum Deo, beatis intereſſe ſpiritibus, & in illum cœleſtem conuentum perpetuò numerari.

Vide ergo, ne rurſus tibimetipſi crucifigas Filium Dei, & hoſtem tui habeas, rurſus fabricans crucem, in qua crucifigatur ille, qui reſurgens ex mortuis iam non moritur. Intuere ne mortiferam crucem efficias, in qua facias Filium Dei amaris doloribus interire. Superbia ſuperiùs, inferiùs luxuria, à dextris proſperatio iniquitatis, à ſiniſtris aduerſitatis deſperatio, ſpinas, clauos, & lanceam Filio Virginis repræſentant. Cùm enim eleuans te, & ambulans collo extento, caput Altiſſimi ſpinarum multiplicitate contorques, & hîc à ſuperioribus ſuperari moleſtè fers, immò ſuperiores potiùs ſuperare contendis, illi ſimilis es, qui ſe ſimilem Altiſſimo cogitauit. Scriptum eſt enim: Deus ſuperbis reſiſtit, illis videlicet, qui cum eo ex æquo ſtare contendunt. Cùm ponis oculos tuos, vt non reſpicias cœlum, & voluptuoſis carnis tuæ motibus moueris, & traheris, durioribus clauis tuis pedes Omnipotentis tranſuerberans, ab inferiori infers ſupplicium, dum momentanea voluptate voluntatem Dominantis excludis. Cùm proſperaris in iniquitate, & fœtidiori curſu rerum peccata peccatis accumulas, clauum ponis in illius dextera, quem de ſuis bonis perſequi non deſiſtis. Cùm verò abundantiori triſtitia abſorberis, & tuã impietatem pietati Dei præponderas, ſiniſtram eius tranſfigis, & conceptum furorem furore tuæ deſperationis amplificas. Deniq; cùm præſumis defendere

quod feciſti, lanceatem iſtum lateri Saluatoris intorques, nihilq; grauius ingeris Crucifixo, quàm tueri quod odit; de hoc enim peccato ſcriptum eſt: Non miſerearis omnibus, qui operantur iniquitatem. Vides iam quanta differentia inter vtranq; crucem perambulet. Relinque ergo crucem, quàm tibi fabricaſti; & gloriare in Cruce Domini Dei tui, qui eſt benedictus in ſecula. Amen.

EIVSDEM PARACTERICVM CARMEN DE IPSA SANCTA CRVCE.

VNICA ſpes hominum, Crux, venerabile ſignum,
Omnibus eſto ſalus, vnica ſpes hominum.
Baiula tu pretij, quod mundi debita ſoluit,
Quo meruit redimi, baiula tu pretij. Vnica.
Tartara victa tuis ſpolium ceſſere triumphis;
Lugent vexillis tartara victa tuis.
Pandis & aſtra pijs, proprio quos ſtigmate ſignas;
Das requiem feſſis, pandis & aſtra pijs. Vnica.
Chirographum vetiti pepigit quod cautio ligni,
Diluis & pomi chirographum vetiti.
Lux, honor, imperium, laus, gloria, doxa per æuum
Sit tibi, trine Deus, lux, honor, imperium. Vnica.

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

SERMO DE SANCTO MATTHAEO APOSTOLO, ET EVANGELISTA.

SOlennitatis hodiernæ lætitia, dilectiſſimi, omnem deſperationis aculeum de noſtris mentibus amputat, ad præſumendũ de diuina miſericordia titubantia corda confirmat, atq; vt adeamus cum fiducia thronum gratiæ (ſicut & Apoſtolus hortatur) inuitat. Quis enim audiens publicanum à Domino non modò in clientelam diſcipulatus electum, ſed in ſenatus inſuper Apoſtolici conſcendiſſe faſtigium, non protinus animetur ad conſequendam ſuorum veniam peccatorum? De teloneo quippe cumulandæ pecuniæ in cathedram transfertur Eccleſiæ; & qui priùs exigẽdi vectigalis fungebatur officio, conſtitutus eſt fidei, diuitiarumq; cœleſtium miniſtrare theſauros; quiq; tunc turpis lucri quæſtu ſatagebat implere marſupium, nunc per mundi latitudinem ſpargit cœleſtis eloquij ſacramentum.

Inter omnes planè ſanctos, qui cœleſti gloriæ de triumphato mundo victoriæ titulos intulerunt, beatus Matthæus mihi videtur inſignis, atq; conſpicuus, & quendam inter eos dignitatis obtinere primatum; atq; (vt clariùs dicam) nemo poſt Chriſtum eſt, cui magis debeat ſancta vniuerſalis Eccleſia. Nam quòd mundus viuit, hæc eſt cauſa, quia lux nobis Euangelica coruſcauit. Conſtat autem, quia primus omnium Matthæus 1 Hebraico ſtylo Euangelium ſcripſit, ſicq; his, qui erant ex circuncifione, fidelibus neotericæ fidei quoddã quaſi ſpeculum procurauit. Quia igitur ad ſanctum Euangelium deſcribendum primus iſte prorupit, ſcribendi cæteris Euangeliſtis viam præceſſor aperuit, & tanquam dux vexillum ſequentibus prætulit, ſuoq; eos exemplo vt ſcriberent incitauit. Illi ergo debemus Euangelium, quem Euangelicæ narrationis conſtat intuliſſe principium; & quem aliorũ nouimus primum, non ambigimus inter eos cuiuſdam priuilegij tenere primatum. Vnuſquiſque nimirum trium Euangeliſtarum beati Matthæi librum, antequam ſuum inciperet, nouit, & (ſicut ſibi diuinitus inſpiratum eſt) non ſuperfluam cooperationem ſui laboris adiunxit. Eorum quippe fuerat præparare fideliter animos ad ſcribendum, Dei autem erat in id, quod vellet, dirigere ſtylum.

1 Quid ergo, aiunt aliqui, Matthæum Hebraicè non ſcripſiſſe Euangeliũ? Ecce hic Auctor his reclamat.

Porrò ſicut Moyſes & Prophetis non abſurdè præponitur, & omnibus, qui aliquid ſcripſerunt in veteri teſtamento, ita beatus Euãgeliſta Matthæus omnes

iure præcellit,qui ſcripſiſſe reperiuntur in nouo. Sicut enim ille naſcentis mũdi texit originem, ſic iſte,tanquam ſpiritalis cuiuſdam mundi, orientem deſcribit Eccleſiæ nouitatem. Vnde Spirituſancto calamum temperante prouiſum eſt,vt vterq; non diuerſum,ſed vnum,idem'q; ſuis libris præmitteret initium,dicens: Liber generationis: Sed illa generatio filios protulit iræ,iſta filios parturit gratiæ. Illa generatio ſortita eſt Paradiſum terræ,fertilium quidem arborum,& herbarum decore vernantem;ſed iſtà cœleſtem meruit Paradiſum incõparabilium deliciarum copijs affluentem. Ex illo tamen Paradiſo primus homo per lignum poſteritatem ſui generis expulit; ſecundus Homo per Crucem cœleſtibus nos paſcuis introduxit. Ille dum narrat,Deum dixiſſe, Fiat lux, oſtendit conditam lucem;iſte Chriſtum de Virgine natum perhibens, exortum lucis inſinuat Conditorem. Moyſes itaq; veterem Adam, atq; terrenum, veterem mundum,vetus digerit teſtamentum; Matthæus autem pro veteribus noua,pro terrenis,ſiue carnalibus ſpiritualia, pro temporalibus introducit æterna. Pro Adam ſiquidem Chriſtum, pro lege veteri Euangelium,pro mundo,vel terra herbis,arboribus'q; florente ſanctam deſcribit Eccleſiam diuerſa ſpiritualium fructuum victualia germinantem. Primus enim homo(ſicut Apoſtolus ait)de terra terrenus, ſecundus de cœlo cœleſtis. Factus eſt primus Adam in animam viuentem,nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem. Non enim priùs quod ſpirituale eſt,ſed quod animale,deinde quod ſpirituale. Moyſes ergo deſcribit quomodo viſibilia quæque ſunt originaliter condita;Matthæus autem docet non modò terrena, ſed & cœleſtia per Mediatoris Dei,& hominum gratiã nouiter inſtaurata;ſicut idem dicit Apoſtolus: Vt notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ ſecundùm beneplacitum eius,quod propoſuit in eo in diſpenſatione plenitudinis temporum,inſtaurare omnia in Chriſto,quæ in cœlis, & quæ in terris ſunt in ipſo.

Hanc mundi renouationem Dauid præuidebat,cùm aliquando coram Domino conſtitutus oraret. Nam cùm illi per Nathan Prophetam clementia diuina promitteret,ex eius ſemine naſciturum,qui ſibi ſacroſanctum conſtrueret templum,& Chriſtum manifeſtè denuncians adiecíſſet: Ego ero illi in Patrem,& ipſe erit mihi in Filium: mox'q; Eccleſiam,quæ corpus eſt Chriſti,qualiter eſſet futura depromeret dicens: Et fidelis erit domus tua,& regnum tuum vſq; in æternum ante faciem meam,& thronus tuus erit firmus iugiter: ille gratias agens inter cætera orationis ſuæ verba ſic ait: Sed & parum viſum eſt in conſpectu tuo, Domine Deus meus,quia dilexiſti me,niſi loquereris etiam de domo ſerui tui in longinquum: mox'q; ſubiunxit: Iſta eſt enim lex Adam, Domine Deus. Ac ſi perſpicuè dicat: Sicut in terreni mundi huius exordio Adam conſtituiſti poſteritatis ſecuturæ parentẽ, atq; ex hac radice totius humani generis decreuiſti pullulare propaginem,ita nunc mundum renouare diſponens,me quaſi nouũ Adam facis,dum Chriſtum ex meo ſemine naſciturum, qui eſt author, & caput Eccleſiæ,polliceris. Iſta eſt,inquit,lex Adam, quia ſicut ille erat in filijs ſuis hunc mundum viſibilem poſſeſſurus,ita & ego populi ſpiritualis in Chriſto pater efficior,cum illo, qui in cœlis eſt,perpetuò regnaturus. Sicut enim de coſta illius formata eſt viuentium mater Eua,ita de latere Chriſti, qui ex me naſciturus eſt, victura perenniter egredietur Eccleſia. De hoc nouo,& ſpirituali mundo ſcriptum eſt: Domini ſunt cardines terræ,& poſuit ſuper eos orbem. Orbis enim ſuper terræ cardines ponitur,cum ſancta Eccleſia tanquam ſuper baſes doctrinis Euangelicis ſolidatur. De qua & alibi dicitur: Fundamenta eius in mõtibus ſanctis. Qui enim illic cardines, hîc appellati ſunt montes.

Euangeliſtarum planè numero congruit & mũdi ſitus,& temporum curſus, quia & quatuor mundi partes,& totidem ſunt temporũ diuerſitates. Non igitur

mirum, ſi ſpiritualis mundus inuiſibili huic conferatur, dum nonnullas inuicem habere ſimilitudines vterq; dignoſcitur. Et notandum, quia ſummus architectus, videlicet omnipotens Deus, dum huius ſpiritalis mundi, hoc eſt ſanctæ vniuerſalis Eccleſiæ fabricam ſuper quatuor Euangeliſtas, quaſi ſuper columnas totidem conſtruit, duas potiores, & egregias altrinſecus ordinat, quibus ſcilicet omne ſurgentis machinæ pondus incumbat; duas autem minores in medio ſtatuit, ſicq; cœleſtis fabricæ pulchritudinem alterna varietate diſtinguit, vt plura litas ad fundamentum, diuerſitas pertineat ad ornatum, & diuinum opus ſic roborc permaneat inconcuſſum, vt ſit etiam varietate conſpicuum. Hæ deniq; quatuor ſunt columnæ, de quibus ad Moyſem dicitur, cùm in typo Eccleſiæ tabernaculum figeretur: Facies columnas quatuor, & baſes earum veſtitas argento. In argento enim quid aliud, quàm claritas diuini ſermonis accipitur? ſicut ſcriptum eſt: Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ. Baſes ergo argento veſtitæ quatuor columnas tabernaculi ſuſtinent, quia prædicatores Eccleſiæ diuino eloquio decorati, vt in cunctis ſe exemplum præbeant, quatuor Euangeliſtarum dicta & ore, & operibus portant.

Matthæus itaq; primum obtinet locum, Ioannes vltimum. Qui nimirum in Apoſtolico ſunt culmine conſtituti, & in ijs, quæ ſcripſerunt, non auditu duntaxat, ſed viſu potiùs, atq; contactu ſunt præſentialiter informati. Sicut vnus eorum dicit: Quod audiuimus, quod vidimus, quod oculis noſtris perſpeximus, quod manus noſtræ tractauerunt de Verbo vitæ. Marcus autem, & Lucas, qui Euangelici catalogi meditullium ſortiuntur, non quidem ſunt Apoſtoli, veruntamen præcipuorum Apoſtolorum alter Petri, alter Pauli relationibus ſunt edocti. Omnes nihilominus ſancti Euangeliſtæ vnius ſunt auctoritatis, vnius ſunt fidei, nec in aliquo diſpares in texenda ſynceriſſimæ linea veritatis, ac per omnem ſuæ deſcriptionis articulũ inexpugnabile ſimul erigunt propugnaculũ aduerſus omnia quarumlibet hæreſeon iacula præmunitũ. Hæc eſt enim quadriga illa, in qua Rex gloriæ exultans vt gigas, & potens in prælio, principi mũdi huius, qui genus humanũ captiuũ tenebat, occurrit, & lorica carnis armatus illũ ſuperueniens vicit, eiusq; vaſa diſtribuit. Hanc porrò quadrigã, verũ q; Cherubin Ezechiel Propheta ſe conſpexiſſe cõmemorat, cũ ait: Similitudo autvultus eorũ facies hominis, & facies leonis à dextris ipſorum quatuor, facies aũt bouis à ſiniſtris ipſorũ quatuor, & facies aquilæ deſuper ipſorũ quatuor. Quos profectò nõnulli catholicorũ patrũ hoc ordine diſcreuere, vt q́a ab humana generatione cœpit, iure per hominẽ Matthæus; quia verò à clamore in deſerto, rectè p leonẽ Marcus; quia à ſacrificio exorſus eſt, benè p vitulũ Lucas; quia à diuinitate Verbi cœpit, dignè per aquilã Ioannes videatur deſignari. Qui nimirũ dicens: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: dũ in ipsã ſubſtantiã diuinitatis intendit, quaſi more aquilæ oculos in ſolẽ fixit.

Sed ij, qui ſanctos Euangeliſtas per animaliũ figuras ſub hac varietate diſtinguunt, magis conſiderare videntur Euangelij cuiusq; principium, q̃ continuum ſequentis hiſtoriæ textum. Nam qui ſeriatim cunctas Euangelicæ narrationis curioſiùs, atq; minutiùs indagauere ſententias, beato Matthæo non hominis, ſed figuram decreuerunt aſcribendam eſſe leonis. Leo enim (vt ait ſcriptura) potentiſſimus beſtiarum ad nullius pauebit occurſum. Et quia rex animalium dicitur, non incongruè beato Matthæo, qui regiam Chriſti cernitur texuiſſe perſonam, leonis ſpecies deputatur. Vnde & in Apocalypſi Dominus cum ipſa tribu regia Leo commemoratus eſt. Vbi dictum eſt: Vicit leo de tribu Iuda. Matthæus igitur in declaranda regia ſtirpe Domini familiariùs vacat, & ſicut ab hac narrationis exordium ſumpſit, ſic in eadem intentione totam ſtyli ſui ſeriem ad finem vſq; perducit. Generationis quippe lineam texens ad Dauid peruenit; deinde per Salomonem tranſiens, cæteros Reges in enumeranda

generis ſucceſſione percurrit. Et paulò poſt refert, quòd ab Oriente Magi ve-
niunt, & Iudæorum Regem natum ſolerter inquirunt; ſimul etiam quòd Rex
Herodes turbatus eſt, dum audit, quòd Rex præter ſe in Iudæorum populo na-
tus eſt. Deinde ſubiungit parabolam, vbi Dominus ait: Simile eſt regnum cœ
lorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo. Sed & inſtante ſalutiferæ paſ
ſionis articulo, narrat eum dixiſſe: Quia cùm ſederit Filius hominis in ſede ma
ieſtatis ſuæ, congregabuntur ante eum omnes gentes; & quia tūc dicet Rex his,
qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Po-
ſtremò deſtructo per mortem ſuam mortis imperio, & beatæ reſurrectionis coru-
ſcante triumpho, narrat eum dixiſſe Diſcipulis: Data eſt mihi omnis poteſtas
in cœlo, & in terra.

His, & huiuſmodi clareſcentibus in Euangelica deſcriptione ſententijs, liquet
beatum Matthæum in proſequenda regia ſtirpe Domini tenaciùs, quàm cæteri,
fuiſſe verſatum. Vnuſquiſq; ſiquidem ſanctorum Euangeliſtarum proprium, ac
ſpecialem ordinem ſeruat, & in eius, qua cœpit, intentionis cuſtodia perſeuerat.
Nam Ioannes propenſiùs occupatur ad declarandam in Chriſto diuinitatis eſ
ſentiam. Matthæus autem (vt dictum eſt) oſtendit regiam dignitatem. Mar
cus verò tanquam aſſecla, ſiue breuiator eius eſſe videtur, dum per eius veſtigia
ſubſequens graditur, & ſic illi ſiue eiſdem verbis, ſiue eodem ſenſu in omnibus
penè concordat, vt tanquam à præcedentis ſe tramite non recedat. Lucas etiam
proprium modum, & ordinem tenet, dum ſacerdotalem Domini ſtirpem deſcri-
bit, atq; perſonam, & ſic per totam ſtyli ſui ſeriem in hac intentione perdurat, vt
diuerſari circa templum, & ſacerdotes vſq; ad finem Euangelij non omittat. Nā
ipſum quoque ſuæ narrationis exordium quid aliud coaceruat, quàm diuerſo-
rum nomina ſacerdotum? Fuit, inquit, in diebus Herodis Regis Iudææ ſacer-
dos quidam, nomine Zacharias, de vice Abia, & vxor illius de filiabus Aaron.
Eundem poſtmodum Zachariam in templo ante altare conſtituit. Mariam quo
que Virginem domui Sacerdotis inducit. Quadrageſimo autem natiuitatis die
puerum cum muneribus ad templum portat. Duodennem quoq; in templo au
dientem, & interrogantem cum doctoribus inthronizat. Deinde parentes Do-
mini narrat per omnes annos aſcendiſſe Hieruſalem ad templum in die ſolenni
tatis Paſchæ. Demum Euangelium ſuum hoc fine concluſit, vt diceret: Ipſi a-
dorantes regreſſi ſunt Hieruſalem, & erant quotidie in templo laudantes Deum,
& benedicentes Dominum. Mediator quippe Dei, & hominum ſecundùm hu
manam naturam vnus idemq; Rex 2 eſſe voluit, & ſacerdos, vt per vires nos
regalis apicis regeret, & per ſacerdotis officium expiaret. Hæ ſiquidem duæ
perſonæ in figura Chriſti ſpecialiter ſunt à patribus commendatæ, cui principa
paliter, ac ſingulari prærogatiua dedit Deus ſedem Dauid patris eius, vt
regni eius non eſſet finis, & vt ſacerdos eſſet ſecundùm ordinem Melchi-
ſedech.

2 Chriſtꝰ Rex & Sacerdos.

Vtriuſq; ergo miniſterij dignitatem Matthæus, & Lucas ita inter ſe inuicem
diuidunt, vt alter Chriſti regnum, alter deſcribat ſacerdotium. Spiritus enim
ſanctus per organa ſua ſic propriæ poteſtatis iura diſpenſat, vt dum per duos
vnus eloquitur, idem ſententium quædam in verbis diuerſitas exprimatur. Vnde
cùm Matthæus, qui regalem Domini perſonam ſuſceperat deſcribendam, in ge
nealogiæ contextu Reges enumeret, Lucas ad ipſum Dauid non regium ſche-
ma proſecutus, ſed per eos, qui Reges non fuerant, aſcendit ad Nathan filium
Dauid, qui nec ipſe Rex fuit. Vnde diuinitus actum eſt, vt non habeat ſocium
ſubſequentem, qui ſtyli ſui teneat ſeriem, quoniam ſacerdos in ſancta ſanctorum
ſolus intrabat; atq; idcirco hic ſine comite eſt, quia ſe circa Domini ſacerdo-
tium ſpecialiter occupat. Matthæus autem (vt prædictum eſt) breuiatorem

Marcum

Marcum, atq; pediſſequum habuit, quia Chriſti regiam dignitatem Reges enumerando deſcripſit. Regiæ quippe ſublimitatis eſt, vt non ſine comitum gradiatur obſequio.

Hunc 3 ducem & nos ſequamur, dilectiſſimi fratres mei, non Euangelium breuiando, ſed Euangelica præcepta ſeruando. Hunc ad vitam ſequamur itineri præuium. Huius ſalutiferum imitemur exemplum, qui mox, vt vocantis ſe Saluatoris audiuit imperium, non cunctatus eſt, non ſua diſponendi quæſiuit inducias, non amicorum petenda conſilia, ſed illico diuitias ſpreuit, neceſſarios abdicauit, carnalium affectuum nexus abrupit, ſicq; ſolutus poſt Chriſti veſtigia lætus, & impiger properauit, & tanquam poſt naufragium delatus in portum, diuinum illud celeuma cantauit: Dirupiſti, Domine, vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Vel illud, quod ſponſa modulatur in Canticis canticorum: Paululum cùm pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea; tenui, nec dimittam eum. Amen.

3 Sanctos ergo debemus duces ſequi, ac proinde venerari, & inuocare, quicqd oblatrent hæretici.

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

SERMO IN FESTO SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI.

CIRCA rerum cardinem verſamur, & magnificentiam operum Domini ſtylo proſequimur impolito; nec eſt præſumptio, ſed deuotio, quia non temerarij ſcrutatores, ſed pij pulſatores accedimus. Honorauerunt ſiquidem ſtylum maieſtas Virginis, & dignitas Crucis, & vtrunq; præſumpſimus vtroq; ſaluati. Nunc ad Angelos ſermonem conuertimus, & illius purioris naturæ contemplamur originem; & hoc quidem conuenienter. In primis nanq; locis illa duo prima poſuimus, quæ ſibi primatum vendicant in rerum creaturis. Tertium autem locum ſortiuntur Angeli, ſicut in cœlo, ita in ſcripto, ſentitq́; anima, quod continet pagina, & auctoritas ratione munitur. Beata illa regio ſupernarum virtutum, in qua felices ſpiritus circumuolant Dominum Sabaoth, & ſublimi pennarum applauſu in plateis ſupernæ Hieruſalem Sanctus, Sanctus, Sanctus, clara voce decantant. Vidi (inquit Propheta) Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum, & plena erat omnis terra maieſtate eius, & ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum. Seraphin ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri. Singula iſta verba ſuo pondere librata ſunt, & diligentiſſimam quærunt expoſitionem, cuius nos immunes inſipientia, & ineloquentia fecit. Aliquid nihilominus exculpere tentabimus, ſi non ita ſolenniter, veraciter tamen.

Viſio hæc corporalis non eſt, vel fantaſticis inuoluta præſtigijs, ſed ſpiritalis & pura, purioris intelligentiæ deſiderans ſanctitatem. Hanc non vident niſi videntes, & qui mundi caliginem ſupergreſſi, ſplendorem diuinitatis lucidiſſima mente ſuſcipiunt. Et, vt breuiter eam diffiniamus, Spiritus Dei noſtro ſpiritui dulciter applicatus hanc efficit viſionem, cùm nos de præſcientia cumulat futurorum. Hoc igitur modo ille totius Prophetalis eloquentiæ gloria vidit Dñm, & ſedentē. Filius Dei triginta & tribus annis ſeruus fuit, non Dñs, miniſter nō magiſter, vilis nō glorioſus, & licet dixerit Diſcipulis: Vos vocatis me Magiſter, & Dñe, & benedicitis, Sum etenim: &, Ego ſum lux mundi: pauci tamen verborum altitudinem notauerunt, phariſæis inuidentibus, Iudæis non credentibus, & illum arguentibus præſumptionis. Sed poſtquam reſurrexit à mortuis, & in triūphali ſede receptus eſt, imperatoria decreta propalata ſunt orbi, fixitq;

Crucifixus in totam mundi latitudinem ſuæ dominationis inſigne. Iam maie- ſtatiuis nominibus circunfunditur ille pauper,& vnicus,& ſeruilium nominum vilitate dimota,Rex regum,& Dominus dominātium multa luce præfulgurat. Vidit ergo eum filius Amos,non humilem,ſed ſublimem,non iudicatum,ſed iu- dicem,non opprobrium hominum,ſed gloriam Angelorum.

Sedentem,inquit. Triplicem legimus Creatoris ſeſſionem,vnam poſt mundi creationem,quando requieuit ab omni opere,quod patrarat; aliam poſt Aſcen- ſionem,quando aſſumptus eſt in cœlum,& ſedet à dextris Dei; tertiam poſt re- ſurrectionem,cùm ſederit in ſede maieſtatis ſuæ,& nos cum eo ſedebimus. So- let quietem labor præcedere,ſtatio ſeſſionem. Sed quando laborauit illa Maie ſtas,quæ nec afficitur paſſione,nec labore diſtringitur? Audi quomodo pluri- mus ei labor incubuit,cùm illum peſſimum præſumptorem de cœlis ad inferna detruſit,& hominem peccato penè ſimili comprehenſum,de paradiſo volupta- tis in ærumnoſum immiſit exilium. Quantum putas tumultum in cœleſtibus efferbuiſſe palatijs,cùm mortifer ille vaſtator irreparabile diſſidium in illa cœ- leſti curia fabricauit,conuentum proſcidit Angelicum,& agmina ſtellantia ſe- cum traxit in mortem? Deſæuit tunc Omnipotentis indignatio,totaq; diuini- tatis dextera percuſſus eſt inimicus, & in perditionis deuolutus eſt abyſſum. Huic tam graui damno,tam grauiter vindicato, ſucceſſit & aliud. Peccauit nã que ille,qui huic reſarciendæ ruinæ fuerat ſubrogatus,propter quē omnia ſub- cœleſtia fuerant conſtituta. Peccante autem illo, multum ſplendoris ſidereis detractum eſt luminaribus,totamq; elementorum materiam infectio deploranda confudit. Nondum auerſus erat furor Domini,ſed adhuc manus eius extenta, & dexteram eius ſingulari vulnere fatigatam prouocauit in ſe fragilis, & lutoſa ſubſtantia,ſenſitq; reliquias fulminei furoris miſer homunculus,& perſonale de- lictum proſcripſit vniuerſos. Deturbatus igitur tumultibus frequentibus ratio- nabilium creaturarum,Dominus maieſtatis,& ſuper ſuis hoſtibus vindicatus,ca dentes Angelos cum deſperatione damnauit,& hominem caſtigauit in ſpe,præ- uidens quanta bona de illius peccato eſſet facturus. Et ob hoc forſitan angeli- cum peccatum in ſcripturis non inuenitur expreſſum, ne ſcripturæ mandare- tur,quod emendari non poterat. Requieuit ergo Deus, rationabili fine tantis malis impoſito. Sed rurſus tactus dolore cordis intrinſecus, & peccantium ho- minum enormitate grauatus,deleuit quem creauerat hominem,& diluuium in- habitare fecit; nec hoc contentus,ſuper Sodomam, & Gomorrham ignē pluit, & ſulphur, Aegyptios ſubmerſit in fluctibus, Iſraëlitarum cadauera proſtrauit in eremo,vbiq; turbulentioris Domini repræſentans imaginem. Ad extremum venit ipſe nube noſtræ carnis obtectus,& dolorum particeps,& laborum,didicit obedientiam ex his,quæ paſſus eſt.

Conſummata autem carnis ſuſceptione,eleuatus eſt in cœlū, & ſedet à dex- tris Dei; nec tamen ſedet ad plenum,quia aſſiſtit adhuc vultui Dei pro nobis. Erit autem ei tertia ſeſſio glorioſa, cùm bonos,& malos diuerſo fine, diuerſisq; clauſuris incluſerit. Sedebit in ſede maieſtatis ſuæ,cùm nos traxerit ad ſe, & erit Deus omnia in omnibus. Prima ſeſſio eſt gratiæ,qua gratis omnia fecit. Se cunda miſericordiæ,qua nos miſericorditer redemit. Tertia gloriæ, cùm nos glorificabit. Attende autem ſedentis gloriam,& excellentiam ſeſſionis,vbi nul la creatura conſedere præſumit. Seraphin,inquit,ſtabant,non ſedebant. Vidi Dominum,& vniuerſam militiam cœli aſſiſtentem ei (ait Propheta) aſſiſtentē dicit,non ſedentem. Millia millium miniſtrabant ei,& decies millies centena millia aſſiſtebant ei,Daniele teſtante. Omnes Angeli ſtabant in circuitu thro- ni, ait Euangeliſta. Et alibi: Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus populis, & linguis, ſtantes ante thronum. Sed & Virgo

ſingularis aſtat à dextris in veſtitu deaurato; Moyſes, vt videat tranſeuntem Dominum, ſtat in petra, & Elias ſtat in conſpectu Domini, & omnis creatura imperatoriæ maieſtati aſſiſtit. Solus ille tranſfuga ſpiritus, diſſenſionis principium, princeps malitiæ, malorum ſumma, voluit conſedere. Sedebo, inquit, in monte teſtamenti. Omnes ſtant, omnes miniſtrant, & tu, pacis inimice, ſedere præſumis? Ipſe Filius idem, quod Pater, ſedere neſcit, donec dicat ei Pater: Sede à dextris meis. Talem vidit eum Eſaias, & Dominatorem vniuerſæ terræ, & in aureo throno ſuæ diuinitatis ſedentem, in illa ſecunda ſeſſione, qua carnem noſtram cœlis inuexit.

Sequitur, Super ſolium excelſum. Excelſum ſolium, Angelicam naturam intellige, primam Omnipotentis creationem, & primaria dignitate præditam poteſtatem. Super hanc ſedet, & ſuperuehitur Filius Virginis, ſuſceptum hominẽ ordinibus prouehit Angelorum, quia etſi melior eſt natura, fortior eſt gratia, ſi magna dignitas, maior Dei voluntas, quam omni nexu naturæ ſummus ille Philoſophorum aſtruit altiorem. Eleuata eſt ergo magnificentia Dei non ſolùm ſuper cœlos, ſed & ſuper Angelos, quia tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit. Et plena erat maieſtate eius omnis terra. Ipſe Dominus Deus noſter, in vniuerſa terra iudicia eius, ait Pſalmiſta. Et quomodo nunc poſt hanc eius eleuationem aſſerit Propheta omnem terram maieſtate eius eſſe repletam? Sed cùm dicit, Plenam maieſtate, intelligit dicere maieſtatis cognitione, quam ante eius incarnationem aut nulli meruerunt, aut pauci. Sed nunc ab ortu Solis vſq; ad occaſum nomen Dei magnum prædicatur in gentibus; ſuntq; omnes docibiles Dei, quos eius vnctio docet de omnibus. Nam etſi in Iſraël magnum nomen eius, non tantùm iam vni angulo, ſed toti mundo notitia ſe diuinitatis infudit.

Sequitur, Et ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum. Templum accipe ciuitatem Dei viuentis, ſponſam eius, quæ non habet maculam, neq; rugam. Sub ipſo ſunt incarnatio, paſſio, mors, & omnis illa horariæ diſpenſationis moleſtia, quia reſurgens ex mortuis iam non moritur. Hæc ſunt, quæ replent Eccleſiam, quorum recordatio nobis annuas parit ſolennitates. Replebimur in bonis domus tuæ, ſanctum eſt templum tuum; quod tunc profectò mirabile eſt in æquitate, cũ Eccleſia perſonas nõ accipit, reſpuit munera, veritatẽ eligit, diligit rationem. Sequitur, Seraphin ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri. Duo Seraphin, Angelum, & hominem accipe. Qui incendentes, vel ardentes dicuntur, cùm ille ardeat præſentia, hic memoria.

Primùm de alis Angelorum videamus, & quali volitatione ferantur. Et quia nota eſt ſententia illa, quomodo caput, & pedes velent, & tantum media videantur, id eſt, quod fuit ante mundum, & quod poſt eum erit, his, quæ in præſentia ſunt, aliquantulum apparentibus, Ezechielem adducamus in medium, qui animalium alas hoc modo diſtinguit dicens: Duabus alis volabant, & duæ pennæ ſingulorum iungebantur, & duæ tegebant eorum corpora. Prima eorum ala eſt, dignitas ſuæ productionis. Tranſi parumper in arcanum huius intelligentiæ, & dignitatem huius conſidera creaturæ. Ipſa eſt principium viarum Dei, ait ſcriptura. Quãtum priuilegium, quòd illa cogitatio Altiſſimi in hoc primũ opus prorupit. Decebat profectò, vt ſingulari gloria præfulgeret, quod de manibus Dominantis primitiua creatione proceſſit. Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore, in delicijs Paradiſi Dei fuiſti: dicit Propheta. Non ſolùm ſimilitudo, ſed & ſignaculum ſimilitudinis, vt tantò ſubtiliùs imago Dei inſinuetur expreſſa, quantò differentiùs ſignaculum ſimilitudinem præcedit. Vbi autem plenitudo ſapientiæ, decoris perfectio, paradiſi deliciæ nominantur, tota ſimul iungitur beatitudo. Subdit autem ſcriptura, quod

ſuperexecilit,

ſuperexcellit,& quod totius eloquentiæ ſuperat facultatem ; Quem pretioſiorē fecit Deus. Hîc dictum eſt quicquid dici potuit.

Secunda ala, gratia eſt confirmationis. Hæc ala feliciori volatu laſſitudinem neſcit, per omnia ſimilis præcedenti, nec inferior. Cadentibus quippe præſumptuoſis, & iſtis in humilitate durantibus, incircunſcriptus ille Spiritus remanentes ſumma proſecutus eſt largitate, dans eis in munere, ne poſſent amplius aliqua labefactione corrumpi. Confirmati igitur, & de ſui ſtatus ſtabilitate ſecuri, lucidioris gratiæ ſubiere faſtigium. Seruiunt ergo illi, cui ſeruire, regnare eſt, & felici ſecuritate, & ſecura felicitate. His duabus alis volant Angeli, volatione vtiq; indefeſſa, & creati digniter, & fortiter confirmati.

Tertia ala eſt, ſingularis amor ſui Creatoris; & hæc quidem feliciſſima, ſubtilibusq; pennulis intertexta. Amant enim, & ardent, & deſiderant in eũ proſpicere; cuius amore feliciter incendunt. Quātò enim propiores, tantò feruentiores; & in lumē maieſtatis abſorpti indicibili modo & ſemp ardēt, & ſemp ſatiantur.

Quarta eſt, aſſidua viſio diuinitatis. Sed & hæc pēnis floridioribus interpicta. Quantæ dignitatis eſt, aſſiduè videre Deum? Et illi quidem ſpiritus, etiam cũ mittuntur, nõ fraudantur gloria viſionis, quia vbiq; occurrit diuinitatis eſſentia, quæ intus eſt omnia continendo, gubernando exteriùs. De his duabus ſcriptũ eſt: Duæ pennæ ſingulorum iungebantur, cùm ſingularis amor ex aſſidua viſione naſcatur, & aſſiduam viſionem ſingularis amor efficiat.

Quinta eſt, gaudiũ noſtræ redemptionis; & ipſa multiplici picturata varietate. Quis verborum copia comprehendat, quantum gaudium Deus homo virtutibus Angelicis ingenerauit, cùm & eorum collegam, qui ab eis exierat, ſed nõ erat ex eis, vexillo Crucis fruente confregit, & hominem perditum ad regna reuocauit cœleſtia? Nec mirum, quia videbant materiam repurgatam, de qua ſuperna illa ciuitas reædificatur, cuius participatio eius in idipſum.

Sexta eſt, reſtitutio ſupernæ ciuitatis. Sed & hæc picturis pulchrioribus colorata. Quid enim erit, cùm, illo terribili iudicio peracto, Dominus virtutum homines Angelis ſociabit, reſarciens damnum, redintegrans numerum, & vnumquenq; ordinem ex meritis hominibus ad ſummam reuehet numeralem? Tunc ſicut lætantium omnium habitatio erit in ciuitate Dei; quia varietate partium ordinata, nil erit ampliùs quod repugnet, vel quod à ſtatutis locis valeat elocari. De his duabus dicitur: Duæ tegebant corpora eorum: quia gaudium noſtræ redemptionis, & reſtitutio ſupernæ ciuitatis beatorum ſpirituum corpora contegunt, & reſarciunt, ne tam ruinoſa diminutio in illa ſuperiori gloria cognoſcatur. Et attendendum, quanta benignitas gratiæ genus humanum in iſtis adminiſtratorijs ſpiritibus accumulet, quia pugnant pro nobis, vt illud: Factũ eſt prælium magnum in cœlo: vincunt pro nobis, ſicut ibidem ſubiungitur: Nunc facta eſt victoria: gaudent pro nobis: Quia eſt gaudium Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente: flent pro nobis, ſicut ſcriptum eſt: Angeli pacis amarè flebunt. Hæ ſunt felices pennæ, quibus ille numeroſus ordo ſuperuolat, ſtans inirritabiliter, alacriter volans, & in æternitatem.

Sed iam redeundum eſt ad nos, & ſtylus ad noſtram retorquendus humanitatem, quos ab Angelico conſortio corporeæ voluptates, & iniquæ voluntates diuidunt, & abiungunt. Et licet in hanc degenerauimus vanitatem, portamus tamen imaginem Creatoris, quæ etſi obſcurari poteſt, nequit tamen deleri. Vniuerſa vanitas omnis homo viuens (ait iuſtus) ſed & in imagine pertranſit homo. Aſſignemus ergo ſex alas homini, etſi non tales, qualeſcunq; tamen. Prima hominis ala reuertentis ad Deum, amaritudo cordis eſt. In multis offendimus omnes, & non eſt numerus offenſionum noſtrarum. Sed cùm accedente, & accendēte gratia Dei cor noſtrũ, recogitamus oēs annos noſtros in amaritudine

animæ noſtræ, obſcuratam reclaramus imaginem, & in noſtrum principium reformamur. Sed quia corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, ſequitur ſecunda penna, confeſſio videlicet oris. Ante omnia confeſſio (dicit ſcriptura) nihil ꝙ Deo gratius eſt, quàm confiteri, & accuſare quod feciſti. Plena eſt omnis ſcriptura ſacra tantæ virtutis teſtimonio, cui tam veteris teſtamenti, quàm noui tota ſeruit auctoritas. Iſtæ ſiquidem duæ virtutes ſunt, quæ multiplicem cumulum ſcelerum noſtrorum ante Dei oculos abſcondunt. De his dicitur: Duæ tegebant eorum corpora. Beati enim, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. Imputauit, dixit, non fecit. Qui enim peccatum non fecerit non eſt, niſi vnus, & hic Filius Dei. Omne autem, quod ipſe nobis non imputare decreuerit, ſic eſt quaſi non fuerit. Tertia ala eſt ſpes. Hæc eſt, quæ fragiles animos erigit ad ſuperna, quæ tædium expectationis leuigat, quæ præſumit de miſericordia Iudicis, & in diuinæ pietatis obuerſatur palatio. Quarta eſt timor. Iſte eſt, qui ſubcutit carneam veſtem noſtram, oſſa penetrans, & ipſis ſe infundens medullis. Offer paululum oculis cordis imaginem Domini, & illius Domini, qui fecit cœlum, & terram, qui poteſtatem habet corpus, & animã mittere in gehennam, cuius patientiam prouocaſti, theſaurizans tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei. Cùm hæc intuitu diligentiori proſpexeris, timor, & tremor venient ſuper te, & formido mortis interiorem hominem validius interuertet. Quia igitur ſpes multùm præſumit, & timor diffidit nimis, vtrũque iungere nõ moreris, vt in commune faciant, quod diuiſa non poſſunt. Diſce ſic ſperare, vt timeas; ſic timere, vt ſperes. De his ſcriptum eſt: Duæ pennæ ſingulorum iungebantur. Quinta eſt humilitas. Prope eſt Dominus his, qui obtriuerunt cor, ait ſcriptura. Humilitas eſt mater virtutum, ſuperbia vitiorum regina. Hæc ſola virtus virtutum nutrix, quam ſolam in Virgine Matre reſpexit Altiſſimus; cuius, quandiu conuerſatus eſt in terris Filius Dei, & executor extitit, & magiſter. Diſcite à me, inquit, quia mitis ſum, & humilis corde. Sexta eſt charitas. Hæc eſt principium, & finis, bonorum clauſula, ſingularis filia ſummi Regis. Superfluum eſt eam verbis prolixioribus commendare, cui alludit tã ſecularium, quàm diuinarum literarum tota facundia. De his dicitur: Duabus alis volabant. His geminis alis illi pennati euolant ad ſuperna, de quibus dicitur: Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum. Quòd ſi iſtis volauerimus, nec defecerimus, quandoq; etiam pennis Angelorum volabimus, & videbimus illum in decore ſuo, qui eſt Deus benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

SERMO DE SANCTO LVCA EVANGELISTA.

Quia per Euangelium, dilectiſſimi, de tenebris ad lucem reductus eſt mundus, meritò Euangeliſtarum gloriam celebrat populus Chriſtianus. Sed inter cæteros beatus Lucas, cui præſens famulaturus eſt ſermo, dum gemina ſtyli ſpecie & Euangelicam, & Apoſtolicam contexit hiſtóriam, tãquam diuerſis agrum Eccleſiæ frugibus ditat, vnde videlicet populus eſuriẽs viuat. Hæ planè ſunt fruges, quas Ioſeph fratribus contulit; hæc pecunia, quam in ore ſacci præcepit imponi. Hæc pecunia nunc in Eccleſiæ menſa proponitur, vt vſum poſtmodum à negociatoribus requiratur. Sed & Beniamin hoc etiam præ cæteris additur, vt in ſaccó eius etiam ſcyphus cum pecunia reponatur. Quem enim Ioſeph per myſterium indicat, niſi Redemptorem noſtrum, quem ſuo iam tunc ille myſterio præfigurabat? Ait enim ſcriptura: Quia vertit nomen illius Pharao, & vocauit eum lingua Aegyptiaca Saluatorem mundi. Quid per fratres, niſi ſancti deſignantur Apoſtoli? Quid per Beniamin, niſi Paulus, qui de tribu Beniamin originem duxit? Omnes ergo fratres fruges prædicationis accipiunt, quas ſerere per mundum debeant, & pecuniam, quam ad vſuræ lucrum in menſa proponant. Soli verò Beniamin etiam ſcyphus 1 adijcitur, vt per Paulum, quem ille ſignabat, non tabernaculi cyathus Gentibus, ſed amplũ, & patulum Verbi poculum propinetur. Hinc eſt enim quòd ait: Os noſtrum patet ad vos, ò Corinthij, cor noſtrum dilatatum eſt, non anguſtamini in nobis. Ac ſi dicat: Quia me vobis Verbi potum per vberem ſcyphum largè videtis afferre, & vos ſitibundi cordis ad hauriendum ora laxate, vt decurrens vnda non inaniter fluat, ſed capacia vaſa, in quæ transfundatur, inueniat. De quo videlicet potu per Eſaiã Dominus dicit: Glorificabit me beſtia agri, dracones, & ſtrutiones, quia dedi in deſerto aquas, flumina in inuio, vt darem potum populo meo, electo meo. Quid enim beſtia deſignat agri, niſi gentilitatem vtriq; rationis expertem? Quid per dracones, niſi malitioſi? Quid verò per ſtrutiones, qui pennati ſunt, ſed volare nequeunt, niſi hypocritæ figurantur? Hæ ergo beſtiæ Deum glorificant, dum Chriſtus gẽtili populo, qui deſertus erat, & inuius, exuberantis Euangelij verba propinat.

1 Hunc Pauli ſcyphũ frangere nitũtur hæretici, & purũ ei⁹ merum fœdiſſimis inquinare laticibus, & pſertim lutulentus Lutherus luto ſuo illũ contaminat, agitq; vt dum nõ potat ipſe, alij quoq; abſterreãtur.

Scyphus itaq; Euãgelicæ prædicationis, in Beniamin datus eſt Paulo, vt ipſe deſertũ gẽtilitatis ſpecialiter excolat, & ariditates eius largo ſanctæ pdicationis imbre perfundat. De quo ſcilicet imbre ſcriptũ eſt: Qui operit cœlũ nubibus, & parat terræ pluuiam. Vnde & ipſe Paulus, qui ſe Apoſtolum, & magiſtrum gẽ

tium eſſe teſtatur, ait ad Galatas: Cùm vidiſſent quòd creditum eſt mihi Euangelium præputij, ſicut & Petro circuncisionis. Qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circuncisionis, operatus eſt & mihi inter Gentes. Vbi notandum, quanta beati Pauli dignitas, quanta ſit gloria. Nimirum qui beatum Petrum, & cæteros Apoſtolos adhuc paſſibiles, ac mortales edocuit, ipſe Paulum iam glorificatus, & ſuper Angelos exaltatus inſtruxit. Magiſter Apoſtolorum extitit Chriſtus, cùm hominum ſubiaceret iniurijs; Paulum docere nō dedignatus eſt, cùm iam Virtutum cœleſtium vallaretur obſequijs. Cum alijs degebat Apoſtolis, dum noſtræ mortalitatis adhuc infirma perferret; Paulum ſibi familiarem fecit, cùm, calcato, ac potenter euerſo mortis imperio, paternæ maieſtatis ſolio præſideret. Hinc eſt quod ait: Notum vobis facio, fratres, Euangelium, quod euangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundùm hominem; neq; enim ego ab homine accepi illud, neq; didici, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti. Ideoq; licet ſancti Apoſtoli per corporales obtutus cuncta Saluatoris noſtri geſta perſpexerint, in nullo tamen beati Pauli præceſſere notitiam, dum idem hunc de cœlo Magiſter inſtruxit, qui ante cum illis in terra corporaliter habitauit. Vnde eſt, quòd ad Corinthios per interrogationem dicit: Non ſum Apoſtolus? Non'ne Ieſum Dominum noſtrum vidi? Non'ne opus meum vos eſtis in Domino? Deo itaq; reuelante, ad tantam peruenit ſcientiæ plenitudinem, atq; ita perductus eſt in omnem Euangelicæ regulæ veritatem, vt cùm omnes ſupereſſent, Apoſtolorum magiſterio 2 non egeret. Hinc eſt, quòd ad Galatas dicit: Cùm autē placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret Filium ſuum in me, vt euangelizarem illum Gentibus, continuò nō acquieui carni, & ſanguini, neq; veni Hieroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos. Quando autem ierit, aperuit cùm ſubiungit: Deinde poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum. Videre, non diſcere.

2 Non egebat alieno magiſterio Paulus à Chriſto edoctus. Hoc tñ peculiare in illo fuit. Quod verò ob gratiā alicui cōceſſū eſt, trahi non debet ab alijs in exēplū, vt habetur in 6. de Regu. Iu. Nā omnium magiſter eſt Petrus.

Sed dicat aliquis: Hic ſermo non Lucam Euangeliſtam, ſicut promiſerat, loquitur, ſed in Pauli Apoſtoli diſputatione verſatur. Verum planè, nec poſſumus diffiteri. Sed cùm beatus Lucas eiuſdem Apoſtoli indiuiduus comes extiterit, atq; ab eo didicerit omne quod ſcripſit, vbi dignitatem præceptoris exprimimus, alumni quoq; præconium non tacemus. Et doctoris laus redundat in diſcipulum, dum Euangelicæ veritatis hiſtoriam, quam ille diuinitus didicit, hic ex eius ore percipiens, fideliter apicibus exarauit. Quantæ ergo dignitatis, quātæq; ſit excellentiæ beatus Lucas, in hoc liquidò deprehenditur, quia cùm Marcus à beato Petro edoctus, & Matthæus, atq; Ioannes, qui Euangelium deſcripſerunt, Redemptoris noſtri geſta in terra didicerint, iſte ſolus (vt ita loquar) hoc Euangelium ſcribere meruit, quod de cœlo deſcendit, dum ſcilicet hoc Spiritus ſanctus Paulo cœlitus reuelauit, & poſtmodum per eundem Paulum, quaſi per organum ſuum, beato Lucæ Chriſtus innotuit. Hinc eſt, quod ipſe Paulus ait: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus? De cœlo ergo Chriſtus in Paulum geſtorum ſuorum ſacramenta pfudit, eademq; per Paulum in Lucam, velut aurea fiſtula mediante, transfudit; vt huic beato viro non immeritò congruere videatur quod per Eſaiam dicitur: Primus ad Sion dicit, Ecce adſum, & Hieruſalem Euangeliſtam dabo. Ideoq; non caſu, ſed Spiritus ſancti magiſterio factum eſt, vt beatus Matthæus, quia conuerſatus in terra Domino Euangelium didicit, quadraginta generationes enumerando deſcendat. Per quadragenarium quippe numerum labor exprimitur, quo videlicet Chriſtus in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, p diuerſa vitæ huius tēpora fatigat. Hinc eſt, quòd Moyſes, & Elias p quadraginta dies cōtinuauere ieiunium. Sed & ipſe Dñs ſub eodē numero abſtinuit à perceptione ciborū. Per Moyſem itaq; lex, per Eliā prophetia, p Chriſtū verò noui teſtamēti pariter intelligitur gratia.

Per afflictionem ergo legis, prophetiæ, ſimul & gratiæ, labor innuitur vniuerſalis Eccleſiæ per vniuerſa mortalis huius vitæ ſecula fatigatæ. Hinc eſt, quòd filij Iſraël ærumnis, atq; laboribus diutinæ peregrinationis attriti, poſt quadraginta annos terram ſunt promiſſionis ingreſſi, quia videlicet omnes electi poſt emenſum huius peregrinationis excurſum, mox hæreditario iure terram viuentium poſſidebunt.

Per numerum ergo, quem Matthæus ordinat, ſuſceptio laborioſæ mortalitàtis noſtræ; per illum verò, quem Lucas poſuit, indubitanter exprimitur myſterium noſtræ redemptionis. Per illum ſimiliter numerum edocemur, quia Chriſtus iuxta Prophetiam peccata noſtra ipſe portauit; per iſtum verò conſequenter addiſcimus, quia ſecundùm Apoſtolum omnia nobis delicta donauit. Ipſe quippe eſt Agnus, qui oblatus eſt, quia ipſe voluit; ipſe eſt, q & abſtulit peccata mundi. Septuagenarius quippe ſeptimus numerus, quem Lucas poſuit, remiſſionem ſignificat peccatorum, ſicut ipſe Dominus innuit, cùm Petro quærenti, quotiens eſſent dimittenda fratri peccata, reſpondit: Dico tibi, non tantùm ſepties, ſed vſq; ſeptuagies ſepties. Nec mirũ ſi per hũc numerũ, qui ab vndenario, & denario naſcitur, humanæ prauitatis abolitio deſignatur. Vndenarius quippe numerus ſi ſepties multiplicatur, profectò ſeptuaginta ſeptem ſumma completur. Sed denarius, qui perfectus eſt numerus, decalogum ſignat. Per vndenarium verò, qui hunc tranſgreditur, quid niſi legalis transgreſſio figuratur?

Cùm ergo in tota illa ſumma legis, ſimul & tranſgreſſionis, vterq; numerus cõprehendatur, quid mirum, ſi per eam ſcelerum remiſſio deſignetur? Septenarius planè numerus, qui ſupra Dominum in columba deſcendit, noſtræ prauitatis vndenarium aboleuit. De quo ſcilicet chariſmatum numero per Eſaiam dicitur: Requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & implebit eum ſpiritus timoris Domini. Vnde beatus Lucas, vt expiari nos à noſtris ſceleribus per aduentum noſtri Saluatoris oſtendat, non ab Euangelicæ narrationis exordio, ſed à baptiſmo duntaxat, Chriſti cognationis ordinem inchoat. Quod etiam in libro Geneſeos euidenter oſtenditur, vbi Lamech vxoribus ſuis dixiſſe narratur: Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech verò ſeptuagies ſepties. Vltio quippe de Lamech ſeptuagies ſepties danda dicitur, quia ſeptuaginta ſeptem homines de fœmoribus eius perhibentur egreſſi, ac poſtmodum diluuio vorante referuntur abſorpti. Sed quia Lamech Percutiens, ſiue percuſſus exprimitur, quid per hunc niſi primus parens humani generis figuratur, qui nimirum peccati telum, quo primus ipſe percuſſus interijt, vniuerſo quoq; generi ſucceſſuræ poſteritatis infixit? De hoc ergo Lamech ſeptuagies ſepties vltio data eſt, quia peccatum, quod primus homo contraxit, per ſeptuaginta ſeptem generationes in humano genere viguit. Vſq; ad Chriſtum ſiquidem peccatum originale permanſit, quod ipſe per baptiſmi ſui (vnde Lucas incipit) ſacramenta deleuit. Vbi videlicet de illo dicitur: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Redemptionis ergo noſtræ materiam vterq; ſanctus Euangeliſta ſic inuicem diuidunt, & narrationis partem ſibi quiſq; congruam ſumunt, vt Matthæus per generationum lineam deſcendendo, Chriſtum ad nos peccatores de cœlis adueniſſe perhibeat, Lucas autem à ſacramento baptiſmatis ad Patrem vſq; conſcendens, traxiſſe nos ſecum ad cœleſtem gloriam peccatorum ſordibus ablutos oſtendat. Ille ſiquidem aſtruit Chriſtum ad terram miſericorditer deſcendentem; iſte fatetur eum nos ad cœleſtia ſubleuantem. Oſtendit ille paſtorem nonaginta nouem oues in deſerti paſcuis relinquentem; docet iſte quam perdiderat ouem ſcapulis impoſitam ad ouile proprium reuocantem. Ille perhibet deſcendiſſe medicum ad ægrotos; fatetur iſte ad incolumitatis æternæ gaudia

ſecum nos reduxiſſe ſanatos. Oſtendit ille ſolum vnigenitum à Patre ad nos miſſum; docet iſte quoniam ad cœleſtem patriam multitudinem tranſtulit electorum. Porrò vtriuſq; Euangeliſtæ intentionem vnà beatus Paulus comprehendit, dicens: Miſit Deus Filium ſuum in ſimilitudine carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne. Nã cùm dicit: Miſit Deus filium ſuum in ſimilitudine carnis peccati: oſtendit ſuſceptionem mortalitatis noſtræ, quam Matthæus apertè declarat, cùm ab Abraham deſcendendo, quadraginta generationes enumerat. Cùm verò ſubiungit: Et de peccato damnauit peccatum in carne: abolitionem perhibet peccatorum, quam Lucas indubitanter exprimit, cùm ſeptuaginta ſeptem cognationum lineam texit. Quam videlicet vtranque ſententiam idem Paulus vno alibi verſiculo complexus eſt, dicens: Ieſus Chriſtus traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Deſcendit enim Chriſtus vt nos à peccatis eriperet, ſurrexit autem, vt candore iuſtitiæ nitidos exhiberet.

3

Beatus Lucas nõ ab re in ſacerdotio, & his, q̃ ad hoc ipſũ ſpectant officiũ, tam multus, ac frequens eſt, vt ſacerdotij dignitatẽ agnoſcas, quàm q; gradus iſte ab alijs ſit dirimendus. Quẽ tñ hæretici perfricta fronte promiſcuè aſcribere omnibus nõ verentur.

Quæ nimirum vtriuſq; beati Euangeliſtæ diuerſitas etiam in hoc euidenter oſtenditur, quia Matthæus per Salomonem, in cuius matre Dauid per adulterium corruit, Dominicæ generationis lineam deſcendendo producit; Lucas autẽ per Nathan aſcendit, per cuius videlicet æquiuocum Prophetam hoc ipſum eiuſdem Dauid peccatum Dominus expiauit, & ſic quaſi lapſum miſeratus erexit. Ille itaq; docet, Dei Filium ad nos humiliter inclinatum; iſte pronunciat nobiſcum ſimul cum triumphali gloria cœlitus exaltatum. Deſcendit enim Chriſtus ad iacentes, vt eos ſecũ proueheret in aſtra victores. Vnde non ſine diuino factum præſagio creditur, quòd beatus hic Euangeliſta tali vocabulo nuncupatur. Lucas enim Hebraicè Ipſe conſurgens, ſiue eleuans, vertitur in Latinum. Hoc igitur in proprio nomine prætulit, quod ipſe poſtmodum de Saluatore conſcripſit. Redemptor enim noſter & ipſe de morte ſurrexit, & nos ad cœleſtia viuentes de mortuis eleuauit. Vnde & per Apoſtolum dicitur: Qui nos conreſuſcitauit, & conſedere fecit ſecum in cœleſtibus. Ipſe itaq; principaliter conſurgens, ſiue eleuans dicitur, quoniam ad hoc de morte ſurrexit, vt nos in morte proſtratos erigeret; ad hoc aſcendit in cœlum, vt ſecum nos ad cœleſtia ſubleuaret. Quod igitur beatus Lucas de Chriſto ſcribendo perhibuit, hoc quaſi propheticè proprio non ſine deſignauit. Et hoc magnum certè myſterium, quòd beatus Lucas à baptiſmo Saluatoris incipit, & vſq; ad Deum Patrem generationum lineam aſcendendo producit. Per lauachrum quippe ſancti baptiſmatis à peccatis abluimur, & ſic Deo Patri per Mediatorem Dei & hominũ reconciliamur. In baptiſmo itaq; eſt noſtræ aſcenſionis initium, & ſic ad Deum à viuentibus peruenitur per boni operis incrementum.

4

Tria cantica in Eccleſia decantanda beat⁹ Lucas inſtituit. Quorſum ergo Eccleſiæ cantilenas, & organa carpunt hæretici, & ore importuno laceſſunt?

Nec prætereundum, quia cùm Redemptor noſter verus vtiq; ſit Rex, & ſacerdos, ſicut beatus Matthæus regiam eius texuit deſcribendo progeniem, ſic è diuerſo Lucas ſacerdotalem indicat per omnem textum ſui voluminis dignitatẽ. In ſacerdotali quippe plerunq; verſatur officio, & dum diuerſa Dominici operis geſta percurrit, ab his tamen, quæ ad ſacerdotium pertinent, non recedit. Modò enim ſacerdoti delegatum narrat officium, modò progeniem, modò viſum, modò ſacrificium, modò nominat templum, & cùm plurima intra ſacræ hiſtoriæ ſeriem comprehendat, in intentione tamen, qua cœperat, proſequendi ſacerdotij 3 perſeuerat. Nam in ipſo ſuæ narrationis initio ſic exorſus eſt, dicens: Fuit in diebus Herodis Regis Iudææ ſacerdos quidam, nomine Zacharias, de vice Abia, & vxor illius de filiabus Aaron. Deinde ipſum ſacerdotem ad adolendum ante altare ſacrificium ſtatuit. Poſtmodum quoq; ad eiuſdem ſacerdotis domum Mariam Virginem dirigit. Tria quoq; 4 cantica in Eccleſia cantanda deſcribit (quod nullũ Euangeliſtarũ præter eum feciſſe reperitur

vnum ſcilicet Zachariæ, ſecundum Mariæ, tertium Symeonis. Quadrageſimo verò die, poſtquam natus eſt, Dominum cum muneribus in templo narrat oblatum. Deinde duodennem in eodem templo inter doctores conſtituit reſidentem. Parentes quoque Domini narrat per ſingulos annos in ſolennitate Paſchali orationis gratia Hieruſalem aſcendere ſolitos. Poſtremò Euangelium ſuum hoc fine concludit, vt dicat: Ipſi adorantes regreſſi ſunt in Hieruſalem, cum gaudio magno, & erant ſemper in templo laudantes, & benedicentes Deum.

Vnde fit, vt beatus Lucas vituli ſpeciem teneat, ſicut & Ezechiel Propheta, & Ioannes Euangeliſta ſe vidiſſe pronunciant. Vitulus ſiquidem in templo ſolebat offerri. Et benè vitulus, quia ſacræ linguæ vomere cordis noſtri arua proſulcat, eaque Euangelici ſeminis iactu vitali fruge fœcundat. Vel certè idcirco beatus Lucas vituli prætendit imaginem, quia dum Euangelicam, atque Apoſtolicam deſcribit hiſtoriam, hoſtes Chriſti, atque aduerſarios veræ fidei, tanquam duobus cornibus ventilat, eosque, ne arcam catholicæ Eccleſiæ depopulentur, expugnat. His autem cornibus præmunitur, quibus & Iudæos feriat non credentes, & hæreticos hinc inde concludat à regula veræ fidei declinantes. Scripſit itaque beatus Lucas Apoſtolorum labores, & actus, quibus & ipſe collaborator interfuit. Scripſit & Euangelium, quod quaſi ſignatum magni theſauri pondus de cœlo percepit. Cui videlicet illud Eſaiæ vaticinium congruenter aptatur, quo dicitur: Et erit vobis viſio omnium, ſicut verba libri ſignati, quem cùm dederint ſcienti literas, dicent: Lege iſtum: & reſpondet: Non poſſum, ſignatum eſt enim. Quis eſt enim liber ille ſignatus, niſi ſanctum Euangelium myſticis figurarum ſententijs obuolutum, & ab humanæ mentis intelligentia procul arcana quadam profunditate ſ remotum? Hic profectò liber ille eſt, de quo Ioannes ait: Vidi in dextera ſedentis ſupra thronum librum ſcriptum intus, & foris, ſignatum ſigillis ſeptem. Quæ ſunt autem ſigilla, quibus liber Euangelicus obſignatus dicitur, niſi ſeptem illa ſacramenta, quibus vtique totus ordo Dominicæ diſpenſationis impletur, videlicet incarnatio Domini, natiuitas, paſſio, reſurrectio, ad cœlos aſcenſio, deinde iudicium, poſtremò regnum? His itaque ſigillis liber Euangelicus ita ſignatus eſt, vt niſi eum Chriſtus aperuiſſet, cuilibet omnino patere non poſſet. Vnde ſubiungitur: Ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius. In actibus verò Apoſtolorum dum quaſi nudam narrat hiſtoriam, quodammodo naſcentis Eccleſiæ teneram lactat infantiam.

ſ Noſtro autē tpe apud hæreticos vel mulierculæ, & agaſones iactant Euangeliū, & Paulū; ac oēs eſſe magiſtri volunt, cū ne apicē quidē norint; & qlibet reſignare ſe poſſe ſigilla gloriatur.

Sed, ſi diligenter attendimus, quia medicus eſt ille, qui ſcribit, nil aliud in illa reperimus hiſtoria, niſi duntaxat animarum languentium medicinam. Humanæ quippe conuerſationi quaſi quandam rectitudinis lineam tendit, & per eam nos quaſi ſemitam dirigit, vt ſicut primitiuam Eccleſiam vixiſſe perpendimus, in quantum facultas ſuppetit & ipſi viuere ſtudeamus, quatenus eadem puritas, quæ de origine fontis emanat, etiam per decliuia nihilominus poſtrema decurrat, & qualis oriendo progreditur, talis in fine ſeruetur. Vnus eſt enim ipſe de quatuor fluminibus Paradiſi, qui videlicet vberibus doctrinæ ſuæ fluentis vniuerſam mundi latitudinem irrigauit. De quibus videlicet aquis per Eſaiam dicitur: Sciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrētes in ſolitudine, & quæ erat arida in ſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum.

Recurramus itaque, dilectiſſimi, ad innocentiam primitiuæ Eccleſiæ, vt diſcamus & poſſeſſa relinquere, & in regiæ paupertatis ſimplicitate gaudere. Non ad ima nos terrenæ ſubſtantiæ pondus deprimat, quos ad ſupernæ Hieruſalem gloriam Rex cœleſtis inuitat. Non nos ab hoc itinere carnalis illecebræ retrahat lenocinium, quibus vtique per præcedentis noſtri Redemptoris introitū patet aula cœlorum. Nam dū generationis eius ordo ab humilitate baptiſmatis

ad Patrem vſq; producitur, liquet proculdubio, quia patriæ cœleſtis ingreſſum ſe ſequentibus pollicetur; & quo prior introiuit, ſibi miniſtrantibus viam ſtrauit. Volo, inquit, Pater, vt vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus: vt nimirũ ad caput ſe membra colligant, & (ſicut eodem ſpondente promittitur) vbi fuerit corpus, & aquilæ congregentur. Adeamus ergo cum fiducia thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Nam (ſicut idem dicit Apoſtolus) talem habemus Pontificem, qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in cœlis, ſanctorũ miniſter, & veri tabernaculi, quod fixit Deus, & non homo. Illuc itaq; ſe iam noſter ſpiritus dirigat, illuc diruptis terrenæ concupiſcentiæ vinculis æſtuanter euolare contendat, & vbi caput eminere conſiderat, ſe quoq; ſecuturum eſſe confidat. De quo videlicet dicitur: Non in manufacta ſancta Ieſus introiuit exemplaria verorum, ſed in ipſum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Illic ergo habemus Pontificem, qui iuſtificet 6 peccatores. Illic habemus Regem, qui coronet poſt victoriam triumphantes; qui nimirum ad hoc dignatus eſt de ſummis ad ima noſtra deſcendere, vt nos ſecum ab infimis ad propria ſubleuaret, Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui cum Deo Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

6 Iuſtificat Chriſtus homines illum ſequentes p fidem, & opera, non qui fatentur ſe noſſe Deum, factis autẽ negant.

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

SERMO IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

HOdie dies ſerenior arriſit nobis,& Sol ſolito lucidior terris illuxit. Non enim vnus, ſed vniuerſi ſancti 1 ſanctificant eam,& ſplendoribus irradiant luminoſis. Spectabilis illa cœlorum ſolennitas,quæ non annuis, ſed continuis gaudijs inclareſcit; vbi lumen videtur in lumine,& ipſius Trinitatis ſubſtantia beatis oculis, oculo ad oculum aperitur. Ibi cognoſcitur Gignentis,Geniti'q;, & Procedentis ratio ſempiterna,quæ hîc credi poteſt,comprehendi non poteſt. Illic Regina 2 virginum virginibus innumeris comitata,manſiones perambulat Angelorum,& vtriſq; naturis gloriam eius admirantibus dicit: Quid me admiramini? Diuinum eſt myſterium hoc, quod cernitis,diuinum profectò,non humanum, nec humanis vnquam rationibus comprehenſum. Ibi numeroſus Angelorum exercitus ſacratis diuiſionibus inſplendeſcit,& volitatorio delectatus obſequio, non velat, ſed reuelat Domini maieſtatem. Illic Patriarcharum electio primitiua, reuerenda ſocietas Prophetarum,glorioſus Apoſtolorum chorus,purpurea Martyrum multitudo, congregatio florida Confeſſorum, candida Virginum turma, Monachorum numerus infinitus. Sedet in medio Dominus virtutum,& de refuſione gloriæ ſuæ inebriat intuentes. Inebriabuntur nanq;, ait Propheta, ab vbertate domus tuæ. Ibi pax ſecura,requies voluptuoſa,vita perpetua, ſapientia mentis,agilitas corporis,cordis illuminatio. Beati qui habitant in domo tua, Domine. Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te,ciuitas Dei: & in plateis tuis vox exultationis dulcioribus modulis intonatur? Quare triſtis es,anima mea? & quare conturbas me? Spera in Deo,quoniam adhuc confitebor illi. Cōfitebor illi,ibi; nam hîc ſtadium,illic præmium; hîc pugna,ibi corona. Vanum eſt ante lucem ſurgere. Indurandus eſt animus,& à blandimentis 3 voluptatum procul abſtrahendus,& vtriuſq; ſubſtantiæ materia repurganda,ſi ad proprios ortus volumus euolare. Amanda eſt interim tenuitas paupertatis, ſermo ſuſpendendus amarior,elatio fugienda,ſuſtinendi labores,cum vitijs congrediendum,eliminandæ diuitiæ ſeculares.

1 Feſtiuiſtas omniū Sanctorum celebris.

2 Nota hūc locum contra eos,qui dicūt animas ſanctorū nō eſſe in cœlo.

3 Vides quòd viriliter nobis agendū eſt,& nō otioſè degēdum, ſi volumus ad cœleſte regnum peruenire?.

Hoc eſt,quod ille pauper,& vnicus,in hodierna ſancti Euāgelij lectione pauperibus,quos de mundi paupertate vocauerat,ait: Beati pauperes ſpiritu. Hæ ſunt octo,immò ſeptē beatudines,quia octaua eadē quæ & prima. Feliciſſimi

gradus, quibus itur ad Dominum, quos omnes in perſona ſua prius aſcendit. Qui aſcendit in montem, & aperuit os ſuum, vt doceret Diſcipulos ſuos. Denique quis pauperior illo, qui non habuit vbi caput ſuum reclinaret? Quis illo mitior, qui mitis eſt, & humilis corde? Qui, videns ciuitatem fleuit ſuper illam, fleuit Lazarum, iuſtitiam docuit, iuſtitiam fecit, in cuius ore non eſt inuentus dolus? Quis illo miſericordior, qui mulierem adulteram liberauit? Peccatricem ſanauit ſeptem dæmonibus cumulatam? Quis mundior illo, qui peccatum non fecit? Pacificare venit & quæ in cœlis, & quæ in terris; pacem reliquit Diſcipulis ſuis; perſecutionem pro iuſtitia paſſus eſt, flagellatus in carne, ſuſpenſus in Cruce, morte turpatus. Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. Canta ergo canticum graduum, & gradatim aſcende, nec præpropero ſaltu aliquem prætermittas, quia qui offenderit in vno, factus eſt omnium reus.

Sis ergo pauper ſpiritu, nec putes hunc primum gradum leuiter attingendũ, cùm multæ ſolicitudinis ſit, mundum, & mundana relinquere, & à conſuetudinario curſu cor, corpus, & ſtudium reuocare. Qui enim pauper eſt ſpiritu, vilitate gaudet, humilitatẽ amplectitur, deſideria terrena conculcat. Sed quia illa paupertas execrabilis eſt, quæ regio ſpiritu intumeſcens diſcordias ſeminat, inſeruit litibus, detractorijs ſermonibus iucundatur, euolandum eſt ad ſecundi gradus ſublimitatem, vt ſis mitis. Mitis eſt, qui nulli reddit malum pro malo. Læſus veniam petit, & benefacit lædentibus. Nec plenam iactet victoriam, quiſquis huc fortaſſis aſcendit, cùm ſit omni lachrymarum fonte plangendum, quòd tandiu luto, & lateri ſub Pharaonis ſeruierimus poteſtate; & ideo Beati, qui lugent. Luctus autem ſanctorum non eſt de diminutione rerum, de corporum infirmitate, de ferocitate ſublimioris poteſtatis; lugent enim peccata vel propria, vel aliena, ruinam mundi, detrimentum fidei, contemptum iuſtitiæ, abundantiam iniquitatis, dilationem Regni. Nec hîc conſummationis terminus imponendus, cùm perfecta iuſtitia ſit diligere proximum, ſicut ſe ipſũ, & eius exceſſus libera diſcretione, & diſcreta redarguere libertate. Qui enim pro perſona, quam gerit, non reſiſtit peccantibus, de ſuo ſe nouerit ſilentio eſſe damnandum. Eſurit ergo, & ſitit iuſtitiam, qui vitia deſtruit, conſtruit virtutes, ſobrius ſibi, iuſtus proximo, pius Deo. Cuius animam vrit zelus domus Dei; qui cantat cum iuſto: Tabeſcere me fecit zelus tuus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei. Sed quia ſecundùm vocem Oratoris, plerunque ſummum ius malitia eſt, & inconſiderata iuſtitia præcipitium parturit; ideo ſequitur: Beati miſericordes. Miſericordia eſt ſpecioſum humanæ naturæ ornamentum, cuius expers malè degenerat, & hominem diffitetur. Eſt autem vera miſericordia, cùm ſuperexaltatur miſericordia iudicio, cũ vel largitate ſubſtantiæ, vel bona voluntate, vel doctrina verbi, vel exemplo facti, proximi corpus, & animam refouemus. Cùm autem iam à claritate in claritatem ſic cœperimus ambulare, à claritate cordis noſtri ad clarificandum cor proximi, mundandi ſumus ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, ab omni huius mundi aſperſione parẽ, preſsè abſtergendi, ſicut ſubiungitur: Beati mundo corde. Quis gloriabitur, caſtum ſe habere cor? Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile. Quis cognoſcet illud? Difficile eſt illud mundare, cùm in ſuis abditis deliteſcens, irruentium recipiat agmina cogitationũ, plurimùm etiã renitentibus nobis, ſed nequaquã obniti valentibus. Ille igitur mundũ cor habet, qui vtriuſque hominis motibus mitigatis, paſſiones nõ modò reprimit, ſed ignorat, naturali curſu bonorũ operũ communitus, crucifixus mundo, & cui crucifixus eſt mundus. Pauci aũt, quibus ſe infuderit tantæ gratiæ plenitudo. Quicunque aũt illi ſunt, iã ſunt prope palmam ſupernæ vocationis, ſi pace, qua refecti ſunt,

pacificare ſtudeant diſſidentes,& dicere cum Propheta : Cum his,qui oderunt pacem,eram pacificus . Idcirco ſubinfertur : Beati pacifici : non ſolùm pacati, ſed pacifici,facientes pacē,concordiæ ſemina ſeminantes . Sed quia ſæpius vel adulatione potentium,vel amore temporalium , iuſtitiam aut dimittimus, aut non defendimus dimiſſam , ad metam curſus porrigenda eſt dextera, vt pro iuſtitia nō ſolū noſtra,ſed & alterius,perſecutionē patiamur, & reſiſtamus vſq; ad ſanguinem,vel vſq; ad mortem. Et hoc eſt,quod ſubſequitur : Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. Poſt hæc autem quid? Hîc adhæremus Domino,& vnus cum eo ſpiritus efficimur . Hîc dirumpitur nubes, & tranſit oratio . Hîc reuelata facie gloriam Domini ſpeculamur . Hîc dulcedo ſpiritus, cordis ſuauitas,iubilatio mentis . Beatus populus , qui ſcit iubilationem .

Videamus,ſi fortè aliqua ſermonis conſequentia beatitudines iſtas ſeptem donis ſancti Spiritus poſſimus aſſignare. Paupertatem ſpiritus generat timor Dei, qui pungit animam,& ſanguinem elicit,& cogit nos quærere medicinam. A timore tuo,Domine,concepimus,& parturiuimus , ſpiritum ſalutis fecimus ſuper terram,hoc eſt ſpiritum paupertatis:dicit Eſaias Propheta , immò per Eſaiam Dominus. Hic facit nos mundana vel relinquere,vel non concupiſcere , clauus clauum expellens,& pertingens vſq; ad diuiſionem animæ,& ſpiritus. Pietas autem mites facit, dum nos dulciori ſpiritu ſuperfuſos, ad manſuetudinis thalamum introducit . Qui enim efferati ſunt ſuperbia,ſublimes in oculis ſuis, ardētes inuidia,inuicem mordentes,& inuicem conſumpti,quomodo mitigatoria poſſunt indui pietate ? Porrò ſcientia luctum parit . Scimus enim quia ſingularis ſcientia eſt,recogitare annos noſtros in amaritudine animæ noſtræ,& multiplicibus lachrymarum riuulis propria deflere delicta . De fortitudine verò naſcitur fames,& ſitis iuſtitiæ,cùm virium ſit non paucarum,pro libertate iuſtitiæ mori, ne dum loqui,& vbi Deus in cauſa eſt,nec allici blanditijs,nec terrore moueri . Conſilium autem miſericordiam parit,cùm ſumma totius conſilij ſit conſulere omnibus,& infirmitates tam animarum,quàm corporum benigna manu miſericordiæ ſubleuare. Munditia cordis ab intellectus puritate deſcendit,qui cordis receptacula purgat,& latebroſos eius affectus acutiſſima circunſpectionis falce ſuccidit . Porrò pacificus ab ipſius Sapientiæ naſcitur ſummitate,conformis illi Sapientiæ,quæ pretio ſanguinis ſui & terram pacificauit,& cœlum .

Fortaſſis etiam,ſi diligentiùs perſcrutemur,ſeptem petitionibus,quæ in oratione Dominica continentur,eas iterum concathenare poterimus . Illi etenim de timore Domini paupertatem ſpiritus amplectuntur , qui volunt vt ſanctificetur in eis nomen Domini,& dicunt cum Pſalmiſta: Cuſtodi animam meam,quoniā ſanctus ſum . Qui verò ſunt mites,niſi quos pietas imbuit,qui cum patientia & manſuetudine frequenter poſtulant,vt adueniat regnum Dei,cupientes diſſolui, & eſſe cum Chriſto ? Quorū vniuerſitati Sanctus eructuat dicens : Expecta Dominum,& cuſtodi viam eius,& exaltabit te,vt hæreditate capias terram : terra enim viuentium promittitur poſſidenda. Qui autem lugent , niſi quos inſtruit ſcientia ſalutaris,qui piarum vndis lachrymarum voluntatem Dei volunt fieri ſicut in cœlo,ita in terra,ſicut in Angelis,ita in hominib⁹? Porrò fames,& ſitis iuſtitiæ de mentis fortitudine generatur, quæ quotidianum panem ab ipſis Dei manibus quærit , panem illum videlicet , qui cor hominis confirmat . Qui etiam miſericordes ſunt,niſi qui pro facultate conſulunt omnibus,& audaci conſcientia pactū faciunt cū Deo dicentes:Dimitte nobis debita noſtra,ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris ? Mundū aūt cor non niſi luciddiſſimus percipit intellectus,qui non inducitur in tentationē,rogans à patre luminū,nō vt non tentetur , ſed vt non inducatur, excutiens latrocinantium turmas negociorum . Pacificatio verò à ſapientia ipſa deſcendit,vbi liberamur à malo,& ab omnium

iniquitatum mundamur influxu. Hæc ſunt ſeptem beatitudines, ſeptem dona, ſeptem petitiones, ſeptem candelabra, ſeptem lucernæ, ſeptem infuſoria, ſeptem ſpicæ, & ſi qua ſunt alia, quæ in arce ſeptenarij numeri ſcripturarum conſecrauit auctoritas.

Adoleſcentulus ego auſus ſum totam lectionis huius ſeriem explanare, illorum rogatus, immò compulſus precibus, & præcepto, quibus nec velle, nec poſſe fuerat obuiare. Sed vt præſenti ſolennitati aliquantulum inſiſtamus, fauorabili, & mellita dulcedine redundans tanta feſtiuitas eſt, in qua laudem dicũt Deo omnes ſancti eius, & totus orbis clara voce reſultat. Iſti ſunt 4 aduocati, quos apud Iudicem habemus. Pro quo iſti intercesſerint, ſententiam non timet capitalem. Confugiamus ergo ad probata ſuffragia, nec nos deterreat enormitas peccatorum, quia maior eſt illorum pietas, quàm impietas noſtra. Conſiliarij ſunt Regis noſtri, & ipſius iræ ſæpè reſiſtunt, nec nos deſerunt in tempore malo. Sciunt enim, vbi nos reliquerint, quantis hoſtium inſidijs pateamus. Suſpiremus igitur ad illorum memoriam, vt protegant nos ſub vmbra alarum ſuarum, donec tranſeat iniquitas, & perducant nos ad ſponſum Eccleſiæ, qui eſt Deus benedictus in ſecula. Amen.

4 Ecce qũo sãcti ſunt aduocati noſtri apud Iudicẽ noſtrũ Dñm Ieſum Chriſtũ, & intercedunt pro nobis.

Eiuſdem

EIVSDEM BEATI

PETRI DAMIANI

SERMO PRIMVS IN DEDICATIONE ECCLESIAE.

POST Crucem, poſt Virginem, poſt Angelos, quid eſt maius in terris, quid in cœlis ſublimius? Illa vtiq; quam acceptauit Altiſſimus, quæ vulnerauit cor ſponſi ſui, cui ſponſus idem in Canticis dicit: Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa, in vno crine colli tui, & in vno oculorum tuorum. Quàm ſpecioſa ſponſa iſta, quæ in vno capillulo, & ocelluli ſcintillatione vulnerat cœlorum Regem, Angelorum Dominum, Filium Dei Patris. De illa nobis eſt ſermo, licet non ſit ſermo in lingua noſtra. Hæc eſt illa, quæ poſita eſt in ſuperbiam ſeculorum, cuius gloria à mari vſq; ad mare, cui Reges, & Principes famulantur, quam circumuolat cœleſtium legionum multitudo, in qua fons ſapientiæ repoſitus eſt, hortus concluſus, fons ſignatus; hortus vbi clara roſaria pulchriori colore refulgurant, & felices virgæ florum, & fructuum gloria cumulantur, hortus, quem ventorum non tangit alternitas, vbi mollioris auræ gratia frequentet aſpirat, & vernans amœnitas allicit intuentes, concluſus, non murali machina, nec cæmentatorũ lapidum glutinoſa tenacitate, ſed Angelica ſtatione vallatus; fons, de quo fontes Iſraël deriuantur, qui irrigat vniuerſam ſuperficiem terræ, & inebrians, & emũdans; ſignatus, ſigillo vtiq; totius Trinitatis, quod ille malignans effractarius non dico confringere, ſed nec contingere audeat. In hac mortua germina regerminant, & aridiora ligna facilè reſyluescunt. In hac contegitur multiplex varietas ſacramentorum, & congeritur antiquitas miſericordiarum Domini Dei noſtri. Et vt breuiter intelligentiolæ noſtræ propalemus indaginem, duodecim 1 ſacramenta ſunt in Eccleſia, quæ vnius fidei pietas contegit; circa quorum inſtantiam reflectitur Chriſtianæ religionis auctoritas.

Primum eſt Baptiſmatis ſacramentum. Hoc pretioſius eſt cunctis opibus, & omnia, quæ deſiderantur, huic non valent comparari. Quis enim cogitatione cordis, vel volubilitate ſermonis impleat, quanta ſint in aquarum ſubſtantia ſacramenta completa? Antequam mundus parturiretur, & ex informi materia

1 Cùm dicit hic Auctor, Duodecim eſſe in Eccleſia ſacramenta, accipit largè vocẽ ſacramẽti, nõ aũt ſtrictè. Nam hoc modo ſeptem tantũm Eccleſiæ sũt ſacramenta, vt habes ex Concilio Florẽtino, & Tridentino. Largè aũt accepta, & xij sũt quæ hîc enumerantur, & multa alia, vt lotio pedũ, quã fecit Dñs poſt cœnã, & benedicta eius incarnatio. Provt ſacramẽtum in genere dici põt quidlibet, quod ſit ſacræ rei ſignũ, vel res aliqua ſãcta, et magnæ, ad mirãdæq; virtutis. Provt ẽt canit Eccleſia: Magnũ myſterium, & admirabile ſacramentũ, vt animalia viderẽt Dñm natum, iacentẽ in præſepio.

multiformium ſpecierum diuerſitas exiliret, Spiritus Dei in aurigæ modum ferebatur ſuper aquas, & elementum hoc figurali præmulcebat obſequio. Cœlum ipſum ex aquis compactum Hebræorum tradit auctoritas; & per aquas vniuerſalis illa purgatio celebratur. Patriarchæ ad aquas fiunt vxorij; & per aquas terribile Iudæorum murmur extinguitur. Omnis illa ſeries veteris inſtrumenti diligentiùs introſpecta, maiorem ſacramentorum altitudinem in aquarum materia conſignauit. Saluator ipſe legem ſequens, itinerarij ſui principium aquis indixit, cùm in flumine ſublimis illa poteſtas ab illo magno homine voluit baptizari. Primum miraculum ex aquis fecit. Samaritanæ iuxta puteum aquarum

2 Nota Confirmationē eſſe Eccleſiæ ſacramentum.

fontem aquæ ſalientis in vitam æternam repromittit. Denique qui ab aquis cœperat, finiuit in aquis; vulnerato enim latere Crucifixi, manauit aqua, quæ terrarum orbem purgatorio lauamine candidauit. Ad extremum incluſiua ſententia chorum Apoſtolicum imbuens; Euntes, inquit, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Non'ne igitur liquidò colligis, quia legis vtriusque ſublimitas vim rerum ſacramentalium in huius elementi liquore refudit? Non te moueat paucitas exemplorum, cùm plurima præ manibus haberentur, niſi prolixitatem euitaſſet oratio.

3 Nota etiam præſtari à ſolis Epis.

4 Vide Epalē dignitatē eſſe ſuper ordinem ſacerdotalem.

Secundum eſt ſacramentū 2 Confirmationis. In baptiſmate Spiritus datur ad veniam, hîc ad pugnam; ibi mundamur ab iniquitatibus, hîc virtutibus præmunimur. Non'ne in ſuperliminari fronte domus noſtræ terreſtris conſecrata manus ſacri chriſmatis imprimit vnctionem? Nec quilibet tanti myſterij legitur executor, ſed ſolus 3 Epiſcopus, ſuper cuius caput fuſum eſt vnctionis oleum, & cuius ditioni ſacerdotalis ſubditur 4 multitudo. Baptiſmi gratiam omni homini, vel omni ſexui tradidit auctoritas antiquorum; confirmationis autem inſigne, ſola pontificalis perſona ſuæ vendicat dignitati. Inde eſt quòd decretales paginæ, & ſanctorum patrum inſtituta decernunt, non eſſe differendam poſt baptiſmum ſacramenti huius virtutem, ne nos inermes inueniat fraudulentus ille contortor, à quo nemo vnquam nocendi inducias extorſit. Delibuti igitur vtriuſque roris vnguento, illo ſanati, confortati iſto, ſecuriùs deſcendamus ad ſingulare certamen. Nec nos deterreant arma Goliæ, vel magnitudo moueat ſtaturalis, quia nobiſcum eſt magnus Dominus Deus noſter, & magna virtus eius, apprehendens arma, & ſcutum, vt exurgat in adiutorium nobis.

5 Vnctio Infirmorū, Eccleſiæ eſt ſacramentum.

6 Extrema vnctio confert gratiam, nam ſanitatē reddit infirmis, peccata dimittit, & timorem Dñi immittit.

Tertium eſt Vnctio 5 infirmorum: Infirmantibus nobis, & vſque ad mortem mortali peccatorum febre languentibus, Spiritus pietatis aſſiſtit, & recordatus eſt quoniam puluis ſumus. Ait enim diuus Iacobus: Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eū, vngentes eum oleo in nomine Dñi. Et oratio fidei ſaluabit infirmū, & alleuiabit eum Dñs; & ſi in peccatis eſt, dimittentur ei. Solennis vnctio, liquor excellens, quo ſanitas 6 redditur, peccatum dimittitur, immittitur timor Domini. Vides'ne qualiter ſacerdotalis manus infirmātis corpus alleuiet, & illecebroſam ſenſuum motionem ſacratiſſima mitiget vnctione? Vnde & ſancti patres hanc vnctionem ſacramentum eſſe ſanxerunt.

7 Vides, morē conſecrandi Epos, & ſacro chriſmate inungendi cū cæteris ritib⁹, qui nūc exhibentur, etiam priſcis patribus fuiſſe in vſu?

Quartum eſt Conſecratio Pontificis. Hæc quantò ſublimior, tantò dignior approbatur. Cùm enim canonicis ſanctionibus eligitur perſona, quæ tantæ dignitatis debeat ſubire faſtigium, clarior Pontifex cum cæteris Pontificibus euocatur. Præparatur Eccleſia patrem ſuſceptura de filio. Vngitur 7 illius caput oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis, in illius figuram, qui thalamo virginali, ſpirituali balſamo profuſiùs irroratus, oleum benedictionis ſuper filios hominū diſtillauit. Liniuntur & manus, vt quicquid benedixerint benedicatur, & acceptum ſit diuinæ maieſtatis aſpectui. Ponitur & Euangelica pagina ſuper caput ipſius recumbentis, vt & verba vitæ ſuam ſentiat excedere rationē, & oculi eius

deficiant in eloquium Domini. Imponitur cidaris capiti conſecrato,& aurea lamina frontis gloria præſignitur,in qua contexitur nomen diuinitatis. Traditur annulus ſecretorum in manu eius,vt dicat cum Propheta: In corde meo abſcōdi eloquia tua,vt non peccem tibi. Calceantur & pedes in præparatione Euangelij pacis,vt ſit de quibus dicitur: Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem. Accipit & baculum paſtoralem,vt ex ipſa virgæ qualitate ſignetur,qualiter manſuetos colligat,corripiat inquietos. Sic ſic ſolenni veſtimentorum glorificatione præfulgidus,& ad altare Dei familiariùs intrans,& exiens,iram Iudicis in miſericordiam Patris felici commutatione deuoluit. Hic habet gladium ſpiritus,quod eſt verbum Dei. Hic poteſt tradere ſatanæ in interitum carnis. 8

Quintum eſt 8 Inunctio Regis. Sublimis iſta delibutio, quia ſublimem efficit poteſtatem: Cùm enim tantæ nobilitatis ſanguis,vel genere, vel electione conſecratur in Regem,religio cum nobilitate totis regni viribus conuocatur. Aſtat hinc Primatum, Metropolitanorū,& Epiſcoporū glorioſa ſocietas, illinc Ducum,Comitum, Caſtellanorum non ſpernenda nobilitas. Procedit medius homo ſuper homines regnaturus, conſtipatus agmine perſonali. Ducitur deniq; ad aram excelſi principis,principium regni ſortiturus ab illo,per quem Reges regnant. Priùs autem quàm imperatorijs cultibus veſtiatur,requiritur ſuper eo cleri voluntas,& populi,& manu propria iurat libertatem Eccleſiarum. Extunc exuitur veſtimentis ſuis,& oleo ſanctificationis aſpergitur,vt typico rore perfuſus,cœleſtis vnguenti plenitudine glorietur. Induitur deniq; purpura, quod eſt regiæ maieſtatis inſigne,geſtans regni ſceptrum in manibus ad regendū populum ſanctum Dei. Ponitur & corona aurea ſuper caput eius expreſſa ſigno ſanctitatis,gloria honoris,& ope fortitudinis. Præfertur & gladius in oculis eius, vt cognoſcat,quia vindex eſt iræ Dei,in hoc ipſum conſtitutus. Tantis igitur, ac talibus myſterijs initiatus,reportatur ad palatium,à die illa,& deinceps timēdus,pariter & amandus. Felix autem,ſi gladium regni cum gladio iungat ſacerdotij,vt & gladius Sacerdotis mitiget gladium Regis,& gladius Regis gladium acuat Sacerdotis. Iſti ſunt duo gladij,de quibus in Domini paſſione legitur: Ecce gladij duo hîc: & reſpondetur à Domino, Sufficit: tunc enim regnum prouehitur, ſacerdotium dilatatur,honoratur vtrunq;,cùm Domino prætaxata felici confœderatione iunguntur.

Ecce quō & Reges olim, vt nunc fit, inungebantur.

Sextū eſt ſacramentum Dedicationis Eccleſiæ. Dici vix poteſt,quanta ſit in hoc loco ſacramentorum varietas,& inſtitutionū alternatio. Primùm 9 enim Eccleſia intus,& deforis dealbatur,cruces duodecim in interiori circuitu Eccleſiæ imprimuntur,cerei totidem accenduntur,emundatur Eccleſia, Pontifex Eccleſiam exteriùs circuit cum aqua benedicta, & in ſuperliminari portæ tertiò virga paſtorali percutiens dicit: Attollite portas principes veſtras,& eleuamini portæ æternales,& introibit Rex gloriæ: illis deintus reſpondentibus: Quis eſt iſte Rex gloriæ? Tunc benedicit aquā ſale,cinere,vino,hyſſopoq; cōſperſam;alphabetum ex tranſuerſo quadrangula ratione conſcribit; altare ſepties ex eadē aqua reſpergit; cruces chriſmate,altare verò mixtura chriſmatis, oleiq; perungit;ad quatuor altaris cornua incenſum incendit; altare terſum nouis velaminibus operit;aliaq; multa,quæ ſermonis breuitas non permittit inſerere. Poſt hæc omni veſtimentorum gloria cumulatus ingreditur ad altare; ſacrificium ſingulare celebraturus,& ſic ſanctificationi finem impoſiturus. Quis huius abyſſi caliginem ſermonis claritate poſſit illuminare? Attigiſſemus tamen quantulumcunq;,niſi noſtris temporibus quidam,qui Carnotenſi præſedit Eccleſiæ,viuaciſſimo mentis igne luculentiùs omnia declaraſſet. Ad illum igitur pleniſſimū fontē ſitientem mittimus,vbi pleniſſimam hauriat veritatē. Notandū tñ, quia præcedentia ſacramenta ſine viſibili vnctione non fiunt, cùm ſubſequentia nihil

9 Nota hîc totū ritū cōſecrandi Eccleſias,qui et hodie in omnibus obſeruatur,nullo prætermiſſo.

huiuſmodi meritò continere legantur.

10 Septimum eſt ſacramentum 10 Confeſſionis. Confeſſionis bonum quantum, vel quale ſit, non eſt noſtræ tenuitatis laudibus efferendum, cùm præclara patrum ingenia multis eam inſignierint documentis. Hæc eſt via communis ad Deum, fons tam iuſtis, quàm peccatoribus patens, qui criminum abundantiam abundantiori liquore detergit. Primam reddit innocentiæ ſtolam, & fugitiuum filium in paternos reducit amplexus. Ex hoc fonte felices Apoſtoli lachrymæ profluxerunt; in hoc peccatricis fœminæ dæmonia ſunt ſubmerſa; per hûc adulter, & homicida Dauid Spiritu principali legitur confirmatus; in hoc felix ille volutatus eſt latro, qui breui ponte crucis de patibulo ad regnum, de ſupplicio in paradiſum translatus eſt. Conſummatus in breui, expleuit tempora multa. In hac virtute caligant oculi plurimorum, qui vel diſcretione priuati, vel aſſentatione ſeducti, aut neſciunt quid iniungant, vel ſi ſciunt, priuatam gratiam præferunt veritati. Verùm non ſuſcepimus hîc aperire quid ſentiamus ex ea, ſed ſermoni proprio proprietatem illius reſeruamus. Hoc tamen lectori tædioſum non ſit intelligere, quia confitens paſtori ſuo, puritatem cordis, veritatem oris, macerationem carnis debeat exhibere. Ille verò, cui confitetur, pœnitentiã dignam, orationem continuam, taciturnitatem perpetuam confitenti ſuo curet adminiſtrare.

Pœnitentia eſt Eccleſiæ ſacramẽtum cuius vna pars ſacerdotalis cõfeſſio eſt.

Octauum eſt Canonicorum. Iſti ſunt in Eccleſiæ ſolio ſublimati, qui in Epiſcopali ſede veſte candida refulgentes, innocentiam cordium colore veſtium repromittunt. Ij de communi, & in commune viuentes, vel viuere debentes, perpetua, ſi peccauerint, ſunt pœnitentia caſtigandi; habitus enim eorum non pœnitentiæ, ſed innocentiæ eſſe monſtratur. Videant ipſi amici Sponſi, quid reſpõdeant ante faciem Sponſi, qui iudicat orbem terræ in æquitate, cùm de ſponſa cœperit exigere rationem. Nolumus inuehi ſuper illos, ſed hoc ſolum caueãt, ne de patrimonio Crucifixi lautioribus epulis infundantur, vel veſtimentis ornentur nitidioribus, ne audiant à Propheta: Non compatiebantur ſuper contritione Ioſeph.

11 Nonum eſt Monachorum. Hi ſunt, qui à forenſium cauſarum tumultibus 11 elongati, ludificatorias incantationes dæmonum patienter eludunt. In ſcripturis aſſidui, in obedientia præcipui, feruidi charitate, beatæ Vrbis gaudia è veſtibulo contemplantur. Circunſpiciant tamen ſemetipſos, ne in amplioris coronæ, vel laxioris calceamenti vilitate confidant, cùm homo videat in facie, Deus autem in corde.

Vide hîc monachorũ ſtudiũ cõpẽdio recitatũ, & quã falſa ſint omnia, quæ de illis garriunt hæretici.

Decimum eſt Eremitarum, qui per cauernas montium, & vallium concaua latitantes, Angelicis ſociati ſpiritibus, in diuitias gloriæ cõtemplatiuis oculis rapiuntur, & in carne carnis obliti, naturam ſuam indefeſſa meditatione fatigant.

Vndecimum eſt Sanctimonialium. Iſtæ ſexum, & ſeculum auſu validiore vincentes, ſpectabilem victoriam ab hoſtis antiqui feritate reportant. Glorioſa res, vbi tenera membra longiori martyrio confringuntur, & illius eneruant fortitudinem, qui ſimilitudinem Altiſſimi concupiuit. Ad huius ſpectaculum pugnæ citò conuertitur ille miſericors intuitus, & tali potiſſimum victoria delectatur.

12 Duodecimum eſt 12 Nuptiarum ſacramentum. Hoc magnum eſt, ait Apoſtolus; & Dominus in Euangelio; Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Quid enim magis vnum, quàm illi, quibus eſt vna caro, vna menſa, vnus torus, hæreditas vna? Honorabile coniugium (dicit vas electionis) torus immaculatus. Hoc deſtruuntur inceſtuoſa coniugia, & legitimorum hæredunt digna progenies

Ecce quõo recenſet Matrimoniũ inter Eccleſiæ ſacramẽta.

propa gatu

propagatur. Hæc ſunt duodecim ſacramenta, quæ (niſi fallor) illæ duodecim cruces ſignificant, quas in circuitu Eccleſiæ videmus impreſſas. Sed iam dimittendus eſt ſtylus, quia & ingenij paupertas, & infirmitas carnis, quæ ſolito durius inundauit, vetant me aliquid longius ſcriptitare. Si conualere potuero, exequar quod cœpi, ad honorem illius, qui eſt benedictus in ſecula. Amen.

EIVSDEM BEATI

PETRI DAMIANI

SERMO SECVNDVS IN EADEM ECCLESIAE DEDICATIONE.

IMmola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua. Tria ſunt principalia, & perfecta ſacrificia, quæ reddere tenemur Domino. Sacrificium piæ contritionis, ſacrificium iuſtæ operationis, ſacrificium laudis, vel iubilationis. Horum duo in præſenti ſunt neceſſaria, tertium hîc inchoat, & in futuro conſummabitur. De primo dicitur: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. De ſecundo: Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ: & alibi: Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ. De tertio: Beatus populus, qui ſcit iubilationē: item, Sacrificiū laudis honorificabit me. Primum ſacrificium placat Deum, ſecundum delectat, tertium honorat.

Non curat Deus de his ſacrificijs, niſi medullata ſint, & ſaginata. Vnde ait Pſalmographus: Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea. In lege omnis adeps offerri iubetur, & holocauſtum pingue laudatur. Caro enim macra, & ſine pinguedine, neq; quando aſſatur reddit odorem, neq; quando comeditur præſtat ſaporē. Hæc aūt pinguedo nō corporis, ſed ſpiritus, non carnis, ſed mētis intelligi debet. Pinguedo animæ, virtutes ſunt. Hæ ſuauiter redolent, hæ in Dei ſacrificio Domino placent, & ſine his nullum ſacrificium eſt acceptabile. Hoc adipe pingues erant illi, de quibus dicitur: Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ: itemq; tres pueri in Daniele: Sicut in holocauſto arietum, & taurorum, & ſicut in millibus agnorum pinguium, ſic fiat ſacrificium noſtrum. Vt ergo placeant hæc ſacrificia noſtra Deo, pinguia ſint, & medullata.

Sacrificium piæ contritionis exigit butyrum humilitatis, quæ in tribus conſiſtit, ſcilicet vt conſideret homo, quam imperfectum ſit quod habet, & hoc reſpectu ſuperiorum; vnde illud: Vt ſciam, quid deſit mihi. Deinde vt conſideret, quia nil habet proprium; vnde Apoſtolus: Quid habes, quod non accepiſti? Conſideret etiam, quòd nil habet in hac vita, quod perdere non poſſit, iuxta illud: Memento vnde excideris, & prima opera fac. Sacrificium iuſtæ operationis, exigit oleum diſcretionis. Sacrificium laudis requirit balſamum deuotionis. Habent autem hæc ſacrificia oppoſita ſibi vitia, quaſi ex latere venientia. Sacrificio contritionis opponitur abſynthium indignationis; ſacrificio iuſtæ operationis, acetum confuſionis; ſacrificio laudis, venenum adulationis,

ſuę detractionis. Offeramus igitur, dilectiſſimi, Domino piam contritionem in 1 amaritudine interiori, & pœnitentia exteriori, vt ſobriè, iuſtè, ac piè viuamus in hoc ſeculo; ſobriè nobis, iuſtè proximo, piè Deo; ſobriè in duobus, in cauenda voluptate, & curis huius vitæ; iuſtè in duobus, vt nemini noceamus, & cunctis prodeſſe ſtudeamus, iuxta illud: Declina à malo, & fac bonum: piè in duobus, vt ſcilicet in præſenti viuat iuſtus ex fide, & in futuro æternam expectet beatitudinem. Vnde Apoſtolus: Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus, cùm autẽ venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Offeramus dignam laudem in confeſſione oris, & deuotione cordis. Pia quippe cordis contritio naſcitur ex recordatione peccatorum, & timore futuri iudicij; iuſta operatio, ex amore virtutis, & fiducia ſpei; laus, & iubilatio, ex affectu charitatis, & recordatione beneficiorum Dei.

1 Vides ad piã contritionem requiri amaritudinẽ interiorẽ pro peccatis cõmiſsis, & pœnitẽtiã exteriorẽ? Non ergo vera pœnitentia, noua vita duntaxat, vt quidã modò nugantur.

Sunt autem tres recordationes peccati, prima afficiens, & delectans, quæ mala eſt, ſecunda exaſperans, & pungitans, quæ vtilis eſt, tertia glorioſa, quæ perfectorum eſt. Afficiens eſt, qua afficitur homo recogitans ad ollas carnium Aegyptiorum, quàm delicioſè, & ſuauiter vixerit, & quàm arduum ſit iter, quod aggreſſurus eſt. Recogitatio pungitans eſt, quando reminiſcitur, quàm ſordidè, & flagitioſè vixerit, non vt ad priora redeat, ſed vt dignè defleat, & coram ſe ea ſtatuat; vnde Dauid: Peccatum meum coram me eſt ſemper. Tertia recordatio, quæ dicitur glorioſa, eſt, quando homo remeditans quis fuerit, & qua gratia de lacu miſeriæ, & de luto fecis liberatus ſit, gratias agit dicens: Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam: & cum Iſraëlitis de Aegyptia ſeruitute liberatus, gratulabundè decantat dicens: Cantemus Domino, glorioſè enim honorificatus eſt, equum, & aſcenſorem deiecit in mare: & cum Zacharia: Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ. Hæc ſunt, quæ Deo offerre debemus.

2 Nota p emiſſione, & redditione votorũ, contra noſtri temporis hæreticos.

Tenemur etiam ei reddere 2 quæ fecimus vota, iuxta Prophetæ admonitionem: Vouete, & reddite Domino Deo veſtro. Qui non reddit quod vouet, quaſi Deum prouocat, & irridet. Reddendum eſt votum integrum, & perfectũ, quia aliter non ſatisfaceret Deo, qui votum noſtrum, tanquam proprium exigit debitum. Vnde & in lege dicitur, quòd bouem, & ouem, aure, & cauda amputatis, voluntariè offerre poſſumus. Votum autem ex his ſolui non poteſt, quibus aliquid perfectionis deeſt. Recogitet igitur vnuſquiſq; noſtrum quid Domino vouerit, & ſtagat illud reddere. Abrenunciauimus ſeculo, monachi nomen ſuſcepimus, & habitum. Vouimus Domino continentiam, obedientiam, humilitatem, patientiam, ſecularium morum mutationem.

3 Vide hîc Monachorũ vota, quæ exactè reddenda ſunt.

4 Ecce quõ ſãcti vouerunt tria vota, & reddiderunt.

Prædicta tria vouerunt 4 ſpecialiter ſancti, & reddiderunt. Audite quid dixerit, & quid fecerit Apoſtolus. Non ſum, inquit, dignus vocari Apoſtolus, quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei. Ecce pia contritio de recordatione peccati. Item, Bonum, inquit, certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex. Ecce iuſta operatio de fiducia ſpei. Item, Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. Ecce laus de beneficiis Dei. Vouit Dauid, & reddidit. Vota, inquit, mea Domino reddam in cõſpectu omnis populi eius. Votum vouit Iacob, & reddidit. Si 5 fuerit, inquit, Dominus mecum, & cuſtodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſusq; fuero proſperè domũ patris mei, erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, cunctorumq; quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. Iephte Galaadites votum vouit, & reddidit. Domine, inquit,

5 Vides vota ſub conditione, etiam antiquis patribus fuiſſe in vſu?

ſi tradideris filios Ammon in manus meas,quicunq; primus egreſſus fuerit de foribus domus meæ,mihi'q; occurrent reuertenti cum pace à filijs Ammon,eũ in holocauſtum offeram Domino. Tranſiuit'q; Iephte ad filios Ammon,vt pugnaret contra eos,quos tradidit Dominus in manus eius. Reuertenti autẽ in Maſpha domum ſuam,occurrit vnigenita filia ſua cum tympanis,& choris;nõ enim habebat alios liberos.Qua viſa, ſcidit veſtimenta ſua,& ait: Heu me,filia mi,decepiſti me,& ipſa decepta es. Aperui enim os meum ad Dominum,& aliud facere non potero. Et fecit de ea,ſicut vouerat. Ipſum vnigenitum Dei Filium iuraſſe Patri, ac vouiſſe 6 ſcimus, atteſtante Pſalmiſta, qui ait: Sicut iurauit Dño, votum vouit Deo Iacob: ſcilicet vt ſacramentum religionis in paſſione ſuæ carnis pro ſalute generis humani expleret. Faciamus & nos ſimiliter, & vota,quæ vouimus, integrè perſoluamus. Quod ipſe præſtare dignetur,qui cum Patre,& Spiritu ſancto viuit, & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

6 Si vnigenitus Dei Filius votũ fecit,& reddidit,quare etiã nos q̃ vouimus, nõ integrè perſoluemus?

Eiuſdem

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

SERMO TERTIVS IN EADEM ECCLESIAE DEDICATIONE.

FECIT Deus duo magna luminaria, luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus; vt præeſſet nocti. Non omnia, fratres chariſſimi, quæ ſunt in cithara, ſonant, ſed omnia iuuant. Sic non omnia, quæ ſunt in diuina ſcriptura, ſpiritualem intelligentiam generant, ſed omnia iuuant. Vnde ſi in aliquo legis capitulo fas eſt, ſenſum ſpiritus aliqua rimula intueri, non in inquiſitione dormitare debemus, ſed theſaurum iacentem in litera vigore alacris ingenij perſcrutari. Quod ſatis egregiè vir ſapiens adumbrauit, cùm dixit: Ne dormias in ſinu mulieris. Mulier nempe ſacri eloquij literam exprimit, ex qua fidelis expoſitor fructum gignit. Quæ litera, cùm ei catholicæ rationis diligentia adhibetur, virilis intellectus robori maritatur. Cùm verò eam ſeductæ mentis ingenium deprauat, quaſi caſtitatem fœminæ adulterino coitu violat. Rectè ergo dicitur, Ne dormias in ſinu mulieris; ac ſi apertè diceretur, Ne in ſecreto literæ ſenſu torpeas, ſed latentem animæ profectum pudica excute vigilantia.

Fecit, inquit, Deus duo magna luminaria. Verum quidem eſt, quòd Deus in mundi creatione cœlum clarum Solis, & Lunæ diſtinxit ornatu, vt alterũ diei, alterum noctis viciſſitudinem gubernaret. Porrò ſi interiùs perſcrutemur, inueniemus nobis allegoriæ reſpondere ſecretum. Eccleſia enim, mundi figuram gerit, quia ſicut mundus ex quatuor elementis ſubſiſtit, ita Eccleſia ex quaternaria doctrina Euangelij coaleſcit. Habet autem Eccleſia ſuum diem, habet & noctem ſuam; habet & Solem in die, habet & Lunam in nocte. Dies Eccleſiæ, eſt tempus pacis; nox Eccleſiæ, eſt tempeſtas perſecutionis. Sol verò in Eccleſiæ die, eſt ſapientia; Luna autem in Eccleſiæ nocte, eſt patientia. His luminibus Deus Eccleſiam ſuam pinxit, quatenus & in pace non ſit improuida, & in bello non inueniatur mollis, & fracta. Per ſapientiam Eccleſia ſe protegit in pace à dæmonibus, per patientiam ſe tuetur in bello à perſecutoribus. Non claudicat Eccleſia, non eſt inermis, argumenta diuina ſapienter eludit, tormenta hominum ſuſtinet patienter. Recta prorſus comparatio eſt Solis ad ſapientiam, Lunæ ad ad patientiam, quia ſicuti Sol Lunæ, ita ſapientia præpollet patientiæ. Sapientia itaq; Sol, quia illuminat, patiẽtia Luna, quia confortat His geminis brachijs

Eccleſia pugnat,altero proſternens dæmones,altero vincens homines. Fecit itaque Deus hæc duo magna luminaria,quibus ornatur Eccleſia,quibus quaſi duobus oculis munitur Chriſti columba.

Diſſolutis nebulis allegoriæ,hunc etiam riuulum ſcripturæ ad irrigandos mores noſtros poſſumus trahere. Nam ſicut Deus in hoc mundo duo magna luminaria fecit,intra etiam in homine duo magna luminaria ordinauit. Ne tibi videatur durum quod dicimus; homo enim alter eſt mundus. Vnde ipſa Græca lingua vocatur μικροκόσμος, ideſt minor mundus, quia ad ſimilitudinē maioris mundi eſt factus. Nam ſicut Deus maiori mundo præſidet, ita quòd vbiq; eſt totus, ſic anima corpori dominatur,ita quòd vbiq; tota eſt in corpore. Homo itaq; habet diem,habet & noctem;habet Solem in die, habet Lunam in nocte. Dies hominis,eſt vita iuſtitiæ,nox hominis,eſt vita nequitiæ. Sol autem in vita iuſtitiæ,eſt charitas,quæ præeſt vitæ iuſtitiæ; Luna verò in vita peccatoris,eſt pœnitentia. O' quàm clarus Sol eſt charitas, cuius quindecim radios enumerat filius Solis Paulus Apoſtolus in Epiſtola ad Corinthios,vbi ait: Charitas non æmulatur, non agit perperam,non inflatur,&c. O' quàm clarum pœnitentiæ iubar,quod noctem peccati remouet, quod conſcientiæ nubilū tergit.

Lunæ huius,ſcilicet pœnitentiæ,quatuor ſunt radij, cognitio peccati, dolor pro peccatis, confeſſio peccati,fructus eleemoſynæ. Priùs oportet cognoſcere peccatum,ſed non ſufficit; oportet dolere pro peccato; addenda eſt etiā confeſſio, quia fruſtra dolet,qui non confitetur; his verò adiungendus eſt fructus eleemoſynæ,qui eſt pretium peccati. Vnde Propheta de impio dicit; Non credat fruſtra errore deceptus,quòd aliquo pretio redimendus ſit. Pretium certè peccati eſt eleemoſyna. Sed qui ſemper eleemoſynam erogat,& ſemper peccat,fruſtra credit,quòd eleemoſyna ei proficiat. Interpretandum eſt igitur eleemoſynæ vocabulum. El, Hebraicè, Deus; Moys, Aegyptiaca lingua dicitur aqua,inde eleemoſyna,ideſt aqua Dei. E' contrario videre poſſumus,quòd peccatum eſt ignis diaboli. Igitur contra ignem diaboli opponatur aqua Dei. Perpende, Chriſtiane,dignitatem tuam,& redemptionem culpæ tuæ. Noli beluina mente contemnere. Deus eleemoſynam fecit tibi, corpus proprium morti tradendo; tu eleemoſynam fac illi,buccellam panis porrigendo pauperi. Eſto priùs in te miſericors,deinde in proximum clementiæ riuum effunde,vt ſic pariter cum proximo ad fontem miſericordiæ valeas peruenire, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui cum Patre,& Spiritu ſancto viuit,& regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

EIVSDEM BEATI

PETRI DAMIANI

SERMO DE SANCTO MARTINO EPISCOPO.

NObilis ille confeſſor, Sacerdotum gloria, gemma Pontificum, Clericorum forma, lumē Monachórum, ſolennem 1 diē vniuerſitati noſtræ præfixit. Hic eſt Martinus miraculorum poteſtatē ſublimis, qui terrarum orbem lumine ſuæ cognitionis impleuit. Aegyptus religionis mater, & eremitarum fœcundiſſima nutrix, Martinum tantis filijs poſuit in exemplum. Creuit in immenſum fama nominis eius, & auſa eſt in ipſam Apoſtolicam irrumpere dignitatem, quorum manus tractauerunt de Verbo vitæ, qui Filium hominis inter filios hominum felici vocis officio diuulgarunt. In omnem terram peruagata eſt memoria tanti Pontificis, & vbicunq; reſonat fides Chriſti, ſonat vita Martini. Glorificatur Imperator in milite, laudatur miles in Imperatore. Teſtatur hoc Turonenſis Eccleſia theſaurum corporis eius continens, quæ poſſeſſiones 2 ſuas extendit à mari vſq; ad mare, quam fœcundauerunt Reges, & ornauerunt Principes, cui Romani Pontifices ſummæ libertatis faſtigia prouiderunt. Accedit etiam ad gloriam Confeſſoris, quia in ipſius honore 3 nonnulla ſedium Epiſcopalium fundamenta locata ſunt, quod (niſi fallor) de alio non legitur Confeſſore. Scintillat longè, lateq; fulgor claritatis illius; & de remotis mundi partibus ad præſentiam ſancti corporis feſtinatur. Clementia diuinitatis & Regibus, & regno noſtro prouidit miſericorditer, vbi tātum lumen ad remedium peccatorum in ſeculum collocauit. Actus eius, & vitam Seuerus inſignis orator ita ſuo nobilitauit eloquio, vt & hiſtoriam relatione plena veritate proponeret, & rethoricis legibus multipliciter inſigniret. Et nunc arida, vel ieiuna lingua noſtra quid audeat de laudibus eius immurmurare, cuius laudis plena eſt terra?

Ne tamen in tantis gaudijs cuiuſq; ſermonis videamur immunes, recurrendū eſt ad Euangelicā lectionē, in qua ſub triū breuitate verborū Sapientia Dei Patris totius humanæ pfectionis ſummā incluſit; ait enim: Videte, vigilate, & orate. Ille, q videt omnia, hortatur nos, vt corporalibus oculis poſtpoſitis, mētis lumine videamus, oculis illis, de quibus per Salomonem dicitur: Oculi ſapientis in ca-

1 Solēnis dies Sancti Martini Epiſcopi.

2 Non improbat beat⁹ auctor latitudinē poſſeſſionū, quas habet Eccleſia Turoneñ Sācti Martini intuitu illi cōſignatas, vt faciunt noſtri tpis hæretici.

3 Ecce q̄ño in honore sācti Martini aliquæ ſedes Epales fūdatæ ſunt, & talis eſt Magūtina in Germania celeberrima.

pite eius. Præcipit ergo, vt Soli ſolitudinem noſtri cordis ingrediamur, & reuol uamus veterum ſarcinas peccatorum, quibus polluti ſumus, & obuoluti. Primū ergo videamus apud nos peccatorum abundantiam. Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo, multum eſt enim: ait vnicus ille ſecretarius Regis æterni. Peccauimus ſuper numerum arenæ maris, & multiplicata ſunt peccata noſtra. Tu innumerabilia numerare contendis, & in ſumma ponere, quod ſummam exuperat? Ecce grandis aceruus, impetuoſus torrens, nec poteſt diſcuti tanta miſeria, quoniam iniquitates noſtræ ſupergreſſæ ſunt caput noſtrū. Ambulauimus collo extento, oculi noſtri pleni ſunt vanitate, aures detractione. Odoramus non odorem vnguentorum, in quo ſponſa ſe currere gloriatur, ſed odorem mortis in mortem. quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſſe deſcribitur. Manus noſtræ plenæ ſunt ſanguine; pedes veloces ad ſanguinem effundendum; contritio, & infelicitas in vijs noſtris; & via pacis abiecta; non eſt timor Dei ante oculos noſtros. Quid igitur faciendum, in quo ſperandū, quo'ue confugiendum? Standum eſt in hoc aceruo, non nouarum, ſed veterum frugum, & videnda viſio timeſcenda, vt ſtatuamus nos ante oculos noſtros, ne Iudex quandoq; arguat nos, & ſtatuat nos ante faciem noſtram. In hac viſione Dei videtur à nobis ventus turbinis, quia ſecundùm virū iuſtum, hîc inuolutæ ſunt ſemitæ greſſuum eorum. Ne putes autem hanc viſionem inter parua connumerandam, cùm hæc perducat ad viſionem Cherubin, & animalium pennatorum, & ad ipſius Dominantis introducat aſpectum.

Viſa igitur abundantia peccatorum noſtrorum, videamus ſecundò negligentiam noſtram. Traximus peccata noſtra ſicut reſtem longam, & ſanguis ſanguinem tetigit, & diſſimulauimus; vulnus, & liuor, & plaga tumens, & non aſpeximus. Zelus Dei receſſit à nobis, & nos contempſimus. Sic peccatorum multitudini negligentiam cumulantes, obſtruximus nobis iter confeſſionis, ſemitas iuſtitiæ eui auimus, non ſolùm negligentes, ſed & de negligentia gloriantes, iuxta illud viri ſapientiſſimi: Qui cùm malè fecerint, lætantur, & exultant in rebus peſſimis. Vis ſcire, quia de peccatorum abundantia, negligentia peſſima filia generatur? Peccator cùm venerit in profundum malorum, contemnit. E contrario autem, qui Deum timet, nihil negligit, quia Qui modica ſpernit, paulatim decidet. Peccatorum multitudo negligentiam, negligentia contemptum, contēptus mortem interminat ſempiternam.

Vide & tertiò patientiam & longanimitatem Dei noſtri. Hæc feciſti, & tacuit. Omnia videt, & omnia audit, nihilq; remotum ab oculis eius, de quo dicitur: Oculi Domini in omni loco contemplantur bonos, & malos. Oculos hominum timuiſti, oculos autem Altiſſimi non expauiſti? Ecce ipſe cognouit omnia nouiſſima, & antiqua; neq; ab Oriente, neq; ab Occidente, neq; à deſertis mōtibus locus eſt fugiendi, quoniam Deus Iudex eſt. Vidit opera tua, recurſus, & excurſus flagitiorum tuorum, & continuit iram ſuam. Cœlum non fulminauit, aqua nō ſubmerſit, nō abſorbuit tellus, et cū omnis terra plena ſit gloria Dñi, in gloria eius tuā miſeriā euomuiſti, nec reueritus es præſentem Dominū, & coram tanta munditia tuas immunditias exercere. Ipſe autem quid? Ego, inquit, quaſi non videns. Nunquid alicui miniſtrorum ſuorum, qui vindices ſunt iræ eius, in hoc ipſum conſtituti, reuelauit ignominiam tuam? Ecce videt, & tacet; videt, nec manifeſtat; videt, nec iudicat; videt, nec vindicat; videt, & videre diſſimulat; vocat & non audis; promittit, & contemnis; minatur, nec metuis, & theſaurizas iram tibi in die iræ. Cùm ergo ſit Iudex iuſtus, & fortis, multùm eſt patiens, nec iraſcitur per ſingulos dies. Ecce continet iram, reprimit furorem, auertit oculos, peccantibus parcit; & illi omnia hæc in ſuum iudicium congregant, omnium rei. Nunquid, qui ita tacuit, & ſiluit, ſemper ita tacebit? An'nō

legiſti, quia ad iudicium veniet, patientiam abijciens, humilitatem neſciens, ignorans miſericordiam?

Attendiſti patienter tacentē, attende & impatienter loquentem. Sicut parturiens, inquit, loquar. Vidiſti diſſimulantem, vide etiam quæcunq; minima numerantem. Veſtigia, inquit, pedum meorum dinumeraſti. Quis locus erit ſpei, cùm venerit Iudex, qui ſtetit ſub iudice, præcinentibus tubis, conclamantibus Angelis, elementis ardentibus? Ad cuius fugiemus auxilium, cùm ventis ex tranſuerſo furentibus, mundialis machina diuelletur, & ignis incandeſcens, cœlum, & terram finalibus immiſcebit incendijs? Veniet ipſe cū poteſtate magna, & maieſtate, non cum dulcedine, & humilitate; quia illic iuſtitia plena eſt dextera eius, quæ hîc miſericordiam ſeminauit, & ſparſit. Tunc ille miſericors oculus non parcet, & nō miſerebitur, ſed percutiet, & occidet indutus iram, furore repletus, plenus crudelitate. Peccatores autem quid? Videntes turbabuntur timore horribili, ſed incorrigibili, audientes illud horrendum tonitruum: Ite, maledicti, in ignem æternum. Quanti, putas, doloris erit excludi à facie Dei, videre, & perdere Deūm, cùm Rex gloriæ ciuitatem ſublimem intrabit, miſeris peccatoribus omni ſpe miſericordiæ in perpetuum ſigillata? Quiſquis ergo es, qui contemnis diuitias bonitatis, & patientiæ Dei, relege textum epiſtolæ ad Romanos, & illa tibi pleniùs dicet, quia non euaſiſti iudicium Dei.

Aſpice & quartò miſericordiā eius. Licet peccaueris, licet neglexeris, & prouocaueris patientiam Dei, paratus eſt tamen miſereri, cùm volueris, & reuerti ad reuertentem, obliuiſci, & tegere peccata tua, & proijcere in profundum maris. Nec erit mora inter confitentem, & remittentem, inter gementē, & gemitus exaudientem, quia benignus, & miſericors eſt. Sunt homines mundi faciles ad iram, difficiles ad miſericordiam. Deus autem & ad iraſcendum difficilis, & facilis ad miſerandum. Reuolant illi ad opprobria, quæ remiſerunt; iſte cùm remiſerit, ſic eſt, quaſi non fuerit. Ad limina potentium frequentiùs excubamus, nō habentes liberos acceſſus ad colloquendum; & ſi quid deliquimus, ſupplicibus oculis, facie tribulata, verbis humilibus emendamus. Illi autem plerunq; ſuperbo oculo, & humero dedignanti, pedibus ſuis prouolutos vel reſpicere nolūt. Non ſic Dominus Ieſus, qui libentiùs loquitur mecum, quàm ego ſecum, quem inuenio, quoties quæro, qui occurrit cum patribus fugienti, qui vultum lætum oſtendit mihi, qui meam pœnitentiam, ſicut innocentiam amplexatur, vbiq; lætus, vbiq; bonus, vbiq; pius, vbiq; dulcis cū magna multitudine dulcedinis ſuæ. Non facit ſupercilium, oculos non obliquat, non detorquet faciem, nec verba reſonat ampulloſa, ſed occurrit reuertenti, & accurrit in amplexus, flens ſuper collum meum, & iubet proferri ſtolam primam, dari annulum intelligentiæ, & calceari pedes in præparatione Euangelij, in choro, & ſymphonia ad ſuperna gaudia reuocari, & occidi vitulū ſaginatum in remiſſione peccatorum meorum. Vides ergo, quàm longa patientia ſit in Deo, quàm velox miſericordia? Longanimis, ait Sanctus, & multum miſericors. Libenter igitur ad te confugio, Domine Ieſu, qui diutius pateris, & velociter miſereris, quia tu es Deus, & non homo (ſicut Propheta dicit) qui ſeruet iram, abſcondat malitiam, vindictam inquirat.

Ad hæc & iſtud conſiderandum in miſericordia miſerantis, quia ſeculi homines ſemel, aut bis, aut vt multum ſepties, vel decies dimittunt; hic autem millies in die, ſi fieri poſſet, quæ committimus dimittit, & hoc quandiu viuimus, quā diu peregrinamur ab ipſo. Viſis igitur his, quæ enumerauimus, attolle oculos etiam ad videndum Domini largitatem, ſiue familiaritatem. Si cui maximè potenti fecimus, quod ei diſpliceret, nunquid ampliùs nobiſcum loqui, nedum aliquid largiri, vel familiaris eſſe dignatur? Graues ſumus ei etiam ad videndum, & pro magno beneficio computat, ſi ſaltem à noſtra læſione deſiſtat; & licet

multiplicibus,& deuotis obſequijs defendamus offenſam,ſemper tamen iniuriæ memoria præteruolat oculos illius,nec obliterari valet vel beneficio, vel obſequio,vel ipſa etiam vetuſtate. Nunquid ita Deus meus,miſericordia mea? Abſit. Conſueuit enim honorare pœnitentes,magis quàm innocentes, reuertentes pluſq̃ remanentes,quia deuctior eſt feruidus pœnitens,quàm tepidus innocens, cùm ille materiam feruoris habeat,hic tepiditatis.

Fortaſſis præſumptionis arguar,qui contra præceptum Apoſtoli verborum nouitates induco,ſed habeo ad manum teſtimonia,nec parua,nec pauca,quæ & ipſa credibilia facta ſunt nimis,& quæ poſſint ſatisfacere murmurãti Petrus Apoſtolus,non quilibet Apoſtolus,ſed princeps Apoſtolorũ,cui traditus eſt principatus cœli,et terræ,nunq̃d nõ de choro pœnitẽtiũ eſt,& de ſorte grauiter iniuſtorũ?Non'ne ipſe eſt,qui Deũ negauit,reliquit Magiſtrũ,amicũ deſeruit, fefellit promiſſum? qui cœpit deteſtari,& iurare,quia nõ nouit hominẽ,negationi periuriũ addens,crimini crimen adijciens?Cecidit,ſed nõ eſt colliſus,quia Dñs ſuppoſuit manũ ſuã. Vide quid dicat ſcriptura. Reſpexit,inquit,Dñs Petrũ. Reſpectũ Chriſti ſequitur fletus Petri,& lachrymarũ amaritudo. dulcedinẽ antiquæ dignitatis inſtaurat. Felices,ſancte Apoſtole,lachrymæ tuæ,quæ culpã abluunt, gradũ reſtituunt,debita dimittunt,ampliora cõmittunt. Reſpexit pietas, & impietas ceſſit,& acceſſit priſca familiaritas. Deniq;, Simon Ioãnis,diligis me plus his? Paſce oues meas:& his ſimilia,quid ſunt,niſi magna documenta familiaritatis?Illud etiã ſingulare ſancti Spiritus organũ,quẽ inuenit Dñs ſecundũ cor ſuũ,cui reuelata ſunt incerta,& occulta ſapientiæ Dei,non'ne cũ homicidio, & adulterio inſignitus eſt nota,& nomine proditoris? Sed vide,q̃ celeri pœnitẽtiæ ſaltu reſiliuit ad arcem innocentiæ,& grandia vulnera ſic reuinxit, vt non ſolũ vulneris,ſed nec etiã cicatricis veſtigia remanerent. Redargutus enim à Propheta,& retorſione parabolica ſugillatus,dixit: Peccaui: & ille ex theſauro diuinæ miſericordiæ ſtatim ſubintulit: Tranſtulit Dominus peccatum à te, & non morieris. Translatum eſt peccatũ,& ablatum,quod diuidebat inter Dauid,& Deũ, & ſublato eo,Dauid idem qui priùs. Sed & ille vas electionis,qui volauit ſuper pennas ventorũ,qui plus omnibus laborauit;cui credita ſunt eloquia Dei,nonne primus in primitiuam Eccleſiã cæteris ardẽtiùs fertur efferbuiſſe? Actus Apoſtolici ſunt in teſtimoniũ,quãta mala fecerit ſanctis Dei in Hieruſalẽ. Hic autẽ,qui tanta mala fecit,tanta poſtea paſſus eſt pro nomine Chriſti,& lucet in firmamento cœli,nec eſt aliqua gẽma pretioſior in corona Regis æterni. Accedat & illa mulier,quæ ſeptẽ dæmonijs,ideſt vniuerſis vitijs,cumulata fuit, cui multũ amãti multũ dimittitur, quæ prima videt Dñm à mortuis reſurgentẽ, Apoſtolorũ Apoſtola,dilecta propriè Saluatoris. Veniat nunc omnis innocentiũ chorus,& tota virginea puritas adunetur,quis erit,qui ad iſtorũ gloriã aſpirare,nedũ tranſcendere audeat? Propterea confitebor tibi, Dñe Ieſu,& laudẽ tribuam nomini tuo,quia apud te propitiatio eſt,& propter legẽ tuam ſuſtinui te, Dñe. Quæ eſt iſta lex,quæ propitiatio? Quia offenſus,te clementẽ promittis, pœnitentẽ admittis,punire prætermittis. Magna eſt igitur virtus,pœnitentia vera,cũ Ambroſius dicat: Faciliùs inueni eos,qui innocentiam ſeruauerunt, quàm qui congruam egerunt pœnitentiam.

Vide & ſextò cuſtodiam eius,quia niſi ipſe cuſtodierit,nos fruſtra vigilamus.

Decurſis igitur ſex viſionibus iſtis,tranſeamus ad ſecundam Saluatoris vocẽ dicentis: Vigilate. Vigilandũ omnino,& ſomnus ab oculis auferendus,quia latrones multi obſident iter noſtrũ toxicatis miſſilibus formidandi,nullum prorſus intentatũ tranſire ſuſtinentes. Tres enim hoſtes præcipuos habemus,& præcipitiũ ſuadentes,carnem,diabolum,& mundum,ex quibus duo, etſi aliquando intermittunt, nunquam tamen dimittunt, tertius autem, diabolus videlicet, ita

inexorabile odium aduerſum nos exercet, vt nunquam ab eo inducias vel in ictu oculi potuerimus extorquere. At vt verba illius Oratoris ponamus, qui vbiq; redolet Ciceronem: Cum hoc quotidianus,& anceps congreſſus; ex hoc innumerum vulnus, nec ex facili cicatricem promittens; ſub hoc caſus frequẽs, & reſpiratio difficilis; de hoc rara,& nunquã ſecura victoria; huic volũtas ſemper iniqua,& fallendi principatus. Quis aduerſus hunc poterit vigilare, niſi cuſtos ille de nocte veniret In auxilium noſtrum? Per nos nanq; non 4 ſufficimus, immò deficimus, ſi confidamus in nobis.

Attende autem de hoſte iſto inuiſibili, quantus ingrediatur ad ſingulare certamen, qualia gerit arma, quàm fortia, quo turbine torqueat haſtam. Recole librum Iob,& hiſtoriam Regum,& armatum,& arma conſidera, quia qui Golias in libro Regum, idem eſt diabolus in regno Chriſtianorum. Habet enim haſtam delectationis, obdurationis clypeum, deſperationis loricam, gladium occiſionis, armigerum ſuperbiam, qui antecedit eum,& exprobrat agminibus Dei viuentis, & dicit inimicus: Perſequar, & cõprehendã, diuidam ſpolia, implebitur anima mea. Tu aũt quid? Aſſume Apoſtolicã armaturam, ſcutũ fidei, loricã iuſtitiæ, gladium ſpiritus, circunſpectionis haſtã,& præcedat te humilitas,& dic: Perſequar inimicos meos,& cõprehendã illos,& non conuertar, donec deficiant. O' Dñe Ieſu, nunquid æqua pugna eſt hominis,& dæmonis, duplicis,& ſimplicis, fortis & imbecillis? Inuoca me in die tribulationis (ait Dñs)& eruã te,& honorificabis me. Inuoco te, Saluator; apprehende arma,& ſcutum, vt videam contra fortẽ armatũ, fortiorem armatum,& conteras Aſſyrium in terra tua. Facta ergo congreſſione, inimicos tuos comminuet vt puluerem ante faciem vẽti,& vt lutũ platearum delebit eos. Sic autem contra iſtum vigilandum eſt, vt ſemper de rediuiuo certamine timeas,& de victoria non deſperes.

Caro autem ſub neceſſitatis ſpecie furioſi tumultus ſui velat imaginem, & nunc ferculorum varietate repleta, nunc pretioſa vina commutans, incipit laſciuire, laxatiſq; frenis tota fertur in præceps. Statim recrudeſcunt affectus, cogitationes rebellant, viſæ proponuntur imagines, & pingimus in cordibus noſtris, quod multis diebus deleri non poſſit. Ingurgitati enim, non confortati, impleti, nec nutriti,& corpore,& corde diſtendimur, completurq; illud ſatyricum: Inguinis,& capitis nullum diſcrimen habetur. Parco ſermonibus, quia turpis ſententia nõ niſi verbis turpibus explicari poteſt,& vnicuiq; noſtrũ notũ eſt, vel qđ tacemus, vel qđ volumus ꝓterire. Tenuis 5 aũt menſa, cib⁹ aſperior, ſimplicior potus, corpus firmãt, cõfirmãt animũ, et vtriuſq; hominis ſtatũ reddũt alacriorẽ.

Mundus verò quid facit? Offert nobis quicquid pulchrũ eſt viſu, & cõcupiſcentiã carnis,& oculorum,& ambitionẽ ſeculi, vt illaqueet miſeros, illaqueatos ſtrangulet, ſtrangulatos ſẽpiternis inuoluat incendijs. Tẽtat nos multiformibus inſidijs, ſuperiùs ꝑ ſuperbiã, per luxuriã inferiùs, à dextris per proſperitatẽ, per aduerſitatẽ à ſiniſtris, anteriùs per mundi concupiſcentiam, poſteriùs per præteritorũ vitiorum recordationẽ, in orbiculari motu per inuolutionẽ ſenſuũ. Vigilare igitur neceſſe eſt aduerſus huiuſmodi latrunculos, manumq; ſicariã, & cũ Eſaia dicendũ: Super ſpeculam Dñi ego ſum, ſtans iugiter per diem,& ſuper cuſtodiã meã ego ſum, ſtans totis noctibus. Nec ſolùm ſtare conuenit, ſed armatũ ſtare armatura illa, quã Apoſtolus dicit: Induite vos armaturã Dei. Alter noſtrorum temporum Tullius, de quo ſuperiùs mentionem feci, vernans vbiq; flore ſermonum, armaturã in hunc modũ lucidiſſimis capitulis inaurauit: Si fabuloſi ſpiritus,& incantatores motus carnis circa te obſtrepuerint, confide,& dic: Diſcedite à me, maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei. Si recalere carnem ſenſeris, & velle reuolare ad ineptias ſuas, eſto conſtans, & dic: Confige timore tuo carnes meas, Domine. Si paupertatem odiſſe cœperis, & deſiderio

4 Vide nihil valere ad bonũ meritoriũ liberum noſtrũ arbitriũ ſine diuina gratia.

5 Ecce quõ laudat tenuitatẽ menſæ, aſperitatẽ cibi, & potus ſimplicitatẽ.

diuitiarum inceperis ſuſcitari,expergiſcere,& dic : Væ vobis,diuites, qui habetis hîc conſolationem veſtram . Si te demulceat adulator,& ad plebiculæ laudes animus hilareſcat,confortare,& dic : Oleum peccatoris non impinguet caput meum . Si tibi ſuggeratur,in futurum tempus bonum differre propoſitum, conſurge,& dic : Dies Domini,ſicut fur,ita in nocte veniet. Si gula deſæuiens lautiores tibi commendauerit apparatus,recalcitra,& dic : Non eſt regnũ Dei eſca,& potus . His velut quibuſdam increpationibus diffugiunt inimici,delabitur memoria voluptatum,carnis gurgulitas conticeſcit , ſanctæ conuerſationis initia conualeſcunt,mundus contemnitur,ſuperatur hoſtis antiquus .

Sic igitur videns,& vigilans fac funiculum triplicem,qui difficilè rumpitur, & tranſi ad orationem,ingrediens interiora veli cum ſummo Pontifice Domino noſtro Ieſu Chriſto,qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui aſſiſtit vultui Dei pro te. Admiſſus autem non ſic audacter,& frontosè ingeras te oculis Maieſtatis, ſed humillima trepidatione concuſſus,ſaltem quomodo ad tanta miracula admitti potueris,admirare . Sit ergo oratio verecunda , vt erubeſcamus peccata noſtra,& tantæ reuerentiæ deferamus ; pura , vt nihil ab ipſo præter ipſum quæramus ; deuota,vt in pinguedine ſpiritus eam protendamus ; ampla vt extendamus eam vſq; ad inimicos ; ſit continua,ne intermiſſione fiat remiſſior ; ſit pacata , ne turbulentis cogitationum fluctibus ſubmergatur. Fateor,exceſſi modum,& magis ſolito veſtras aures onerare non timui,dum ſtylus in longinquitatem extenditur . Sed ſcio,quia patienter audiſtis me de illius patientia diſputantem,qui eſt Deus benedictus in ſecula . Amen.

Eiuſdem

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

SERMO I. DE SANCTO ANDREA APOSTOLO.

HODIE, fratres chariſſimi, beati Andreæ nobis feſtiuitas votiua reſplenduit, qui inter ipſam glacialis brumæ caliginem, iucundam noſtris mẽtibus induxit lætitiæ ſerenitatem; & dum aëris inclementia extrinſecus obrigeſcit, tanti præliatoris audita victoria, pia corda ad procinctum ſpiritalis certaminis incitat, & inſignes bellatorũ Chriſti animos igne diuini amoris inflammat. Inter cuncta ſanè martyrij genera illud nobilius, illud non immeritò iudicatur eſſe præcipuũ, quod in ipſo Redemptore noſtro, capite videlicet martyrum, cognoſcitur dedicatum. Vnde cùm diuina diſpenſatio Petrum, & Andream conſummari per crucis ſupplicium voluit, inter cæteros Apoſtolos (licet omnes vnius 1 poteſtatis, & dignitatis ſint) quodammodo egregios, atque conſpicuos fecit. Crux enim, quæ Regem præmiſit ad ſceptrum, eadem vtrunque militem conſequenter euexit ad præmium. O' beata germanitas, quam ſicut mundo vna conſanguinitas ædidit, ſic eadem triumphalis mors victores ad aſtra tranſmiſit; & quos in hac vita vnius generis protulit natura conſortes, in illam beatitudinem ſempiternam crux parturiuit æquales. Eiuſdem nobilitatis in terra, eiuſdem proſapiæ celſitudinem ſortiuntur in cœlo. Qui enim hîc ſunt filij Ioannis, illic ſunt filij crucis. Iſtiq; ſunt filij Chore, qui in quorundam pſalmorum titulis prænotantur. Crux enim, quæ eos morientes huic vitæ ſubtraxit, cœleſti Hieruſalem renaſcentes cum triumphali gloria nouos ciues inuexit. Et Andreas quidem in Apoſtolici ſenatus catalogo ſecundus ponitur, qui tamen in agnitionem Domini, iuxta Euangelicam fidem, primus inuenitur. Dicit enim Ioannes Euangeliſta: Quia cùm ſtaret Ioannes, & ex diſcipulis eius duo, reſpiciens Ieſum ambulantem dixit: Ecce Agnus Dei. Et audientes eum duo diſcipuli lo-

1 Quòd hîc ait vir doct⁹, & pius, oẽs Apoſtolos eiuſdẽ poteſtatis, & dignitatis fuiſſe, hoc ita velim intelligas, quòd quatenus Apoſtoli, oẽs erant æquales, quatenus oues, nõ itẽ, ſed Petrus paſtor omniũ, cui dictũ eſt: Paſce oues meas. Petro ergo data eſt abſolutè poteſtas, & auctoritas omniũ, alijs executio, idq; peculiari priuilegio Chriſti, ac p̃ter ordinẽ, cùm id ſpectaret ad Petrũ. Nihil ergo hinc habent hæretici tẽporis noſtri, ſummi Pontificis, Chriſtiq; oſores.

quentem, ſecuti ſunt Ieſum. Et paulò poſt; Erat autem, inquit, Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus, qui audierant à Ioanne, & ſecuti fuerant eum. Deinde ſequitur: Inuenit hic fratrem ſuum Simonem, & dicit ei: Inuenimus Meſſiam, quod eſt interpretatum Chriſtus: & adduxit eum ad Ieſum.

Ecce Andreas inter ipſa noui tyrocinij ſui rudimenta fructificat, & veritatis prædicator efficitur, cuius adhuc vix erat auditor. Nouus diſcipulus factus nō eſt propria ſalute contentus, condiſcipulos quærit, ad lucrandos alios fraternus ſe amor extendit. Theſaurum reperit, gaudet alijs prodeſſe, furtum deputat illum ſine conſortibus poſſidere. Fauſta deniq; & præclara futuræ indolis ſigna nouus tyro prætendit, & in ipſo nouitiæ conuerſionis exordio mox quod didicerat docuit, quod acceperat, fideliter erogauit. Magnum nuncium, noua, & admiranda relatio, illum promittere viſibiliter oſtendendum, quem tot Prophetarum oracula præannuerant affuturum. Magni certè myſterij baiulus Andreas extitit fratri, qui nimirum eum ſe reperiſſe teſtatus eſt, quem ab origine mundi omnes ſancti magno deſiderio præſtolati ſunt, & tamen videre non potuerunt. Non hoc præſtitum eſt Patriarchæ Iacob, qui dicebat: Salutare tuum expectabo, Domine. Non Abrahæ, cui diuina ſponſio facta eſt, quòd in ſemine ſuo hæreditaret omnes gentes. O' quanti hoc pretij æſtimaſſet inſignis ille Propheta Eſaias, ſi ei ad hoc ſpectaculum aſpirare licuiſſet, nimirum cùm tanti deſiderij amore ſuccenſus flagitaret Mediatoris aduentum, & tanquam moroſæ dilationis impatiens, æſtuans proclamaret: Vtinam diſrumperes cœlos, & deſcenderes. A' facie tua montes defluerent, ſicut exuſtio ignis tabeſcerent, atq; arderent igni, vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis. Quàm terribilis, ac vehemens tuba, vox hæc in Petri corde perſonuit, & tanquam repentinum fulmen inopinatò coruſcans attonitum fecit. Inuenimus, inquit, Meſſiam, qui dicitur Chriſtus.

2 Chriſtus pugnaturus veniens ſibi milites aduocauit, præſertim verò Petrum, & Andream.

Ad præliandum planè Rex gloriæ ſolus aduenerat, & ideò ad procinctum belli paulatim ſibi milites 2 acquirebat. Venerat nanque vt fortem armatum ſuperueniens vinceret, & vniuerſa arma, in quibus confidebat, auferret. Venerat, vt captiuum hominē, qui ſub diabolicæ tyrannidis iugo premebatur, eriperet, & ad ingenuitatis antiquæ titulos reuocaret. Venerat, vt ſuū Iſraël de vinculo vetuſti Pharaonis abſolueret, & in manu forti, atq; robuſta, terræ lacte, & melle manāti præuius ductor inferret. Non tamen eligebat in adiutorium ſibi triumphalibus titulis claros, non ſtrenuos bellatores, non frementium aſcenſores equorum, non denique Philoſophos, & eloquentes, ſed retium nectores, ac perexilis nauiculæ remiges, vt victoria ſoli diuinæ potentiæ, non humanis viribus aſcribatur.

Deſunt aliqua.

Ecce beati Apoſtoli Petrus, & Andreas ad vnum Domini iubentis imperium, non dubitauerunt, quæ poſſidebant, cuncta relinquere, vt terrenis mererentur cœleſtia permutare. Dimittunt quæ præ oculis ſunt, vt inuiſibilia bona recipiant. Poſtponunt habita, vt ad ſperata pertingant. Ad regnum per ſupplicium tranſeunt. Ad æternæ vitæ gaudia per momentaneum crucis patibulum prouehuntur. Nihil ſibi in peregrinatione reſeruant, vt peruenientes ad patriam omnia ſimul inueniant. Vnde cum illis per immutationem dexteræ excelſi hoc factum eſt, vt qui tunc abiecti videbantur, & humiles, nunc 3 animarum iudices, & cœleſtis ſint curiæ ſenatores. Tunc vilium poſſeſſores retium, nunc in regnis cœleſtibus obtinent gloriæ principatum. Et quos in terra poſitos ipſa terrenarum rerum copia deſtituerat, nunc & totius orbis monarchiam tenent, & in illa cœleſti Hieruſalem iudiciariæ poteſtatis ſolijs præſident. Quiq;

3 Cōpenſatio diuina, p vitæ huius laboribus.

extremi penè fuerant hominum, nunc conciues ſunt, & participes Angelorũ. Boni ſiquidem magiſtri, & grati remuneratoris adhæſere veſtigijs, qui eis aurum pro cœno, cuncta pro nihilo, pro tenebris lucem, pro ſomnio reddidit veritatem. Quibus nimirum & in cœlo ipſe fit præmium, & in terris quoque omnium ſubijcit iura regnorum.

Per hanc ergo viam, fratres mei, qua nos præceſſere, ſequamur, ſi illuc, vbi ſunt, pertingere volumus. Poſt hos itaq; recta via gradientes, ſic relinquamus Hierico eorum obſidione ſubuerſam, atque deſtructam, vt nequaquam de eius anathemate aliquid vſurpemus. Prohibet nempè Ieſus ille Naue, ne de facultatibus Hierico aliquis concupiſcat. Vetat & noſter Ieſus, verus vtiq; Saluator, vt nemo ea, quæ mundi ſunt, diligat. Nolite, inquit, theſaurizare vobis theſauros in terra: & per Apoſtolum ſuum: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Non ergo ad exemplum infœlicis Achan, de anathemate Hierico aliquid defraudemus, vt videlicet nihil ex diſſolutis mundanæ conuerſationis moribus, diſciplinis Eccleſiaſticis inſeramus. Non auferamus pallium, vt poſt indumentum fidei, cultum conuerſationum ſecularium nullatenus induamus. Non argenti ſiclos, vt qui æternum theſaurum in cœlo recondimus, nullam temporalem pecuniam per ambitionem in ſudario reponamus. Non denique regulam auream, vt in Eccleſia Chriſti non accurata 4 introducamus hæreticorum dogmata, non trutinata Philoſophorum acutè diſputantium ſtudia, vel Poëtarum elaborata figmenta. Hæc eſt enim aurea illa regula, limato videlicet, atque polito ſermone directa, & velut aureo luculentæ facundiæ nitore veſtita. Hanc autem 5 regulam furati ſunt Arrius, Marcion, & Apelles, aliæq; peruerſorum hominum peſtes, qui dum Philoſophorum ſectas in Eccleſiam conati ſunt introducere, iram Dei quodammodo ſuper caſtra Iſraël viſi ſunt prouocare. Sed ij obruti ſunt cum Achan ſub aceruo lapidum, quia oppreſſi ſunt immaniſſimo pondere peccatorum.

4 Accurata, ſcilicet impia, hæreticorũ dogmata cuitanda.

5 Hãc ẽt furati ſunt hac ætate Lutherani, habentes pictæ rhetoria linguæ, & fucũ rudibus facientes.

Nos autem, fratres chariſſimi, quia philoſophia noſtra Chriſtus eſt, & hic crucifixus, atque ideo magiſtros habemus, non oratores, ſed piſcatores, non verſutos, & eloquentes, ſed mites, ac ſimplices, deſpiciamus ſapientiam, quæ cæcat, appetamus ſtultitiam, quæ diſcentes illuminat. Quia enim (vt Apoſtolus ait) non cognouit mundus per ſapientiam Deum, placuit per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. Teneamus igitur Apoſtolicam in ſua puritate doctrinam, & rectæ fidei adhibeamus 6 operis efficaciam. Enatemus procelloſum mundanæ perturbationis fluctum. Includi libeat tantorum retibus piſcatorum. Incaleſcat cor noſtrum ad tam promptæ obedientiæ, tam feruentiſſimæ deuotionis exemplum, & quod doctores noſtros nouimus tunc feciſſe, ipſi etiam, diuina opitulante clementia, ſtudeamus implere. Ecce beatos fratres, Petrum videlicet, & Andream, nunquam poſt conuerſionem legimus carnali quadam neceſſitudine ſibimet inuicem familiariùs adhæſiſſe, quàm cæteris, non arctiùs inter ſe mutuo confœderatos affectu, non eaſdem prouincias prædicationis gratia conſortitos; & vt magis ſtupeas, non moleſtè tulit Andreas, quòd in fide primus, factus eſt ordinis dignitate ſecundus; nec zelo ductus eſt, quòd Petrus, qui eius ductu poſterior credidit, cuiusq; ad fidem ipſe præuius fuit, prioratus 7 tamen inter omnes Apoſtolos iura ſuſcepit. Hanc nempe mortificationis regulam oculis noſtris ſupernus Magiſter appoſuit, hanc nobis veræ humilitatis normã, per quam illũ recta via ſequeremur, exhibuit. In illis namq; primis Diſcipulis,

6 Fides cũ operibus neceſſaria; ſine illis namq; mortua.

7 Ecce hic clariſſimè Petri primatus ſuper omnes, quẽ non ægrè tulit Andreas.

quos & mundi doctores inſtituit, omnium virtutum formam ſignanter expreſſit, vt vſq; ad conſummationem ſeculi vnuſquiſq; fidelium ad eos imitationis oculos dirigat,& per eorum tramitem neutrolibet exorbitaturus incedat, quatenus tenendo vitales affluentiæ riuos, perueniamus ad fontem, ſequendo milites, recto itinere perducamur ad Regem, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Amen.

Einſdem

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

SERMO II. DE EODEM SANCTO ANDREA APOSTOLO.

ET QVIETVM ſtudiū, & attentū ſilentiū, & tanta tanti viri feſtiuitas 1 monēt, immò compellunt, aliquid dicere ad oſtendendam gloriam Deitatis, gratiam Apoſtolicæ dignitatis, confeſſionis virtutem. Demus gloriam laudi eius, quem laudant omnes gentes, qui miniſtros ſuos & laudat, & laudabiles facit. Ipſe eſt, cui aſſiſtūt Angeli ad audiendam vocem ſermonum eius; qui ſtellas vocat, & dicunt, Adſumus; cuius manus extendit cœlos; qui fundauit terram ſuper ſtabilitatem ſuam; qui graditur ſuper fluctus maris; qui fecit mirabilia ſolus; in quem deſiderant Angeli proſpicere. Ipſe eſt, qui fecit omnia, & in omnibus quæ fecit, quæcunque voluit fecit. Huic ſeruire regnare eſt, qui ſeruiuit pro nobis ſub dura, & graui neceſſitate, & purpuram ſuæ diuinitatis cilicio noſtræ mortalitatis operiens, pauper, & mendicus venit in regionem noſtram. Nunquid non ludus vobis videtur, Iudæi, Pagani, Hæretici, & omnis illa ſubſannātium, immò inſanientium turba, cùm dicimus Filium Dei carnem, crucem, mortem, clauos, & lanceam tolerasse? Ludus profectò eſt, vnde ſic nobis luditur, vt vobis illudatur.

1 Nota feſtum ſancti Andreæ Apoſtoli.

Vnicus ille ſapiens huius myſterij non ignarus, ludum iſtum eleganti ſermone prælusit. Delectabar (inquit) per ſingulos dies, ludens coram eo in orbem terrarum. Luſit quippe coram Deo, cùm carnem ex eius præcepto ſuſcepit; & in orbem terrarum, quia ad redemptionē orbis terrarum: delectatus per ſingulos dies, in ſingulis Apoſtolis iucundatus, dum vni tradidit Regnum cœlorum, alteri de pectore ſuo reclinatorium fecit. Et deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum. Putabam ego, Domine Ieſu, quòd deliciæ tuæ eſſent non cum filijs hominum, ſed cum choris Angelorum, vbi diuinitatis gloria Thronis, & Poteſtatibus admirandus, ſuperiorum oculos reuerberas naturarum. Ibi lucem habitas inacceſſibilem, & circunſtantiam clariſſimorum luminum tui luminis obtegis maieſtate. Sed illa clementiſſima tua pietas, & benignitas adoranda, delicias ſuas dicit eſſe cum filijs hominum. Iſti ſunt filij hominum, qui ſeruauerunt ſub

tegmine alarum tuarum, quos elegiſti de plebe, quorum lauiſti pedes, quibus tuum Spiritum infudiſti, qui fidem tui nominis quadrigis Euangelicis per orbem quadrifidum portauerunt. Nota tamen quòd dicit, non cum hominibus, ſed cum filijs hominum. Ego puto homines ad veterem hominem, filios verò hominum ad Filium hominis pertinere; iuxta quam intelligentiam puer citharista ſic intonat: Quid eſt homo, quòd memor es eius, aut Filius hominis, quoniam viſitas eum? Vides'ne, quia Deum hominis eſſe memorem, Filium verò hominis ſe confirmat viſitare? Præſumimus, & ſuſpiramus, quia faciet nobis miſericordiam ſuam in conſpectu filiorum hominum, ſi interim protegat nos in abſcondito ſuæ faciei à conturbatione hominum.

Magiſter, & Dominus noſter, cuius ſchola eſt in terris, & cathedra eſt in cœlo, ex his omnibus, quos elegit, elegit, & prælegit Andream Apoſtolum, cuius ſolennitatem & vocibus, & cordibus inclamamus. O' dulcis Apoſtolus, & primitiua vocatio Saluatoris, qui in ipſum Apoſtolicum chorum tanti prioratus inſignitur faſtigio. Non ſubterfugit nos, quia quodam modo tenerrimus eſt, & dulcior in cordibus fidelium, cuius paſſio tanta ſpiritus deuotione diſtillat, vt mentes audientium adipe, & pinguedine replere videatur. Vnde non immeritò in ſingularem 2 auctoritatis arcem ſuſcepta eſt, quam qui viderunt, ſcripſerunt orbi, & miniſtri fuere ſermonis. Vocatio eius, vita, & paſſio cognita ſunt vobis, & nunc quid ſupereſt, vt à me ampliùs expectetis? Veruntamen mouet me lectio Apoſtolica, vt aliquantiſper de ea veſtræ reuerentiæ colloquamur; ait enim: Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem; dicit enim ſcriptura: Omnis, qui credit in illum, non confundetur. Tria proponuntur hîc, & corde credere ad iuſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem, & in illum credere, in quem qui crediderit, non confundetur. Solum cor hominis capax eſt rationis, & ſuſceptibile myſteriorum Dei, quod purgatum, atque politum, ipſam diuinitatis ſubſtantiam, & ſi non comprehendit, apprehendit tamen. Cor eſt in pectore, anima in corde, mens in anima, fides in mente, Chriſtus in fide; & hoc eſſe puto, quod dicit Apoſtolus: Habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris. Hoc igitur in meraciſſimam eliquatum eſt puritatem, cùm omnia myſteria Chriſtianæ fidei fide percipis inconcuſſa, nihil'q; tibi dubitationem parit, licet non videas rationem. Hæc eſt conſummata iuſtitia, perfecta veritas, & vera perfectio, ſi tamen oris confeſſio ſubſequatur. Fides enim cordis ſine fide oris, aut nulla eſt, aut parua; Saluatore dicente: Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet coram Angelis Dei. Et Propheta: Perijt fides, ablata eſt de ore eorum. Non dixit de corde, ſed de ore, quia nihil valet fides cordis ſine fide oris, nec fides oris ſine fide cordis, cùm iſta iuſtitiam, illa doceat ſalutem, quia ſalus à iuſtitia, vel iuſtitia à ſalute ſeparari non poſſunt. Crede ergo, & confitere, nihilominus confitere, & crede, quia fides ad iuſtitiam, confeſſio fit ad ſalutem.

2 Vide quantam auctoritatem præſtet paſſioni Sá. Andreæ ſcriptam eſſe à Presbyteris Achaiæ

Verùm quoniam in hæc deuenimus loca, & occaſio confeſſionis ſe obtulit, reddendum nunc eſt, quod alibi promiſimus, totum'q; proferendum, quod de confeſſione ſentimus. Patientes autem eſtote, & ſi fortè protenſiùs ſermonem extendero, vos attendite ijs, quæ dicuntur, quia veſtræ proferuntur vtilitati. Via enim eſt, ſine qua nemo venit ad Patrem, quam qui perdidit, perdidit Deum. Cùm igitur de vitiorum abyſſo diſponis emergere, ad illum præcipuè ſit refugium tuum, cui anima tua commiſſa eſt, quem impoſuit Deus ſuper caput tuum. Nec te moneat ſi illiteratus ſit, vel indiſcretus, quia hoc ipſum ſignum humilitatis eſt, quæ generat confeſſionem. Memento quia non eſt poteſtas, niſi à Deo. Super cathedram, inquit, Moyſi ſederunt ſcribæ, & phariſæi. Et tu attende non 3 ſedentem, ſed ſedem, cathedram, non perſonam. Quòd ſi fortè

3 Si doctriná hanc rectá, & veram noſtri temporis hæretici ſecuti eſſent, non tot inſana in prælatos Eccleſiæ miſeri effutijſſent.

vel licentia eius ad alium tibi fugere permittatur, tu tamen priùs ei reueles tui cordis arcanum, quia non eſt plena ſalus, ſi ille fugitur, aut contemnitur, cui adhærere, & quem honorare debueras. Quòd ſi minus tibi ſufficiens videtur eius inſtructio, patet ad libertatem via, vt coram alio literato, atque diſcreto effundas cor tuum, reſeruato illi priuilegio ſuo, cui tu tuam animam commendaſti. Nec tibi blandiaris, ſi grauiter peccanti leuior pœnitentia, vel à neſciente, vel à diſſimulante dictatur, cùm in purgatorijs 4 ignibus perficiendum ſit quicquid hîc minus feceris, quia dignos pœnitentiæ fructus quærit Altiſſimus. Licet autem non euaſerit manus Dei viuentis, qui tibi plenè non conſuluit, tibi tamen ratio magiſtra præſidet, quæ te doceat tantùm à licitis abſtinere, quantùm te memineris illicita perpetraſſe

4 Ecce quàm clarè ſãctus hic tibi Purgatorium oſtendat.

A veſtibulo igitur huius ſacratiſſimæ virtutis omnes illos excludimus, quos ad confeſſionem vel timor cogit, quia extorta confeſſio non eſt confeſſio, ſed confuſio; vel aliorum accuſatio trahit, quæ non eſt confeſſio, ſed offenſio; vel ſui excuſatio ducit, quæ non eſt confeſſio, ſed defenſio; vel inanis iactantia rapit, quæ non eſt confeſſio, ſed illuſio; & ſi quæ aliæ peſtes ſunt, quæ obumbratorio velamine tanti ſacramenti ſimulent ſanctitatem. Cor in ſemetipſo, & ex ſemetipſo contritum, & humiliatum, ad huius purificationis poteſt aſcendere puritatem. Oſtendam tibi vnum iuſtorum iuſtiſſimè confitentem. Quæris quiſnam ſit? Pſaltes Domini eſt. Dixi, inquit, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino. Dixi, hoc eſt, in corde meo propoſui, non coactus, neque compulſus, ſed ſpontaneus. Iniuſtitiam meam, ait, non alienam; aduerſum me, me arguens, & accuſans. Vides, quia non timore alterius, vel ad alium accuſandum, vel excuſandum ſe ipſum, Sanctus Domini confitetur? Pro huiuſmodi confeſſione remittes tu, Domine, impietatem cordis mei, peccati ſcilicet. Et pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno. Hoc primùm in corde germinat ad iuſtitiam, poſtea in ore naſcitur ad ſalutem.

Primus eius gradus eſt cognitio peccati. Initium ſalutis (ait quidam) notitia peccati. In hac cognitione videndum eſt quid egeris, quantis contumelijs affeceris corpus tuum, ambulans in paſſione deſiderij, ſicut & gentes, quæ ignorant Deum, poſſidens vas tuum in immunditia, & vilitate, non in ſanctificatione, & honore. Conſiderandum etiam, quid merueris, ignem illum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius, & omnia pœnarum genera, quæ in illis pœnalibus locis cumulantur, & creſcunt. Inſpiciendum verò, quid amiſeris, bona videlicet illa, quæ oculus non vidit.

Horum igitur omnium conſideratione perterritus, tranſi ad pœnitentiam. Pœniteat te, qui tot, & tantis flagitijs inuolutus, in luto fecis, & miſeriæ diutius iacuiſti. Pœnitentiam age, corpus conterens, & furibundo carnis aſello incentiuorum ſemina præſumenti, pœnitenda ampliùs non admittas, ne vulnus vulneri frequenter ingeminans, confringas oſſa animæ tuæ, quæ cuſtodit Dominus in iuſtis. Vnum, inquit, ex his non conteretur. Eſt autem notandum, quòd hæc duo ita ſibi ad inuicem coniuncta ſunt, vt cognoſcere quis non poſſit, niſi pœniteat, & pœnitere non poſſit, niſi ſe cognoſcat. Sic ergo tibi cognitus, & in te pœnitens, tranſuola ad tertium gradum, dolorem videlicet cordis, & iam plantata erit iuſtitia plantatione illa, quam plantauit Pater tuus cœleſtis. Dole 5 igitur, quia Creatorem offendiſti, cuius legem cœleſtia, & terreſtria, præter te, indefeſſa ſtatione conſeruant, & in tanta Republica Dei tu ſolus peregrinus es, & Imperatoriæ maieſtatis decreta non curas. Surgat & acrior dolor, quòd tuum Creatorem, & Patrem offenderis, & illum Patrem, qui tibi miniſtrat ſiderum curſus, fœcundi-

5 Vides quòd in vera pœnitentia requiritur dolor de peccatis commiſſis, nec ſufficit dũtaxat noua vita, vt garriunt hæretici?

tatem terræ, fructuum vbertatem. Accedat & acerrimus dolor, qui pertranſeat animam tuam, quòd tantum benefactorem contempſeris, qui dolorem Crucis ſuſtinuit, ne dolores inferni ampliùs ſuſtineres. Sic igitur in interiori homine iuſtitia germinante, ſurculus erumpat in arborem, & loquatur lingua, quod ſcientia loquebatur.

6 Ecce ſacramentalē confeſſionē, quæ fit ſacerdoti.

Quartus itaq; gradus eſt confeſſio oris. Hæc 6 purè facienda eſt, quia nō eſt pars peccatorum dicenda, & altera retinenda, neq; leuia confitenda, & grauia diffitenda, nec alter accuſandus, & ipſe excuſandus, ſed cum iuſto dicendum: Non declines cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Hæc enim ſunt verba malitiæ, & grauis malitiæ, qua grauior, vel peior eſſe vix poſſit. Confitendum eſt & humiliter, vt idem fit in corde, quod ſonabit in ore. Sunt enim nonnulli, qui narrare in confeſſionibus ſolent, quæ vel argutè literatorio, vel fortiter gladiatorio geſſere conflictu (proh dolor) ſub humilitatis pallio ſuperbiam induentes, & putantes ſe poſſe vitare oculos Iudicis cuncta cernentis. Non'ne vtriq; Reges Saul, & Dauid redarguti à Prophetis Samuele, & Nathan dixerunt: Peccaui: & tamen Saul audiuit, Tranſtulit regnum Dominus à te, & dabit illud æmulo tuo; & Dauid, Tranſtulit Dominus peccatum tuum à te, & non morieris? Quid eſt, niſi quia quod Saul habuit in ore, non fuit in corde, & humilitas, quæ in ore Dauid extitit, in corde etiam radiauit? Dicendum eſt & fideliter, vt in fide Eccleſiæ credat ſibi peccata dimitti, quia Cain, & Iudas purè, & humiliter confeſſi ſunt, ſed nequaquam fideliter, nam alter eorum deſperans ad laqueum cucurrit, alter illud grande ſcelus euomuit: Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Mentiris, latro, quia maior eſt pietas Dei, quàm quæuis iniquitas, quia miſerationes eius ſuper omnia opera eius.

7 Vide quō requiritur etiā operis ſatisfactio ad integrā pœnitentiā, nā p hoc Chriſti paſſio nobis applicatur illius afflictionibus cōicantibus. Vnde nō ſufficit ſola Chriſti paſſio, aut credere ſibi pecca ta remitti, vt ſomniant hæretici.

Sequitur quintus gradus, maceratio 7 carnis, quæ ieiunijs, & vigilijs attenuanda eſt, ne noua prurigine ad voluptuoſam reuolet prauitatem. Hæc autē facienda eſt cum licentia, quia quod ſine licentia fit, vanæ gloriæ deputabitur, non mercedi; occultè, vt neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua; diſcretè propter debilitatem corporis, & multimodas infirmitates. Pleroſq; enim vidimus in principio conuerſionis ita diſcretionis infregiſſe repagula, vt laudum ſolēnijs inhabiles redderentur, & apparatu deinceps lautiori diuturnis foueri temporibus indigerent.

Iam ſic illuminatus procedat ad ſextum, qui eſt correctio operis. Prohibe ergo linguam tuam à malo, operare quod bonum eſt, & ſenſuales motus tuos continentiæ frenis infrena, & ſic erit pax in terra carnis tuæ. Argue malos pro perſona, quam habes, &, te præſente, iuſtitiam non ſinas ſepeliri.

Veni ad ſeptimum gradum, qui eſt perſeuerantia bonitatis, & in hoc ſeptimo vocabit te Dominus cum Moyſe de medio caliginis, & in ipſam diuinitatis ſubſtantiam interiores oculos infiges. Perſeuerantiam autem faciunt expectatio præmiorum, pœnarum recordatio, primitiæ ſpiritus, & donum cœleſte; de quibus loquitur Apoſtolus, quòd nec expertus ignorat, nec inexpertus intelligit. Stultitia eſt enim illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinantur.

Audite & breuiter, quem oporteat ordinari ad diſpenſationem miniſterij huius; oportet enim non minus literatum, quàm religioſum, vt zelum Dei habeat, & ſecundùm ſcientiam, cùm indiſcreta religio magis obeſſe ſoleat, quàm prodeſſe. Literatum autem ideo, vt ſciat quod iniungat, cui parcat, quando parcere debeat, quam conſolationem proferat de ſcripturis. Religioſum verò idcirco, vt puras manus leuet ad Deum, & pro peccatoribus fiducialiter intercedat. Videat autem ne vnquam de his, quæ ſub ſignaculo confeſſionis accepit, aliquam faciat mentionem, vel alicui loquenti conſentiat. Caueat etiam, ne

vileſcat

vileſcat,in conſpectu eius,qui ei ſuã vilitatem oſtendit,nec ſit ſuſpectus, nec de præterita futuram vitam æſtimet peccatoris. Quòd ſi fortuitò de his, quæ in confeſſione ſuſcepit, cauſa coram eo fuerit ventilata, non tanquam conſcius in partem declinet, ſed quaſi neſcius iudiciarium ordinem permittat excurrere. Habeat autem in voluntate compati,& eum liberare,& nitatur aliquid detrahere ſeueritati,imitans dulcedinem Domini mei,de quo dicit Sanctus: Quoniam feciſti iudicium meum,& cauſam meam. Sed (proh dolor) temporibus noſtris per vniuerſum mundum peſtilentialis morbus excreuit, vt præferantur Eccleſijs, quos nec ſcientia, nec vita commendat,ceu duces cæcorum,& præcipitati, & in præcipitium perducentes.

Audiuimus de confitente, de confeſſionem ſuſcipiente, audiamus nunc quæ ſunt, quæ impediant confeſſionem. Quantùm colligere poſſum,quatuor præcipuè occurrunt,pudor,timor, ſpes, & deſperatio. Nihil fortius ad expugnandum gratiam Dei, quàm timor humanus,quia dum erubeſcimus confiteri,quæ commiſimus,Deum minus,quàm homines reueremur. Hæc eſt confuſio adducens peccatum. Opponamus ergo ei conſiderationem rationis, reuerentiam intuentis Dei, comparationem maioris confuſionis. Vt enim confiteamur, ratio mouet; Deus cogit,qui videt; et ſi confundimur hîc dicere, quid erit in illa magna confuſione, vbi omnia omnibus patebunt? Timor autem pleroſq; opprimit,ne graui pœnitentia percellantur, & perferre non poſſint. Verè qui timet pruinam, irruet ſuper eum nix. Hîc conſiderandum,quàm grauis ſit pœna gehennæ,quàm longa,quàm infructuoſa. E contrario autem pœnitentia præſens,leuis,breuis,& fructuoſa. Spes autem multos obruit,qui dum bona præſentia cupiunt,aperire conſcientias ſuas nolunt,ne ſi quales ſunt,hominibus appareant,ad nulla præſentis vitæ bona conſcendant. Quibus inculcandum eſt, quia bona huius ſeculi parua ſunt,incerta,& momẽtanea, & illa illius vitæ maxima,certiſſima,& æterna. Plurimos deſperatio interficit, qui hoc ſolum metuunt,ne poſſint continere. Verum nanq; eſt,quia peccator cùm venerit in profundum malorum,contemnit. Hanc obterere debemus vigore confeſſionis,gratia humilitatis,& compaſſione illius,cui aperimus conſcientiam noſtram.

Sciendum autem,quia alia eſt confeſſio,quæ peccatum plangit, alia,quæ laudem canit. Bonum animæ ornamentum confeſſio,quæ & peccatorem purgat, & iuſtum reddit purgatiorem.

Sequitur. Qui crediderit in illum non confundetur. Credere Deo, eſt verbis eius fidem adhibere. Credere Deum,eſt confiteri vbiq; Deum eſſe. Credere in Deum,eſt omnem ſpem ſuam in illum dirigere. Deum, & Deo credunt dæmones; ſed in illum non credunt,in quem qui crediderit,non confundetur,quia ſpem ſuam non ponunt in illum.

Ecce quantùm potui, etſi non quantùm volui,de confeſſionis diſſerui ſacramento. Sed quia ſermonem in longum protraximus, finem loquendi pariter audiamus. Det nobis corde credere ad iuſtitiam, ore confiteri ad ſalutem,& in ſe credere,Sponſus Eccleſiæ, Filius Mariæ, qui eſt Deus benedictus in ſecula.

Amen.

EIVSDEM BEATI
PETRI DAMIANI
SERMO DE SANCTO NICOLAO EPISCOPO.

1 Feſtiuitas sãcti Nicolai Epiſcopi.

2 Tot miracula à diuo Nicolao operata, ſanctitatem, & ſplendorem vitæ eius atteſtantur.

3 Vide quomodo ad inuocationem Sanctorum Deus miracula facit, ſi ue illi per Deum.

NICOLAVS iſte meus, immò & veſter, electus ab vtero, ſanctus à puero, iuuenũ gloria, reuerentia ſenum, ſacerdotum honor, ſplendor pontificum, conuentum veſtrum ſua lætificat 1 feſtiuitate. Hic eſt Nicolaus, cuius miracula per totam mundi latitudinem diffunduntur, quem laudat orbis terræ, & qui habitant in eo. Tot enim, & tanta miracula cumulantur, vt omnes literatorum argutiæ vix ad ſcribendum ſufficiant, nos ad legendum. Et licet ſcholarium numerus in incude rhetorica ſub Quintiliani, vel Ciceronis malleis, tenuiſſimas orationum laminas extendat, ſuperat tamen gloria Confeſſoris vocem, mentem, linguam, & conſcientiam. Crebreſcunt enim quotidie 2 mirabilia, nec requieſcit Spiritus Dei ad memoriam militis ſui ſua continuare miracula. Glorificatur in mari, laudatur in terra, in omnibus periculis inuocatur. Deniq; qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis, ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo; ipſi viderunt opera Domini, & Nicolai per Deum miracula 3 in profundo.

4 Quid clariꝰ, aut celebriꝰ dici poſſet ꝓ inuocatione Sanctorum?

5 Vide quomodo etiã olim ad Sanctorũ viſenda ſepulchra peregrinabantur homines.

Non'ne poſt memoriam Virginis tam dulcis pietas, vel pia dulcedo in cordibus fidelium obuerſatur, vt in die tribulationis, Nicolai nomen teneatur in ore, requieſcat in corde? Si coruſcationes fulgurant, & procellis detonantibus à ſuperis vindicta procedit, Nicolaus in patronum aſſumitur, Nicolaus dulciter inclamatur. Si tempeſtas ſæuiens, & crudelitas maris nauigantibus mortem intentant, Nicolaus flebiliter exoratur vt audiat, ſuppliciter inuocatur vt veniat, vt eruat, miſericorditer acclamatur. Si pulſamur incommodis, vel offendiculis indolemus, ſtatim ſanctum nomen proſilit in os noſtrum, Nicolaus ingeminatur, patrocinium quæritur Nicolai. Ne putetis autem me declamatoriẽ loqui, vel venuſtate rhetorica verborum aggerare ſplendorem, cum totus mundus beneficia ſentiat Confeſſoris, nec ſit, qui ſe abſcondat ab amore eius. In teſtimonium ſunt 5 peregrinationes ad ſanctum illius corpus à finibus terræ ſuſceptæ, vt videantur, quæ per eum fiunt mirabilia. Non ſolùm autem Chriſtianis, ſed

& paganis in tantam reuerentiam ſancti nominis aduolauit auctoritas, vt certatim confluant ad laudandum, & glorificandum nomen ſanctum eius. Præcipuè ſacerdotum, & clericorum turba tanta deuotione circa cultum eius afficitur, vt in toto terrarum orbe quicunque vndecunque ſe contradant ad obſequendum tantæ ſolennitati. Lætantur pueri, iuuenes gratulantur, ornantur virgines, ſenes exhilarantur, & omnis ætas perſonanter alludit. Vnuſquiſque autem habet materiam gaudiorum, vt laudent pueri puerum ieiunantem, iuuenes iuuenem iuuenes liberantem, virgines virginum infamiam redimentem, ſenes ſenis inopiam miſerantem. Iuuenes, & virgines, ſenes cum iunioribus laudant nomen domini huius.

Sed nunc poſt actus eius Græcorum linguis excellentibus inſigniter diffamatos, quid audeat ſermo pauperculus balbutire? Veruntamen ne videar excuſatorias tergiuerſationes inducere, recurro ad Euangelicam lectionem, & quod de communi accepi, profero in commune. Ait enim: Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam, & ait ſeruis ſuis: Negociamini, dum venio. Securè negociabor, præcipiente Domino meo, nec timebo Pſalmiſtam dicentem: Quia non cognoui negociationem, introibo in potentias Domini. Non enim paruum mihi fiduciæ robur præſtat, quòd ille ſummus Imperator factus eſt negociator meus, & negocium meum ſine otio egit, quandiu fuit in terris, & pretioſarum mercium ſarcinulas portans ad Patrem, ipſi vultui Dei, & quid emit, & quid redemit, & vnde redemerit, oſtendit. Tu ergo, illo negocioſo, otioſus eſſe diſponis? illo laborante, quieſcere? Ipſe venit negociari in regionem longinquam, & tu ad regiones proximas ambulare contemnis? Aggredere, & ingredere regionem diſſimilitudinis, videlicet mundum iſtum, & vide quàm frequentes ibi nundinæ, quantæ germinent, & regerminent vanitates; prorſus diſſimilitudinis, quia regionem ſimilitudinis, vbi ad ſimilitudinem Dei facti nos fuimus, amiſiſſe nos conſtat. Nunquid non magna diſſimilitudo, de Paradiſo ad infernum, de Angelo ad iumentum, ad diabolum de Deo? Vade ergo per forenſes tumultus, & hîc decertantes circunſpice. Quantùm verò colligo, in tribus cauſis natat omnis voluntas. Alij diuitijs, alij honoribus, alij gloriæ innituntur.

Curris ad Indiam, Aethiopiam circuis, maria tranſis, & alium orbem tibi aperis nauigando, vt diuitias congreges. Fugis patriam, ignoras filios, diuelleris ab vxore, & omnium neceſſitudinum oblitus quæris vt acquiras, acquiris vt perdas, perdis vt doleas, theſaurizas, & ignoras cui. Filij hominum, vſquequò graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Et hoc quidem pro diuitijs. Audi & breuiter de honoribus. Ducem te conſtituerunt, & data eſt tibi facultas, vt miſer ſis, & ampliùs non quieſcas. Cumulatur materia ſolicitudinum, & inter ærumnas cor ipſum exedentes, neceſſe eſt vultum induere gaudiorum. Nunquid in honore ſine dolore, in prælatione ſine tribulatione, in ſublimitate ſine vanitate eſſe quis poteſt? Miſeri, iuxta Philoſophum, mercedem miſeriarum amamus, ipſas execramur. Regum nobis animos induimus, & quicquid nobis ex voluntate non reſpondet, ſtatim euocat iram, nec communis recogitatur humanitas, & tamen eſt vermis arrodens, qui conſcientiam iugiter torqueat, timor potentiæ ſuperioris. Hæc eſt iuſtiſſima lex, vt ſic viuas cum inferiori, quemadmodum ſuperiorem vis viuere tecum. Audi & de gloria. Si quæris gloriam, omnibus inuidiæ ſemina præbuiſti. Inflatus es, & ventilatorio ſpiritu plenus diſrumperis, nec attendis quot te ſequantur, ſed quot præcedant. Conglomerantur omnes ad detrahendum tibi, ad maledicendum linguas acuunt, & argutiſſimus es, ſi vel linguam, vel manum inuidorum poſſis euadere. Ecce vnde glorioſus eſſe volebas, inglorius eſſe cõuinceris. Nullũ enim inexorabilius pſequitur multitudo, quàm illum

6 Attende ſanctorum monachorum exercitia.

qui ſibi multitudinis arrogat principatum. Iunge his tribus potentiam,& voluptatem,quæ & ipſa tenui, & perfuſorio gaudio rapiuntur, & videbis quia copia pauper eſt, honor humilis, vilis gratia,potentia debilis, & laborioſa voluptas,vt,iuxta Apoſtolum,omnem intellectum in Chriſti obſequium redigamus. Relege maximum illum Latinorum Philoſophorum, & in illius verbis meam inuenies eſſe ſententiam. Contemne igitur hæc omnia, quia omnia contemnenda,& de his omnibus fac ſarcinam tuam,contemptum mundi.

7 Ecce quomodo ſancti ſtatim poſt mortem euolāt ad cœlū.

Decurſa verò hac regione,& quod pretioſius eſt inde ſublato,tranſi ad ſecundam,quæ eſt Paradiſus clauſtralis. Verè clauſtrum eſt Paradiſus. Hîc prata virentia ſcripturarum,præterfluens lachrymarū vndoſitas,quam de puriſſimis affectibus amor ille cœleſtis eliquat. Hîc ſunt arbores erectiſſimæ, chori ſanctorum,nullaq; eſt,quæ non multa fructus gaudeat vbertate. Hæc eſt illa ſublimis menſa,in qua Deus eſt,& cibans & cibum,munerans & munus, offerens & oblatum,conuiua & conuiuium. Hîc aggeſtæ ſunt Omnipotentis diuitiæ,hîc refuſa eſt gloria Angelorum. Putas'ne nullas hîc eſſe nundinas, & otiari illos, qui habitant vnius moris in domo? Videas hunc ſacris 6 lectionibus intendentem,illum incumbentem orationibus,hunc pro ſuis exceſſibus lachrymantem,illum in Dei laudibus exultantem, hunc vigilantem,ieiunantem illum,& officia pietatis ſibi adinuicem inuidere. Nocte conſurgunt ad confitendum Deo;veſpere,manè,& meridie narrant,& annunciant laudem eius;& omnis illorum ſedulitas in orbem diuini rotatur obſequij. Curre ergo per omnes,curre per ſingulos, & de vniuerſis,& ſingulis fac ſarcinam tuam,formam viuendi.

8 Vide rurſus patentiſſimū locum pro Purgatorio. Nec obſtat quòd Auguſtinus dixerit quādoq; non inueniri ſe tertium locum, quia loquitur tūc de locis perpetuis animarum. Purgatorium autem non eſt locus perpetuus.

9 Nota viuorū ſuffragia animab' defunctorū prodeſſe. Nota etiam requiri ſatisfactionem pro peccatis. Nō ergo ſufficit ſola Xpi paſſio, ſed opus eſt, vt illa quoque per noſtras ſatisfactiones, & pœnalitates nobis applicetur.

Relicto ergo mundo,& modo viuendi ſuſcepto,tranſi ad tertiam, quæ eſt regio expiationis. In hac regione benignus Pater examinat filios rubiginoſos, ſicut examinatur argentum,ducit per ignem, & aquam, vt inducat in refrigeriū. Trinæ ſunt diſtinctiones locorum, quas pro diuerſitate meritorum animæ ſortiuntur. Ad cœlum namq; ſtatim 7 euolant,qui domicilio corporis vſi ſunt, tanquam carcere,qui defæcatam,puramq; ſubſtantiam vtriuſq; hominis ſeruauerunt. E contrario qui fecerunt vſq; ad mortē,quæ digna ſunt morte,locis gehennalibus ſine miſericordia deputantur. Qui verò neutrum ſunt, ſed ſunt inter vtrunque,qui mortalia quidem commiſerunt,ſed circa mortem pœnituerunt pœnitentiam non explentes, indigni vt ſtatim gaudeant, nec digni vt ſemper ardeant,loca 8 purgatoria ſortiuntur,in quibus flagellantur, ſed non ad inſipientiam ſibi,vt extorti transferantur ad Regnum. Pro his, qui in cœlo ſunt, non orandum,quia eos,non pro eis orare debemus Pro his,qui in inferno ſunt, ſuſpendendæ ſunt preces, quibus clauſa eſt miſericordiæ ianua, & totius ſpes intercluſa ſalutis. Pro illis tantùm vigilandū eſt in 9 orationibus,ſubueniendū ſacrificio ſingulari,qui locis purgabilibus emundantur,vt benignus Pater pœnitentiam eorum in ſatisfactionem,ſatisfactionem in glorificationem citò conuertat. Curre iterum per iſtos intuitu pietatis,& fac ſarcinam tuam,affectum compatiendi.

Quarta regio,eſt regio gehennalis,regio dura,regio extimeſcenda, terra afflictionis,terra obliuionis,terra miſeriarum,terra tenebrarum,terra turbinis,& caliginis,terra maledictionis, & mortis, in qua nullus ordo,ſed ſempiternus horror inhabitat. Totus tremo,atq; horreo ad memoriam regionis iſtius,& cōcuſſa ſunt omnia oſſa mea. Illic eſt ignis,qui non ſuccenditur,vermis qui non moritur,frigus horrendum. Ibi fœtor intolerabilis exoritur, percutientes mallei reſonant inceſſanter,obfuſæ tenebræ cumulatiùs indenſantur. Illic confuſio peccatorum, horribilis facies dæmonum,inextricabilium vinculorum fertilis multitudo. Ibi fletus,& ſtridor dentium, planctus,& gemitus, & alternantia mala impios ſine pietate diſcerpunt. Nihil ſic valet ad extirpandas voluptatum radices, quàm

iſtorum memoria, & recordatio vulnerum Domini mei, qui ſtetit ante iudicem, qui alapas accepit, qui flagellatus eſt, conſputus, qui coronatus ſpinis, qui colaphis cæſus, qui ſuſpenſus in ligno, cui pendenti inſultatum eſt, qui mortuus in Cruce, qui lancea percuſſus, qui ſepultus, qui reſurrexit, qui aſcendit ad cœlos, qui fecit nos Regnum, & ſacerdotes Deo, & Patri. Curre per has tumultuantes nundinas, vt viuens deſcendas in infernum, & fac ſarcinam tuam, odium peccati.

Quinta regio eſt Paradiſus ſupercœleſtis, regio beata, & glorioſa, plena voluptatis, & gloriæ, ſuauitatis, & lætitiæ, gratiæ, & benignitatis. Ibi requies à labore iucunditas de nouitate, de æternitate ſecuritas. Ibi eſt ciuitas Regis magni, cuius plateæ cõſtratæ ſunt auro puriſſimo, quæ fœcũdata eſt in ſaphiris, in qua iaſpidis propugnacula præuireſcunt, & per ordinem lapides inſternuntur. Nam lapides pretioſi omnes muri eius. Illic omnes viuunt, nullus moritur, omnes exultant in voce exultationis. Intrauerat Dauid in ſanctuarium eius, & mente exceſſerat Deo, nec tamen aliquid aliud potuit aſportare, niſi, Quia glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei: & illud, Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te. Neſcio quid magnum promittitur, videre Deum, & laudare. Lætatus ſum & ego in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus. Iam ſtamus in atrijs Hieruſalem, iam è veſtibulo magnæ ciuitatis gaudia ſomniamus. Curre igitur & per regionem iſtam, & fac ſarcinam tuam, amorem Dei.

Negociamini ergo, donec veniat homo ille nobilis, qui abijt in longinquam regionem accipere ſibi regnum, & reuerti. Reuertetur plane, & tunc cum vſuris exiget pecuniam, quam tradidit nobis. Nihil perdit, nihil obliuiſcitur, nihil impunitum relinquit. Supplicemus 10 igitur Confeſſori, vt Redemptori noſtro, amico ſuo pro nobis hodie ſupplicare dignetur, qui eſt Deus benedictus in ſecula. Amen.

10 Hortatur auditores ad ſupplicandum Sãcto, vt ſupplicet pro nobis.

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

SERMO IN FESTIVITATE SANCTI CASSIANI MARTYRIS.

1 Celebrandæ Sanctórum ſolẽnitates.

ADMIRABILIS, & glorioſa noſtri diſpenſatio Cõditoris, ita curſum noſtræ mortalitatis inſtituit, fratres chariſſimi, vt per ſuccedentium viciſſitudines temporum, diuerſæ nobis victorioſorum Chriſti militum 1 feſtiuitates occurrãt, quæ noſtros animos ad amorem illius ſummæ, & continuæ ſolennitatis accendant. Planè cùm totius anni circulum triumphalibus modò Martyrum, modò Confeſſorum titulis Deus omnipotens variat, quid aliud, quàm velut fertum gloriæ conſtruit, quod vtriq; decora liliorum, atq; roſarum varietate depingitur? Inter quas nimirum feſtiuitates & hodierna non ignobilis eſt, Hippolyti ſcilicet, & Caſſiani martyrum, quæ tanquam geminum rutilat duorum lumen aſtrorum. Qui profectò Regis æterni ſtrenuiſſimi bellatores, diuerſis quidẽ locis diuerſis ſubiacuere ſupplicijs, ſed vna vtriq; erat cauſa certaminis, quia non diſpar vtrunque armauerat profeſſio veritatis. Enimuerò Caſſianus, cui potiſſimum famulaturus eſt ſermo, diu quidem latuit, ſed cùm ad certamen peruentum eſt, quid acrimoniæ, quid ſaporis, quid fortitudinis granũ ſinapis occultaret, aperuit. Nam iuxta nominis ſui præſagium, cùm in paſſionis pila perſecutorum manibus pindi cœpit, & atteri, mox fragrantiam odoriferæ ſuauitatis, quæ in ſe latebat, aſperſit. Caſſia ſiquidem ſpecies eſt aromatica, quæ integra quidem nullius eſſe videtur odoris, trita autem naturalis vim ſuauitatis emittit.

Beatus itaq; Caſſianus (vt geſtorum illius teſtatur hiſtoria) dum ſcholaris doctor exiſteret, breuibusq; notis verba comprehendere pueros erudiret, pro fide Chriſti ad quæſtionem deductus eſt. Cùmq; zelo ſuccenſus fidei, iudicum decreta contemneret, & ſacrificia profana calcaret, diſcipulorum manibus ad cruciandum traditus eſt, vt illis verſa vice pœnas exolueret, quos ipſe dudum ſub diſciplinæ ferula terruiſſet. Mox itaq; indumentis exutus, manibus poſt terga ligatus, armato ſtylis, & tabulis puerorũ furentium agmine circũfunditur, qui vndiq; compunctus, atq; diſcerptus, toto corpore laceratur. Nouum planè, & inuſitatum

genus martyrij inſignem Deo martyrem conſecrauit. Videtur autem hæc martyrij ſpecies ad ſimilitudinem comparandam, nulli melius poſſe congruere, quàm ipſi Regi martyrum Deo Saluatori. Nam & ille à ſuis diſcipulis occiſus eſt, Iudæis videlicet, quibus præcepta decalogi proprio digito deſcripta tradiderat, quos cerimonijs ſuis, ſacrificiorum'q; ritibus inſtruxerat, quos certè ad omnem viuendi rectitudinem, tanquam teneros ſub diſciplina pueros informauerat. Sicut ipſe per Eſaiam dicit: Filios enutriui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me. Nam & illi carnales Iſraëlitæ puerorum nomine digni fuerant, qui mandata legis, Prophetarum'q; myſteria non ſenili grauitate penſabant, ſed omnia ſuperficietenus, ac pueriliter intelligebant.

2 Signo Crucis muniri nos debemus, vt victores ſimus.

Deſunt aliqua.

Hinc eſt, quòd & hic inuictiſſimus Chriſti miles beatus Caſſianus inter grauiſſima pœnarum ſuarum tormenta ſuperari non potuit, quia non eum ferrea lorica circundedit, non galea criſtata protexit, ſed lignum tantummodò Crucis armauit. Nam qui ligni huius 2 vexillo munitur, ſpiritualis inſultus nequitiæ ſecurus aggreditur. Hoc ſignum contra Dauid ad bella egrediens Philiſtæus ille ſacrilegus ignorabat, atque idcirco mox in frõte percuſſus interijt, vbi ſcilicet vitæ ſibi ſignaculum non impreſſit. Hoc ſignum ſalutis in fronte 3 depingitur, vbi videlicet ſacerdos ſummus in lege auri laminam in gloriam, & decorem ponere videbatur; in qua ſcilicet lamina illud glorioſum, & ineffabile nomen Domini Tetragrammaton videbatur inſculptum. Quod nimirum quid aliud, quàm Crucem videbatur exprimere Saluatoris? Sicut enim Crux quatuor habet cornua, ita & nomen illud quatuor literis conſtat. Crux ergo, decor, & gloria ſacerdotalis officij, in fronte ponitur, vt ſuperliminari domus agni cruore perfuſo, tranſeuntis Angeli gladius euadatur. Et contra in hac corporis parte Rex ille Ozias lepra percuſſus eſt (iuxta Prophetæ vocem dicentis: Imple facies eorum ignominia) qui dum regali culmine arroganter intumuit, ſacrificandi licentiam, quæ ſolis 4 debebatur ſacerdotibus ſibimet vſurpauit.

3 Signũ Crucis in fronte depingitur.

4 Sacrificandi poteſtas ſolis data eſt ſacerdotib⁹. At non omnes ſunt ſacerdotes, ſed peculiariter initiati. Alioqui percutiuntur à Deo, q huc ſeſe ingerunt. Quod adumbrauit percuſſus ob id ipſum, lepraq; infectus Ozias.

Hoc ſignum Dauid in ſpiritu præuidens gratulabundus aiebat: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine. Ideoq; ſubiungit: Dediſti lætitiam in corde meo. Quàm precioſum, quàmq; mirificum Crucis ſignum eſt, fratres mei, quod & ſuperbos quoſque cum ipſo ſuperbiæ auctore deſtruit, & pro Chriſto certantes in prouectum gloriæ triumphalis attollit. Ecce, inquit Symeon, poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſraël. Precioſum, inquam, ſignum Crucis. Sed prout geſtamus in fronte, vtinam portemus 5 in corde. Ille enim cordi ſuo ſignum Crucis veraciter habet impreſſum, qui Chriſtum, qui in Cruce ſuſpenſus eſt, diligit, qui eum toto cordis amore complectitur, qui certè in eo totis viſceribus delectatur, qui quæque ab eo prohibita reſpuit, qui ſibi mandata cum amore cuſtodit. Sunt enim inimici 6 Crucis Chriſti, quorum (vt Apoſtolus ait) finis interitus, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt. Sunt & amici Crucis Chriſti, quorum videlicet conuerſatio in cœlis eſt. In tremendo nempe iudicio inter ſiniſtros erit, quiſquis vitalis huius ſigni characterem non habebit. Nec ab eo, qui crucifixus eſt, Iudice refert præmium, qui ſibi Crucis inſigne non oſtendit impreſſum. In libro quippe Ezechiel hoc ſignum Dominus in frontibus gementium, & dolentium præcipit imprimi, deinde cæteros omnes, qui abſque hoc ſigno reperti ſunt, iubet occidi. Nam ſi diligenter inſpicimus, ipſa quoque mandata veteris teſtamenti ſacramentum Crucis redolere ſentimus. Cùm enim lex diuinitus data ſub denario numero traditur, qui videlicet numerus per X literam deſignatur, quid in hoc aliud, quàm figura Crucis exprimitur? Hæc enim litera Crucis habet

5 In corde ſimul, & fronte geſtanda Crux, at in corde potiſſimum. Is autem in corde geſtat, qui Chriſti mandata ſeruat, non qui dicit: Dñe, Domine: Gratia Dei: Sanguis Chriſti.

6 Inimici Crucis Xp̄i, qui carnalẽ p̄dicant libertatem.

ſpeciem, quæ dum denarium numerum in ſe comprehendit, Cruci militare omnia mandata legis euidenter oſtendit.

Amemus ergo, dilectiſſimi, Chriſtum, amemus Crucem, & vnuſquiſque noſtrum ſolerter inuigilet prauam in ſe reprimere voluntatem. Signum hoc vitæ non exprimamus tantummodo in fronte carnis, ſed recondamus inſuper in intimis viſceribus caſtæ, & ſobriæ voluntatis, implentes illud, quod ſponſæ ſponſus iubet in canticis. Pone me, inquit, vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum. Perſpicuum eſt, quòd cor cogitat, brachium operatur. Ille ergo Chriſtum ſuper cor ſuum, quaſi ſignaculum ponit, qui eum medullitus diligit, qui ad eum feruenter anhelat, qui eum anxiè flagitat, qui in eius deſiderio ingiter perſeuerat. Ille verò ſuper brachium ſuum ponit Chriſtum, qui extrinſecus quoque eius mandatis inſiſtens, quem in viſceribus cordis occultat, etiam in operatione demonſtrat. Nam & nos in quolibet membro noſtro ſignum ponimus, vt rei, quæ nobis chara eſt, memoriam non perdamus.

Habeatur igitur Chriſtus in corde, habeatur in operatione ſignaculum, vt eius in nobis ſemper viua memoria & ſubrepentium cogitationum praua compeſcat, & in his, quæ extrinſecus agimus, Crucifixi characterem euidenter exhibeat. Enimverò ſi nobis Chriſtus ſignaculum fuerit, & ipſe nos ſibi grata viciſſitudine ſignaculum ponit. Iuxta quod Zorobabel Duci Iudææ pollicetur, dicens: In illa die ſuſcipiam te, Zorobabel ſerue meus, & ponam te ſicut ſignaculum in conſpectu meo. In conſpectu namq; Dei iuſtus ſicut ſignaculum ponitur, quia per continui amoris gratiam in eius memoria ſemper habetur. At contra de impio Rege Iecoaia, qui quoniam Dei omnipotentis immemor erat, in eius & ipſe non merebatur eſſe memoria; Si fuerit, inquit, Iecoaias annulus dexter in manu mea, inde euellam eum.

Quod inuiolabile, firmumq; ſignaculum beatus martyr Caſſianus in pectore ſuo poſuerat, qui in tanta fidei conſtantia immobilis permanebat. Illiduntur plagæ verberum, infliguntur vulnera punctionum, intorquentur irriſionum iacula, vincula manibus innectuntur, accedit & nuditas corporis, ſed & ſpectaculum circumlatrantium vndiq; deriſorum. Inter hos procellarum ſæuientium turbines, inter iſtas denique crebreſcentium grandinum tempeſtates ſtat firma columna Dei prorſus immobilis. Non concutitur, nõ quaſſatur, ſed lapidi, ſuper quem fundata eſt, recta ſemper, & firma conſtanter innititur. Dicebat enim: Quis me ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Illi fremebant dentibus; iſte mitis Agni mundi peccata tollentis patientiam cogitabat. Carnifices inferendo ſupplicia, ſatiabant cruentam pectoris rabiem; iſte iam ſecurus in mente verſabat cœleſtis gloriæ dignitatem. Atq; (vt ita dixerim) cautus, ac prudens iſte negociator, fratres mei, quàm felices cum remuneratore certantium Chriſto nundinas contrahebat? Deponebat ſiquidem ſarcinam carnis, atque ad ſtolam feſtinabat Angelicæ claritatis. Deſerebat ferulam crudelium puerorum, vt ſanctorum fieret ſocius Angelorum. Poſtponebat magiſterium literas edocendi, atque ad illud vnum alacriter properabat Verbum, cui militant cuncta per orbem volumina literarum, Chriſtum Dominum noſtrum, qui cum Deo Patre in vnitate Spiritus Sancti viuit, & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

Eiuſdem

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI

DE QVIBVSDAM MIRACVLIS

DOMINO DESIDERIO VENERANDAE RELIGIONIS ABBATI PETRVS DAMIANI MONACHVS DEVOTISSIMI FAMVLATVS OBSEQVIVM.

CV M in meo pectore tuæ charitatis ardor inextinguibiliter ferueat, meq; circa tui memoriam tepeſcere non permittat, mihi nuper aliquid in memoriam venit quod me mittendæ tibi legationis admonuit. Nam dum in tui contemplatione ſedulus habitarem, & Angelico fratrum, ſanctoq; conuentui, ſic in cordis obtutibus, velut corporaliter intereſſem, inter alia multa, repente tuarum recordatus ſum literarum, quas tu quidem ſub interrogatione miſiſti, ſed his ego Synodali ꝓpeditus inſtantia adhuc non reſpondi. Et hæc in illis (ſi reminiſci valeo) continebantur epiſtolis: Quia zelotypa quædam mulier habens virum ex adulterij fraude ſuſpectum, qualiter eum ſibi vendicare poſſet proprio toro contentum, à uicina petijt muliere conſilium. Quæ nimirum peruerſa, & vltricibus flammis euidenter obnoxia, hoc eam ſacrilegium venenata ſerpentis antiqui ſuadela perdocuit, vt corpus Dominicum quaſi communicatura perciperet, quod cautè reſeruans, viro ſuo poſtmodum non ſine quibuſdam maleficijs propinaret. Quod videlicet à ſacerdote perceptum, & vſque dum occaſio præberetur, palliolo reſeruatum, non ſine magno dedit ſtupore miraculū. Hæc enim particula Dominici corporis, inuenta eſt vſq; ad medietatem in carnem 1 eſſe conuerſam; altera verò medietas, panis ſpeciem non mutauit.

1 Ecce in hoſtia conſecrata veraciſſimum corpus Chriſti latitans, manifeſto ſe prodit miraculo, cōtra impios,

Itaque (ſi rite reminiſcor) hoc propoſuiſti. Deinde quid portenderet inquiſiſti. Super qua quæſtione, quia non neceſſe eſt diutius immorari, breui compendio quid mihi videatur expediam. Idcirco Deus omnipotens ſacroſanctum illud myſterium in carnis ſpeciem vertit, vt perfidiam reprobæ mulieris argueret, dum viſibilem Dominici corporis oſtenderet veritatem, quatenus quæ

2 Quid hîc obijcieur hæretici in Sacramentũ adeò ſacrilegi, vt pro ſigno dũtaxat, non pro veritate illud habeant?

purum panem (vt videbatur ante) credebat, veræ 2 carnis ſpeciem cerneret, ſicq; ſacrilegam cœpti ſceleris audaciam ſuo ipſa iudicio condemnaret. Quòd autem medietas ſic remanſit, ad euidentioris indicij teſtimonium proficit, vt dum in vna, eademq; ſubſtantia hinc panis, illinc carnis adeſſe conſideras ſpeciem, in vtroque veræ carnis, veriq; panis indifferenter intelligas veritatem, quia & ipſe eſt panis, qui de cœlo deſcendit, & ipſa nihilominus caro, quæ de virginalis vteri materia prodijt.

3 Ecce aliud veracis præſẽtiæ Domini in Sacramento euidẽs argumẽtum.

Nã & veſter ille finitimus piæ recordationis Amalphytanus Epiſcopus (nomen neſcio) Stephano Romauo Pontifici, me præſente, ſub iureiurando teſtatus eſt, quia cùm aliquando ad menſam Domini ſacrificaturus accederet, ſed ſuper ſacramento Dominici corporis incredulus hæſitaret, in ipſa confractione ſalutaris hoſtiæ, rubra prorſus, ac perfecta caro 3 inter eius manus apparuit, ita vt etiam digitos illius cruentaret, ſicq; ſacerdoti omnem ſcrupulum dubietatis auferret. Vbi notandum, quàm ſit immane periculum, indignis manibus attrectare tam terribile Sacramentum. Sed quid de ſacramentis ipſis eloquimur, cùm etiam ſuper eos aliquando, qui ex eorum vaſis 4 offendunt, terribiles fieri ſententias videamus?

4 Puriſſimis tractandum manibus vel vas ipſum ẽ, nedũ Sacramentum. Quid ergo his miſeris fiet, qui ſuis ſordibus cõſpurcant omnia?

Arnaldum certè Aretinæ ſedis Epiſcopum tu quoque familiariter agnouiſti. De hoc mihi Martinus Eremita, magnæ ſcilicet opinionis vir, ac celebris famæ narrauit: Quia ex quodam ſui iuris monaſterio calicem aureum abſtulit, & quibuſdam imminentibus neceſſarijs, alienauit, cui nimirum calici nobilis, ac deuota mulier, quæ eum ſanctis obtulerat, anathematis titulum, ne ab aliquo tolleretur, prouidè fecit inſculpi. Interea cuidam fratri ſopore depreſſo videre contigit quendam lacum nimij caloris ardore feruentem, & piceos, ſulfureosq; fœtores non ſine tetri fumi voluminibus exhalantem. Circa quem lacum teterrimi quidam velut Aethiopes, nigris ſimiliter equis, ſed excelſis, inſtar turrium, inſidebant. Intus autem innumerabilia crudelium tortorum monſtra; damnatorum verò videbantur horribilia, ac diuerſa ſupplicia. Inter quos ſubitò contigit vt etiam Arnaldum videret Epiſcopum, quem videlicet in illis præ nimietate caloris exundantibus aquis ceruicetenus immerſum, terribiles duo Aethiopes conſtringebant, quorum alter ſartaginem ferream, alter calicem aureum in manibus habere videbatur; ſed iſte cum ſartagine calicem replebat aqua, & ille labijs Epiſcopi protinus eundem calicem apponebat. Sic itaque nunquam ceſſabant, & ille poculum labijs hiantis immergere, & iſte coactus indeſinenter haurire. Quid multis immoror? Hanc viſionem audiuit Epiſcopus; vt monaſterio reſtituat calicem, ab amicis omnino ſuggeritur. Ille ſub fortaſſis ambiguo reddere pollicetur. Sed dum res incraſtinando differtur, immò dum circa ſalutem ſuam ille non vigilat, cœleſtis ſuper eum ſententia non dormitat. Nam & beatus Petrus de his, qui fictis verbis in auaritia negociantur, ait: Quibus iudicium iam olim non ceſſat, & perditio eorum non dormitat. Quadam itaque die, tertia propinquante iam hora, in caſtelli, vbi erat, crepidinem, ſellam præcepit afferri, vt ſurgentis calorem Solis exciperet, ac matutini frigoris reliquias propulſaret. Cùmq; reſidenti domeſtici eius ſerui, atque contubernales aſſiſterent, & ille ſecurus, hilaris, ac iucundus, faceta cum eis & vrbana verba miſceret, ſubitò repentinus dolor in eius verticem, tanquam gladius, irruit, eumq;, Morior, Morior, exclamare cœpit. Mox baiulantibus neceſſarijs defertur ad lectulum, myſterium ſacroſanctæ communionis accepit, ac ſpiritum protinus exhalauit.

5 Timeant igitur noſtræ ætatis hæretici, qui Romani Pontificis anathema floccipẽdunt.

Timeat ergo quiſquis vel Eccleſiaſtici myſterij vtenſilia diſtrahit, vel tremendi 5 anathematis elogium paruipendit, ne dum quaſi ſecurus ambular, latentis eum iudicij laqueus comprehendat. Heu miſerabilis valde, & infelix

humana conditio. Certè præfatus Epiſcopus, licet in hunc negligentiæ torporem obrepſerit, alias tamen acutus erat, ingenioſus, & cautus, tantæq; facundiæ, vt dum expeditiſſimè in verbis decurreret, circunciſus labijs dici non immeritò potuiſſet. Sed cùm Apoſtolus dicat: Prudentia carnis mors eſt, prudentia Spiritus vita, & pax: quid prodeſt, ſi quiſpiam ſeculi huius prudentia calleat, ſi in genij viuacis obtutibus abdita cōprehendat, ſi verſuta calliditate, tanquam Proteus, in varia ſe formarum monſtra conuertat?

Interea ſub huius occaſione ſermonis, illud in memoriam redit, quod olim Tedaldus Epiſcopus prædeceſſor iſtius, in feſtiuitate beati Donati conſtitutus in pulpito, ſermoni, quo concionabatur, adiecit. In Longobardiæ, inquit, finibus vnde originem duco, vir erat verſipellis ingenij, & acutiſſimæ ſubtilitatis, duplex animo, ſermone lepidus, concinnandis, fabricandisq; commentis edoctus, in reperiendis, ac variandis conſilijs vehementer aſtutus. Nunquam erigebat brachia contra torrentem, ſed ex quocunque latere mundani turbinis eum aura proflaret, ille protinus aptum calliditatis, atque verſutiæ pallium opponebat. Accidit autem, vt hunc poſt obitum quidam frater nocturna viſione conſpiceret. Lacus erat igneus, qui flammiuomis vaporabat incendijs, & crepitantibus ignium globis terribilem cernentibus incutiebat horrorem; quem lacum trabalis enormitatis videbantur obſidere dracones, variaq; ſerpentū genera hinc inde p circuitum ſpatiari. Vir autem ille, quem diximus, in ipſa flammarum ſtridentium voragine coarctatus, tentabat quidem effugere, ſed obſtantibus beſtijs, dolebat aditum non patere. Modò ſcilicet ex hac parte fugam parabat, ſed ecce ſerpens obuius aderat. Per aliam partem erumpere ſatagebat, ſed ecce rurſus alia beſtia laxo gutture ſtridens, iter occluſerat. Illa rurſus, & alia ad euadendum loca tentabat, ſed inſurgentibus beſtijs omnino meatus aufugij non patebat. Porrò autem cùm Veritas dicat: Eadem menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis: hoc illi iuſto Dei iudicio cōtingebat. Sicut enim ille per carnalis aſtutiæ vanitatem, ex quibuslibet huius ſeculi ſe nouerat laqueis expedire, ita poſtmodum verſa vice nullo valebat ingenio ſupplicium, quo cruciabatur, euadere. Qui nimirum ſi prudentiam, qua callebat, in diuinis ſtuduiſſet exercere mandatis, non cremaretur inter rabida ora ſerpentium, ſed gauderet potiùs inter agmina beatorum.

Vnum planè contigit in noſtris partibus de quodā carnaliter ſapiente, quod dignum non eſt ſilentio præterire. Fanenſis quidam primarius ciuitatis, Hugo nomine, ipſa nocte, quæ, peracta Paraſceue, ſacroſanctum ſabbatum Dominicæ ſepulturæ præcedit, cum armis, & armatis ingreſſus Eccleſiam, in qua diuinis vacabatur officijs, peroſum ſibi violenter hominem cœpit, ac iugulis crudeliter mancipauit. Quem quia noua præſumpſit, nouo Deus omnipotens ſupplicio cōdemnauit. Nam cùm ſenſum mentis (inquantū mihi videtur) integrum teneat, omnes eum tanquam veſanum, exinanitum, atq; dementem conſpuunt, abijciūt & exprobrant. Halitum quippe eius (iuxta querelam beati Iob) vxor exhorret, eumq; velut arreptitium nurus explodit, ad menſam, ſiue colloquium filius non admittit, auertunt oculos famuli, dedignantur amici, clientes, milites, affines, atq; propinqui, Epiſcopus etiam ciuitatis, & (vt compendioſè cuncta complectar) omnis clerus, & populus iam ferè per duodennium arbitrantur eum mentis impotem, & veſanum, nullumq; cum eo, tanquā in energumeno, dignantur habere conſortium. Porrò, cùm diues ſit, & exuberans domus eius, fluunt pannoſæ, & illotæ veſtes, horret inculta cæſaries, caput eius diuturni ſudoris fœtet iniuria, corpus totum per longam ſordet incuriam.

Hic planè, cùm me adeſſe cognoſceret, me cōcitus adijt, mala quæ patiebatur expoſuit, querelā de ſuis ſobrio ſermone digeſſit, & (quātum ex tenore verborū eius colligere potui) rationabiliter declamauit. Itaq; cōuenı filiū, Epūm quoq;,

ac de ciuitate quàplurimos,& ſubtiliter inquiſiui,quid inordinatũ,quid delirũ, quid ineptum in illo conſpicerent,pro quo illi veſaniam imputarent. A quibus vtique nihil aliud,& ne vnum quidem certi ſigni verbum addiſcere potui, niſi hoc tantùm: Quia demens eſt. Quod omnes ore conſono vnanimiter aſſere-bant. Cùmq́; ego dicerem: Quomodo id ſcitis,quibus'ue indicijs eum inſani-re conſpicitis? nihil aliud inuenientes,idipſum denuo replicabant: Demens eſt. Quod mihi videtur profundum, atque admirabile Dei omnipotentis eſſe iudi-cium,vt qui prudens,& ſciens ſponte deſipuiſſe cognoſcitur, prudens, & ſciens opinione veſaniæ puniatur,& qui ſponte factus eſt furioſus, demens ab omni populo iudicetur inuitus. Meritò contra votum adiudicatur inſaniæ,qui volun tate propria conatus eſt inſanire. Enimverò ſi veraciter fureret,eò minus mi-ſer eſſet,quòd deſpectus ſui mala,quæ patitur,ignoraret. Non itaq; ſicut mortuus ſeculi,qui non ſentit,ſed ſicut mortuus eſt inferni, qui iugiter moritur, & mor-tem ipſam ſentire non deſinit. Saluo nempe illo terribili in mundi fine iudicio, nunc etiam omnipotens Deus non modò crudelia quælibet facta, ſed & ſuper-ba,ſiue ſacrilega, prout dignum eſt, vlciſcitur verba. Vindicauit ſiquidem quòd Balthaſar ſacra vaſa temulentus indignè tractauit; nec dimiſit inultum, quòd Nabuchodonoſor arroganter elata verba deprompſit. Non'ne, inquit, hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ,& in gloriam decoris mei? Et ecce (ſicut Propheta teſtatur) cùm adhuc ſermo eſſet in ore Regis,vox de cœlo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonoſor Rex; Regnum tranſijt a te,& ab hominibus te eijcient,& cum beſtijs, atque feris erit habitatio tua. Puniuit præterea Dominus Sedechiam Regem Iuda,quia per re-probos actus Dei mandatum contempſit. Vltus eſt etiam Ananiam Prophetam non quia malum fecit,ſed quia mendacium protulit. Cui Hieremias; Non,in-quit,miſit te Dominus,& tu confidere feciſti populum iſtum in mendacio. Id-circo hæc dicit Dominus: ecce emittam te a facie terræ,hoc anno morieris.

Nouis quoque temporibus accidit, vt in Burgundiæ regno quidam clericus eſſet,ſuperbus nimis,ac tumidus, & non modò carnali vitæ ſeculariter deditus, ſed & contra ſuum ordinem terribiliter bellicoſus. Hic itaque cùm Eccleſiam beati Mauritij multis inclytam prædijs,ſuis ditionibus vſurparet,potens autem quidam è diuerſò ſui iuris eſſe, non ſine magna liuoris,atque certaminis animo ſitate contenderet,tandem belli dies vtroque paciſcente ſtatuitur; & à multis hinc inde frementiũ armatorũ agminibus conuenitur. Potens autem ille,quem diximus,nuncium ad hoſtilia caſtra direxit,qui & apparatum belli ſolerti ſpe-culatione perpenderet,ac ſibi celeriter nunciaret. Fortè tunc clericus Miſſam cum his,qui dimicaturi erant,ſuis fautoribus audiebat. Cùmq́; ad Euangelium veniretur,in fine lectum eſt: Omnis,qui ſe exaltat,humiliabitur,& qui ſe humi-liat, exaltabitur. Illico clericus in hanc ſacrilegam vocem protenus erupit: Hæc,inquiens, ſententia vera non eſt; nam ſi ego me meis aduerſarijs humiliter inclinaſſem,hodie tot poſſeſſionum,atque clientium copias non haberem. Re-uerſus autem nuncius dño ſuo fideliter retulit non modò quod in bellici præcin ctus apparatu conſpexit,ſed hoc etiam,quod ex ore clerici tumidè loquentis au diuit. Tunc ille plaudens in Domino lætus efficitur, atque ad ſpem proculdu-bio obtinendæ victoriæ milites cohortatur. Conglobatis itaque diuerſorum cu neis armatorum,ex vtraque parte pugna committitur, vires viribus opponun-tur,depreſſa telorum ſylua deponitur,& humanis inflicta corporibus arma graſ ſantur. Habebat autem clericus equam,quam videlicet præliaturus aſcenderat, tantæ velocitatis,ac roboris,vt nullus ſibi videretur equus, aut mulus ad dimi-candum poſſe præferri. Caſu, immò Deo diſponente,contigerat, quòd præce-denti nocte iumentũ illud ſtabulo ſolutũ abſceſſerat, aceruumq́; ſalis inueniens

ex eo

ex eo plurimum comederat. Clericus itaque dum in acie cõſtitutus,ſuper aquæ riuulum deueniret,ibi'q; cominus aduerſantium armis arma conferret,iumentum vt erat aſſumpti ſalis copia ſitibundum, frenum de manu rectoris violenter extorſit, ſuis'q; totum viribus vendicauit, ac ſtatim caput in aquam ad bibendum inhianter immerſit. Ille verò,dum ea manu,qua ſcutum tenebat, cum iumento confligit, hoſtilibus iaculis faciem coactus exponit; & ecce repente gladius os eius fulminis more transfixit;tali'q; vir reprobus vitam ſuam fine concluſit.

O quàm congruè in illa pertulit corporis parte vindictam, qua nigri fellis in Dominum vomuerat blaſphemiam. Nam cùm Propheta de talibus dicat: Filij hominum,dentes eorum arma,& ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus: qui linguam ſuam,& dentes aduerſus Deum gladij more vibrauit,dignè per eadem membra materialis gladij pœnas exoluit. Iſti planè contigit,quod Dominus in Euangelio dicit: Quia ſuper decem & octo homines turris Syloë cecidit,& occidit eos. Quem verò myſticè turris illa ſignificat,niſi illum,cui Pſalmiſta decantat: Deduxiſti me,quia factus es ſpes mea,turris fortitudinis à facie inimici? Huic enim expoſitioni ipſum quoque Syloë nomen adgaudet. Syloë ſiquidem interpretatur Miſſus. Haud dubium, quin ſit ille, qui dicit: Qui me miſit, mecum eſt. Et ibi cœcus à natiuitate lumen accepit ab eo,qui ait: Ego ſum lux mundi. De caſu iſtius turris alibi ſub figura dicitur lapidis: Omnis,qui ceciderit ſuper illum,confringetur; ſupra quem verò ceciderit, conteret eum. Super hanc turrim,ſiue lapidem,cadit homo,atque confringitur,cùm per fragilitatem aliquam peccat;ſed eius ſuper ſe ruina conteritur, cùm ſuperbè blaſphemat. Turris ergo Syloë ſuper hunc clericum cecidit,& ſicut blaſphemando meruerat,omnino contriuit.

Et quid mirum,ſi grauia nos peccata tormentis addicant, cùm ſubtile Dei iudicium impunita etiam minima non relinquat? Immò quid nouum, ſi reprobæ locutionis ſacrilegium damnat,cùm ipſa quoque laudis ſuæ præconia, niſi dignè ſint deprompta,contemnat? Adraldi nempè prudentis, & religioſi viri, qui Bremetenſi præminet monaſterio,didici relatione quod ſcribo,quod etiam inditum literis eſſe dicebat. Clericus,inquit, Colonienſis Eccleſiæ vadum fluminis tranſibat,& ecce beatus Seuerinus eiuſdem Eccleſiæ nuper Epiſcopus equi eius habenas apprehendit,eumq; retinens ſiſtit. Cumq; ille in ſtuporem verſus,& grauiter admiratus,cur illic tã clarus,& tã celebris famæ vir moraretur,inquireret; Da mihi, ait, manum tuam, & quæ circa me ſunt,non auditu diſce,ſed tactu. Cùmq; datam manum fluctibus Epiſcopus impreſſiſſet, tantus eam ardor abſorbuit,vt vndiq; carnes eius reſolutæ diffluerent,& oſſa nuda vix hærentibus articulis remanerent. Ad quem Clericus; Cùm nomen, inquit, tuum in tanta benedictione ſit apud nos,& fama tua conſonis totius Eccleſiæ præconijs celebretur, cur te peſtilens hæc vorago conſtringit,tanto'q; (proh dolor) incendio cruciaris? Ad quem ſanctus Epiſcopus: Nihil, ait, aliud in me remanſit vltione plectendum,præter hoc tantùm,quia dum in aula regia conſtitutus imperialibus me conſilijs vehementer implicui,canonicæ ſynaxis officia per diſtincta 6 horarũ ſpatia non perſolui. Manè quippe ſimul omnia coaceruans,tota die negocijs ingruentibus ſecura libertate vacabam. Ob hanc itaq; negligentiam horarum,ardoris huius fero ſuppliciũ. Tu verò omnipotẽtis Dei clementiã humiliter implora,vt manum tuam in ſalutis priſtinæ reſtituat ſtatum. Quod cùm factum fuiſſet: Vade,inquit,filij,obſecra fratres noſtros Eccleſiæ clericos, & alios ſpirituales viros,vt pro me preces 7 fundant,indigentibus ſubſidia conferant,ſacrificiorum votis inſiſtant. His enim peractis,ego mox de vinculo pœnæ huius indubitanter expediar,& expectantibus me beatorum ciuium choris lætus adiungar. Quod certè magnam nobis debet inferre formidinem, quia cũ ſanctum virum

6 Quanto igitur ardebũt incendio huius ætatis pſeudoChriſtiani, qui nõ modò tẽpore ſuo horas non perſoluunt canonicas, ad quas ex profeſſione tenẽtur, ſed eas etiã cum cuculla, habituq; proijciunt, & ſub libertatis nomine,ſanguinis'ue Dominici prætextu,apoſtatæ perditiſſimi efficiuntur? Hi ſanè non in lacunis terrenis, ſed tartareis, & perpetuis flammis cõburentur.

7 Ecce hîc palàm cernis & Purgatorium eſſe, & oblata pro defũctis ſuffragia prodeſſe plurimùm,& Miſſam eſſe ſacrificium.

vni culpæ duntaxat obnoxium, tam intolerabilis Purgatorij pœna conſtrinxerit(væ,væ)quæ mihi,meisq; ſimilibus eſt inferenda ſententia,quos tot reatuum prolixitas grauat? Diſtinguenda ſunt ergo per momenta temporum Eccleſiaſticæ 8 inſtitutionis officia,& ſub magna diuini timoris,ac reuerētiæ dicēda ſunt diſciplina,ne dum pſallimus, fructum ſpiritus cum carnis deſidia miſceamus. Quid enim prodeſt,hoſtiam Deo laudis offerre,& per torporem negligentiæ fœdis eam cogitationibus inquinare? Hanc porrò boni,maliq; mixturam locus ille ſignificat Euangelicus,vbi dicitur: Quia docente Domino, aderant quidam ipſo in tempore nunciantes illi de Galilæis, quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificijs eorum. Nam quia Pilatus Os malleatoris interpretatur, quid per hunc,niſi diabolum debemus intelligere,qui paratus eſt ſemper homines offenſionum ictibus verberare? Vnde & virgam ſuper humeros hominum tenere dicitur p Prophetā. Virgam,inquit,humeri eius ſuperaſti,ſicut in die Madian. Quid verò ſanguis,niſi peccata? Quid ſacrificia,niſi rectas,& acceptabiles Deo ſignificant actiones? Pilatus ergo Galilæorum ſanguinem cum ſacrificijs miſcuit,quia malignus ſpiritus vel orationes noſtras prauis cogitationibus polluit, vel opera bona peccati cuiuslibet attaminatione corrumpit,vt ſanguis ſacrificium polluat, dum reatus offenſio oblatam Deo recti operis victimam fœdat. Vnde ſcriptū eſt: Quia cùm Abraham Deo ſacrificium de pecoribus,ac volucribus deuotus offerret, deſcenderunt volucres ſuper cadauera, & abigebat eas Abraham. Quid enim exprimunt volucres,niſi reprobos ſpiritus per aëra volitantes. Volucres ergo à ſacrificio noſtro repellimus, cùm operum noſtrorum victimas à malignis ſpiritibus eas fœdare tentantibus,prouidè cuſtodimus.

8 Inſtituta Eccleſiaſtica ad vnguem ſeruāda ſūt. Quid ergo humana decreta,Pontificios'ue canones aſpernantur hæretici?

Idem ſanè,quem prædiximus,Adraldus,dum in Burgundiæ regno mihi conuiator incederet; In hoc,inquit,loco,per quem nunc tranſitum habemus,aliquid contigit,quod ſi dicimus, non videtur otioſum. Frater quidam noſtri cœnobij (haud dubium quin Cluniacenſis) piæ mentis,& rectæ conuerſationis vir, hinc aliquando tranſibat,& ecce crinitus quidam, quaſi ex Hieroſolymitana peregrinatione veniens,palmam ferebat in manu. Cùm'q; peregrinus,& monachus inuicem obuij ſeſe altrinſecus pertranſiſſent,ait ille,Completorium in lecto,nec ſalus eſt,nec profectus. Quod frater audiens admiratus expauit, ac repente poſt terga reſpiciens,eum videre non potuit. Mox enim vt verbum protulit, omnino diſparuit. Ille verò ad conſcientiam mox reuerſus, inuenit quia pridiano veſpere laſſus de via redierat,& feſſa in lectulum membra proijciens 9 iacendo canonicas horas compleuerat. Vtrum ille Angelus fuerit,an reuera(ſicut videbatur)homo, Dei ducimus relinquendum eſſe iudicio.

9 Animaduerte quanti ſit momenti,horas omittere canonicas, cùm obiurgatione afficiatur, qui eas negligentiùs exoluit.

In hac etiam eremo fontis Anellani,vbi nunc habito,prior quidam fuerat,nomine Ioannes,qui lentis quibuſdam infirmitatibus macilētus videbatur ſemper, & gracilis. Hac itaq; ſui corporis imbecillitate confiſus,ſæpè iacens in lecto Cōpletorium decurrebat. Accidit autem,vt dæmoniacus quidam non procul abeſſet,qui multa hominum ſecreta,& obſcœnos actus impudēs propalaret. Cùm'q; præfatus Ioannes dæmonem exire præciperet, & quibuſdam exorciſmi quæſtionibus flagellaret; Tu'ne,ait,ille es,qui ſub cetto 10 quotidie Completorium inſuſurras? & modo'me quaſi ſanctus eijcere, & iuris mei vaſculū de meo vis dominio liberare? Hoc audito,frater erubuit,quia rei veritatem etiam per mendacij recognouit auctorem.

10 Si dæmones laceſſunt diuini neglectum officij, quid, obſecro, Angeli facient?

Alter etiam eremita, qui vocabatur Ioannes de Anſo,cùm ei,vt egrederetur, vehementer inſiſteret,ac diuini nominis adiurium erebriùs intentaret; Nunquid oblitus es, ait, hac tibi nocte quid fecerim? Nam (ſi non excidit) certus es,quia dum ego me in apri ſylueſtris effigiem verti, tu me quaſi venator infeſtabaris. Sed qui videbar aper,ſubitò ſpeciem venuſtæ mulieris aſſumpſi,atq; in oſculum

tuum ruens,vt ſemen effunderes,cum gloria triumphaui. Cùm itaque reprobus ſpiritus de fratre delinquente per ſoporis energiam ſe glorietur habuiſſe triumphū,quanto putamus eum gaudere 11 tripudio ſuper his,qui labūtur in adulterium,vel inceſtum? Vnde ſæpè Deus omnipotens terribile exhibet etiam in hac vita iudicium,nec tamen miſeri homines deſinunt iterare pleƈtendum.

11 Quantò verò magis dæmō hac ætate de Lutheranorum ſacrilegijs geſtit, qui ſub cōiugij prætextu, Deo dicatas violant?

Nam Robertus Gallorum Rex, auus iſtius Philippi, qui in paterni iuris ſceptra ſucceſſit,propinquam ſibi copulauit vxorem, ex qua ſuſcepit filium anſerinum per omnia collum,& caput habentem. Quos etiam virum,& vxorem omnes ferè Galliarum Epiſcopi communi ſimul excommunicauere ſententia. Cuius ſacerdotalis ediƈti tantus omnem vndique populum terror 12 inuaſit,vt ab eius vniuerſi ſocietate recederent, nec præter duos ſibi ſeruulos ad neceſſarij viƈtus obſequium remanerent; qui tamen & ipſi omnia vaſa,in quibus Rex edebat,vel bibebat,percepto cibo,abominabilia iudicantes, pabulum ignibus exhibebant. His tandem Rex coarƈtatus anguſtijs,ad ſanum conſilium rediens,diuortit inceſtum,inijt'q; legale connubium.

12 Sedulus hîc quæſo, inſpicias, quàm ſit Pontificiū anathema formidādum, quantum'ue apud Deū valeat. Quod tamē perditiſſimi huius ætatis homines floccifaciūt.

Sed & Otho Rex Teutonicorum,qui poſtmodum Imperator creatus eſt Romanorum,Adalahidem Italiæ Reginam, quæ ſibi commater extiterat, ſuſcepit in coniugem. Quem filius eius Almificus,qui Maguntinæ præſidebat paſtor Eccleſiæ,cœpit conſtanter arguere,& ſceleſtum, luridum'q; coniugium publicè condemnare. Pater autem vehementer iratus,eum comprehendi præcepit, & carcerali mox cuſtodiæ mancipauit;quem per annale circiter ſpatium carcer incluſit, ſed à correƈtione linguam terroris vinculum non ligauit. Cum verò pater eum, quadrageſimali decurrente ieiunio,de cuſtodia decreuiſſet educere, antequam pſalterium expleret,quod aureis exarabat apicibus,recuſauit exire. Veruntamen cùm exiuit,zelo ſacerdotalis accenſus auƈtoritatis,nō quieuit,ſed mox in patrem iaculum publicæ excōmunicationis intorſit. O' verè dignum regio genere ſacerdotem,qui in cauſa Dei non imperiale faſtigium,non paternum recognouit affeƈtum,ſed dum paternam,ac regiam auƈtoritatem in ſolo Deo conſtituit,hunc hominem eius legibus reſiſtentem à ſe prorſus extraneum deputauit. Dixit autem patri: Tu arbitraris me aduerſum te inſolenter agere,te verò præiudicium ſuſtinere; ſcito prænoſcens quia die ſanƈto Pentecoſtes vterq; ſimul aſtabimus ante Deum,ibiq; ventilabitur inter nos librata iuſtitiæ lance litigium. Ibi luce clarius apparebit,quis noſtrum æquitatis lineam teneat, quis Dei legibus contradicat. Faƈtum'q; eſt, ipſo, qui diƈtus eſt, ſacroſanƈtæ ſolennitatis die,vt dum præfatus Auguſtus imperialibus infulis redimitus,multorumq; Pontificū choris,ſiue procerum vallatus agminibus,Miſſarum ſolennijs intereſſet,repētino ſuper eum veniente iudicio,repertus ſit 13 mortuus. Epiſcopus autem in Domino iam quieuerat. Sic ſic qui de inceſto coniugio contempſit inter homines iudicari, ad tribunal æterni Iudicis coaƈtus eſt pertrahi;& qui ſubieƈtum ſibi dedignatus eſt audire Pontificem,terribilem ſuper ſe non potuit euadere Maieſtatem.

13 Quāti apud Chriſtum ſit ſpiritalis cognatio ponderis,quanti etiam excōmunicatio Epi,hoc exēplo diſcant hæretici,qui vtrunq; tam impudenter contemnūt.

Hæc ego(venerabilis Pater) & alia quàmplurima, non ſine magnæ formidinis angore conſcribo, ne videlicet vel relatores mei meræ veritatis ſemitam non tenuerint, vel ipſe quoque relationum in quolibet immemor obliuione deliquerim. Veruntamen teſte conſcientia,non hæc mentiendi voto, ſed ædificationis affeƈtu,prout melius poſſum narrata recolere,ſatago ſchedulis adnotare. Si quid mihi tamen in his obliuionis obrepſit,immò quicquid humanæ conditionis infirmitate deliqui,antequàm nexibus huius carnis abſoluar, diuina mihi pietas tuis orationibus in memoriam reuocet, ac dignè lugere permittat, ne viuenti mihi pœnitendum quid manere poſſit occultum,quod morientis ſit oculis ingerendum.

Hugo deniq; Cluniacenſis Abbas cùm ad ſuum me monaſterium perduxiſſet,frater quidam ſenex in infirmorum domo, ingraueſcente totius corporis

tumore languebat. Hic porrò, cùm Abbatis comperijſſet adeſſe præſentiam,
lætus effectus diuinam cœpit implorare clementiam. Domine, inquit, quem nul-
14 lum latet occultum, quæſo, ſi quid reatus in me eſt, quod non ſim hucuſq; con-
feſſus, tu mihi misericorditer in memoriam reuoca, quatenus Abbati meo, dum
præſens eſt, purè 14 confitear, atque ab eo, qui ius hoc in me præ cæteris ha-
bet, iudicatus abſoluar. Hoc dicto, huiuſmodi vox auribus eius inſonuit: Certè
eſt, certè eſt aliquid in te, quod confeſſus adhuc non es. Cùm'q; ille vocem ſolam
audiret, ſed à quo procederet non videret, orando ſubiunxit: Exprime, Domine,
manifeſtè quid hoc ſit, vt confeſſus corrigam quod erraui. Porrò vox eadem, pec
catum quoddam (ſicut quærebat) ſignanter expreſſit, quod ille à ſe commiſſum
illico recognouit, & Abbati feſtinanter accito facta confeſſione, purgauit; pau-
cis'q; poſt diebus in ſancta pace defunctus eſt.

Aduertant hæc Confeſſionis contemptores.

Non talem ſortitus eſt finem clericus ille, de quo mihi idem Hugo Cluniacen-
ſis monaſterij Rector fida relatione narrauit. Religioſus, inquit, quidam Epi-
ſcopus in expeditione poſitus, cùm veniſſet ad ripam cuiuſdam fluminis, ſubſti-
tit, ibi'q; laſſus recreare ſpiritum cœpit. Cùm'q; illic tranquillè quieſceret, audi-
uit vocem de fluminis alueo prodeuntem, & hæc verba clariùs exprimentem:
Hora venit, homo non venit. His auditis, Epiſcopus ſolicitus redditur, & recogi-
tans hoc ſine myſterio eſſe non poſſe, aduentum rei ſolerti cuſtodia præſtolatur.
Sed dum attentus explorator expectat, dum'q; hæc & illa recogitat, ecce quidam
clericus agillimè properabat, equum'q; calcaribus atterens, amnem tranſire quan
tocyus feſtinabat. Admonuit autem ſuos Epiſcopus, vt obuios ſe venienti feſti-
nanter obijcerent, eum'q; à ſui curſus impetu retinerent. Cum'q; ille perniciter
properãs, flumen aggrederetur præcipitanter inuadere, ac ſine mora tranſire, il-
li'q; contra violenter obſiſterent, & gradum figere compuliſſent; ait: Quieſcite,
quæſo; dimittite me; recedite, quia iuſſio Regis vrget. Non eſt res, quæ differri
poſſit in poſterum. Myſterium Regis inſtat, ineuitabilis neceſſitas imperat.
Quid plura? Sanctus Epiſcopus eum violentiſſimè retentum, ſuperuenienti
nocte ſecum habere coēgit hoſpitium. Sed ò miſera hominis, ac lugenda con-
ditio, quæ faciliùs valet ſibi conſciſcere mala cùm deſunt, quàm vitare cùm im-
minent. Epiſcopo ſcilicet cũ ſuis graui ſopore depreſſo, ille vas aquæ in hoſpitio
reperit, in quod caput immergens, ſuus ipſe tortor effectus, ſe feraliter enecauit.
15 Sed ſicut iſte, licet occulto, diſtricto tamen Dei iudicio, carnis interitum pertulit;
Ita per eius piam clementiam mortem animæ, ſimul & corporis alter euaſit.
Nam quod 15 nunc dicturus ſum, & ex relatione iam dicti Cluniacenſis Ab
batis, & ex ore illius, cui res ipſa contigerat, frequentiùs audiui. Adoleſcens qui
dam erat in finibus Aquitaniæ, qui cum coæuis ſuis iuuenculis de animarum
ſuarum cœpit ſalute tractare. Deliberatione præmiſſa, tandem ſtatuunt, ac vna-
nimi inuicem confœderatione proponũt & mundani cultus pompas abijcere, &
ad monaſticæ conuerſationis ordinem commigrare. Sed dum res adhuc ſuſpen-
ſa differtur, dum rerum òrdo multiplici varietate concutitur, ipſe quoque tener
adoleſcentis animus fixus in ſuo propoſito non tenetur. Quid multa? Mutata
penitus mente, deſponſauit vxorem. Cùm'q; per proceſſum temporis mens eius
& memoriam ſancti propoſiti paulatim de ſe prorſus eraderet, & ſub prætextu
coniugij, ad explendam carnalis illecebræ voluptatem impatientiùs ebulliret, di
uina ſuper eum vigilãte clementia, ſubitò languore percuſſus eſt, ac paulò poſt
ad extrema peruenit.

Stomachum faciet prodigioſum hoc paradigma cœnobiticæ vitæ conuiciatoribus Cuius tamẽ veritatem experientur quandoq; niſi reſipiſcãt.

Neceſſarijs igitur, ac propinquis de iam quaſi defuncti diſputantibus ſepultu
ra, dum in medio poſitus videretur cadauer exanime, vix'q; tenuis quidam mo-
tus in eius pectore palpitaret; ecce duo teterrimi, ac trucis vultus Aethiopes
eum (vt ſibi videbatur) tanquam leones rugientes inuadunt, rapaci ferocitate
corripiunt,

corripiunt, de corpore violenter euellunt, mox pedes eius, & brachia duris alligant nexibus, ſicq́; velut hœdum in phalangam pendulum alter poſt alterum baiulare cœperunt. Quos autem dolores, & torſiones ipſe pertulerit, quot & qualia viderit, vel audierit, per quamplurima cum loca vectauerint, perlongum eſt nō tantùm ſtylo digerere, ſed ſimplicibus quoq; verbis ex ore per ordinē referentis audire. Hoc tantùm hîc inferre ſufficiat, quia dum per obſcuræ caliginis eum loca portarent, ecce beatus Petrus Apoſtolus ſplendidus, & coruſcans occurrit, eumq́; de portantium humeris raptum, nexibus, quibus angebatur, abſoluit. Illi mox, relicta præda, ſtridentes dentibus, & eiulantes abſcedunt, factumq́; ſibi præiudicium flebiles conqueruntur. Beatus autem Apoſtolus adoleſcentem ad Cluniaci monaſterium ſecum duxit, eiq́; forinſecus poſito ſeſe, donec reuerteretur, expectare præcepit. Ego, inquit, meum monaſterium ingrediens viſito, ac per circuitum cuncta perluſtrans, quid agatur attendo, deinde ad te, conſideratis omnibus redeo. Sed mox vt iſte relictus eſt ſolus, ecce crudeliores, & acriores iidem reuertuntur Aethiopes, & nō iam per manus, & pedes, ſed per genitalia ipſa corripiunt, eumq́; ſic non ſine grauiſſimo illius dolore ſuſpendunt. Nam velut ſi roſtro paſſer accipitris, vel aquilinis vnguibus columba rapiatur implumis, ſic à reprobis illis ſpiritibus miſer iſte corripitur, trahitur, libratus per verenda ſuſpenditur, & quaſi recuperata præda, quæ fuerat perdita, longiùs aſportatur, cùm ecce beatus Petrus radianti nimis, ac terribili ſplēdore conſpicuus, ſe tanquā fulmē iniecit, rapinam ſuam quaſi per impetum violenti ſpiritus apprehendit, & clauibus, quas manu geſtabat, raptores nequiſſimos acerrimè verberauit. Mox illum ad domum propriam vſq; perduxit, reddensq́; ſpiritum corpori, vtranq; ſaluti ſubſtantiam reformauit. Nam ille protinus conualeſcens, domui ſuæ ſine cunctatione diſpoſuit, atq; ad Cluniacenſe monaſterium properans, ſanctæ conuerſationis habitum feruida ſatis deuotione ſuſcepit. Sic itaq; diuinæ militiæ transfuga, dum paterni verberis diſciplina cœlitus eruditur, de manu cruenti prædonis eripitur, & ouis oberrans ad proprij paſtoris mapalia reuocatur. Sed iam ſe reprimens calamus cohibeat ſtylum, ne regulam breuitatis excedat epiſtolare compendium.

Scribite, ſi placet, diſticon iſtud in refectorio ſub pedibus Apoſtolorum.

Ignit Apoſtolicum linguarum flamma ſenatum,
Germinat & varias quaſi vox fœcunda loquelas.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS BERGOMENSIS SYNCERO LECTORI.

NE MIRERIS, optime lector, ſi ego, cuius propoſitum eſt, in hiſce Tomis vitas Sanctorum in lucem ædere, in fine huius Octaui tractatum hunc beati Petri Damiani de ſeculi contemptu ad monachos præcipuè ſpectantem poſui. Cùm enim in eo ipſo codice, vnde ex præcedentibus ſermonibus nonnullos excepimus, illum inuenerimus, viſum eſt incongruum, ea, quæ tam prudenter illic coniuncta fuerant, hîc ineptè admodùm, atq; indignè ſeparare velle. Prætérea cùm in eo nonnulla, eademq́; præclara virtutum Iacob, Dauid, Eliſæi, atq; aliorum patrum antiquorum exempla proponantur, licet alicuius illorum vita integrè non deſcribatur, quia tamen hîc, quæ veri monachi debeat eſſe vita, perfectè oſtenditur, idcirco nos monachalem ſtatum maxima vtilitate, quæ ex hac ipſa lectione hauriri poteſt, defraudare noluimus. Ipſum igitur libenter legas, & ſi quidem monaſtica profeſſione cenſeris, quæ in ipſo admonentur tractatu, plenè omnia adimplere ſatagitto. Si verò non es monachus, ab hac tamen lectione minimè deſiſtas, multa nanque inuenies, quæ tuæ laudabiliter, ac ſecundùm Deum inſtituendæ vitæ maximè conducibilia videbuntur. Vale, meq́; omnipotenti Domino tuis precibus aſſiduè commenda.

PETRI D'AMIANI HVMILIS MONACHI APOLOGETICVM DE CONTEMPTV SECVLI.

CAP. I.

DE CONTEMPTV 1 ſeculi huius, fratres chariſſimi, Albiſo videlicet venerabilis eremita, & Petre de mundi rhetore iam Chriſti philoſophe, ſæpè (vt noſtis) familiari quodam ſtudio diſputare ſoliti, tum de noſtra ipſorum imperfectione doluimus, tum etiam de nonnullis huius ſacræ militiæ fratribus per abrupta vagantibus conqueſti ſumus. Ad tantam quippe fecem quotidie ſemetipſo deterior mundus iſte deuoluitur, vt non ſolùm cuiuslibet ſiue ſecularis, ſiue Eccleſiaſticæ conditionis ordo à ſtatu ſuo collapſus iaceat, ſed etiam ipſa monaſtica diſciplina ſolotenus (vt ita dixerim) reclinata, ab aſſueta illa celſitudinis ſuæ perfectione langueſcat. Perijt pudor, honeſtas euanuit, religio cecidit, & velut facto agmine omnium ſanctarum virtutum turba procul abſceſſit. Omnes enim quæ ſua ſunt quærunt, & contempto cœleſti deſiderio, terram inſatiabiliter concupiſcunt. Et quia ſub ipſo mundi fine poſt ipſum inhiare non deſinunt, quaſi poſt alta pelagi in littus eiecti, terram remigio inaniter pulſant, dum adhuc peruicaces nauigare feſtinant. Et cùm laborandi finis proculdubio quies ſit, quibus vltro quieſcendi locus offertur, ſuperuacuo laboris ſtudio pœnaliter fatigantur.

1 Sit hic pius tractatus, tá quam ſpeculum quoddã hæreticis, in quo planè ꝑſpiciant errorem ſuum, quicquid de Monachis blaterent, quicquid cõtra illorũ inſtituta, decreta, mores, impiè, ac impudẽter admodũm, obloquantur.

DE MONACHIS, QVI AD EA, QVAE RELIQVERANT, REVERTVNTVR. CAP. II.

SED eſtò vt filij huius ſeculi in fluctiuaga ſecularium procellarum inundatione verſentur, & nunc ſemina, quibus propenſiùs oblectantur, aſpergãt, vt non quas voluerint poſtmodum fruges metant. Quid enim mihi, iuxta Apoſtolum, de his, qui in mundo ſunt, iudicare? Nos autem, qui mundi abrenunciatores dicimur, qui terreni fluctus naufragium euaſiſſe gloriamur, cur ad illud

denuo,velut quodam vortice violenter abſorbente,relabimur? Cur ad ea, quæ pro diuino amore contempſimus, retrogradis nitentes greſſibus, malè æſtuanti deſiderio recalemus? Cur nō veremur illud inhoneſtæ ambitionis importunitate repetere, quod neq; terrena iura,neq; diuinæ legis auctoritas vetuerat poſſidere? Porrò nos fecimus, vt à nobis iuſtè poſſeſſa,noſtra non fierent, & quæ noſtri iuris erant,in aliorum dominium tranſlata prodirent. Quod ergo conſilium fuit,in tam periculoſum noſmetipſos certamen adducere, vt contra omnium humanarum, diuinarum'q; legum decreta, quarum videlicet pace fruebamur,nunc neceſſe ſit dimicare? Nos ſiquidem minimè laceſſiti vltronea temeritate bellum mouimus,& nunc contra ſacræ ſcripturæ ſententias confligere non timemus.

QVO'D MINV'S PECCAVERVNT ANANIAS, ET SAPHYRA, QVA'M MONACHI, QVI PECVNIAS HABENT. CAP. III.

2 Nota, nullā nobis ſupereſſe excuſationem, ſi à peccatis nō abſtinuerimus, qui innumerabiliū ſanctorū patrum vitas, atq; præcepta poſt Apoſtolos præ oculis habemus.

QVIS, rogo, Ananiam, & Saphyram rebus proprijs abrenunciare coëgit? Sed quia vterq; pro ſuſtentanda quaſi longa vita retinuit aliquid, repētinæ mortis ſententiam non euaſit. Et quia nequaquam iuxta abrenunciatorum regulam contenti ſunt viuere,iuxta præuaricatorum animaduerſionem coacti ſunt immaturo exitu infeliciter expirare Et quidem illi,vtpote rudes,& ad fidem denuo venientes, necdum fortaſſe ad plenum Euangelica præcepta didicerant,necdum ſacri nouæ doctrinæ codices ad publicum in commune proceſſerāt;attamen qui in ipſo fidei tyrocinio quodammodo ſimpliciter peccauerūt,diſtricto quidem,ſed pio iudicio, ſola(vt credimus)ſunt corporis morte mulctati. Nos autem,qui cūcta ſacri eloquij volumina nouimus, qui innumerabiliū ſanctorum patrū 2 vitas,atq; præcepta poſt illud aureum Apoſtolorum ſeculum exiſtentium,præ oculis aſſidua diſcuſſione verſamus,ante tribunal Chriſti quid excuſationis obtendere,quod tergiuerſationis argumentum poterimus inuenire? Ecce longè nobilioris quæſtus obtentu, quæſtus,& lucra terrena non modò reliquimus,ſed & perpetuam 3 eorum abrenunciationem non homini,ſed Deo potiùs profeſſi ſumus. Si ergo adhuc marſupio noſtro nummus includitur,ſi ad interni ſpectatoris iniuriam quantumlibet pecuniæ reſeruatur, quid illi in reddenda ratione dicemus? qua nos defenſionis arte purgabimus? Huc accedit,quòd illi vacillante adhuc fide in nulla videbantur Eccleſiaſtica poſſe ſuſtentatione confidere, nimirum dum in ipſo Chriſtianæ religionis exordio ipſæ quoq; Eccleſiæ necdum fuerant per materiale ædificium fabricatæ. Nos autem,qui vbiq; terrarum tam largiſſima Eccleſiarum 4 patrimonia cernimus,vt quotidie,dum mundus imminuta poſſeſſione cōtrahitur,Eccleſia copioſiſſimè dilatetur, ſi tanquam defuturis alimentis lucrum carnale reponimus,dum nobis in poſterum prouidendo diteſcimus, theſauro fidei nos vacuos eſſe monſtramus. De quo Apoſtolus;Habemus,inquit, theſaurum iſtum in vaſis fictilibus. Et dum cautionē,quam cum Chriſto pepigimus,frangimus,violatæ fidei potiùs tormenta metuere,quàm præmia poſſumus de noſtra conuerſione ſperare. In conuentione etenim pacti, quod inter duos fit, ſponſionis vox ex vtraq; parte procedit,vt nimirum vterlibet,qui condicta ſeruauerit, modum deliberati fructus accipiat;è contra qui tranſgreſſus fuerit, iacturam violatæ ſponſionis incurrat. In pactione autem illa,qua cum Deo conuenimus,vox noſtra hæc

3 Agnoſcas hîc Religioſorum vota ſolennia.

4 Eccleſiarum patrimonia diſcito, quæ huius ætatis hæretici diſtribuere in vulgus conantur.

proculdubiò fuit quia Chriſtum ſequentes,mundum,& quæ ſunt mundi, abrenunciare promiſimus. Diuina autem vox conſequenter ad iſtam reſpondit: Amen dico vobis,quia vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſraël. Et hoc quidem, ſi propoſitæ ſponſionis iura ſeruamus. Alioquin ſi poſt terga reſpicimus,terribile mox oraculum diuinæ comminationis audimus: Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro,aptus eſt Regno Dei. Ecce audiuimus,quia perfectis renūciatoribus nō qualiacunq; munera,ſed ſedes promittuntur, ſuper quibus videlicet ſedebunt iudices facti,qui de ſuis olim timuerant exceſſibus iudicari. Nimirū decebat,ut hæc dexteræ excelſi immutatio fieret,quatenus qui amore perfectionis pro Chriſto effecti ſunt pauperes,iam cum Chriſto diuites facti, communiter ſedeant cœleſtis curiæ ſenatores,ſicut ſcriptum eſt: Nobilis in portis vir eius,cùm ſederit cum ſenatoribus terræ.

QVOD MONACHVS NEQVEAT CHRISTVM, SIMVL ET PECVNIAS POSSIDERE. CAP. IIII.

QVI verò ad ea,quæ reliquit,terrena quælibet congerendo ſ reuertitur,ſicut alienus eſt à ſeculo,quo ſe decreuit exuere, ita etiam regno Dei aptus vltra non eſt,quod indubitanter acceptū noluit poſſidere. Fatuus nimirum viator,nec eò reuerti poteſt,vnde irreuocabiliter prodijt, & quò ire diſpoſuerat,non peruenit. Enimuero cùm mundo renunciauimus, proprietatem noſtram cœlum eſſe conſtituimus, & nos illius proprietas conſequenter eſſe ſti ſumus,vt & ille eſſet portio noſtra,& nos peculiariter hæreditas ſua. Dicimus enim: Portio mea,Domine: & ille nobis: Opus manuum mearum tu es,hæreditas mea Iſraël. Nam de hæreditate terræ ſcriptum eſt: Hæreditas,ad quam in principio feſtinatur, in nouiſſimis benedictione carebit. Si ergo portio mea ipſe omnipotens Deus eſſe dignatur,quod,rogo, diuitiarum genus quiſpiam valebit acquirere,quod ſuper hunc ſingularem theſaurum meritò debeat cumulare? Theſaurus nanq; ille huiuſmodi eſt,vt ſi ſolus ſit, omnes in illo diuitiæ valeant veraciter poſſideri. In pectore nanq; Ieſu omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi ſunt. Si verò alias, atq; peregrinas diuitias ſuper hunc is,qui potitur,cōſtipare voluerit,illico vilis,atq; ignobilis copiæ dedignatur omnino conſortium; & indigni contubernalis impatiens,dum retineri putatur,amittitur,atq; hoc modo ex fruſtrati auolat manibus poſſeſſoris. Nemo enim poteſt Deo ſeruire, & mammonæ.

ſ Monachus à terrenis facultatibus abſtinere debet, tanquā proprijs.

Quapropter,ò monache,vis in tuo loculo recondere Chriſtum? Excute priùs nummum;neque enim in vno receptaculo congruè ſociatur. Nam ſi vtrunq; ſimul incluſeris,alterum ſine altero vacuus poſſeſſor inuenies. Quantò quippe in egenis mundi lucris copioſior fueris, tantò à veris diuitijs ærumnoſius inaneſcis. Nummus ergo ſi eſt,in aliena protinus iura concedat,vt vacuam tui pectoris arcam Chriſtus inueniat. Magnus nempe hoſpes in diuerſorij tui quærit anguſta deſcendere, atque idcirco ſolus vult, & ſine conſortibus habitare. Quem enim cœli, terræq; non valet vaſtitas capere, quo pacto in exiguo tui domatis angulo niteris illi peregrinos ad cohabitandum ſocios adhibere? Cedat, cedat terrena pecunia, vbi cœleſtis theſaurus admittitur. Quæ enim ſocietas luci ad tenebras? Quæ conuentio Dei ad mammonam

iniquitatis? Abijciatur ergo pecunia æruginí,tineæ'q;, & furtis obnoxia. Vacet exedra cordis,quæ cœleſti mercimonio poſſit impleri. Nolite,inquit,theſaurizare vobis theſauros in terra,vbi ærugo,& tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur.

QVO'D MELIVS EST, HABITA RETINERE, QVA'M ABIECTA REPETERE.

CAP. V.

PERICVLOSIOR nanq; eſt animæ pecunia, cùm acquiritur, quàm cùm vltro ſuppeditans poſſidetur. In iſta ſiquidem terreno more eſt iuſta poſſeſſio,in illa verò feralis ſæpè regnat ambitio. Salubrius ergo fuerat,habita quieto animo poſſidere, quàm abiecta nō ſine quadam rancoris anxietate requirere. Pudeat ergo te,ò miles Chriſti,peritura in hoc ſeculo facultate diteſcere,ne in futuro cogaris nudus,& inops perpetuò mendicare. In talis quippe militiæ arma iuraſti, quæ nudos, & agiles expetit bellatores, onuſtos autem, atq; in Deo ſegnes, à caſtrorum excubijs donatiui arcet immunes. Abiurat illa militia ſarcinis prægrauatum, & ante tempus meritò ſubrogat expeditum. Non licet illic marſupia pendere nummorum, vbi thecæ tantummodò vibrantium cernuntur armorum. In bellicoſa ſcilicet acie,inerti pecuniæ nō tutò ſeruitur,vbi conſtipatis cuneis aſſidua dimicatione confligitur. Non ille ſolidorum ſummam ſecurus enumerat,qui circunfuſa hoſtiū multitudine telorum miſſilia indeſinenter expectat. Sepè nanq; in talibus dum talentum metalli cuiuslibet trutinatur,improuiſa veniens occulti hoſtis ſagitta, ſtomacho librantis infigitur; ſicq; fit, vt qui ſolus ſibimet ſine rei familiaris adminiculo minimè videbatur poſſe ſufficere, iam ſe, & ſua repentino caſu lugeat irrecuperabiliter amiſiſſe;& qui pauper cū Chriſto in libertate dedignatus eſt viuere, diues abſq; illo,ſed ſeruus pecuniæ,compellitur damnabiliter interire. Audi quid diuitibus vox diuina promittat: Væ vobis,diuites,quia recepiſtis cōſolationem veſtram. Præterea & hoc,quod Iacobus dicit: Væ vobis,diuites.Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt, aurum, & argentum veſtrum æruginauit,& ærugo eorum in teſtimonium vobis erit,& manducabit carnes veſtras,ſicut ignis.

QVO'D AVARVS, NVMMICOLA VERIV'S, QVA'M CHRISTICOLA NVNCVPETVR.

CAP. VI.

AVDISTI, obſecro,nummicola & monache,quid tibi æſtus auaritiæ pariat? Audiſti ad quem finem pecunia congeſta perducat? Iuſtum quippe eſt,vt cuius nunc mens amore carnis ardet in concupiſcentia,illius poſtmodum & ipſa caro comburatur in pœna. Nunc fornax mentis inuiſibili concupiſcentiæ ardore ſuccenditur, dignum eſt,vt tunc quoq;

caro materialis incendij flamma inextinguibiliter depaſcatur. Audi adhuc, nummicola. Quòd autem te nummicolam appello, à qualitate tui operis vocabulum traho, non contumeliæ in te nomen vſurpo. Nummos enim colis, qui pecuniam diligis. Et cùm Dominus per Prophetam dicat: Vacate, & videte, quoniam ego ſum Dominus: vacationis quidem cultum, quem Deo debueras, nummis exhibes, circa quorum cuſtodiam vacas. Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Quocirca ſicut qui Chriſtum colit, iure Chriſticola dicitur, ita & qui nummis per cuſtodiam ſeruit, non immeritò nummicola perhibetur. Sed adhuc fortaſſe proprium cordis ſequi arbitrium iudicor, ſi etymologiam nominis huius ſacræ ſcripturæ teſtimonijs non affirmo. Ipſa nempe Veritas dicit: Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ. Ac ſi apertè dicat: Nemo poteſt Deum, ſimul & pecunias colere. Quod Apoſtolus manifeſtiùs declarat, cùm ait: Hoc autem ſcitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus (quod eſt idolorum ſeruitus) non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei. Tot ergo criminibus ſimpliciter enumeratis, dum ſolam auaritiam idolorum aſſerit ſeruitutem, luce clariùs docet, auarum non Dei, ſed nummorum, ac per hoc dæmoniorum eſſe cultorem. Sed dum in exponendo nummicolæ nomen diutius immoror, ab effundenda ipſa nummorum congerie manum diſputationis, immò diſſipationis auerto. Facta igitur tibi de proprio nomine ſatisfactione, nummicola, iam quod dicturus eram, vigilanter auſculta. Audi ergo quid de te, tuisq; ſimilibus Veritas dicat. Difficilè, inquit, qui diuitias habent, intrabunt in regnum cœlorum. Et hæc quidem ſententia de ijs, qui diuitias iuxta morem ſeculi poſſident. Cæterùm hi, qui, reiectis omnibus, denuo ad vomitum ſunt relapſi, niſi reſipiſcant, regnum cœlorum nulla vel cum difficultate poſſunt fiducia promereri.

QVOD ETIAM PARVA PECVNIA ANIMAM MONACHI IMMANITER LAEDAT.

CAP. VII.

SED ex iſto nummicolarum numero cerebroſus quiſquam fortaſſe non deerit, qui mihi ad iſta reſpondeat: Diuitiarum me cur mordaciter impetis, quem perexigua ſumma contentum vix paucos habere obolos cernis? Cùmq; hoc propriæ fragilitati conſentio, releuandæ tantummodò futuræ neceſſitati proſpicio, non affluere diuitijs quæro. Teſte ſiquidem totius fraternitatis meæ conuentu, à filo ſubtegminis vſq; ad corrigiam caligæ de monaſterij mei facultatibus non accipio. Et ſi proprijs me quibuſcunque reculis prorſus euacuo, qualiter viuo? Ecce proprietarius noſter, ſiue meliùs, vt ante, nummicola, paupertatis patrocinio vtitur, vt ipſe diues irreprehenſibiliter viuat: & vide quibus argumentorum fucis mortale vitium palliat, vt quodammodo ſepulchrum fœdis cadaueribus plenum ſuperductæ calcis albore candeſcat. Agè frater, ſi ex monaſterialibus impenſis commodum tibi ſperare licuiſſet, nunquid non veſtes, quas mox vt præberentur indueres, non autem pecuniæ lucra darentur, quæ loculis famulatura ſeruares? Cur non eodem compendio vteris in ijs etiam, quæ ab extraneis conferuntur? Videlicet vt percepto quolibet munere, mox neceſſaria redimantur, & virus apud te pecuniæ non moretur? Hoc enim modo & indigentiæ tuæ velox conſolatio

prouenit,& lepra pecuniæ fœdis te maculis non aſpergit. Cur autem tibi de exiguitate pecuniæ tanquam ſecurus applaudis, qui tibi ita ſiclum, ſicut & ipſum aſſem prohibitum eſſe non ambigis? Cui verò tota rei cuiuslibet vniuerſitas intercluditur, excuſationis aufugium de minutijs non luctatur. Qui totum ceſſit, pars illi proculdubiò non remanſit, præſertim cùm hæc ſit mentis humanæ natura, vt ita occupetur circa minima, ſi ſit indigens, ſicut erga multa, ſi diues. Siue enim ſumptuoſa diuitiarum inundatione circunfluas, ſiue tenuiſſima te rei familiaris anguſtia premat, ſententia illa mutari non poteſt: Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.

Crœſus, & Amyclas diuerſi quidem poſſeſſores, ſed non diuerſas circa hæc, quibus fruuntur, exhibent voluntates. Licet enim ille aureos metiatur, iſte milium numeret, diſcreta quidem facultatum quantitate cædunrur, ſed non indiſſimili circa illa, quæ cuiq; viritim ſuppetunt, amore tenentur. Porrò ſi exiguus mus, vel quodcunq; reptantium in quamlibet capaciſſimam tunnam caſu decidat, nunquid non protinus cum ſecuribus hinc inde concurritur, totum quicquid illud erat effunditur, cunctis'q; ſcreantibus, vomitum minante ſtomacho, nauſeatur? Si tenuiſſima veneni ſtilla pando oleris aheno diffunditur, non'ne totum, exculentius licet, edulium prorſus abominabile iudicatur? Si ergo perexigua mala largiſſima ſæpiùs bona corrumpunt, quo pacto te de lenocinante conſcientia iactas, quia minimum ſit, quod contra profeſſionis tuæ propoſitum priuata proprietate poſſideas? Nam (iuxta Apoſtlum) modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Et alibi: Qui modica ſpernit, paulatim decidit. Neq; enim primi parentes noſtri ex illo prohibito pomo frequentibus ſunt conuiuijs crapulati, cuius vna tantùm leguntur infauſta perceptione corrupti. Sed non idcirco momentaneæ vltionis plexi ſunt pœna, quia diutius non perſtitere tranſgreſſores in culpa.

QVALITER AD VERAS POSSIT MONACHVS DIVITIAS PERVENIRE.

CAP. VIII.

SI ergo, frater, quiſquis es, ſumptus te delectat acquirere, vnde futuræ poſſis occurrere paupertati, veras prouidus diuitias appete, veræ etiam paupertatis inopiam pertimeſce. Illius nanq; paupertatis intuitu, faciliimè paupertas iſta contemnitur. Illarum comparatione diuitiarum omnis terrenæ ſubſtantiæ copia, tanquam littorea alga, deſpicitur, quæ pedibus conculcatur. Igitur ſi verè contendis inopiam tædioſiſſimæ illius paupertatis euadere, ſtude in agro cordis tui optimarum frugum ſationes inſulcare. Teſte enim Apoſtolo: Qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim ſuo metemus non deficientes. Illud ſummum, & vnicum granum in noualibus tuæ mentis occulta, quod videlicet cadens in terra mortuum fuit, & multum attulit fructum. Hoc tibi theſaurus, hoc tibi ſit omnigenarum vbertas frugum. In illo acquirendi finem conſtitue; in illo omnem vtriuſq; vitæ fiduciam pone. Dominus enim omnium eſt, & diues in omnes, qui inuocant illum.

Enimuerò ſi granum illud competenti cura ſeruare ſtudueris, videbis apothecas interiores cellarij tui, auri & argenti, omnium'q; diuitiarum talentis affluere. Videbis

Videbis & horrea tua nouo prouentu ſegetum incomparabiliter redundare. Illum ergo theſaurum curioſa ſolicitudine iugiter excole; circa illum nocturnas, diurnasq; excubias vigili ſedulitate depende. In illo enim vno omnium diues eris, nec eorum, quæ tibi fuerint neceſſaria, copia poteris indigere. In illo quippe poſſidebis aurum diuinæ ſapientiæ, argentum ædificatricis eloquentiæ. In illo diuerſa pallia decoræ, & honeſtæ conuerſationis, bis tinctum videlicet coccum geminæ charitatis, colobium nitidæ caſtitatis. In illo byſſum patientiæ, flammeum birotinum diuini feruoris, purpuram regiæ dignitatis. Quia enim muriceo ſanguine tingitur, vt in purpureum colorem lana vertatur, quiſquis ſolio recti examinis ita præſidet, vt omnes ſuæ carnis illecebras, vitiorumq; barbariem violento imperio mundificare feſtinet, hic rex nō immeritò dicitur, & ſpiritualis purpuræ decore veſtitur. In illo diupiſticum virentis ſemper ſpei, nimirum vocatus in hæreditatem incontaminatam, immarceſcibilem, conſeruatam in cœlis. In illo habebis annulum fidei, armillas perfecti in actiua vita operis, dextralia etiam ſpeculatiuæ contemplationis. Læua enim eius ſub capite tuo, & dextera illius amplexabitur te. Et quid tibi plura pollicear, quandoquidem in illo omnium virtutum gemmis, cunctorum perfrueris chariſmatum margaritis? Nec tibi deerunt omnium mundorum ſcilicet, & immundorum animalium greges, quæ ſub virga tuæ tranſeant diſciplinæ. Immunda ſiquidem vitiorum armenta ſub tuæ ditionis imperio domabuntur, munda verò interioris tui hominis ventrem ſuauiſſimæ refectionis dapibus ſaginabunt. Ouini velleris turma delicatiùs accurata, dulcis innocentiæ præbebunt tuis ferculis alimenta. Domeſticæ altilium carnes non ceſſabunt in te diuini amoris augere pinguedinem. Vniuerſa genera volucrum ſupra mentis tuæ menſam ſumptuoſiùs inſtruent ſpiritale conuiuium. At verò taurina ceruix ſuperbiæ ſuppoſitum tuæ ditionis emugiet iugū. Equinæ luxuriæ effrenata libertas ſub te chamati oris mandet inſatiabiliter ferrum. Omnes beluæ vitiorum, vniuerſa portenta reptilium, tremefacta paucbunt tuæ dominationis imperium. Et hæc quidem omnia in hac vita in tuum cedent vltro peculium, ſi pretioſum illum, ac ſingularem, quem prædiximus, cautè ſtudueris cuſtodire theſaurum. Cæterùm in illa veræ beatitudinis vita, quanta tibi, & quàm potiora dabuntur, non eſt (fateor) noſtrarum virium diſputare, non eſt noſtræ facultatis euoluere. Hoc tantùm ad compendioſum inexplicabilis negocij exitum referre ſufficiat, quia hoc accepturi ſunt, qui mundum perfectè reliquerunt, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quod præparauit Deus diligentibus ſe.

Hunc ergo theſaurum, Chriſtum videlicet Deum, & Dominum noſtrum, qui nobis factus eſt redemptor, & pretium, ipſe promiſſor, & præmium, qui & vita eſt hominum, & perennitas Angelorum, hunc, inquā, in exedra tui pectoris diligenti cura reconde. In illum omnem cuiuſcunq; neceſſitatis ſolicitudinem proijce. In ipſo per aſſiduæ orationis colloquium delectare. In ipſo te iugibus ſanctarum cogitationum epulis refice. Ipſe tibi ſit cibus, ipſe nihilominus indumentum. Si cōtigerit autem, vt etiam cuiuſpiam commodi exterioris indigeas, nihil hæſites, nihil de eius fida promiſſione diffidas, qua pollicetur dicens: Primùm quærite regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis. Qui enim ſitientibus Iſraëliticæ plebis agminibus ex illo aridæ metallo rupis vberes aquarum riuos iuſſit effluere, qui eſurientibus cœleſte manna per annoſa temporum potuit ſpatia miniſtrare, qui innumeram ortygometrarum multitudinem præcepit in murmurantium caſtra deſcendere, vni homuncioni ſuis iugiter obſequijs inſiſtenti non poterit neceſſaria prouidere? Et qui per quadraginta circiter annorum curricula, infinitæ illius turbæ veſtimenta ſeruauit illæſa, difficile ſibi eſt, attritis veteribus, nouas tibi exuuias reparare? Nos certè minimæ fidei, cōpellimus Chriſtū eſſe tenacem.

Nempe puſillanimorum diffidentia facit pauperem Chriſtum. At plena fides diuitem illum,& largum in exhibendis muneribus experitur. Satage tantùm in his te exercere quæ iuſſit, & nulla prorſus ex his maneat dubietas quæ promiſit. Sit ſecurus exactor,vbi ad reddendum promptus eſt debitor. Sine cauſa diffiditur,vbi ille promiſſor eſt,qui nunquã mentitur. Securus creditor graditur,cùm ſimplex veritas promiſſione tenetur. Hæc autem de proprietatem habẽtibus monachis breui perſtringere compendio voluimus; nunc autem ad eos,qui equinis veſtationibus aſſiduè delectantur,diſputationis articulum transferamus.

DE MONACHIS ASSIDVE' DISCVRRENTIBVS. CAP. IX.

NEC reor de veſtra excidere potuiſſe memoria,fratres chariſſimi,quàm ſæpenumerò de hac quoq; monachorum pernicie concordi inter nos familiaritate doluimus, & inquietis fratribus,ac vagationis vitio percuntibus,fraternæ charitatis affectu compaſſi ſumus. Sunt tamen nonnulli, quibus dum ſeculi militiam baiularent,pertæſum erat ſub humanæ ſeruitutis iugo huc illucq; diſcurrere,adeò vt deliberarent ad monaſteriale otium libertatis, & quietis amore tranſire; nunc autem tanto ſunt peſtiferæ inquietudinis ardore ſuccenſi,vt ſi quando non præbetur occaſio aiſtans longiùs progredi, tenebroſo carceralis cuſtodiæ videantur horrore concludi. Quod proculdubiò fieri antiqui hoſtis non ignoratur aſtutia. Quos enim adhuc ſeſſor nequiſſimus equitat,idcirco importunis vagandi calcaribus vrget, vt & ipſi ad ſeculi uanitatem redeuntes pereant, & alios ab arripiendo tramite veræ ſalutis auertant. Sunt enim quàmplures in ſeculari habitu conſtituti,qui niſi ad hunc monaſticæ inſtitutionis portum,Chriſto duce,confugiant,aliter ſe in illis procelloſis mundani pelagi fluctibus ſaluari poſſe omnino diffidant.

QVID LAICI DE MONACHIS SECVLARIBVS DICANT. CAP. X.

SED cùm contemplantur eos, qui nuper quæ mundi ſunt,cum magno feruore contempſerant, nunc ad ſecularium negociorum turbinem inhiantiùs redigi,& in eiuſdem,quam euaſerant, cœnoſa volutabri fece verſari, ſtupor mirantibus oritur, ſuſpirium ab imis viſceribus trahitur, & in eorum mentibus deſperatio generatur. In ſemetipſum nanq; vnuſquiſq; huiuſmodi querelam deponit,dicens: Væ,væ,vbi ego propriæ ſalutis ſpem poſui? Cur cum capitis mei periculo ad ordinem illum tranſire decreui? Paulominus breui puncto corpus,ſimul & animam perdidi. Penè me in ignem apertis oculis propria voluntate conieci. Quis enim illo feruentior aliquando monaſterium petijt? Quis (vt videbatur) animoſiori conſtantia ad Chriſti militiam properauit? Nunc autem omnium quæ promiſit oblitus,in terrenis ſe negocijs iugiter verſat, ſeculum tractat,ſeculũ ſpirat, et quẽ mihi mortificationis habitus diſſimilem reddit,mecum mundo non diſſimiliter viuit. Planè (vt perſpicuum eſt) mutare corpus exteriorem ſpeciem potuit, ſed mens in eo quo fuerat ſtatu malè fixa permanſit. Quid

mihi conuerſionis eius incentores accuſare? In rebus ſiquidem bellicis ſolummodò commilitonem perdidi, ſed in reliquis terrenis actibus ſocium non amiſi. Mecum certè forenſes lites agitat, mecum in tribunalibus iudicum perorare non ceſſat, mecum importùnus aria principum penetrat, mecum ſimul eorum auribus conſilia terrenæ profunditatis inſtillat. Sed qua temeritate ſocium nuncupare præſumo, quem iam non conſuetudinaliter ſocium, ſed in cunctis, tanquam pediſſequa, vix præambulum ſequor? Sanè tantam à populo gloriam de ſua conuerſione lucratur, vt ſuperuenienti omnes aſſurgant, quicquid attulerit velut propheticæ oraculum credant, & deuotionis illi obſequium reuerenter exhibeant. Sic videlicet, quantùm ad carnem, nequaquam infructuoſa illius creditur fuiſſe conuerſio, quia qui ſecularem veſtem non cum mente depoſuit, ſecularem pompam callidus permutator pleniùs acquiſiuit.

Has itaq;, atq; huiuſmodi murmurationes dum detractores effundunt, quantis ſit occaſio pereundi in ſeculo peruagatio monachorũ, quis enumerare ſufficiat? Faciliùs enim in ſeculari habitu etiam perire deliberant, quàm perditorum exẽpla ſequendo, vtrunq; ſimul (vt aiunt) ſeculum perdere. Et reuera non eſt mirum dum, ſi videntibus hoc ſcãdalum naſcitur, quòd & Deo, & ſacræ auctoritati probatur eſſe contrarium. Ait enim Apoſtolus: Nemo militans Deo implicat ſe negocijs ſecularibus, vt ei placeat, cui ſe probauit. Et ipſe Dominus admonet Diſcipulos ſuos, dicens: Cauete, ne grauentur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & curis huius ſeculi.

QVOD DISCVRSIO MONACHI ET VIRTVTES EXPELLAT, ET VITIORVM MVLTITVDINEM INTRODVCAT. CAP. XI.

EX hac nanq; venenata radice tot vitiorum propagines oriuntur, vt in quocunq; vigere cognoſcitur, omni monaſticæ perfectionis fructu velut arbor arida denudetur. Et quemadmodum groſſi ficulneæ ventis expoſiti ſtare nequeunt, ſic in illo diuerſis mundi tentationibus hinc inde perflantibus, bonorum operum fructus permanere non poſſunt. Hoc nanq; vitium tantæ violentiæ eſt, vt poſtquam ſibi in pectore monachi ſemel imperium vendicauerit, mox ex maxima parte, ſi virtutum chorus abſcedat, nonnulla vitiorum portenta velut ergaſtulum proprij iuris irrumpant. Nam vt pauca referantur è multis, monachus in itinere poſitus tenere ieiunium nequit, quia hoſpitalis ei humanitas non permittit. Non ſapienter pſallit, quia obambulantis comitatus eum loquàcitas impedit. Nocturnis non inſiſtit excubijs, quia ſecretum deeſt ſingularitatis. Flectendis genibus non inſudat, quia ſanctæ deuotionis ſtudio labor interiùs non concordat. Nequaquam ſub ſilentij cenſura conſtringitur, quia frequenter emergentibus cauſis, inuitus etiam per multiloquia diffenatur. Quid dicam, quia lectioni, vel orationi minimè vacat, quem extra ſemetipſum egredi, & terrena quæq; tractare imminens potiùs neceſſitas dictat? Charitas in eo minuitur, quia mens, quæ tot actionum ſecularium ventos recipit, ab amoris interni feruore tepeſcit. Suum quoque caſtitas mentis diſpendium patitur, quia nonnunquam mens concupiſcentiæ telo configitur per carnis ſpeciem, quam exteriùs contemplatur. Robur etiam patientiæ frangitur, quia quodlibet inceptanti dum ſæpè contra votum repentini caſus emergentes obuiant, qui ſuum acceletabat explicare negocium, non æquanimiter portat, & talia tunc per

impatientiam verba profundit, quæ etiam ad otium reuertitur, vlnicibus lachrymis grauiter punit. Sobrietatis regula non ſeruatur, quia dum lautioribus cibis conuiuij apparatus inſtruitur, dum hoſpitalitatis officij ſedulitas exhibetur, quia inhumanum putat inuitantium precibus non condeſcendere, delectat etiam, ventri ſub charitatis ſpecie molliter indulgere. In quo nimirum articulo in mente ſerui Dei ſæpè dubietas oritur, ne videlicet vnde ſobrietati conſulitur, inde quoq; hypocriſi (quod abominabile eſt vitium) ſeruiatur. Itaq; apud quoſdam ſobrietatis modus omnino contemnitur, vt hypocriſis quoque nota procul abeſſe videatur. Sed hoc modo in eo quòd diſcretio agi creditur, diſcretio non tenetur. Ille enim ſcit rectè diſcernere, qui virtutem nouit à vitio ſeparare. Qui autem cum zizanijs ſimul etiã triticum eradicat, hic proculdubiò vim diſcretionis ignorat. Quiſquis ergo ſolo ſupernæ remunerationis intuitu, ſobrietatis limitem non excedit, & hypocriſim ſub humilitatis ſuæ pedibus calcat, & cuſtodire ſobrietatis præmium incunctanter expectat.

Vt autem adhuc quoq; de monacho diſcurrente dicamus, lachrymarum compunctionem, quibus peccata defleat, non habet, quia mens arida, quæ per æſtum terrenæ conuerſationis incedit, dum perfundi rore ſancti Spiritus non meretur, areſcit, & terrenarum cogitationũ cœno plena, quia aquam capitis interiùs gratia largiente non concipit, nullas extra ſe lachrymas fundit. Aliquando fortaſſe circunfuſis auditoribus prædicat, ſed repente vanagloria ſurripit, & quaſi ex inſidijs prodiens eum, qui alijs medebatur, occidit. Si autem hoc præcauens ſub ſilentij ſe cenſura conſtringit, nihil eorum poſſe perficere, quorum cauſa venerat, erubeſcit. Si moroſæ grauitatis, vt dignum eſt, ſpeciem ſeruat, valdè pertimeſcit, ne & hîc hypocriſis notam ſimulator incurrat. Si autem à ſuæ mortificationis rigore quantumlibet ſe in leuitatem reſoluit, hîc etiam multò minus ſecurus eſt, ne videlicet ſuo exemplo alios deſtruat. Si quando inter diſſidentes ſequeſtræ pacis vult reformare concordiam, ſi diſtrictè veritatem exequitur, reconciliationis inter eos vnitas non conflatur. Quòd ſi vti mendacijs acquieſcit, peccati laqueos non euadit. Cùm vult peccantes arguere, culpam non minimam deputat, tot proximorum ſuorum aduerſum ſe odia concitare. Videre autem, & conticeſcere, quid aliud arbitratur, niſi prauè agentibus conſentire? Et hæc quidem de illis, qui quantolibet callent ſuperni caloris igniculo. Cæterùm frigidi quique, qui ſpretis diuinæ militiæ caſtris, ad mundanæ vertiginis molam ſiniſtro poſtliminio reuoluuntur, quanta iudicabiliter agant, quàm inconſideratè viuant, referant qui volunt. Nobis conſultiùs videtur, eos pia cõpaſſione deflere, quàm execrandæ conuerſationis geſta conſcribere, ne quibus ſolas compatiendi lachrymas debemus impendere, hos videamur cenſorijs literis obtrectare.

QVAE MALA INFELIX ANIMA MONACHI PATIATVR, CVM AD INFERIORA REVERTITVR.

CAP. XII.

HOC autem abſolutè dicimus, quòd tantis inſidiarum tendiculis hoc tempore mundus iſte denſatus eſt, vt quiſquis huius ſacri ordinis deſiderat innocenter viuere, ab illius proceſſu cautiſſimè ſe expediat abſtinere;

abſtinere; cuius videlicet iter ſi ſæpè terit, procuratos inſidiarum laqueos non euadit, & tanquam arbor munientis ſe corticis defenſione nudata, nec virtutis fructus afferre, nec vitiorum quaſi teredonum ſcaturientium cariem poterit euitare. Cùm verò ad propriæ habitationis clauſtra reuertitur, cominus illum quaſi quædam conglobata turba omnium, quæ viderat, & audierat, comitatur, vt tumultuantium negociorum ſtrepitum, quem illic tolerabat in corpore, multò ingruentiùs, multòq; importuniùs hîc patiatur in mente. Præcipuè ſi orationi vacare enixiùs cœperit, ecce phantaſmata cogitationum, ecce imagines, quas viderat, rerum, ita vt in quolibet angulo conſtitutus, videatur ſibi ludis theatralibus intereſſe, vel inter agitãtes forenſe litigium reſidere. Et quidem homo renititur, & quaſi conuolantes muſcas abigere à ſuæ mentis ore conatur. At illæ mox vt abſcedunt, protinus redeunt, illico vt repellũtur, aſſiſtunt, vt quaſi fugitiuum ſuum perſequentes capere, & propriæ ſeruitutis moliantur in exercitia reuocare. Tunc infelix anima diſcit, quanti ſibi conſtiterit, quòd ſe per latitudinem ſeculi inaniter relaxauit. Tabeſcit enim ſicca, obſcura, lapidea, in modum nanq; lapidis obdurata, nec in lachrymarum fluenta prorumpere, nec lumen poteſt tenebris vndiq; circunfuſa videre. Pſalmorum quidem myſterijs intendere nititur, ſed tanquam lippientibus oculis, intolerabili lumine reuerberatur. Anhelat virtute qua poteſt, ad ſumma contendere, ſed quodam ſuo pondere prægrauata, in imis cogitur humiliata iacere. Cui propheticum illud non inconuenienter aptatur: In tenebris collocauit me quaſi mortuos ſempiternos; circumædificauit aduerſum me, vt non egrediar, aggrauauit compedem meum; ſed & cùm clamauero, & rogauero, excludet orationem meam. Mœret, anxiatur, anhelat, & quia nec ipſam hanc eius miſeriam ſibi flere permittitur, acriori doloris amaritudine repleta turbatur. Saltim hanc ploratus vocem cum Propheta daretur effundere, qua dicitur: Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquam, quia longè factus eſt à me conſolator, conuertẽs animam meam. Sed infelix illa anima, cùm & ſe flebilem videat, & tamen flere non poſſit, quàm procul ſit à ſalute, quaſi in quendam locum deuoluta miſeriæ, longiùs conſpicit. Nimirum cùm flere via tantummodo ſit, vt peccator valeat ad indulgentiam peruenire, ergo cùm illa reatum ſuum plangere nequeat, videtur ſibi, quòd necdum etiam in viam pedem poſuerit, qua pertingere ad indulgentiam poſſit. Huic ſimile eſt, quod ex imperfectorum perſona per Prophetam dicitur: Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore. Qui enim legem Dei, quæ proculdubiò iuſtificatio eius eſt, omni tempore nondum deſiderat, ſed iam deſiderare concupiſcit, iam quidem vtcunq; eminus ſuſpicit, ſed nequaquam perfectionis alta conſcendit.

Fit ergo menti miſeræ tam tenebroſa confuſio, vt quocunq; ſe verterit, ſe verſam in ſeculo videat, cùm ſeculum ſine ſe eſſe indubitanter agnoſcat. Cùm illo itaq; eſt, quod cum ipſa non eſt, quia ſcilicet mundum, quem corporali digreſſione deſeruit, ſecum per phantaſticas imaginationes in mente depingit. Enimuero iſta in humana mente calamitas, & peccatum eſt, & peccati pœna. Iuſtum quippe eſt, vt quod quiſque volens admiſit, patiatur inuitus. Nimirum vt qui noluit ſe intra ſecretum ſui ordinis cohibere, cùm poterat, nequaquam ſeculo carere poſſit etiam cùm reliquit. Mens itaque humana tantæ egeſtatis, atque penuriæ neceſſitate conſtricta, dolet, gemit, atque ab imis viſceribus ſuſpirium trahit, quia videlicet receſſus ſui munditiam vagitatis vitio perdidit, & ſe rurſus in volutabro ſeculi velut ſus lutulenta peruoluit. Tunc ſe leuitatis, atque inconſtantiæ mordaciter arguit; ſe vagam, atque fallacem vehementer accuſat; & Dei iudicium rectum eſſe, & æquitatis iura tenere veraciter probat, dicens cum Propheta: Bonus eſt Dominus ſperantibus

in eum, animæ quærenti illum. Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Domini. Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Sedebit ſolus, & tacebit, quia leuauit ſe ſuper ſe. Quæ enim, ſi ſecreta diligeret, ſuper ſemetipſam gauderet erecta, mœret nunc, quia ad publicum exiens, ſe ſub ſe videt iacere proſtratam.

QVOD IS, QVI FORAS EGREDITVR, CVM EXCOMMVNICATIS COMMVNICARE COGATVR. CAP. XIII.

EST etiam aliud, quod, etſi cætera impedimenta deeſſent, ſolum ſufficere poterat, vt monachos à mundi vagatione compeſceret. Quis enim hoc tempore quorumlibet ſecularium poſſit inuenire conuentum, vbi non ſit huiuſmodi, qui pro ſui reatus piaculo excommunicationis debeat ſubire iudicium? Iandudum enim omnia vitia per mundum vigent, atq; eò ſe diffuſiùs quotidie propulſando dilatãt, quò viciniùs mundi terminus appropinquat. Quapropter impoſſibile eſt monacho, qui ad publicum egreditur, vt non ſiue cum excommunicatis, ſiue cum excommunicandis (quod penè tantundem eſt) communicare cogatur. Cum homicidis enim, cum periuris, cum inceſtuoſis, cum inceſſoribus ædium, cum adulteris loquitur, quibus, etiam ſi aduerſus exhorreat, plerunq; tamen oſculo iungitur, ſimul etiam communi ferculo, prout neceſſitas imminet, conuiuatur; cùm è contrario Apoſtolus clamet: Si is, qui frater nominatur, eſt fornicator, aut immundus, aut ebrioſus, aut rapax, cum huiuſmodi nec cibum ſumere. Et certè formidoloſum eſt, nimis'q; contrariũ cum his, qui à Deo diuiſi ſunt, habere conſortium, præſertim monachis, qui Deo ita ſunt peculiari quadam, atq; (vt ita dicam) domeſtica familiaritate coniuncti, vt abiurato ſeculo, ſolis ſint diuinis obſequijs irreuocabiliter deputati. Sicut enim ab ipſo reproborum capite, ita quoq; à mẽbris illius, niſi cauſa conuerſionis exegerit, ſtudendum eſt declinare. Vna ſiquidem hîc abominationis repulſa debetur, quibus illic vnus ignis, atteſtante Veritate paratur, dum ad ſiniſtram poſitis dicitur: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius. Quos ergo ad aliam cernimus patriam tendere, non debemus eis in via noxiæ ſocietatis glutino fœderari, ne quos inordinatus amor aſſociat, ſimul etiam pœna extremæ vltionis inuoluat.

QVOD SICVT AB EXCOMMVNICATIS, ITA ETIAM AB EXCOMMVNICANDIS OPORTEAT DECLINARE. CAP. XIIII.

ENIM VERO vt enucleatiùs pateat, quantùm bonos malorum ſocietas lædat, hac poſſumus perſpicua ratione colligere, quia videlicet eorum

alij ſunt ſacerdotali ſententia nuper excommunicati, alij tantummodo ſanctorum patrum iudicio communione priuandi. Sed de his, qui nuper excommunicati ſunt, nulli dubium, quin omnis, qui eorum participio vtitur, ſimilem damnationis ſententiam ſortiatur. De his autem, qui pro commiſſis criminibus canonica quidem ſunt auctoritate damnandi, necdum tamen viuis ſacerdotum vocibus ab Eccleſiaſtica videntur vnitate præciſi, à nonnullis ambigitur, vtrū eorum tutò ſocietas admittatur. Sed ſi rem penſiori ſubtilitate perpendimus, nullam penè inter eos eſſe diſtantiam inuenimus. Siue enim à modernis, ſiue ab antiquis patribus quis iure damnetur, idem eſt, nec temporum diuerſitas ſoluit, quem eadem perpetrati piaculi cauſa conſtringit; & ætatum varietas iudiciali calculo non præiudicat, vbi vna limatæ æquitatis regula ſententiam dictat. Sed quod approbare volumus, meliùs oſtendemus, ſi ipſa excommunicantium patrum, & antiquorum ſcilicet, & nouorum verba ponamus. Sacri ſiquidem Canones dicunt: Qui hoc, vel id fecerit, excommunicetur. Moderni quoq; Pontifices in iaculanda excommunicationis ſententia, eadem ferè verba depromunt, dicentes: Ille, qui hæc fecerit, excommunicetur. Quorū igitur ſunt eadem verba, eadem nihilo minus eſt intelligenda ſententia, & cùm præſentium ſanctorum Pontificum omne iudicium ab antiquorum patrum diffinitionibus pendeat, nullum iſti damnare præſumunt, niſi quos iam ab illis damnatos eſſe nouerint. Non ergo quemlibet iſti nouiter damnant, ſed iam prolatam maiorum ſententiam ſequendo confirmant.

Concludendum eſt igitur, quia ſicut ab his cauendum eſt, quos moderna ſynodorum Cōcilia ab Eccleſiaſtica ſocietate repellunt, ita & ab illis nihilominus declinandum, quos antiqui patres eliminandos eſſe decernunt. Hæc itaq; cauſa non minima eſt, quæ monachum à ſeculi diſcurſionibus retrahat, & in ſui receſſus angulo ſtabilem reddat, quia valde miſerum eſt, à proprijs quidem exceſſibus reprimi, ſed alieni reatus maculis inquinari, cum alijs non delinquere, & alieni delicti ſupplicia ſuſtinere. Malorum autem cùm incautè amicitijs iungimur, culpis ligamur. Vnde Ioſaphat cùm tot de anteacta vita præconijs attollitur, de Achab regis amicitijs penè periturus increpatur. Cui à Domino per Prophetam dicitur: Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitia iungeris, & idcirco iram Domini merebaris; ſed bona opera inuenta ſunt in te, eò quòd abſtuleris lucos de terra Iuda. Ab illo enim, qui ſummè rectus eſt, eo ipſo iā diſcrepat, quo per uerſorū amicitijs vita noſtra concordat. Quē enim vox illa Apoſtolica non terreat, quæ nobis conteſtans, & à prauorum contubernio reuocans clamat? Denuncio, inquit, vobis in nomine Domini Ieſu, vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundùm traditionem, quam tradidimus vobis. Si ergo ab his omnibus noſmetipſos debemus cautè ſubtrahere, quos non ſecundùm traditionem Apoſtolicam cernimus ambulare, quanti in illo ſeculari ſuperſunt ordine, cum quibus abſque periculo valeamus contubernium familiaritatis habere? Porrò autem qui Apoſtolica traditione contempta, aliam doctrinam ſiue dogmatizando, ſiue viuendo ſuperinducere nititur, orthodoxi, & religioſi viri perfrui conſortio non meretur, Apoſtolo quoq; Ioanne atteſtante, qui ait: Siquis venit ad vos, & hanc doctrinā non affert, nolite recipere eū in domo, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi Aue, cōmunicat operibus eius malignis.

Quibus nimirum Apoſtolicæ veritatis inſtructi ſententijs, euidentiſſimè comprobamus, quia qui cum ſceleratis hominibus carnaliter amicitias iungunt, alieni reatus participes fiunt, & cum illis ſimul extremæ vltionis coguntur ſubire iudicium, cum quibus tamen in hac vita ſimul non admiſere peccatum.

DE MONACHIS, QVI PRETIOSIS VESTIBVS DELECTANTVR. CAP. XV.

HOC etiam vitium, quod videlicet iam perſecuti ſumus, diſcurrentem monachum familiariter obſidet, quia profectò nunquam ſic ad purum valet à ſe lepram vitoſæ procacitatis excutere, quin ſibi neceſſarium videatur, quantumlibet apud ſe illam occaſione itineris retinere. Hinc etiam pretioſarum amor veſtium naſcitur, ne videlicet in publicum prodiens, deſpicabilis eſſe videatur. Veruntamen dum exterioris indumenti phalera queritur, cuncta interioris hominis compoſitio diſſipatur. Hæc autem inſania falſa, neſcio quo pacto ita peruerſæ mentis oculos excæcat, vt nec quæ apud homines honeſtas ſit videat, nec vnde apud Deum quis clarus videri poſſit attendat. Et reuera inſania eſt, & falſa eſt. Inſanum quippe eſt, occulti arbitri iudicium ſuperbiendo contemnere, & humani fauoris auram molliori veſte captare. Falſum verò eſt, quia vnde oculos ſuperni ſpectatoris offendit, inde etiam nihilominus apud humanæ exiſtimationis iudicium cadit; & ex qua re hominibus videri clarior appetit, ex ea ſe quodammodo dentibus publicæ obtrectationis exponit; cùmq; nitor indumenti ad intuendum ſe oculos prouocat, linguas etiam ad carpendum hunc, qui induitur, derogationum ſpiculis armat. Quis enim monachum mollibus indutum videat, & non protinus illum diuino vacuum ſpiritu, terrenis potiùs, quàm cœleſtibus inhiare decernat? Quæ enim ſit mens ex veſte colligitur, & iuxta exteriorē cultum quæ ſit interioris ſpecies iudicatur. Quod nimirum cum Euangelica auctoritate concordat, cùm dicatur: A fructibus eorum cognoſcetis eos: quanquam iſti non veniant ad nos in veſtimentis ouium, quandoquidem veſtimentum ouium veſtis eſt humilitatis, & innocentiæ, non arrogantiæ, vel rapinæ. Illa autem veſtis rapinæ eſſe non immeritò nuncupatur, quæ duarum, vel etiam trium veſtium ſumma coëmitur. Rapinæ nanq; ſcelus admittit, qui vanæglorię deditus, in ſui corporis indumētum ſolus inſumit, vnde & fratrem ſuum ſecum contegere communiter potuit. Rapinam proculdubiò perpetrat, qui vani honoris ardore ſuccenſus, duarum impenſas veſtium in vna prodigit, & proximum ſuum, quem ſicut ſemetipſum amare debuerat, in ſua nuditate relinquit.

Sed hoc diſtat inter iſtos enecœniatos videlicet monachos, & illos hypocritas, quos Euangelium notat, quia illi (teſte Veritate) veniunt ad nos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces; iſti autem intus vento vanæglorię crepantibus ilibus intumeſcunt, foris autē in veſte rapinæ (ſicut probatum eſt) ac per hoc in veſte luporum arrogantium incedunt. Itaq; cùm Dominus de Ioanne dicat Iudæis: Quid exiſtis videre? Hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt: profectò monachus, qui nitorem pretioſæ veſtis affectat, non ſuperni Regis, ſed mundi huius militiam baiulat; & licet videatur ſpecietenus Deo ſuæ quaſi obedientiæ munus offerre, apertè tamen conuincitur, humanum captando fauorem, vanægloriæ veraciter deſeruire. Porrò autem ſi ſub obtentu obedientiæ licet mollibus indui, cui potuit hæc rēmiſſio liberiori diſpenſatione concedi, quàm beato Ioanni, qui præcipuæ obſequelæ donatus officio, venerat corda patrum in filios noua prædicatione conuertere, & perfectam plebem Chriſto Domino præparare? Nunquid & ipſe Dominus prouidere ſibi calceamenta non potuit, cùm genulis perfidia ſola inter ſe veſtimenta diuiſerit? Nam ſi ei minimè calceamenta defuiſſent, de illis etiam ſacræ hiſtoriæ ſeries non tacuiſſet.

QVOD SICVT PRETIOSA VESTIS AD IRAM, ITA HVMILIS DEVM AD INDVLGENTIAM PROVOCAT.

CAP. XVI.

REX Niniue purpura indutus propriæ ciuitatis excidium meruit, coopertus ſacco, diuini furoris motum contriti cordis humilitate placauit. Ezechias quoq; cultu regio decoratus, terribiles regis Aſſyriorum minas tremefactus audiuit, ſed mox vt ipſe cilicio tegitur, cilicioq; contectos ad Prophetam mittere nuncios non erubuit, propinquæ diurnæ victoriæ,& optatæ proſperitatis oraculum reportarunt. Quæ nimirum promiſſio (ſcriptura teſte) celerem peruenit ad exitum. Nam ecce Angelus Domini centum octogintaquinque millia Aſſyriorum vna nocte percuſſit, deinde ipſum Sennacherib regem vterq; filius parricidali quidem, ſed digno gladio trucidauit. Vides igitur,apud Dominum quantùm veſtis fluxa diſtet ab aſpera? Perpendis,quia quem iratum experiri delicata meruerat,vilis,& abiecta veſtis Iudicem placat? & quem plectibilem illa reddiderat,venia dignum iſta commendat?Cuius autem momenti apud Deum veſtium ſit ornatus,egregius ille Prophetarum Eſaias euidenter oſtendit,qui nimirum ad diuinæ iuſſionis imperium veſtimenta depoſuit,& per trium annorum ſpatium nudus,& diſcalciatus inceſſit. Erubeſcat igitur humana ſuperbia, confundatur mens miſera vanægloriæ peſte correpta,dum ille videlicet organum Dei,templum Spiritus ſancti, diuinæ iuſtitiæ propalator,non dubitauit publicè nudus incedere.Et infelix homo,qui ne vllum quidem meruit Dominicæ familiaritatis indicium, ſuperſtitioſum lacinoſis veſtibus affectat ornatum; & dum malè coloratæ veſtis fucos induitur, lubricus aſpici,à ſemetipſo ſperni,ſpeculatoris oculos non veretur auerti. Ita ſanè dum indumentum illud ſub diuina æſtimatione deſpicitur,is etiam,qui induitur,conſequenter abominabilis iudicatur.Sed eſtò videlicet vt Eſaias nudus inceſſerit, nunquid tunc cùm veſtitus ire conſueuerat,indui mollioribus indulgebat?Interrogemus ergo ipſam propheticæ narrationis hiſtoriam , & audiamus quid ſibi vox diuina præcipiat. Locutus eſt,inquit, Dominus in manu Eſaiæ filij Amos, dicens: Vade,& ſolue ſaccum de lumbis tuis, & calceamenta tolle de pedibus tuis. Qui enim non aliud quoddam veſtimenti genus, ſed ſaccum de lumbis auferre præcipitur,profectò quanti ſibi veſtium litura conſtiterit, liquidò declaratur. O' quanta tunc erant Regum, & Principum terræ triclinia deaurata? Quot pictis circunfuſa tholis purpurata cubilia?Quanta prædiuitum ornamenta gemmis micantibus inſignita? Quot laquearia cedrinis, ac cypreſſinis inſtructa ſigillis? Et tamen omnibus ſpretis,deſpicabiliterq; contemptis,hunc ſaccina deformitate contectum dignatus eſt omnipotens Deus templum ſibi rationale conſtruere,& per eum,quaſi per organum,ſecreti ſui myſteria mortalibus reuelare. Diſcat ergo,diſcat encœniatus monachus,quàm malè negocietur,quia vnde elatus apparere humanis oculis appetit, hinc proculdubiò in ſuperni Iudicis æſtimatione ſordeſcit; vnde impenſiùs ab hominibus honoratur, inde magis à Deo deſpicitur; cùmq; in admirationem ſui intuentium oculos prouocat, ab obtutibus ſe diuinæ gratiæ contenebratus occultat.

DE HIS, QVI VILITATE VESTIVM VVLGAREM MERCANTVR APPLAVSVM. CAP. XVII.

SED quoniam loquendi de vanitate veſtium ſe occaſio præbuit, ſicut de his, qui mollibus delectantur pauca perſtrinximus, ita etiam de his, qui eodem quidem laborant morbo, ſed diuerſa feruntur inſania, breuiter diſſeramus. Sunt nanq; nonnulli, qui vilium deformitate veſtium fauorabilem vulgi mercantur applauſum, & hac iucundiùs delectatione paſcuntur, ſi dum pro accuratæ deformitatis induſtria videntur abiecti, per efferentium populorum ora volitent glorioſi. Gaudent de ſe inquirentium diſcuſſiones fieri; gaudent ſe, velut mirandum aliquid, digito demõſtrari; qui nimirum de ſua deformitate compoſiti, de obſcuritate conſpicui, de humilitate videri machinantur excelſi. Verſuta ſiquidem diabolicæ calliditatis aſtutia ad hoc deprimuntur, vt ſublimes appareant, ad hoc deturpantur, vt in oculis intuentium ſpectabiles eniteſcant. Porrò autem iſtis cum ſuperioribus diuerſa quidem ſumma eſt, quam expendunt, ſed vnæ ſunt merces, quas concorditer emunt. Vanagloria nempè, quaſi quædam negociandi materia in medio poſita eſt, ad quam videlicet diuerſi mercatores accedunt. Alij vilia indumenta tanquam pretium de marſupio proferunt, alij redhibere pretioſa contendunt. Sed dum quiq; pro ſuis partibus ſatagunt, qui viles veſtes afferunt, reliquis emptoribus continuò præferuntur. Qui enim delicatis veſtibus vtitur (ſicut ſuperiùs dictum eſt) ſæpè vnde captare auram fauoris exiſtimat, inde latiùs obtrectatorum morſibus patet. Qui verò vilis indumenti extremitate contentus eſt (de monachis loquor) cuiuſcunq; intentionis ſtudio, ſcilicet ſiue prauè, ſiue rectè id faciat, ſanctitatis illum opinio contuentibus plerunq; commendat, & quò in exteriori habitu deformior quiſq; conſpicitur, eò maiori ſæpè dignus reuerentia iudicatur.

DE VERA HVMILITATE DAVID. CAP. XVIII.

VERVNTAMEN quiſquis ille eſt, qui de proprij habitus vilitate ſupernæ retributionis præmium ſperat, neceſſe eſt vt omnem laudis humanæ fauorem ſub pedibus ſuæ mentis, velut cœnoſum lutum calcare non deſinat; qualemq; ſe ſpectantium obtutibus præbet, talem ſe intra conſcientiæ ſuæ ſecreta dijudicet. Vnde Dauid, cùm eum Michol filia Saul obiurgaret dicens: Quàm glorioſus fuit hodie Rex Iſraël diſcoöperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum, & nudatus eſt, quaſi ſi nudetur vnus de ſcurris: vt oſtenderet, quia eadem humilitas vigebat in mente, quam prætendebat in corpore, non iratus efferbuit, non elationis verba reſpondit, ſed humiliter dixit: Viuit Dominus, quia ludam, & vilior fiam pluſquam factus ſum, & ero humilis in oculis meis. In quibus verbis veræ humilitatis forma proponitur, dum non minùs interior, quàm exterior humilitas demonſtratur. Nonnulli enim quò ſe deformiùs in exteriori compoſitione deijciunt, eò de ſe intrinſecus maiora decernunt. Qui profectò aliud optant ſe in ſuperficie videri, aliud latenter intelligi, & vnde ſe humiliter in publico deprimunt, inde in occulto elatiùs intumeſcunt. Dauid autem, vt extrinſecus ſe humilem præbeat, dicit: Ludam, & vilior fiam pluſquam factus ſum. Vt verò humilitatem mentis oſtendat, adiungit: Et ero humilis in oculis meis. Ac ſi patenter dicat: Et exteriùs humiliabor, vt alijs exemplum

ſalutis exhibeat,& intus humilis ero,vt in eiuſdem ſalutiferæ humilitatis radi-ce & ipſe perſiſtam. Qui ergo ita ſimpliciter graditur,vt qualem ſe in deforma-tione ſui habitus præbet,talem ſe in opinione videntium eſſe deſideret, hic pro-fectò Chriſti imperium veraciter portat,& crucem poſt eum mundo mortuus ba iulat,tantóq; in diuinis obtutibus clarior redditur, quantò apud humanos ocu-los deſpicabilior iudicatur;& fructuoſo commercio is, quem veſtis exterior fœ-dat,gratia interiore coruſcat.

QVO'D MOLLIA INDVMENTA MINV'S PERFE-CTI FASTIDIANT, PERFECTIORES ALI-QVANDO INDIFFERENTER ADMIT-TANT. CAP. XIX.

NONNVLLI etiam ſunt,qui rectæ intentionis ſtudio,vilibus indu-mentis diutius aſſueti,ſi contingat aliquando, vt quantumlibet potiori-bus contegantur,liberæ humilitatis ſupercilio dedignante faſtidiunt; & ſicut alij fœdis,ita iſti pretioſis indui veſtibus erubeſcunt; delicatos ſa-nè habitus renuunt, deſpicabilium aſperitate fruuntur: Fiunt illis omnia corpo ris ornamenta dedecori, deformitas honeſtati. Horum quidem Heſter ſpeciem tenuerat,cùm dicebat: Tu ſcis,Domine,neceſſitatem meam,quòd abominer ſi-gnum ſuperbiæ,& gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentatio nis meæ,& deteſter illud quaſi pannum menſtruatæ,& non portem in diebus ſi-lentij mei. Hi quidem ſancti deſiderij ardore ferueſcunt, adhuc tamen aduerſus paſſionum ſuarum tentamenta confligunt. Alij autem ad tantæ mortificationis celſitudinem peruenerunt,quòd iam ad vtrunq; velut inſenſibiles facti, ſicut vili bus indui conſuetudinaliter expetunt,ita etiam vbi res exigit,pretioſa quæq;,vel nitida nullatenus perhorreſcunt,vtraq; ſcilicet vno contemplantes aſpectu,quos nimirum mollia non reſoluunt,& aſpera non affligunt. Iſtorum verò forma Iu-dith fuerat,quæ videlicet cilicijs eatenus vſa,cùm neceſſitas petijt, diuerſis ſe ad corporis venuſtatem inſulis adornauit,ſacra teſtante ſcriptura,quæ ait: Abſtulit à ſe Iudith cilicium,& exuit ſe veſtimentis viduitatis ſuæ,& lauit corpus ſuum & vnxit ſe myrto optimo,& diſcriminauit crinem capitis ſui,& impoſuit mitram ſuper caput ſuum,& induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ, induitq; ſandalia pe dibus ſuis,aſſumpſit etiam dextrariola,& lilia,& inaures,& annulos,& omnibus ornamentis ſuis ornauit ſe. Cum his igitur ornamentis ſancta fœmina & veræ circa ſe humilitatis cuſtodiam tenuit,& cum, quo locupletata fuerat, Spiritum non amiſit.

VAGATIO MVLTIS FVIT OCCASIO PEREVNDI. CAP. XX.

SED dum ego monachum pretioſis indutum exuere geſtio,vagantem,quem arripuerā,de manu propriæ diſputationis amitto, & iam procul elongantem

vix aſpicio, dum ſolas mihi in manibus veſtes remanſiſſe perpendo: Abiectis itaq; veſtibus, ipſum perniciter inſequamur, & comprehendentes (ſi fieri poſſit) ſiſtere laboremus. Norit ergo monachus vitio vagationis addictus, quia niſi à ſeculo pedem retrahat, & ad ſeruiendum Deo in loco remotionis ſe perſeuerãter accingat, nec perfectionis culmen attingere, nec ordinis ſui poterit munia cuſtodire. Dina quippe Iacob filia, quandiu ſe intra tabernacula paterna cohibuit, illibatæ virginitatis iura ſeruauit; poſtquam verò ad videndas mulieres regionis illius egreſſa, publicum petijt, hoſtem protinus virginitatis pertulit, & alienæ libidini turpiter proſtituta ſeruiuit. Vxor Leuitæ de latere montis Ephraim, donec in penetralibus poſita curis ſe domeſticis occupauit, coniugalis thalami pudicitiam cuſtodiuit; ducta autem relictæ cognationis affectu, patriam, parẽteſq; reuiſit; dehinc rediens, multis corruptoribus furioſæ libidinis præda ſuccubuit; & dum in carne periclitantis pudicitiæ naufragium pertulit, ignominioſo vexata ludibrio etiam ſpiritum exhalauit. Thamar ſoror Abſalon, dum in fraternis laribus ſimpliciter habitat, intemeratæ virginitatis genium ſeruat; cùm verò Amnon filio Dauid fraternæ dependit viſitationis officium, prærep tæ virginitatis plorat incurriſſe diſpendium; & tandem experta quòd tutiùs eſſet manere, quàm progredi (licet ſerò) ſecretum otium noxiæ prætulit vagitati.

Et tu igitur ſi vis animam tuam in ſuæ virginitatis integritate perſiſtere, ſi abominandum ducis fœdis, & violentis corruptoribus ſubiacere, ſecretum appete, receſſum ſingularitatis inquire, aures, & oculos à negociorum ſecularium vanitate firmiter obſtrue, carnalium hominum colloquia deſtructioni magis, quàm ædificationi profutura contemne. Nam iuxta Salomonem, qui tangit picem, inquinabitur ab ea. Intra conſcientiæ ergo tuæ te cubiculum collige. Cunctis domus tuæ foribus, cunctis videlicet ſenſibus, cenſoriæ diſciplinæ repagula, ne quis ingrediatur, appone. Fons enim, qui vndequaq; ne effundatur, occluditur, vndis ad alta profluentibus eleuatur. E contra, qui per plures riuos hinc inde deducitur, mox vt ſuper eum æſtus feruentior incubuerit, exſiccatur. Deniq; ſi deambulanti Dauid in ſolario domus regiæ, clauſæ fores obſiſterent, in lauantis ſe Berſabeæ concupiſcentiam nullatenus exarſiſſet. Sed quia oculum ſub cuſtodia diſciplinæ non tenuit, ipſe quoq; poſt eum in immane hiantis ruinæ barathrum totus in præceps ruit. Lubricatis enim greſſibus, totius ſui corporis expertus eſt lapſum, dum ſolius frenum relaxauit obtutus. Cui videlicet illud Hieremiæ aptiſſimè congruit: Deprædatus eſt, inquit, oculus meus animam meam. Si ergo tam ſublimis cœli columna propter ſolam oculorum vagationem grauiſſimè corruit, quid de nobis infirmis, & paruulis ſentiendum, qui per ſeculum diſcurrentes nos extra noſmetipſos prorſus educimus? & viſum, atq; auditum, omneſq; ſenſus noſtros hauriendis mundi vanitatibus occupamus?

QVO'D ESAV VAGATIO DEIECIT, IACOB STABILITAS EXALTAVIT.

CAP. XXI.

QVAE autem diſtantia ſit inter monachos, qui ſecreti remotionem diligunt, & eos, qui ſe per exteriora diffundunt, in duobus Iſaac filijs luce clariùs edocemur. Scriptum nanq; eſt: Quia factus eſt Eſau vir gnarus venandi, & homo agricola, Iacob autẽ ſimplex habitabat in

tabernaculis. Sed iſte prudenter ſimplex fratris primogenita, & benedictionem patris, prouectus ſui cautus executor accepit; ille fatuitate gnarus, quia in gladio viueret, & fratri ſuo velut domino ſeruiturus eſſet, audiuit. Attamen iſte, niſi in tabernaculis reſediſſet, proculdubiò primitiuæ benedictionis immunis exiſteret; ille niſi peruagus ſe in exteriora proijceret, primatus ſui priuilegio non careret. Iſte domeſticæ quietis otium tenuit, & diuina largiente gratia, in aliena iura ſubſiluit; ille venandi labore confectus & hoc, quod ſibi iure competebat, amiſit. Vt autem ſuperſedeant ſcutum excuſationis opponere, qui ſeculum perluſtrando iactant ſe obedientiæ legibus deſeruire, non ignorent, quia & Eſau venatum prodiens, paternis iuſſionibus paruit, & tamen nec patri cibos offerre, nec optatæ benedictionis meruit primitias obtinere. Quiſquis enim rem, quæ ad vitium pertinet, conſuetudine ductus, propriæ voluntatis inſtinctu libenter exequitur, peccat etiam ſi alienis imperijs ſpecietenus obtemperare videatur. Nam cùm dicitur, quia Iſaac amabat Eſau, eò quòd de venationibus illius veſceretur, conſtat nimirum, quòd Eſau, vt patri cibos ſtudio venationis acquireret, non magis paternæ iuſſioni per obedientiam paruit, quàm inditæ conſuetudini quodammodo tributa perſoluit. Qui ergo diſcurrendo per ſeculum propriæ libidini ſatisfacit, & tamen obedire ſe maiorum iuſſionibus aſſerit, nouerit, Dominum nō tam coloratis verboſitatibus credere, quàm de occultis hominū iuxta conſcientiam iudicare.

Notandum autem, quòd nonnulli, quandiu in ipſa vagatione ſunt poſiti, non grauiter corruunt, reuertentes autem quaſi quodam negociorum ſecularium temeto ebrij, in immane præcipitium deuoluuntur. Actionum quippe ſecularium fumo ſuffuſi oculos redeunt, atq; idcirco proprijs liminibus redditi, vbi pedem operis ponere debeant, non attendunt. Quod profectò idem Eſau patenter inſinuat, qui cùm de agro rediens ſe conqueritur laſſum, damnoſum valde pepigit cum fratre commercium; dumq; in ſe immoderatam famis rabiem ſæuire perſenſit, magnum primogenitorum decus vili paruæ lenticulæ coctione detraxit. Sic nimirum, ſic quaſi exterioribus deditus, ſemetipſum deſeruit, & ſua poſtmodum corpore, non corde in interiora reuocatus amiſit. Contingit etiam vagationis vitio laborantibus, vt pulueratis interioribus oculis, ſicut non præcauēt, ne in reatus foueam corruant, ita etiam poſtmodum quò ceciderint non aduertant; ita quòd dum admiſſa quæq; conſiderare ſubtiliter negligunt, quicquid illud eſt quod deliquerant, confuſo mentis examine paruipendunt, culicem profectò non liquantes, camelum tamen glutiētes. Cuius quoq; cæcitatis Eſau non immunis extitiſſe cognoſcitur, ſicut ſacra hiſtoria teſtante perhibetur. Vbi poſtquam dicitur: Quia iurauit Eſau, & vendidit primogenita; deinde ſubnectitur: Et ſic accepto pane, & lentis edulio, comedit, & bibit, & abijt, paruipendens quòd primogenita vendidiſſet.

IN DVOBVS HIS FRATRIBVS PATET, QVID INTER VAGOS MONACHOS, ET STABILES DIFFERAT. CAP. XXII.

In his igitur duobus fratribus manifeſtè deprehenditur, quanta inter reſidentes, & vagabundos monachos haberi diſtantia ſentiatur. Ille enim niſi ſe inſtabilem, & ſui prodigum per exteriora diffunderet, nequaquā benedictionis

paternæ myſterium vnà cum primogenitis amiſiſſet; iſte niſi intra domeſtici ſe laris ſepta comprimeret,infra præſcriptum ſubſecutionis ſuæ limitem iunior humiliter deſediſſet. Ille gnarus, & ſolers à ſuæ prærogatiuæ iure dilabitur;iſte quietus,& ſimplex,ſubactis fratribus, ſingulari priuilegio principatur. Alter ſaltus,& luſtra peragrando defeſſus à primatus ſui dignitate deijcitur, alter in conclaui amœno fruens otio,ad capeſſendam ſuper populos, tribusq́; monarchiam diuinitus ſublimatur. Deſinat ergo monachus,quiſquis eſt, cum Eſau ex remotionis ſuæ clauſtris frequenter erumpere;deſinat cum eo ſub obedientiæ ſpecie cauſis ſe ſecularibus implicare,ne quandoq; ſe cum ipſo lugeat benedictionis extorrem, quem noxiæ vagationis ſortitur auctorem. Cum Iacob igitur ſe domeſticum præbeat, cum Iacob in tabernaculis ſimpliciter viuat, quatenus Deum, qui verè Pater eſt electorum, boni operis veſci dapibus cupientem, non ſylueſtrium ferarum, ſed domeſtici gregis apparatione reficiat, quando non de externæ ſanctitatis ſuperficie,ſed ſuaue ſibi de conſcientiæ ſuæ virtutibus eduliū parat. Neq; enim Deus hoſtiarum pelles in ſacrificio ſibi mandat offerri,ſed interiora potiùs viſcerum cum ipſis quoq; medullis præcipit exhiberi. Vnde & in oſtendendo ipſo ſacrificiorum ritu Moyſes præcipit,dicens: Subtracta pelle,hoſtiæ artus in fruſta concidant. Cui mandato etiam myſticus intellectus ineſſe deprehenditur, ſi ſubtiliùs indagetur. Pellem nanq; hoſtiæ ſubtrahimus, cùm à mentis noſtræ oculis ſuperficiem virtutis amouemus. Cuius artus in fruſta concidimus,cùm diſtinguentes,ſubtiliter eius intima,membratimq́; cogitamus,vt quæ foris ſyncera videntur, & ſolida, intus non habeantur latebroſæ vanitatis vitio cauernoſa. Dauid autem pro magno munere medullata ſe Deo ſacrificia oblaturum eſſe pollicetur, dicens. Holocauſta medullata offeram tibi cum incenſo arietum. Quiſquis autem ſe per negociorum ſecularium exercitia delectabiliter fundit,holocauſti ſui medullas cum viſceribus ſubtrahit,& ſolam victimæ pellem,quæ offerri prohibetur,Deo adolere contendit. Qui verò ſuaue Deo ſacrificium offerre deſiderat,receſſus petat,interiora ſectetur, animam ſuam integram, illibatamq́; in propria virginitate cuſtodiat,nec diſcurrendo per lupanaria ſeculi,immundis corruptionibus, proſtibuli more, ſubſternat. Vt ergo interni ſponſi conſpectui placeat, non oculos ſuos ſtibio cum Iezabele depingat, ideſt, non ſe fucis pompæ ſecularis obducat, ſed cum Iudith myrto optimo ſua membra perungat, omnes videlicet mentis ſuæ ſenſus immortalis vnguine caſtitatis obliniat, ne in mortem per incontinentiam corruens in fœtore luxuriæ cōputreſcat.

In conclaui igitur ſanctæ Eccleſiæ anima ſe pudica concludat,ſicq́; in æterni Regis thalamo iugiter requieſcat. Non carnalium propinquorum, non complicium quorumlibet requirat affectus,ſed ſolius veri ſponſi delectetur amplexibus. Neq; enim ſine cauſa ſcriptum eſt: Audi filia,& vide,& inclina aurē tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui, quoniam concupiuit Rex ſpeciem tuam. In huius igitur ſponſi cubiculo anima ſancta ab omni ſecularis ſtrepitus turbine ſecura dormiat; ſuper hoc ſuæ virginitatis auctore caſti amoris facibus inardeſcat,cantans nimirum,& dicens: Introduxit me Rex in cellaria ſua,exultabimus,& lætabimur in te. Et iterū: Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi,inter vbera mea commorabitur. Si verò cuiuſlibet occaſionis articulus accidat,vt egrediendi neceſſitas imminere videatur,non mox ad vagandum ſe leuiter proruat, non colloquio conſanguinitatis aggliſcat, non ad ſeculi vanitatem fixus mundo animus concaleſcat, ſed moroſè, & grauiter intra ſe deliberet,dicens: Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illam? Laui pedes meos,quomodo inquinabo illos?

QVOD DIVINA DISPOSITIO SICVT BONIS SPIRITVALE OTIVM TRIBVIT, SIC ET PRAVOS DIFFVNDI IN EXTERIORA PERMITTIT.

CAP. XXIII.

SI igitur ſingularis ille Sponſus hoc deſiderium animæ ſanctæ ineſſe perſpexerit, quia proculdubiò Princeps eſt pacis, liberam ſibi ſpiritualis otij requiem tribuit, & omnes emergentium cauſarum fluctus placida circa illam tranquillitate componit. Hinc eſt enim, quòd in Canticis canticorum dicit: Adiuro vos, filiæ Hieruſalem, ne ſuſcitetis, neq; euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit. Quòcontra menti reprobæ, negocijsq; ſecularibus inhianti, ſub Babylonis ſpecie per Prophetam dicitur: Deſcende, ſede in puluere, virgo filia Babylonis, ſede in terra; non eſt ſolium filiæ Chaldæorum. Hoc enim loco humana mens, virgo, non incorrupta (vt arbitror) dicitur, ſed infœcunda. Et quia Babylon confuſio interpretatur, rectè infœcunda mens Babylonis filia vocatur, quæ in eo quòd nequaquam bona opera germinat, dum nullo ordine rectæ vitæ componitur, quaſi confuſione matre generatur. Sin autem, virgo, non infœcunda dicitur, ſed incorrupta, poſtquam ſtatum ſalutis perdidit, ad confuſionis ſuæ cumulum appellatur quod fuit. Cui aptè per increpationem dicitur diuina voce: Deſcende. In alto quippe humanus animus ſtat, quando ſupernis retributionibus inhiat. Sed ab hoc ſtatim deſcendit, cùm turpiter victus, ſeſe defluentibus mundi deſiderijs ſubijcit. Cui benè mox additur: Sede in puluere. Deſcendens enim in puluere reſidet, quia cœleſtia deſerens, terrenis cogitationibus aſperſus in infimis vileſcit. Vbi adhuc ingeminando ſubiungitur: Sede in terra. Ac ſi apertè exprobrans, dicat: Quia cœleſti conuerſatione noluiſti te regere, ſub temetipſo proſtratus in terrenis actibus humiliare. Vnde & neceſſariò protinus additur: Non eſt ſolium filiæ Chaldæorũ. Chaldæi nanq; feroces interpretantur. Valde enim feroces ſunt, qui voluntates proprias ſequentes, nec ſuis imperare moribus ſciunt. Ferocia ſunt terrena deſideria, quæ non ſolùm contra præcepta Conditoris, ſed ſæpè etiam contra percuſſionum verbera duram, atq; inſenſibilem mentem reddunt. Sed filia ferocium ſolium non habet, quia mens, quæ ad amorem mundi ex prauis deſiderijs naſcitur, atq; eiſdem deſiderijs obduratur, in eo quòd ſe terrenis concupiſcentijs ſubijcit, ſedem iudicij amittit, nulliq; apud ſe ſolio præſidet, quia examine diſcretionis caret. Quaſi à iudicij ſui ſeſſione repellitur, quia per exterioris deſiderij concupiſcentiã uagatur. Liquet enim, quòd mens, quæ intus conſilij ſedem perdiderit, foras ſe per deſideria innumerabiliter ſpargit. Et quia agere intellecta diſſimulat, cæcatur etiam, vt neſciat quid agat, & ſæpè iuſto Dei iudicio in ſua voluntate relinquitur, & ſub ea, quæ anxiè appetit, laborioſa mundi miniſteria relaxatur. Vnde & aptè illic ſubditur: Quia vltra non vocaberis mollis, & tenera; tolle molam, & mole farinam. Conſtat nimirùm, quòd teneræ ſuæ filiæ parentes parcunt, nec duris, atq; ſeruilibus hanc operibus affligunt. Omnipotens ergo Deus quaſi teneram filiam vocat, quando dilectam vniuſcuiuſq; animam à laborioſis huius mundi ſeruitijs reuocat, ne dum exterioribus actibus afficitur, ab internis deſiderijs induretur. Sed Chaldæorum filia mollis, & tenera non vocatur, quia mens prauis deſiderijs dedita,

In eo, quem anxiè appetit, huius ſeculi labore relinquitur, vt foris mundo velut ancilla ſeruiat, quæ intus Deum vt filia nequaquam amat. Vnde & molam tollere, ac farinam molere iubetur. Mola in gyro ducitur, & farina profertur. Vnaquæq; autem mundi huius actio mola eſt, quæ dum multas curas congerit, humanas mentes quaſi per gyrum vertit; atq; ex ſe quaſi farinam proijcit, quia ſeducto cordi ſemper immundiſſimas cogitationes gignit. Nonnunquam verò qui quietus alicuius eſſe meriti credebatur, poſitus in qualibet actione denudatur. Vnde illic protinus ſubinfertur: Denuda turpitudinem tuam, diſcoöperi humerum, reuela crura, tranſi flumina. In adminiſtratione quippe operis turpitudo denudatur, dum vilis mens, abiectáq; in actionis oſtentatione cognoſcitur, quæ quieta priùs magna putabatur. Humerum mens diſcoöperit, quando opus ſuum quod ignorabatur, oſtendit. Cruca reuelat, quia quibus deſideriorum paſſionibus lucris mundi inhiet, manifeſtat. Flumina etiam tranſit, quia actiones huius ſeculi, quæ quotidie ad terminum defluunt, indeſinenter appetit; dumq; alia relinquit, alia ſequitur, quaſi ſemper de flumine ad flumen tendit.

Hæc autem diximus, vt vbi mens à ſolio ſanctæ intentionis excuſſa, & vagationis vitio dedita, iaceat, monſtraremus, quia ſi ad ea, quæ ſuperna ſunt, inhiare ceſſauerit, ſub ſemetipſam etiam indeſinenter ruit. In alto autem figitur, ſi amorem temporalium deſerens, ad ſpem incommutabilis æternitatis ligatur. Nec nos his verbis illud aſtruimus, vt monachus peruicaci propoſito in ſua iugiter remotione permaneat, nec aliquando progredi, vbi violenta popoſcerit neceſſitas, acquieſcat; ſed hoc potiùs ſuademus, quatenus id tantò parciùs, tantóq; rariùs agat, quantò ſcit, quia vagando per ſeculum, nec ſpiritualiter viuere, nec ad pefectionis culmen valeat, etiam ſi diligenter inuigilet, peruenire.

DE EREMITIS, QVI IN VAGATIONE SVNT POSITI. CAP. XXIIII.

SED inter omnia hominum à ſuo propoſito deuiantium genera illud non mediocriter diſplicet, quòd etiam in ipſis ſanctiſſimis eremitis quidam videntur admixti, quos idem peſtiferæ vagationis morbus exagitat, & (ſi dicere liceat) quaſi vertunnus, quoddam ſcilicet dæmoniorum genus, vexat. Vertunni ſiquidem apud antiquos dicebantur dæmones, quorum inſtinctu homines in vertigine poſiti reddebantur inſtabiles. Quibus nimirum illi non immeritò videntur obnoxij, qui ſolo quadrageſimali tempore in cellulis commorantes, toto penè anni circulo huc illucq; diſcurrunt, & ſic vitam ſuam inaniter ſpatiando conſumunt. Qui nimirum dum modò ſummotenus remotiora ſectantes, modò in publicum crebriùs prodeuntes, in vtranq; vitam ſe, contemplatiuam ſcilicet, & actiuam gloriantur extendere, in neutra plenum ſalutis fructum probantur afferre; cúmq; ſibi applaudant cum Iacob duarum coniugum ſpeciali quadam copula fœderari, deprehenditur illis propriæ opinionis ſententia in contrarium verti, quibus nimirum contra conſuetudinem & Rachel lippa, & Lia redditur infœcunda, altera ſiquidem hebetatione viſus obtunditur, altera ſterilitatis animaduerſione feritur, quia videlicet huiuſmodi homines & per publicum diſcurrentes, vtputa ſiniſtræ opinioni apud populum habiti, nequaquam poſſunt ſpirituales Deo filios gignere, & velut ebrij de ſeculo redeuntes, intima nequeunt penetrare. Quiſquis enim deſiderat ad illud inacceſſibile lumen acie mentis attingere, neceſſariũ ſibi eſt interiores oculos per diuturna vagationis ſpatia ab omni

mundanæ

mundanæ actionis labe purgare, ne dum ad ſumma ſpeculanda oculos eleuat, terrenæ conuerſationis puluis obſiſtat, & magis tenebras, quas reliquerat, videat, quàm lumen, ad quod nititur, apprehendat.

QVO'D CELLAM CONSVETVDO DVLCEM, VAGATIO REDDAT HORRIBILEM.

CAP. XXV.

HVC accedit, quòd ijs, qui vitam ſuam ſub hac inconſtantia mutationis alternant, eò fit vita remota auſterior, quò inolita vagandi conſuetudine ab ea retrahuntur; ita vt eremitica diſtrictio grauiſſimæ difficultati, cella ipſa illis ſit horrori. Conſuetudo enim facit delectabilē, vagatio videri facit horribilē. Vagantibus cellula carcer eſt, permanentibus ſuaue cubiculum. Silentium perſeuerantem monachum vigilem reddit, extrinſecus venientem ſopor deprimit. Aſſuetum ieiunijs corpus ſobrietas roborat, affluentium epularum fluxus eneruat. Vigilia moderata aciem humanæ mentis exacuit, geminatio repetiti ſoporis obtundit. Confabulatio crebra in mente monachi eſuriem parit, ſecreta remotio animam in aſſuetæ continentiæ rigore cuſtodit. Secularium negociorum relatio animam paſſionibus deſiderij facit obnoxiam, ſacri eloquij aſſidua meditatio mundo reddit extinctam. Paupertas monachi ſecuritas eſt mentis, ſecuritas mater eſt paupertatis. E' contra rerum abundantia aculeos parit ſolicitudinis, ſolicitudo radix eſt anxietatis. Pedes illoti, manus neglectæ, inculta cæſaries, quaſi quædam anchora eſt monachi in cella iugiter permanendi. E' diuerſò accurata delicati corporis compoſitio, fomes eſt, & occaſio in publicum prodeundi.

Quiſquis ergo vult, vt ſibi eremitica vita dulceſcat, profectò neceſſe eſt, vt in ea conſtanti animo iugiter perſeuerare contendat; nec alternet vicibus, ſi ſuaue iugum Domini vult portare quietus. Vita namq; eremitica continuata quidem eſt refrigerium, intermiſſa quoddam videtur eſſe tormentum. Remotione quoq; continua illuminatur anima, vitia deteguntur, & quicquid hominem de ſemetipſo latuerat, aperitur. Cùm aqua de viuario, remotis quæ opponebantur, egeritur, piſces in ſiccum remanentes humanum patiuntur aſpectum. Et à nobis cùm terrenæ actionis fluctus elabitur, quicquid in profundo procellarum emergentium ſubnatare conſueuerat, denudatur. Venator quoq;, oppilatis anfractibus, depreſſis circumſepit ſaltuum luſtra fruticibus, vnumq; pro multis aditum feris fugacibus extare relinquit, atq; illic ſe vibrata ſtringendo venabula in inſidijs ponit; ſicq; compendium ſibi laborioſæ vexationis attribuit, dum pernicia ferarum veſtigia, quæ perſequi per infinita nequiuerat, in egreſſionis ſolo veſtibulo negocioſo otio quietus expectat. Et nos cùm vitijs ad praui operis libertatem redire nitentibus, terrenæ actionis meatus occludimus, quaſi vno in loco illis inſidias ponimus, quia cū ſolis cogitationibus iugiter dimicamus. Sicq; vitiorū noſtrorum beſtialis feritas facilè capitur, dū ſolū cogitationis humanæ peruiū ſingulariter cuſtoditur. Auceps etiam cunctos vndiq; gurgites ramalium denſitatibus operit, atq; ad vnum hauriendæ dulcis aquæ locum confluere volucres præſcripta neceſſitate compellit; dumq; ſolus ille ad bibendum locus exponitur, circumpoſita muſcipularum argumenta felicis aucupij prouentione ditantur. Vt ergo diuerſis animi paſſionibus facilè poſſimus laqueos captionis inijcere, obtruſis negociorum ſecularium riuulis, aduerſus ſolos cogitationum impetus ſtudeamus

virilitet decertare, vt dum vitia noſtra ab actione deterrita ſolis cogitationum fluctuationibus aduolant, facilè in ſanctæ prudentiæ laqueos cadant.

QVO'D SAEPE' MONACHVS FALSA CARNALIVM PROMISSIONE DECIPITVR. CAP. XXVI.

NOTANDVM autem, quia ſæpè ſeruus Dei per huiuſmodi membra decipitur, dum ad dirimendas diſſidentium lites, vel ad aliqua peragenda Eccleſiaſticis ſcilicet vſibus profutura, importunius inuitatur. Imminens nanq; periculum, multorumq́; commune diſcrimen, niſi progrediatur, exaggerant. Quòd ſi acceſſerit, cuncta ad ſuæ volútatis arbitrium, atq; ad felices exitus prouentura, multipliciter aſſeuerant. Antiquus enim hoſtis videns militem Chriſti in procinctu ſancti certaminis poſitum non aliter poſſe à ſui propoſiti feruore tepeſcere, machinatur vberioris cuiuſdam fructus ſuperficie fallaciter adumbrare, vt dum lucrum maius attenditur, bonum, quod in præſenti eſt, ad tempus quaſi diſpenſatione poſtponatur. Sed qui mendacis mundi conſuetudinem frequenter expertus eſt, prudenter nouit vana ſuggerentium commenta reſpuere, & ſe ab infructuoſi laboris exercitio cuſtodire. Apud quoſdam nanq; abſentis monachi auctoritas grauis eſt; ſi autem præſens affuerit, nullius iudicatur eſſe momenti. Sæpè enim cuiuſpiam venerabilis viri literis reuerentiæ honor impenditur, qui perſonæ, ſi adſit, indeuotiùs exhibetur. Apud ſeculares nempè religioſus quiſq; veluti pictura eſt. Pictura nanq; ſi procul aſſiſtat, inhianter, & cum auiditate proſpicitur, ſi iuxtà ſit, contemptibilis iudicatur. Et ſpiritualis quiſq; carnalibus abſens quidem timori, præſens autẽ videtur eſſe deſpectui. Quod & Apoſtolus ſibimet contigiſſe teſtatur, cùm ait: Epiſtolæ graues ſunt, & fortes, præſentia autem corporis infirma, & ſermo cõtemptibilis. Quos enim epiſtolarum fortitudine, & grauitate terruerat, his corporali præſentia deſpicabilis apparebat. Quid autem mirum, ſi iuſtis quibuſlibet viris iſta contingant, cùm & de ipſo electorum capite, Redemptore videlicet noſtro, non diſſimile quid Euangelica ſeries aſſerat? Herodes, inquit, viſo Ieſu, gauiſus eſt valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quod audiret multa de illo. Sed videamus hoc tam magnum, tam diuturnum deſiderium, quod in abſentem Dominum falſitas Herodiana tenuerat, in quem tandem exitum, oblata videndi facultate, concluſerit. Quod nimirum declaratur, cùm paulò inferiùs ſubditur: Spreuit autem eum Herodes cum exercitu ſuo, & illuſit indutum veſte alba, & remiſit ad Pilatum. Ecce quem vulpis illa malitioſa deſiderauerat, ſpreuit, quem videre cupiebat, illuſit; & quia Vitam non pio viuendi amore quæſiuit, mittens eum ad Pilatum, in impietatis ſuæ morte remanſit.

VT MONACHVS SE A' MVNDI IMPLICATIONE CVSTODIAT. CAP. XXVII.

QVISQVIS ergo in procinctu cœleſtis militiæ poſitus ad ſupernæ patriæ municipium properat, ſtudeat malè blandientis mũdi promiſſa

reſpuere, abhorreat ſe ſub qualibet ſpecie actionum ſecularium laqueis irretire. Habet deputatum ſibi propriæ ſeruitutis officium. Sufficere ſibi credat, ſi indictæ ſibi obedientiæ præſcriptum munus poſſit implere. Illud ad memoriam reuocet, quod ſcriptum eſt: Caue ne in multis ſint actus tui. Secularibus relinquatur, ſecularia iura componere. Satis ſit ſeruis Dei periturо huic mundo ſe mortuos exhibere. Sicut enim abſurdum eſt, bonis mala præferre, ita etiam fatuum, optimum bono inferius iudicare. Maria, quia optimam partem elegit, ſuffic ere ſibi credidit, nec ſe ad bona Marthæ, frequens videlicet miniſterium, reclinauit. Moyſes quia ab humana conuerſatione remotus, bis quadragenario dierum numero ieiunauit, bis etiam legem Domini digito ſcriptam ſuſcipere meruit; Aaron autem, qui ad cuſtodiam populi derelictus eſt, cognoſcitur idola fabricatus. Sic nimirum, ſic plerunque contingit, vt qui propria non contentus, alienæ progreditur ſaluti conſulere, ſui potius cogatur periculum ſuſtinere; cumque alij, velut inter procelloſa naufragia palpitanti, manum porrigit, ipſum quoque præcipitem vorax fluctus inuoluit. Tutius ergo eſt ſub huius vitæ nocturna caligine, nos in littore poſitos naufragantibus lumen ingerere, quàm ad eos compaſſionis gratia cum propriæ vitæ periculo pronatare; quatenus ipſi per nos dato recti curſus indicio, ſinum tuti portus attingant, non autem nos ad eos transfretantes vorago ſpumoſi maris abſorbeat. In vertice montis Raphidim Moyſes orabat, & Duce Ioſue, Iſraël in conualle pugnabat. Sed ſi Moyſes in adiutorium populi ſui ad campeſtria deſcendiſſet, Amalech proculdubiò Iſraëlitarum cedentium terga percuteret. Si ille manus ad corripienda arma deponeret, facta ſuorum ſtrage, facilem victoriam aduerſarijs triumphantibus præbuiſſet. Quod nimirum patenter agnoſcitur, ſi ipſa ſacræ hiſtoriæ ſeries ſubtiliter attendatur, vbi dicitur: Quia cùm leuaret Moyſes manus, vincebat Iſraël; ſin autem paululum demiſiſſet, ſuperabat Amalech. Orantis ergo manus, manus præliantium roborabat; & quia iſtæ imbelles ad cœlum patebant, idcirco illæ dimicantes victoriam, cæſis hoſtibus, obtinebant. Illarum quidem fuerit pugna, ſed iſtarum non ambigitur fuiſſe victoria, quia vt illis daretur vincere, iſtæ meruerunt diuinitus impetrare. At contra, Balaam filius Beor, qui ad prælium cum Madianitis egreditur, cum his, quos iuuare decreuerat, gladio trucidatur. Et iure, qui proprio non eſt contentus officio, diſcrimini redditur obnoxius alieno. Infelix meruit inter bellantium cuneos hoſtilibus gladijs confoſſus occumbere, qui in pace poſitus per prophetiæ oraculum potuiſſet ipſius belli exitum nunciare.

DE LIBERTATE, ET DISCRETIONE ELISAEI. CAP. XXVIII.

NEQVAQVAM ſic Eliſæus, qui nimirum Ioram regem Iſraël aduerſus Moab properantem, non ad bella ſecutus eſt, ſed tantùm ſufficere credidit, quòd ei ſucceſſum belli ad futuram, concifis hoſtibus, prædixit victoriam. Sed cur dicimus, quòd nequaquam ad bellum regia caſtra ſecutus ſit, cùm & Naaman de remotis Syriæ finibus veniẽte, & oſtio domus ſuæ cum equis, & curribus humiliter aſſiſtente, non limen egredi dignum duxit, non ianuam vt ingrederetur aperuit, ſed per nuncium potius quæ eſſent facienda mandauit? Et certè Naaman iſti multiplex mundanarum ſuppetebat copia dotum, pro quibus honorandus eſſe videretur. Sicut enim ſacra teſtatur hiſtoria, princeps erat militiæ, vir quoque magnus apud dominum ſuum, & honoratus.

Per illum enim dedit Dominus ſalutem Syriæ. Erat inſuper, ſicut ſcriptum eſt, vir fortis, & diues. In ipſa enim expeditione poſitus, ſubſtantiæ facultate non erat omnino vacuus. Tulerat enim ſecum (ſicut legitur) decem talenta argenti, & ſex mille aureos, decem nihilominus mutatoria veſtimentorum; quæ etſi cuiuſmodi eſſent, Scriptura non dicat, grauibus tamen auri, argentiq́ꝫ connumerata ponderibus pretioſa fuiſſe quis ambigat? Quot verò ſunt hodie, qui monaſticæ inſtitutionis profeſſione cenſentur, quibus ſi tam potens, tamq́ꝫ famoſus vir pro foribus dignaretur aſſiſtere, mox etiam feſtinantes reuerenter occurrerent, vt ingrederetur humiliter obſecrarent, & non tam quæ vtiliter implerentur, quàm quæ libenter audirentur, aſſentationis verba proferrent? Qui etiam, ſi rantopere rogarentur, nequaquam ſuſcipere oblata renuerent, præſertim ſi aliquantulum numeroſior alendorum fratrum ſibi conuentus adeſſet. Eliſæus autem Spiritus ſancti diſcipulus, ſpe diues, theſauro fidei locuples, licet centum Prophetarum filios ſub diſciplinæ ſuæ magiſterio ſuſtentaret, pecuniam ſpreuit, munera repulit, & impenſæ gratiæ vicem recipere laudabiliter recuſauit; ne videlicet quod gratis acceperat, ad dantis iniuriam vendere videretur. Venienti autem Naaman nequaquam ſuperbè, ſed prudenter non aſſurrexit, ne videlicet alienigenæ, & de terrena adhuc gloria præſumenti reuerentiam exhiberet, nimirum iam tunc Apoſtolicæ dignitatis imaginem præferens, quam Paulus poſtmodum expreſſam repræſentat dicens: Quandiu ſum Apoſtolus Gentium, miniſterium meum honorificabo. Nunquid enim miniſter humilitatis exiſtimandus eſt, Naaman ſuperbè fixiſſe pro foribus, qui de monte Carmeli, in quo manebat, à fœmina ſe paſſus eſt pertrahi, & Sunamitem illam non ſolùm comitatus, verùm inſuper eſt ſecutus? Nam cùm illa diceret: Viuit Dominus, & viuit anima tua, non dimittam te: mox ſequitur Scriptura dicens: Surrexit, & ſecutus eſt eam. Nunquid etiam copioſa munera tumidi faſtus ſupercilio reſpuit, qui à viro quodam de Balſaliſa venienti viles hordeaceos panes charitatiuè ſuſcipere non deſpexit?

Sed hîc dum Prophetæ obſtaculum, ne tumidæ elationis arguatur, apponimus, in noſmetipſos exactoriæ quæſtionis aditum aperimus. Poteſt enim aduerſus hæc, quæ proponimus, quæſtio huiuſmodi fieri: Si tantus Propheta, & panes de manibus offerentis accepit, & exire de eremo fœminea ſupplicatione conſenſit, qua ratione monachus vel ſeculum frequentare non audeat, vel ſuſcipere munera difficiliùs acquieſcat? Ad quod nos ſub compendio reſpondentes, nequaquam quid accipiendi licentiam monacho prorſus abſcidimus, ſed quò id temperatiùs, & cum diſcretione fiat, cùm fraterna deuotio poſtulat, ſuademus, nimirum vt neceſſaria quæq; ſicut Propheta panes, quibus indigebat, accipiat, & quæ ſuperflua iudicauerit, ſicut ille pecuniam, non admittat. Quòd autem Eliſæus ad reſuſcitandum Sunamitis filium de montana remotione deſcendit, huius temporis monachis potiùs eſt venerationi habendum, quàm imitandum. Liceat ſanè monacho ad ſeculum ex voluntate recurrere, quotiens mortuum hominem ad vitam potuerit ſuſcitare. Illud autem propheticum iter omnino cognoſcitur & virtute plenum per reſurrectionis humanæ miraculum, & typicum per ſignificationis internæ myſterium.

Quid autem ſignificet, non otioſum creditur, ſi breuiter apponatur. Sunamitis nempe filium puer ab Eliſæo miſſus cum baculo non reſuſcitauit; per ſemetipſum verò Eliſæus veniens, atq; ad eius membra ſe colligens, huc illuc q́ꝫ deambulans, & in ore mortui ſepties aſpirans, ipſum ad rediuiuam vocem protinus per myſterium paſſionis animauit. Author ſiquidem humani generis Deus quaſi mortuum puerum doluit, cùm extinctos nos iniquitatis aculeo miſeratus aſpexit. Et quia per Moyſem terrorem legis protulit, quaſi per puerum virgam miſit. Per legem quippe Deus virgam tenuerat, cùm dicebat: Si quis hæc, vel illa

fecerit,

fecerit, morte moriatur. A peccati ergo morte lex nos ſuſcitare non valuit; ſed ad ſtatum vitæ Deus, aſpirata manſuetudinis gratia, clementer erexit. Nam puer cùm baculo mortuum ſuſcitare non valuit, quia Paulo atteſtante, nihil ad perfectum adduxit lex. Ipſe autem per ſemetipſum veniens, & ſuper cadauer ſe humiliter ſternens, ad exæquanda ſibi mortui membra ſe collegit, quia cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, ſe eſſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudine hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Huc illuc'q; deambulat, quia & Iudæam iuxta ſe, & longè poſitas gentes vocat. Super mortuum ſepties aſpirat, quia ad perceptionem diuini muneris gratia ſeptiformis Spiritus in peccati morte iacentes inflammat. Mox'q; viuens erigitur, quia is, quem terroris virga ſuſcitare non potuit, per amoris ſpiritum puer ad vitam redit.

Quis ergo Propheticum diſcurſum iure audeat in exemplum trahere, cuius nimirum cõſtat quia nec virtutem, nec myſterium poſſit æquare? Excubet igitur aſſiduè bellator Chriſti in procinctu cœleſtis militiæ lorica munitus fidei; pro caſtris ſui Imperatoris ad dimicandum paratus ſemper aſſiſtat, ne forſaſſis extra caſtra vagantem reperiens eum gladius hoſtilis abſumat. Donec Abner commilitonum caſtris interfuit, aduerſariorum cuneis terribilis extitit; poſtquam verò arma depoſuit, rudioris adhuc militis gladio, cæſi nuper Aſaël pœnas exoluit. Vriæ quoq; ſi propriæ domus hoſpitium placuiſſet, ſententiam proculdubiò regiæ indignationis, ac fraudis euaderet. Sed quia extrinſecus in alienis, quàm in proprio dormire cubiculo maluit, auctores ſuæ mortis literas ad caſtrorum vrbem obſidentium principem reportauit.

QVOD HOC TEMPORE PRAEDICATIO NON, SICVT OLIM, SIT ADMODVM FRVCTVOSA. CAP. XXIX.

EQVIDEM fuit olim tempus, quo bona annunciantibus mundus egebat; ſed elapſa ſunt, ac euoluta tempora, quibus religioſus quiſq; poſſit ſecularibus fructuoſè conſulere, & in mente carnalium ſpiritualia non inutiliter ſeminare. Nunc infelices quiq; verba vitæ fabulas deputant, & ſalutaribus monitis licet aures adhibeant, ea tamen ſeruare declinant. Porrò ſi fidei oculos ad tranſacta reducimus, velut fructuoſos ramos in ſterilia degeneraſſe vitulamina, præteritum in hoc præſens ſeculum inuenimus. Quis enim non miretur, quòd Niniue ſpacioſa nimis, & incomparabilis ciuitas, ad vocem vnius hominis tam facilè à ſua prauitate conuertitur, & innumerabilis populus, non ſolùm cum paruulis, & mulieribus, ſed etiam cum iumentis ad pœnitentiam reuocatur? Quis hoc tempore, non dicam infirmæ ætati, vel ſexui, ſed ipſis etiam viris præſumat ieiunia triduana præſcribere, vt nec aquam bibere, nec quicquam omnino cibi liceat degustare? Ecce apud Gentiles bruta etiam pecora ad Prophetæ vocem triduanos cibos leuant; & ipſi homines ſub Euangelica diſciplina, vltra diem ieiunare contemnunt. Illi ad pœnitentiam, vno prædicante, vnanimiter confluunt; iſti prædicatorum turbas indeſinenter audiunt, & obedire nullatenus acquieſcunt.

Quis etiam non obſtupeſcat, quòd omnes viri Iuda, & Beniamin, quicunque vxores alienigenas duxerant, ad prædicationem Eſdræ ſacerdotis non ſolùm

illicita connubia diſſoluerunt, ſed & omnem ſobolem, quæ ex eis genita fuerat, abiecerunt? Quis neſciat, quantus virorum amor circa vxores proprias vigeat, quanta circa filios pietas paternum pectus aſtringat? Quis ignoret, ad diſſoluendum duplex huius neceſſitudinis vinculum, quo mœrore, qua amaritudine ſe potuerunt viſcera humana concutere? Quo vehementiſſimi doloris incendio paternus affectus, coniugalis animus compulſus eſt æſtuare? Habentes tamen veram circa Deum pietatem, ad nihilum redegerunt falſæ pietatis imaginem; atq; vt eſſent in ſpiritu veraciter pij, facti ſunt cōtra carnem, & ſanguinem laudabiliter rigidi. Armauerunt ſe contra iura naturæ, vt naturarum Authori fideliter militarent. Obliti ſunt erga filios quòd fuerant genitores, vt veri Patris ipſi aſcriberentur hæredes; atq; vt ſupernæ pacis ſibi fœdera reſarcirent, coniugalis tori copulam reſciderunt. Neſciunt ſeruare matrimonijs fidem, vbi fides melior ad proprium recaleſcit Authorem. Quibus vtiq; conuenienter aptatur quod per Moyſem dicitur: Qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ, Neſcio vos, & fratribus ſuis, Ignoro illos, & neſcierunt filios ſuos, ij cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſeruauerunt.

Quis, rogo, nunc poſſit inceſtuoſa coniugia quantumuis inſtantiſſima prædicatione reſcindere? Quis valeat, non dicam populum, ſed vel vnum hominem ad illiciti matrimonij repudium prouocare? Clamant ſacri canones, humanæ in tantum ſcelus iudicant leges, obſiſtunt prædicatores Eccleſiæ; & cuncta hæc perditis hominibus velut aniles neniæ riſum potiùs mouent, quàm ad corrigendà ſcelera compungant. Ecce inſuper hoc anno (ſicut noſtis) per Romanæ ſedis Antiſtitem bis congregatum eſt ſynodale Concilium, vbi denuò omnes inceſtuoſi iuxta canonum decreta, Eccleſiaſtica ſunt communione priuati. Sed quis ex tot millibus hominum ſaltim vnum vidit ab infauſti fœderis abominatione diuulſum? Immò ne profundiori iuſtè clamitâtis abſorberetur hiatu, quis eorū poſt hæc, Eccleſiæ limen terere deſtitit? Aut quis inſuper iſta conſiderans, ab eorum ſe familiaritate remouit? In omnes itaq; letalis lepræ cōtagium ſerpit, quia nimirum omnes eorum complices Apoſtolicæ excommunicationis nexus aſtringit. Enimuero quiſquis coniugalis proſapiæ titulis inſignitur, quiſquis malè blandientis formæ ſuaui venuſtate mulcetur, præſertim ſi largioris ſubſtantiæ dotibus affluit, vel ſubreſcentis ſobolis indoles ſpem ſibi futuræ poſteritatis infundit, conſultiùs iudicat, à Deo manifeſtè recedere, quàm adeò lucroſi matrimonij glutinum diſgregare. Si verò his contraria euenerint, atq; luxuriæ calamitatis incommoditate percellatur, ipſe vir falſæ cōſanguinitatis lineam texit, & inaudita proauorum nomina per multa argumenta confingit, atq; ſenes quoſdam in huius allegationis teſtimonium aduocat, quos tamen per vitæ terminum ſublatos è medio non ignorat. Ipſe itaq; ſibimet accuſator, & reus crimen impingit, ſcelus exaggerat, atque adminiculum, quo ex tam periculoſo naufragio enatare poſſit, inquirit.

Eat ergo nunc monachus, ſalutiferum vitæ ſuæ otium deſerat, vitamq; ſuam ſub ſpecie lucrandi animas, inania ſectando, conſumat. Quis enim ſimoniacus noſtræ commonitionis inſtinctu ſua ſe aliquando ſponte depoſuit? Quis alieni iuris violenter inuaſor, paterno ſolo depulſos in patrimonia ſublata reſtituit? Quis in campo bellicoſis armatorum cuneis conſtipatus, ſi ex æquo congredi potuit, obſtaculo ſequeſtræ pacis ad propria, niſi fuſo ſanguine, repedauit? Quis exactor egeno debitori præfixum chirographo fœnus indulſit? Quis debitor creditoris hæredibus bonæ fidei iura ſeruauit? Omnia in orbe confuſa, cuncta pietatis, ac fidei decreta conuulſa. A' iudicibus iuſtitia venditur. A' legiſperitis veritas tenebroſo cauillatoriæ argumentationis colore fuſcatur. Venales ſunt ſiquidem leges, & pecunia iuſtificat delinquentes. Aurum nunc ipſis ſenatoribus

præſidens in tribunalibus iudicat,& velut Imperator quidam pragmaticæ ſanctionis edicta promulgat. Sicut enim Rex in ſecretalibus adytis de regni ſtatu, de rerum ſumma delibera t,quodammodo ſic aurum & latet in occulto,& ſententias depromit in publico. In ſudario anguſto concluditur,& deciſis negocijs calculos iudiciales apponit. Plerunq; enim quos cauſa condemnat, mendax pecunia præmio dignos procaciter aſſeuerat. Et contra quos conſcientia teſtatur innoxios,ſtatuit inopia coram iudicibus reos. Nummus nempe momenta legibus tribuit, atq; ad ſuum intellectum obſcuras ſentẽtias falſus interpretator inflectit. Nummus cor iudicum circa diuites oleo impietatis emollit; erga pauperes verò ad exercendum vigorem rigidæ animaduerſionis impellit. Nunc igitur auaritia malorum omnium radix, vberiùs pullulat,& tanquam viroſæ propaginis ramos per totum orbem feralium vitiorum portenta dilatat.

QVOD NVNC OMNIVM VITIORVM MONSTRA FERALIVS VIGEANT.

CAP. XXX.

HAEC nimirum tempora Apoſtolico denunciantur oraculo, dum Timotheo futura prædicit. In nouiſſimis,inquit, diebus erunt tempora periculoſa,& erunt homines ſeipſos amantes,cupidi,elati,ſuperbi,blaſphemi,parentibus inobedientes,ingrati,ſceleſti,ſine affectione,ſine pace,criminatores,incontinentes,immites, ſine benignitate,proditores,proterui, tumidi, voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Atque his præmiſſis,illico ſubiungit: Et hos deuita. Nunquid ad mundi huius terminum Timotheus peruenturus erat, cui cùm prauitates hominum in nouiſſimis diebus futuras Apoſtolus enumeraret, protinus vt euitaret adiecit? An potiùs in vnius perſona diſcipuli, illis mandatum hoc communiter indicit,quos ad hoc deputatos officium iuxta finem ſeculi fore præuidit? Igitur dum non dicit, His prædica,his verba vitæ denuncia,ſed, Hos deuita, profectò modernæ temeritatis inſolentiam arguit,atq; ab infructuoſa tumidos quoſq; prædicatione cõpeſcit. Quid ad hæc nos monachi dicimus,qui menſuræ noſtræ metas excedimus, atq; ius nobis alieni muneris vſurpatione vendicamus? Si Paulus diſcipulum in hoc ipſo ſpecialiter conſtitutum ab incorrigibiliũ prædicatione prohibuit,qua nos audaciæ nota corripimur, qui nequaquam nobis delegato prædicationis officio importunè noſmetipſos ingerimus,& noſtra ſalute poſtpoſita,alienis quaſi profectibus inaniter inſudamus?

Cedat ergo,cedat ſterilis cura negocij. Superfluum iudicetur Infructuoſo indulgere labori. In ſemetipſa mens totis collecta viribus redeat; aduerſus inſatiabiles aduerſarios peruigil ſe ad certamen accingat. Charitatis quidem viſceribus erga nos intrinſecus affluat; ad exteriora verò ſe cauſa alienæ ſalutis extendere ſuperuacuum ducat. Ad ſe venientibus monita ſalutis impendat;nullius hortatu leuiter propriæ quietis lucra poſtponat. Imperialis edicti pagina veredario diſcurrente defertur;bullatæ nobis apochæ ab auctore ſedis Apoſtolicæ diriguntur; ſynodus congregatur;religioſis viris Concilij ſumma committitur. Solotenus illico ſe monachus flectat, honorem ſacris literis reuerenter exhibeat; huius tamen expeditionis munus à ſe alienum irretractabiliter ducat, reputans intra ſe: Quid mihi cum Regibus terræ? Quid mihi cum ſynodali conuentu? Sufficiat mihi peccatis meis flendis inſiſtere; ſatis mihi ſit me

huic mundo mortuum exhibere. Nolite,quæſo,monachi,nolite ſub Eccleſiaſticæ compaſſionis ſpecie Regum aulas irrumpere; nolite aures Principum, velut ſalutaria ſuggerendo,faſtidioſa importunitate pulſare. Credite experto, credite in huius gratiæ ſtudijs non leuiter fatigato. Imperatoriæ nanque maieſtati ſæpè quæ ſuggerenda videbantur expreſſimus. A' ſummis Pontificibus inuitati ſynodalibus Concilijs interfuimus. Sed qui hoc tempore iſta proſequitur, tanquam ſi ſemina crederet arenoſis littoribus videatur.

QVO'D IN SYNODO MONACHVS AD EPISCOPORVM INVIDIAM LIBERE LOQVI NON AVDEAT.

CAP. XXXI.

SAEPE' nanque in Concilijs ſynodalibus poſiti,quoſdam clam ſibi feraliter conſcios præſidere in numero Sacerdotum vidimus,non modò de ſuis ſecuros, ſed vltro etiam ad aliorum crimina defendenda impudenter accinctos;qui nimirum(vt ferebatur)& cum Simone priùs emerant,& cum Giezi poſtmodum chariſmatum dona vendiderant. Quorum tãta uis erat ad excuſandas excuſationes in peccatis, vt inter cætera mala etiam Simoniacæ hæreſeos non modò defenſores,ſed viderentur potiùs aſſertores. Quis ad iſtorum inuidiam monachus mutire præſumeret?Quis ad arguenda crimina,vel iuſtitiam declarandã,vendicare ſibi ius libertatis auderet?Illico ſæuirent,illico in nos duræ ſugillationis arma corriperent,& præmiſſo iurgio ſilentium imperarent, inter ſe ſcilicet hoc modo iudices conquerentes:Ad Concilium hoc iudicantes conuenimus; ſed (ò noua præſumptio) mortuorum ſententijs ſubiacemus,& Epiſcoporum ſunt iudices facti, qui legaliter ſub eorum fuerant legibus conſtituti. Quibus aliquando reſpondetur:Venerabiles patres,& domini,ſicut vobis ſpecialiter prærogatum eſt iudicare, ita etiam minoribus Eccleſiæ membris competit quod ſentiunt in commune conferre, nec vlla canonum auctoritas prohibet, iuniores quæ Eccleſiæ ducunt profutura depromere,dum tamen ventilata negocia pontificalis iudicij debeat clauſula terminare. Si quando ergo hoc,aut aliquid huiuſmodi cum humilitate ſuggeritur,nequaquam patienter admittitur; ſed quicquid à nobis in ſynodo dictum eſt,totum ad inuidiam noſtram ſuperbo vocabulo iudicium nuncupatur.

Hæc breuiter idcirco perſtrinxerim,vt in me quilibet inexpertus diſcat, ſibimet etiam à talibus declinare,quantùm expediat. In vno ſiquidem præuadante colligitur,vtrum à ſubſequenti exercitu ignotæ aquæ tutò fides habeatur. Protinus ſe ab impetu proprij curſus inſtitores venalium reprimunt, cùm vel vnum ex ſuis redire à nundinis vacuum,non diſtractis mercibus,cernunt. Quem ruralibus curis intentum frequenter ſeges negata deluſit, quamplures à ſterilis arui cultura compeſcuit. Cùm ſcrutator fluctuum labore fruſtratus, vacua laſſus lina reportat,facilè jam nudatos à perluſtrandis inopis aquæ finibus reuocat. Sic nimirum me, non mihi ſoli, ſed & cunctis fratribus meis, talia tentaſſe ſufficiat, vt dum vnius labor inutilis fuiſſe perpenditur, non vni,ſed multis à ſuperuacui laboris impendio cautela præbeatur.

QVO'D

QVOD MONACHVS SE A' MVNDO COHIBEAT, ET DEI IVDICIVM SVIS SEMPER OCVLIS ANTEPONAT. CAP. XXXII.

QVISQVIS ergo monachus perfectionis culmen feſtinat attingere, intra remotionis ſuæ ſe clauſtra cohibeat, ſpirituale otium diligat, diſcurrere verò per ſeculum, velut merſare ſe in lacum ſanguinis, perhorreſcat. Tot enim criminum magis ac magis in dies mundus contaminatione polluitur, vt quælibet ſancta mens ſola eius conſideratione fœdetur. Et dum veteribus noua ſemper augentur, quid aliud, quàm Antichriſti via procuIdubiò ſternitur, vt iam vltra finem ſeculi in mundum veniens ſine offendiculo liber ingrediatur? Et cùm illius via nil aliud prorſus, quàm noſtra ſint abſque dubio ſcandala, eadem cauſa debet veſtigia noſtra compeſcere, quæ illi ſpondet liberis poſſe greſſibus aduentare.

Deprimatur ergo quilibet frater nunc in anguſto ſuæ remotionis ergaſtulo, vt infinitæ magnitudinis domus ſibi paretur in cœlo. Hieremias ait: O' Iſrael, quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius; magnus, & non habet conſummationem, excelſus, & immenſus. Nunc ſe vinculo diuini timoris obſtringat, vt poſtmodum ius veræ libertatis obtineat. Requieſcens in Chriſto reputet nil ſibi commune eſſe cum mundo, vt quod Ioannes Apoſtolus iubet, non ſolùm corde, ſed & corpore ipſo conſeruet. Nolite, inquit, diligere mũdum, nec ea, quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo. Clareſcat ſeruus Chriſti, nulla mundum affectione cordis diligere; atque ad hoc probandum, corporalibus etiam hunc faſtidiat greſſibus frequentare. Ipſa porrò corporalis abſtinentia piæ mentis odium comprobet, vt quò quiſq; à noxia mundi notitia magis alienatur, eò arctiori Deo familiaritate iungatur. Nunc flebilis, & mœrens defixos in terra oculos teneat, quos ad eum videndum, qui venturus eſt in nubibus cœli cum poteſtate magna, & maieſtate, tunc lætus attollat; ſicut ſcriptum eſt: Reſpicite, & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra. O' quàm ad pronunciandum breuiſſima verba, quàm ad pertractandum medullitus infinita ſententia, videlicet cùm reprobi eiulantes tremefactis viſceribus dicent: O' montes, cadite ſuper nos, & colles, operite nos à facie ſedentis in throno: cùm denique ſol obſcurabitur, luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo; tunc nimirum cùm videbit eum omnis populus, & qui eum pupugerunt, & plangent ſe ſuper ſe omnes tribus terræ.

Quæ autem mens humana concipere, quæ lingua valeat explicare, quantũ erit tunc electorum gaudium, quàm inenarrabilis lætitia beatorum, cùm, periclitante mundo, ipſi de cætero ſubiacere periculis deſinunt, & venienti immortali Sponſo accenſis lampadibus tripudiantes occurrunt? cùm membra mundi ad perferenda tartareæ combuſtionis ſupplicia corruunt, ipſi ad percipiendá inaceſſibilis gloriæ præmia felices aſſurgunt? cùm illorum vitam mors immortalis intercipit, illorum mortalitatem virtute reſurrectionis abſorptam incorruptio glorioſa conſumit? Hoc cunctis ſeculis admirandum ſingulare ſpectaculum inceſſanter ſibi mens ſancta proponat. Hanc tremendam venturæ diſcuſſionis imaginem aſſidua præ oculis meditatione depingat. Iam ſe vir electus ad tribunal raptum Iudicis deputet; iam ſe in examine poſitum ad reddendam rationem diuinis quæſtionibus perurgeri formidabiliter penſet. Mundo ſe extraneum reddat, vt Deo propenſioris gratiæ largitate familiaris adhæreat. Hoc itaq; modo

mortuus viuat, à terrenis ſe vexationibus ſubtrahat, ac velut in ſepulchro iam poſitus, in ſolo Creatoris ſui deſiderio ſuauiter requieſcat; ſicq; in Deo vita ſit eius abſcondita, quatenus apparente Chriſto, & ipſe cum eo apparere mereatur in gloria. Amen.

HIC SCRIPTOR ALLOQVITVR VENERABILES MONACHOS PETRVM, ET ALBISONEM. CAP. XXXIII.

NVNC, fratres chariſſimi, alter ſcilicet forma cœnobitarum, alter imitandum eremiticæ conuerſationis exemplum, ad vos ſtyli huius articulum reuoco, vt quibus primordium incipientis intenditur, in eis etiam conſequenter peracti opuſculi clauſula terminetur. Videtis igitur, quàm celeriter breuis hæc vita pertranſeat. Videtis, quia mundus hic vicinum ſui terminum indicijs iam euidentioribus clamat. Tellus enim genitalibus effœta humoribus, quodammodo inuita aratrum tolerat, dum ferre fructus ſuis cultoribus negat. Et velut anilis aluus, dum ſanguis in corpore, vulua marceſcente, frigeſcit, etiam ſi procreandi ſtudium non defuerit, ad gignendam tamen ſobolem non aſſurgit. Aqua etiam nihilominus ſterilitatem patitur, vt iam piſcator retibus impendium deneget, dum inopis capturæ quæſtus diris per elementum liquidum laboribus non reſpondet. Nec te, aër olim fœcunde, prætercam, qui dum diuerſis tendicularum argumentis in volucrium captione non prouenis, nimirum aucupes caſſo labore fruſtratos ad exercitium rurale remittis; & quos dudum ad ſublimia captandis tuis muneribus faciebas intentos, iam vt menſinerint, cui ſuſtentandæ vitæ adminiculum acceptum referre debeant, alumnæ terræ reddis obnoxios. Quiq; tunc largus quælibet groſſiora edulia tuis iubebas delicijs cedere, iam nunc ad te manum retrahens, vilia facis oluſcula, velut accuratas epulas, menſas diuitum infercire.

Mundus itaq; (vt prædictum eſt) quaſi longo laſſatus iam ſenio per cuncta ſua membra probabiliter indicat, quia curſus ſui terminus diutius non elongat. Huc accedit, quòd homines nunc in iuuentute ſeneſcunt, & iuuenili adhuc decore vernante, intempeſtiuis canis verticem ſpargunt. Nimirum quos propria dictat ætas, immaturæ venuſtatis adhuc flore vireſcere, ſenex mundus quodam violentæ auctoritatis imperio ſecum præcipit decrepitos apparere. Quo fit, vt ſicut cauernoſæ arboris poma, mox vt producta fuerint, ante maturitatem corruant, ita nimirum homines acerbo (vt ita dixerim) exitu, priuſquàm ad ætatis plenitudinem veniant, moriantur.

Cùm itaq; mundus præcipitem iam iam protinus præ oculis imminentem ſui curſus minetur occaſum, homines etiam quotidie immaturo præuenti rapiantur interitu, quid reſtat, niſi vt hoc breui puncto, quo viuimus, lapſura quæq;, velut iam lapſa, deſpicere, & ad ea, quæ permanent, feruidæ mentis ſtudeamus deſiderio feſtinare? Ecce non leuia currentibus præmia proponuntur, & itineris noſtri ſtadium quotidie breuiatur. Nulla ergo vitæ præſentis offendicula noſtri curſus iter impediant, nullas nobis moras carnalis illecebræ torpor innectat. Quiſq; iam ad promiſſa munera perſpicaces fidei oculos dirigat, & à brutis ignauiæ vinculis obuiantia quæq; terrenæ prauitatis obſtacula robuſtæ ſpei pennâ tranſcendat. Ecce enim qui de longinquo vocauerat, manum iam appropinquantibus porrigit, & quaſi teneros filios vacillantibus nutantes poplitibus firmat;

blandè'q;,ac leniter in gremium ſuæ charitatis inuitat.

Adeamus ergo cum fiducia trhonum gloriæ; arripiamus tantæ inſignia pietatis; & quod temeritatis fuerat quærere non promiſſum, pudoris ſit nolle ſuſcipere vel oblatum. Dedignemur iam cœnoſi huius mundi lutum ſæpius corporaliter terere,cuius amorem (Deo inſpirante) didicimus libero mentis pede calcare. Ab eo itaq;,quem non diligit animus,ipſe etiam corporeus reprimatur inceſſus. Indignum cenſeamus viſitationis noſtræ frequentia, qui de noſtra gliſcit triumphare ruina. Inimicitias mentis ipſa quoq; teſtetur abſentia corporalis;nec crebrò noſtros mereatur ille diſcurſus, quorum fœdare conſueuit obtutus;ſolus'q; inſidiarum ſuarum foueis incidat, qui noſtris aſſiduè greſſibus deceptionum laqueos parat. Sic ſic fruſtratas fraudum ſuarum excubias lugeat, dum nobis in pace quieſcentibus, nocturnæ noſtræ profectionis aditum callidus inſidiator explorat.

Sufficiat autem noſtræ diſcurſioni diuini campus eloquij. Per hunc campum iugiter gradiamur, in eo delectabiliter ſpatiemur. Licet illic liberis greſſibus per parilem ſacrarum hiſtoriarum planitiem currere. Poſſumus etiam per myſticæ intelligentiæ profunditatem quodammodo præruptorum illic montium celſitudinem repere. Illic perfruemur fidelium amicorum dulci colloquio,illic diuerſi apparatus,epularum'q; cœleſtium iugi conuiuio. His dapibus inhians fidelis anima,aſſiduæ lectionis alimento vegetata, robur accipiat, & puriſſimæ orationis adipe ſaginata pingueſcat. Relinquatur fames ſeculi faſtidientibus conuiuium mundi. Nos autem illas didicimus epulas, quæ & famelicis ſatietatem aſſolent cum iucunditate tribuere, & tamen ſatiatis neſciunt faſtidium generare; quæ nimirum epulæ & mentis noſtræ ſtomachum ſuauiter replent, & tamen cloacarum ſeceſſibus nihil debent. Nihil enim de ſe prorſus egeſtioni relinquunt,ſed ad præbendas vires per omnium ſe venarum poros, cunctorum'q; viſcerum penitus interna diffundunt.

His itaq; cœleſtis menſæ dapibus mens intenta inexplebiliter vacet; his oculus ſolerter iuuigilet; lingua articularis ſtyli verba percurrat; cor quæ leguntur intelligat,& myſterij latentis arcana reuoluat. Hoc pabulum ſacra animalia per aſſiduæ retractationis ſtudium iugiter ruminent, illud nimirum à ventre ſcientiæ ad memoriæ guttur ſæpius iterata meditatione reducēdo. Has,inquam, dapes mens ieiuna ſemper eſuriat; ab his verò nunquam ſatiata recedat; ſed quò magis expletur,eò rurſus ad earum appetitum auidiùs accendatur;ſic'q; omnes ſenſus noſtros circa iſtas vitales epulas occupemus, vt cunctis cauſarum ſecularium negocijs inſenſibiles facti,verè mortui mundo,ſoli viuamus Deo;quatenus ipſe author,& inſtructor feliciſſimi huius ferculi,illis ſuis conuiuis nos dignetur aſcribere,qui ex ore Veritatis merentur audire: Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, Regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo.

Omnipotens Deus, qui charitas eſt,fratres chariſſimi,ſancto cordi veſtro clementer inſpiret, vt pro me peccatore dignemini ſemper orare. Sit nomen Domini benedictum in ſecula.
Amen.

FINIS.

ERRATA IMPRESSORVM
SIC EMENDANDA.

Folio 3.facie 2.linea 40.pro transferret,lege transferrent.
Fol. 13.fac.1.lin.31.pro ? pone.
Fol. 16.fac.1.lin.28.pro ſeuiſſimæ,lege ſæuiſſimæ.
Fol. 19.fac.1.lin.14.pro ſunt ſunt,ſunt.
Fol. 30.fac.1.lin.17.pro intenſionem,intenſiones.
Fol. 33.fac.1.lin. 1.De ſacratiſſimo,abundat.
Fol. 34 fac.1.lin.38.pro æmulamur, lege æmulemur.
Fol. 35 fac.1.lin.16.pro ad Orientem adorare;6,pone ad Orientem,adorare 6.
Fol. 37.fac.1.ſcol.1.pro 1,pone 2. Similiter etiam in corpore paginæ.
Fol. 41.fac.2.lin.22.ante propriam,adde nos.
Fol. 61.fac.1.lin.13.& 14.pro perectam,lege perfectam. Et
fac.2.lin.24.pro vonfidentia, confidentia.
Fol.62.fac.1.pone numerum paginæ,62.qui deeſt.
Fol. 67.fac.2.lin. 8.pro A, AD.
Fol. 72 fac.2.lin. 9.pro NOBI, NOBIS.
Fol. 78.fac.2.lin.17.poſt MARCORE, adde NON.
Fol. 80.fac.2.lin.26 pro exprobari,lege exprobrari.
Fol. 90.fac.1.lin.37.pro euaniſſet demonum,euanuiſſet dæmonum. Et
fac.2.lin.13.pro derturbare,deturbare.
Fol.102.fac.2.lin.26.pro ſubliiniſſimum,ſublimiſſimam.
Fol.108.fac.1.in fine ſcolij 1 adde,& triplicata ieiunia huius patris.
Fol.116.fac.2.lin.14.pro labore, laboret.
Fol.119.fac.1.lin.31.& 32.pro impura,impuri.
Fol.127.fac.1.lin.14.pro Vita ſanctorũ,an Vitæ,lege Vitã ſanctorũ,an Vitas.Et
fac.2.lin.1.pro SANCTI, SANCTORVM.
Fol.129.fac.2.lin.22.pro Aſpicibant,Aſpiciebant.
Fol.130.fac.1.lin.46.pro Niquil,Nihil. Et lin.vlt.pro depotatus,deportatus.
Fol.132.fac.2 lin 42.pro poterai,poterat.
Fol.133.fac.1.lin.25.pro ſeries,ſerie.
Fol.135.fac.1.ſcol.1.in fine,pro., pone? Et lin.46.pro manum,lege moram.
Fol.136.fac.1.lin.33.pro tumulore ſperſæ,lege tumulo reſperſæ.
Fol.137.fac.1.lin.13.ante niſi,adde ac. Et
fac.2.ſcol.5.pro Epiphaniarum,lege Epiphaniorum.
Fol.140.fac.2.ſcol.11 pro qui,quod.
Fol.143.fac.2.lin.penult.pro erant,erant.
Fol.144.fac.1.lin.12 pro neceſſitdte,neceſſitate. Et
fac.2.lin.23.pro accutam,acutam.
fol.145.fac.1.lin.vlt.pro ruentaſti,cruentaſti. Et
fac.2.lin.4.pro onfuſus,confuſus.
Fol.149 fac.1.lin.19.pro manachis, monachis.
Fol.150.fac.1.lin.5.pro ? pone. . Et fac.2.lin.44.poſt mala,dele,.
Fol.151.fac.1.ſcol.8.pro benedcto manum læſam ſanitatæ,lege benedicto ma-
num læſam ſanitati. Et
fac.2.ſcol.1.pro conitam,cogniram. Et ſcol.2.in fine pone :
fol.154. fac.2.lin.19.pro ciuitatum,ciuitatem.

Fol.158.fac.1.lin.39.pro ſepuchrum,ſepulchrum.
Fol.165.fac.1.ſcol.2.pro 2.pone 1. Et fac 2. lin.5.pro labidine,libidine.
Fol.179.fac.1.lin.20.pro Ponfice,Pontifice. Et lin.27.pro aſiſtere,aſſiſtere.
Fol.180.fac.1.lin.1.pro EGORII, GREGORII.
Fol.181.fac.1.lin.32. ſi, abundat.
Fol.182.fac.2.lin.40.pro i,lluſtrant,lege illuſtrant.
Fol.183.fac.2.lin.6.pro aliquos,aliquot.
Fol.184.fac.1.lin.antepenult. pro obtinean,obtineant.
Fol.186.fac.2.lin.11.pro Paſche,Paſchæ.
Fol.193.fac.2.lin.33.& 34.pro ſeptiformem letaniam, ad ſeptiformē litaniam.
Et lin.penult. pro Præſbyteris,Presbyteris.
Fol.195.fac.1.lin.6.poſt dubitas, pone ?.
Fol.204.fac.1.lin.14.poſt commiſſæ,pone ?.
Fol.207.fac.1.lin.17.pro PRAESBYTERORVM, lege PRESBYTERORVM, Et lin.22.pro ſimulachrotum,ſimulachrorū.Et lin.29.pro ipſe,ipſa.
Fol.217.fac.1.lin.10.pro examine,exanime.
Fol.218.fac.1.lin.6.pro CALCEAMENTA, CALCEAMENTVM.
Fol.230.fac.2.lin.11.pro ABAATE, ABBATE.
Fol.232.fac.2.lin.36.pro v bis, vrbis.
Fol.239.fac.1.lin.33.pro argenium,argentum. Et
fac.2.lin.1.poſt SANCTO,adde ELEVCHADIO EPISCOPO.
Fol.240.fac.2.lin.2.pro aljos,lege alios. Et lin.48. pro ecratorem,Creatorem.
Fol.241.fac.2.lin.19.pro Prophe æ, Prophetæ.
Fol.247.fac.1.lin.28. pro ? pone.
Fol.250.fac.1.lin.4.pro NDE,lege VNDE. Et lin.antepenult.pro leſit,læſit.
Fol.253.fac.1.lin.33.& 34.pro fulceretur,fulciretur. Et
lin.34.& 35.pro ſprto, ſpreto.
Fol.256.fac.2.lin.3.pro oromatum, aromatum.
Fol.257.fac.2.lin.36.pro coſequetur,conſequetur.
Fol.259.fac.1.lin.45.pro vereſimile,veriſimile.
Fol.260.fac.1.lin.3.pro viri,latere,lege viri latere.
Fol.261.fac.1.lin.25.pro anguſtius,auguſtius.
Fol.262.fac.1.ſcol.5.pro duiotionis,deuotionis.
Fol.263.fac.1.lin.22.pro ædulijs,edulijs.
Fol.266.fac.1.lin.13.pro Domineus,Dominicus.
Fol.268.fac.2.lin.2.pro humana, humanis. Et lin.3.pro tam, tamen.
Fol.274.fac.1.lin.antepenult.pro Pereum,Peretum.
Fol.275.fac.1.lin.45.pro Pereo,Pereto.
Fol.276.fac.1.lin.7.pro Pereo,Pereto.Et fac.2.li. 42.pro interogati,interrogati.
Fol.277.fac.1.lin.vlt.pro ferant,fuerant.
Fol.283.fac.1.lin.1.pro 28,pone 283.Et lin.18.pro aſcultarēt,lege auſcultarēt.
Fol.285.fac.1.lin.12. pro fornica iam, fornicariam.
Fol.287.fac.1.lin.1.pro NATTALIS, NATALIS.
Fol.290.fac.1.lin.40.& 41.pro iacicitur,iacitur.
Fol.291.fac.2.lin.35.pro diſcipulofum,diſcipulorum.
Fol.293.fac.6.ſcol.6.pro virgininatem,virginitatem.
Fol.297.fac.1.lin.4.pro vidiuimus,vidimus.
Fol.298.fac.1.lin.34 & 35.pro conſtituus,conſtitutus.Et
fac.2.lin.4.pro Vuirginis,Virginis.
Fol.307.fac.2.lin.1.II.abundant.
Fol.310.fac.2.ſcol.2.pro ſacroſanfta,ſacroſanctum.

Fol.311.fac.2.lin.31.& 32.pro ſugerit,ſugeret.
Fol.313.fac.1.lin.7.pro iuræ,iure. Et lin.36. pro I a,ira.
Fol.325.fac.1.lin.15.pro inſpiratæ,inſperatæ.
Fol.333.fac.1.ſcol.2.pro Virga,Virgo.
Fol.342.fac.1.lin.14.pro Verantamen,Veruntamen.
Fol.347.fac.2.lin.10.pro lædeamus, lædamus.
Fol.352.fac.1 lin.1.pro IN F.MICHAELLE,IN F.S.MICHAELIS.
Fol.355.fac.2.lin.vlt.pro reperitus,reperitur).
Fol.365.fac.1.lin 48.poſt attolle,adde quintò.
Fol.369.fac.1.lin.21.pro ſe viuit,ſeruiuit.
Fol.375.fac.2.lin.10.pro Romauo,Romano.
Fol.377.fac.1.lin.48.pro filij,fili. Et fac.2.lin.15.pro niſt,niſi.
Fol.378.fac.1.lin.16.pro conubium,connubium.
Fol.379.fac.2.lin.23.pro ſatagitto,ſatagito.
Fol.380.fac.2.ſcol.3.pro Religiotorum,Religioſorum..
Fol.391.fac.1.lin.28.pro ſmetipſo,ſemetipſo.

REGISTRVM.

* ** *** **** A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO PP QQ RR SS TT VV XX YY ZZ. AAA BBB CCC DDD.

Omnes ſunt quaterni, præter *, & ****, qui ſunt duerni, & DDD, qui eſt ternus.

... ne prov
... an ... ob...
... qt moztuus ilcu...

... ut ...
... mats ud...
... edam. ci ...

illicita connubia diſſoluerunt, ſed & omnem ſobolem, quæ ex eis genita fuerat, abiecerunt? Quis neſciat, quantus virorum amor circa vxores proprias vigeat, quanta circa filios pietas paternum pectus aſtringat? Quis ignoret, ad diſſoluendum duplex huius neceſſitudinis vinculum, quo mœrore, qua amaritudine ſe potuerunt viſcera humana concutere? Quo vehementiſſimi doloris incendio paternus affectus, coniugalis animus compulſus eſt æſtuare? Habentes tamen veram circa Deum pietatem, ad nihilum redegerunt falſæ pietatis imaginem; atq; vt eſſent in ſpiritu veraciter pij, facti ſunt cõtra carnem, & ſanguinem laudabiliter rigidi. Armauerunt ſe contra iura naturæ, vt naturarum Authori fideliter militarent. Obliti ſunt erga filios quòd fuerant genitores, vt veri Patris ipſi aſcriberentur hæredes; atq; vt ſupernæ pacis ſibi fœdera reſarcirent, coniugalis tori copulam reſciderunt. Neſciunt ſeruare matrimonijs fidem, vbi fides melior ad proprium recaleſcit Authorem. Quibus vtiq; conuenienter aptatur quod per Moyſem dicitur: Qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ, Neſcio vos, & fratribus ſuis, Ignoro illos, & neſcierunt filios ſuos, ij cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſeruauerunt.

Quis, rogo, nunc poſſit inceſtuoſa coniugia quantumuis inſtantiſſima prædicatione reſcindere? Quis valeat, non dicam populum, ſed vel vnum hominem ad illiciti matrimonij repudium prouocare? Clamant ſacri canones, humanæ in tantum ſcelus iudicant leges, obſiſtunt prædicatores Eccleſiæ; & cuncta hæc perditis hominibus velut aniles neniæ riſum potiùs mouent, quàm ad corrigendã ſcelera compungant. Ecce inſuper hoc anno (ſicut noſtis) per Romanæ ſedis Antiſtitem bis congregatum eſt ſynodale Concilium, vbi denuò omnes inceſtuoſi iuxta canonum decreta, Eccleſiaſtica ſunt communione priuati. Sed quis ex tot millibus hominum ſaltim vnum vidit ab infauſti fœderis abominatione diuulſum? Immò ne profundiori iuſtè clamitàtis abſorberetur hiatu, quis eorũ poſt hæc, Eccleſiæ limen terere deſtitit? Aut quis inſuper iſta conſiderans, ab eorum ſe familiaritate remouit? In omnes itaq; letalis lepræ cõtagium ſerpit, quia nimirum omnes eorum complices Apoſtolicæ excommunicationis nexus aſtringit. Enimuero quiſquis coniugalis proſapiæ titulis inſignitur, quiſquis malè bladientis formæ ſuaui venuſtate mulcetur, præſertim ſi largioris ſubſtantiæ dotibus affluit, vel ſubcreſcentis ſobolis indoles ſpem ſibi futuræ poſteritatis infundit, conſultiùs iudicat, à Deo manifeſtè recedere, quàm adeò lucroſi matrimonij glutinum diſgregare. Si verò his contraria euenerint, atq; luxuriæ calamitatis incommoditate percellatur, ipſe vir falſæ cõſanguinitatis lineam texit, & inaudita proauorum nomina per multa argumenta confingit, atq; ſenes quoſdam in huius allegationis teſtimonium aduocat, quos tamen per vitæ terminum ſublatos è medio non ignorat. Ipſe itaq; ſibimet accuſator, & reus crimen impingit, ſcelus exaggerat, atque adminiculum, quo ex tam periculoſo naufragio enatare poſſit, inquirit.

Eat ergo nunc monachus, ſalutiferum vitæ ſuæ otium deſerat, vitamq́; ſuam ſub ſpecie lucrandi animas, inania ſectando, conſumat. Quis enim ſimoniacus noſtræ commonitionis inſtinctu ſua ſe aliquando ſponte depoſuit? Quis alieni iuris violenter inuaſor, paterno ſolo depulſos in patrimonia ſublata reſtituit? Quis in campo bellicoſis armatorum cuneis conſtipatus, ſi ex æquo congredi potuit, obſtaculo ſequeſtræ pacis ad propria, niſi fuſo ſanguine, repedauit? Quis exactor egeno debitori præfixum chirographo fœnus indulſit? Quis debitor creditoris hæredibus bonæ fidei iura ſeruauit? Omnia in orbe confuſa, cuncta pietatis, ac fidei decreta conuulſa. A' iudicibus iuſtitia venditur. A' legiſperitis veritas tenebroſo cauillatoriæ argumentationis colore fuſcatur. Venales ſunt ſiquidem leges, & pecunia iuſtificat delinquentes. Aurum nunc ipſis ſenatoribus

præſidens in tribunalibus iudicat,& velut Imperator quidam pragmaticæ ſanctionis edicta promulgat. Sicut enim Rex in ſecretalibus adytis de regni ſtatu, de rerum ſumma deliberat, quodammodo ſic aurum & latet in occulto,& ſententias depromit in publico. In ſudario anguſto concluditur,& deciſis negocijs calculos iudiciales apponit. Plerunq; enim quos cauſa condemnat, mendax pecunia præmio dignos procaciter aſſeuerat. Et contra quos conſcientia teſtatur innoxios, ſtatuit inopia coram iudicibus reos. Nummus nempe momenta legibus tribuit, atq; ad ſuum intellectum obſcuras ſentẽtias falſus interpretator inflectit. Nummus cor iudicum circa diuites oleo impietatis emollit; erga pauperes verò ad exercendum vigorem rigidæ animaduerſionis impellit. Nunc igitur auaritia malorum omnium radix, vberiùs pullulat,& tanquam viroſæ propaginis ramos per totum orbem feralium vitiorum portenta dilatat.

QVOD NVNC OMNIVM VITIORVM MONSTRA FERALIVS VIGEANT.

CAP. XXX.

HAEC nimirum tempora Apoſtolico denunciantur oraculo, dum Timotheo futura prædicit. In nouiſſimis, inquit, diebus erunt tempora periculoſa,& erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus inobedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Atque his præmiſſis, illico ſubiungit: Et hos deuita. Nunquid ad mundi huius terminum Timotheus peruenturus erat, cui cùm prauitates hominum in nouiſſimis diebus futuras Apoſtolus enumeraret, protinus vt euitaret adiecit? An potiùs in vnius perſona diſcipuli, illis mandatum hoc communiter indicit, quos ad hoc deputatos officium iuxta finem ſeculi fore præuidit? Igitur dum non dicit, His prædica, his verba vitæ denuncia, ſed, Hos deuita, profectò modernæ temeritatis inſolentiam arguit, atq; ab infructuoſa tumidos quoſq; prædicatione cõpeſcit. Quid ad hæc nos monachi dicimus, qui menſuræ noſtræ metas excedimus, atq; ius nobis alieni muneris vſurpatione vendicamus? Si Paulus diſcipulum in hoc ipſo ſpecialiter conſtitutum ab incorrigibiliũ prædicatione prohibuit, qua nos audaciæ nota corripimur, qui nequaquam nobis delegato prædicationis officio importunè noſmetipſos ingerimus,& noſtra ſalute poſtpoſita, alienis quaſi profectibus inaniter inſudamus?

Cedat ergo, cedat ſterilis cura negocij. Superfluum iudicetur infructuoſo indulgere labori. In ſemetipſa mens totis collecta viribus redeat; aduerſus inſatiabiles aduerſarios peruigil ſe ad certamen accingat. Charitatis quidem viſceribus erga nos intrinſecus affluat; ad exteriora verò ſe cauſa alienæ ſalutis extendere ſuperuacuum ducat. Ad ſe venientibus monita ſalutis impendat; nullius hortatu leuiter propriæ quietis lucra poſtponat. Imperialis edicti pagina veredario diſcurrente defertur; bullatæ nobis apochæ ab auctore ſedis Apoſtolicæ diriguntur; ſynodus congregatur; religioſis viris Concilij ſumma committitur. Solo tenus illico ſe monachus flectat, honorem ſacris literis reuerenter exhibeat; huius tamen expeditionis munus à ſe alienum irretractabiliter ducat, reputans intra ſe: Quid mihi cum Regibus terræ? Quid mihi cum ſynodali conuentu? Sufficiat mihi peccatis meis flendis inſiſtere; ſatis mihi ſit me

huic mundo mortuum exhibere. Nolite,quæſo,monachi,nolite ſub Eccleſiaſticæ compaſſionis ſpecie Regum aulas irrumpere; nolite aures Principum, velut ſalutaria ſuggerendo,faſtidioſa importunitate pulſare. Credite experto, credite in huius gratiæ ſtudijs non leuiter fatigato. Imperatoriæ nanque maieſtati ſæpè quæ ſuggerenda videbantur expreſſimus. A' ſummis Pontificibus inuitati ſynodalibus Concilijs interfuimus. Sed qui hoc tempore iſta proſequitur, tanquam ſi ſemina crederet arenoſis littoribus videatur.

QVO'D IN SYNODO MONACHVS AD EPISCOPORVM INVIDIAM LIBERE LOQVI NON AVDEAT.

CAP. XXXI.

SAEPE' nanque in Concilijs ſynodalibus poſiti,quoſdam clam ſibi feraliter conſcios præſidere in numero Sacerdotum vidimus,non modò de ſuis ſecuros, ſed vltro etiam ad aliorum crimina defendenda impudenter accinctos;qui nimirum(vt ferebatur)& cum Simone priùs emerant,& cum Giezi poſtmodum chariſmatum dona vendiderant. Quorum tāta uis erat ad excuſandas excuſationes in peccatis, vt inter cætera mala etiam Simoniacæ hæreſeos non modò defenſores,ſed viderentur potiùs aſſertores. Quis ad iſtorum inuidiam monachus mutire præſumeret?Quis ad arguenda crimina,vel iuſtitiam declarandā,vendicare ſibi ius libertatis auderet?Illico ſæuirent,illico in nos duræ ſugillationis arma corriperent,& præmiſſo iurgio ſilentium imperarent, inter ſe ſcilicet hoc modo iudices conquerentes: Ad Concilium hoc iudicantes conuenimus; ſed (ò noua præſumptio) mortuorum ſententijs ſubiacemus,& Epiſcoporum ſunt iudices facti, qui legaliter ſub eorum fuerant legibus conſtituti. Quibus aliquando reſpondetur: Venerabiles patres,& domini,ſicut vobis ſpecialiter prærogatum eſt iudicare, ita etiam minoribus Eccleſiæ membris competit quod ſentiunt in commune conferre, nec vlla canonum auctoritas prohibet, iuniores quæ Eccleſiæ ducunt profutura depromere,dum tamen ventilata negocia pontificalis iudicij debeat clauſula terminare. Si quando ergo hoc,aut aliquid huiuſmodi cum humilitate ſuggeritur,nequaquam patienter admittitur; ſed quicquid à nobis in ſynodo dictum eſt,totum ad inuidiam noſtram ſuperbo vocabulo iudicium nuncupatur.

Hæc breuiter idcirco perſtrinxerim,vt in me quilibet inexpertus diſcat, ſibimet etiam à talibus declinare,quantùm expediat. In vno ſiquidem præuadante colligitur,vtrum à ſubſequenti exercitu ignotæ aquæ tutò fides habeatur. Protinus ſe ab impetu proprij curſus inſtitores venalium reprimunt, cùm vel vnum ex ſuis redire à nundinis vacuum,non diſtractis mercibus,cernunt. Quem ruralibus curis intentum frequenter ſeges negata deluſit, quamplures à ſterilis arui cultura compeſcuit. Cùm ſcrutator fluctuum labore fruſtratus, vacua laſſus lina reportat,facilè iam nudatos à perluſtrandis inopis aquæ finibus reuocat. Sic nimirum me, non mihi ſoli, ſed & cunctis fratribus meis, talia tentaſſe ſufficiat, vt dum vnius labor inutilis fuiſſe perpenditur, non vni,ſed multis à ſuperuacui laboris impendio cautela præbeatur.

QVOD MONACHVS SE A MVNDO COHIBEAT, ET DEI IVDICIVM SVIS SEMPER OCVLIS ANTEPONAT. CAP. XXXII.

QVISQVIS ergo monachus perfectionis culmen feſtinat attingere, intra remotionis ſuæ ſe clauſtra cohibeat, ſpirituale orium diligat, diſcurrere verò per ſeculum, velut merſare ſe in lacum ſanguinis, perhorreſcat. Tot enim criminum magis ac magis in dies mundus contaminatione polluitur, vt quælibet ſancta mens ſola eius conſideratione fœdetur. Et dum veteribus noua ſemper augentur, quid aliud, quàm Antichriſti via procul dubiò ſternitur, vt iam vltra finem ſeculi in mundum veniens ſine offendiculo liber ingrediatur? Et cùm illius via nil aliud prorſus, quàm noſtra ſint abſque dubio ſcandala, eadem cauſa debet veſtigia noſtra compeſcere, quæ illi ſpondet liberis poſſe greſſibus aduentare.

Deprimatur ergo quilibet frater nunc in anguſto ſuæ remotionis ergaſtulo, vt infinitæ magnitudinis domus ſibi paretur in cœlo. Hieremias ait: O' Iſrael, quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius; magnus, & non habet conſummationem, excelſus, & immenſus. Nunc ſe vinculo diuini timoris obſtringat, vt poſtmodum ius veræ libertatis obtineat. Requieſcens in Chriſto reputet nil ſibi commune eſſe cum mundo, vt quod Ioannes Apoſtolus iubet, non ſolùm corde, ſed & corpore ipſo conſeruet. Nolite, inquit, diligere mũdum, nec ea, quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo. Clareſcat ſeruus Chriſti, nulla mundum affectione cordis diligere; atque ad hoc probandum, corporalibus etiam hunc faſtidiat greſſibus frequentare. Ipſa porrò corporalis abſtinentia piæ mentis odium comprobet, vt quò quiſq; à noxia mundi notitia magis alienatur, eò arctiori Deo familiaritate iungatur. Nunc flebilis, & mœrens defixos in terra oculos teneat, quos ad eum videndum, qui venturus eſt in nubibus cœli cum poteſtate magna, & maieſtate, tunc lætus attollat; ſicut ſcriptum eſt: Reſpicite, & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra. O' quàm ad pronunciandum breuiſſima verba, quàm ad pertractandum medullitus infinita ſententia, videlicet cùm reprobi eiulantes tremefactis viſceribus dicent: O' montes, cadite ſuper nos, & colles, operite nos à facie ſedentis in throno: cùm denique ſol obſcurabitur, luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo; tunc nimirum cùm videbit eum omnis populus, & qui eum pupugerunt, & plangent ſe ſuper ſe omnes tribus terræ.

Quæ autem mens humana concipere, quæ lingua valeat explicare, quantũ erit tunc electorum gaudium, quàm inenarrabilis lætitia beatorum, cùm, periclitante mundo, ipſi de cætero ſubiacere periculis deſinunt, & venienti immortali Sponſo accenſis lampadibus tripudiantes occurrunt? cùm membra mundi ad perferenda tartareæ combuſtionis ſupplicia corruunt, ipſi ad percipienda inaceſſibilis gloriæ præmia felices aſſurgunt? cùm illorum vitam mors immortalis intercipit, iſtorum mortalitatem virtute reſurrectionis abſorptam incorruptio glorioſa conſumit? Hoc cunctis ſeculis admirandum ſingulare ſpectaculum inceſſanter ſibi mens ſancta proponat. Hanc tremendam venturæ diſcuſſionis imaginem aſſidua præ oculis meditatione depingat. Iam ſe vir electus ad tribunal raptum Iudicis deputet; iam ſe in examine poſitum ad reddendam rationem diuinis quæſtionibus perurgeri formidabiliter penſet. Mundo ſe extraneum reddat, vt Deo propenſioris gratiæ largitate familiaris adhæreat. Hoc itaq; modo

mortuus viuat, à terrenis ſe vexationibus ſubtrahat, ac velut in ſepulchro iam poſitus, in ſolo Creatoris ſui deſiderio ſuauiter requieſcat; ſicq; in Deo vita ſit eius abſcondita, quatenus apparente Chriſto, & ipſe cum eo apparere mereatur in gloria. Amen.

HIC SCRIPTOR ALLOQVITVR VENERABILES MONACHOS PETRVM, ET ALBISONEM. CAP. XXXIII.

NVNC, fratres chariſſimi, alter ſcilicet forma cœnobitarum, alter imitandum eremiticæ conuerſationis exemplum, ad vos ſtyli huius articulum reuoco, vt quibus primordium incipientis intenditur, in eis etiam conſequenter peracti opuſculi clauſula terminetur. Videtis igitur, quàm celeriter breuis hæc vita pertranſeat. Videtis, quia mundus hic vicinum ſui terminum indicijs iam euidentioribus clamat. Tellus enim genitalibus effœta humoribus, quodammodo inuita aratrum tolerat, dum ferre fructus ſuis cultoribus negat. Et velut anilis aluus, dum ſanguis in corpore, vulua marceſcente, frigeſcit, etiam ſi procreandi ſtudium non defuerit, ad gignendam tamen ſobolem non aſſurgit. Aqua etiam nihilominus ſterilitatem patitur, vt iam piſcator retibus impendium deneget, dum inopis capturæ quæſtus diris per elementum liquidum laboribus non reſpondet. Nec te, aër olim fœcunde, prætercam, qui dum diuerſis tendicularum argumentis in volucrum captione non prouenis, nimirum aucupes caſſo labore fruſtratos ad exercitium rurale remittis; & quos dudum ad ſublimia captandis tuis muneribus faciebas intentos, iam vt meminerint, cui ſuſtentandæ vitæ adminiculum acceptum referre debeant, alumnæ terræ reddis obnoxios. Quique tunc largus quælibet groſſiora edulia tuis iubebas delicijs cedere, iam nunc ad te manum retrahens, vilia facis oluſcula, velut accuratas epulas, menſas diuitum infercire.

Mundus itaq; (vt prædictum eſt) quaſi longo laſſatus iam ſenio per cuncta ſua membra probabiliter indicat, quia curſus ſui terminus diutius non elongat. Huc accedit, quòd homines nunc in iuuentute ſeneſcunt, & iuuenili adhuc decore vernante, intempeſtiuis canis verticem ſpargunt. Nimirum quos propria dictat ætas, immaturæ venuſtatis adhuc flore viteſcere, ſenex mundus quodam violentæ autoritatis imperio ſecum præcipit decrepitos apparere. Quo fit, vt ſicut cauernoſæ arboris poma, mox vt producta fuerint, ante maturitatem corruant, ita nimirum homines acerbo (vt ita dixerim) exitu, priuſquàm ad ætatis plenitudinem veniant, moriantur.

Cùm itaq; mundus præcipitem iam iam protinus præ oculis imminentem ſui curſus minetur occaſum, homines etiam quotidie immaturo præuenti rapiantur interitu, quid reſtat, niſi vt hoc breui puncto, quo viuimus, lapſura quæq;, velut iam lapſa, deſpicere, & ad ea, quæ permanent, feruidæ mentis ſtudeamus deſiderio feſtinare? Ecce non leuia currentibus præmia proponuntur, & itineris noſtri ſtadium quotidie breuiatur. Nulla ergo vitæ præſentis offendicula noſtri curſus iter impediant, nullas nobis moras carnalis illecebræ torpor innectat. Quiſq; iam ad promiſſa munera perſpicaces fidei oculos dirigat, & à brutis ignauiæ vinculis obuiantia quæq; terrenæ prauitatis obſtacula robuſtæ ſpei penna tranſcendat. Ecce enim qui de longinquo vocauerat, manum iam appropinquantibus porrigit, & quaſi teneros filios vacillantibus nutantes poplitibus firmat,

blandeq́;, ac leniter in gremium ſuæ charitatis inuitat.

Adeamus ergo cum fiducia trhonum gloriæ; arripiamus tantæ inſignia pietatis; & quod temeritatis fuerat quærere non promiſſum, pudoris ſit nolle ſuſcipere vel oblatum. Dedignemur iàm cœnoſi huius mundi lutum ſæpius corporaliter terere, cuius amorem (Deo inſpirante) didicimus libero mentis pede calcare. Ab eo itaq;, quem non diligit animus, ipſe etiam corporeus reprimatur inceſſus. Indignum cenſeamus viſitationis noſtræ frequentia, qui de noſtra gliſcit triumphare ruina. Inimicitias mentis ipſa quoq; teſtetur abſentia corporalis; nec crebrò noſtros mereatur ille diſcurſus, quorum fœdare conſueuit obtutus; ſolusq́; inſidiarum ſuarum foueis incidat, qui noſtris aſſiduè greſſibus deceptionum laqueos parat. Sic ſic fruſtratas fraudum ſuarum excubias lugeat, dum nobis in pace quieſcentibus, nocturnæ noſtræ profectionis aditum callidus inſidiator explorat.

Sufficiat autem noſtræ diſcurſioni diuini campus eloquij. Per hunc campum iugiter gradiamur, in eo delectabiliter ſpatiemur. Licet illic liberis greſſibus per parilem ſacrarum hiſtoriarum planitiem currere. Poſſumus etiam per myſticæ intelligentiæ profunditatem quodammodo præruptorum illic montium celſitudinem repere. Illic perfruemur fidelium amicorum dulci colloquio, illic diuerſi apparatus, epularumq́; cœleſtium iugi conuiuio. His dapibus inhians fidelis anima, aſſiduæ lectionis alimento vegetata, robur accipiat, & puriſſimæ orationis adipe ſaginata pingueſcat. Relinquatur fames ſeculi faſtidientibus conuiuium mundi. Nos autem illas didicimus epulas, quæ & famelicis ſatietatem aſſolent cum iucunditate tribuere, & tamen ſatiatis neſciunt faſtidium generare; quæ nimirum epulæ & mentis noſtræ ſtomachum ſuauiter replent, & tamen cloacarum ſeceſſibus nihil debent. Nihil enim de ſe prorſus egeſtioni relinquunt, ſed ad præbendas vires per omnium ſe venarum poros, cunctorumq́; viſcerum penitus interna diffundunt.

His itaq; cœleſtis menſæ dapibus mens intenta inexplebiliter vacet; his oculus ſolerter iuuigilet; lingua articularis ſtyli verba percurrat; cor quæ leguntur intelligat, & myſterij latentis arcana reuoluat. Hoc pabulum ſacra animalia per aſſiduæ retractationis ſtudium iugiter ruminent, illud nimirum à ventre ſcientiæ ad memoriæ guttur ſæpius iterata meditatione reducẽdo. Has, inquam, dapes mens ieiuna ſemper eſuriat; ab his verò nunquam ſatiata recedat; ſed quò magis expletur, eò rurſus ad earum appetitum auidiùs accendatur; ſicq́; omnes ſenſus noſtros circa iſtas vitales epulas occupemus, vt cunctis cauſarum ſecularium negocijs inſenſibiles facti, verè mortui mundo, ſoli viuamus Deo; quatenus ipſe author, & inſtructor feliciſſimi huius ferculi, illis ſuis conuiuis nos dignetur aſcribere, qui ex ore Veritatis merentur audire: Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, Regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo.

Omnipotens Deus, qui charitas eſt, fratres chariſſimi, ſancto cordi veſtro clementer inſpiret, vt pro me peccatore dignemini ſemper orare. Sit nomen Domini benedictum in ſecula.
Amen.

FINIS.

ERRATA IMPRESSORVM

SIC EMENDANDA.

Folio 3.facie 2.linea 40.pro transferret,lege transferrent.
Fol. 13.fac.1.lin.31.pro ? pone. .
Fol. 16.fac.1.lin.28.pro ſeuiſſimæ,lege ſæuiſſimæ.
Fol. 19.fac.1.lin.14.pro ſunt ſunt,ſunt.
Fol. 30.fac.1.lin.19.pro intenſionem,intenſiones.
Fol. 33.fac.1.lin. 1.De ſacratiſſimo,abundat.
Fol. 34 fac.1.lin.38.pro æmulamur, lege æmulemur.
Fol. 35 fac.1.lin.16.pro ad Orientem adorare,6,pone ad Orientem,adorare 6.
Fol. 37.fac.1.ſcol.1.pro 1,pone 2. Similiter etiam in corpore paginæ.
Fol. 41.fac.2.lin.22.ante propriam,adde nos.
Fol. 61.fac.1.lin.13.& 14.pro perectam,lege perfectam. Et
fac.2.lin.24.pro vonfidentia, confidentia.
Fol.62.fac.1.pone numerum paginæ,62.qui deeſt.
Fol. 67.fac.2.lin. 8.pro A, AD.
Fol. 72 fac.2.lin. 9.pro NOBI, NOBIS.
Fol. 78.fac.2.lin.17.poſt MARCORE, adde NON.
Fol. 80.fac.2.lin.26 pro exprobari,lege exprobrari.
Fol. 90.fac.1.lin.37.pro euaniſſet demonum,euanuiſſet dæmonum. Et
fac.2.lin.13.pro derturbare,deturbare.
Fol.102.fac.2.lin.26.pro ſubliuniſſimum,ſublimiſſimam.
Fol.108.fac.1.in fine ſcolij 1 adde,& triplicata ieiunia huius patris.
Fol.116.fac.2.lin.14.pro labore, laboret.
Fol.119.fac.1.lin.31.& 32.pro impura,impuri.
Fol.127.fac.1.lin.14.pro Vita ſanctorũ,an Vitæ,lege Vitã ſanctorũ,an Vitas.Et
fac.2.lin.1.pro SANCTI, SANCTORVM.
Fol.129.fac.2.lin.22.pro Aſpicibant,Aſpiciebant.
Fol.130.fac.1.lin.46.pro Niquil,Nihil. Et lin.vlt.pro depottatus,deportatus.
Fol.132.fac.2 lin 42.pro poterai,poterat.
Fol.133.fac.1.lin.25.pro ſeries,ſerie.
Fol.135.fac.1.ſcol.1.in fine,pro., pone? Et lin.46.pro manum,lege moram.
Fol.136.fac.1.lin.33.pro tumulore ſperſæ,lege tumulo reſperſæ.
Fol.137.fac.1.lin.13.ante niſi,adde ac. Et
fac.2.ſcol.5.pro Epiphaniarum,lege Epiphaniorum.
Fol.140.fac.2.ſcol.11 pro qui,quod.
Fol.143.fac.2.lin.penult.pro erant,erant.
Fol.144.fac.1.lin.12 pro neceſſitdte,neceſſitate. Et
fac.2.lin.23.pro accutam,acutam.
fol.145. fac.1.lin.vlt.pro ruentaſti, cruentaſti. Et
fac.2.lin.4. pro onfuſus,confuſus.
Fol.149 fac.1.lin.19.pro manachis, monachis.
Fol.150.fac.1.lin.5.pro ? pone. . Et fac.2.lin.44 poſt mala,dele,.
Fol.151.fac.1.ſcol.8.pro benedcto manum læſam ſanitatæ,lege benedicto ma-
num læſam ſanitati. Et
fac.2.ſcol.1.pro conitam,cognitam. Et ſcol.2.in fine pone ?.
fol.154. fac.2.lin.19.pro ciuitatum,ciuitatem.

Fol.158.fac.1.lin.39.pro ſepuchrum,ſepulchrum.
Fol.165.fac.1.ſcol.2.pro 2.pone 1. Et fac 2. lin.3.pro labidine,libidine.
Fol.179.fac.1.lin.20.pro Ponfice,Pontifice. Et lin.27.pro aſiſtere,aſſiſtere.
Fol.180.fac.1.lin.1.pro EGORII, GREGORII.
Fol.181.fac.1.lin.32. ſi, abundat.
Fol.182.fac.2.lin.40.pro i,lluſtrant,lege illuſtrant.
Fol.183.fac.2.lin.6.pro aliquos,aliquot.
Fol.184.fac.1.lin.antepenult. pro obtinean,obtineant.
Fol.186.fac.2.lin.11.pro Paſche,Paſchæ.
Fol.193.fac.2.lin.33.& 34.pro ſeptiformem letaniam, ad ſeptiformẽ litanlam.
Et lin.penult. pro Præſbyteris,Presbyteris.
Fol.195.fac.1.lin.6.poſt dubitas, pone ? .
Fol.204.fac.1.lin.14.poſt commiſſæ,pone ? .
Fol.207.fac.1.lin.17.pro PRAESBYTERORVM , lege PRESBYTERO-
RVM, Et lin.22.pro ſimulachrotum,ſimulachrorũ.Et lin.29,pro ipſe,ipſa.
Fol.217.fac.1.lin.10.pro examine,exanime.
Fol.218.fac.1.lin.6.pro CALCEAMENTA , CALCEAMENTVM.
Fol.230.fac.2.lin.11.pro ABAATE, ABBATE.
Fol.232.fac.2.lin.36.pro v bis, vrbis.
Fol.239.fac.1.lin.33.pro argenium,argentum. Et
fac.2.lin.1.poſt SANCTO,adde ELEVCHADIO EPISCOPO.
Fol.240.fac.2.lin.2.pro alſos,lege alios. Et lin.48. pro ecratorem,Creatorem.
Fol.241.fac.2.lin.19.pro Prophe æ, Prophetæ.
Fol.247.fac.1.lin.28. pro ? pone . .
Fol.250.fac.1.lin.4.pro NDE,lege VNDE. Et lin.antepenult.pro leſit,læſit.
Fol.253.fac.1.lin.33.& 34.pro fulceretur,fulciretur. Et
lin.34 & 35.pro ſprto, ſpreto.
Fol.256.fac.2.lin.3.pro oromatum, aromatum.
Fol.257.fac.2.lin.36.pro coſequetur,conſequetur.
Fol.259.fac.1.lin.45.pro vereſimile,veriſimile.
Fol.260.fac.1.lin.3.pro viri,latere,lege viri latere.
Fol.261.fac.1.lin.25.pro anguſtius,auguſtius.
Fol.262.fac.1.ſcol.5.pro dmotionis,deuotionis.
Fol.263.fac.1.lin.22.pro ædulijs,edulijs.
Fol.266.fac.1.lin.13.pro Domineus,Dominicus.
Fol.268.fac.2.lin.2.pro humanç, humanis. Et lin.3.pro tam, tamen.
Fol.274.fac.1.lin.antepenult.pro Perecum,Peretum.
Fol.275.fac.1.lin.45.pro Pereo,Pereto.
Fol.276.fac.1.lin.7.pro Péreo,Pereto.Et fac.2.li. 42.pro interogati,interrogati.
Fol.277.fac.1.lin.vlt.pro ferant,fuerant.
Fol.283.fac.1.lin.1.pro 28,pone 283.Et lin.18.pro aſcultarẽt,lege auſcultarẽt.
Fol.285.fac.1.lin.12. pro fornica iam, fornicariam.
Fol.287.fac.1.lin.1.pro NATTALIS, NATALIS.
Fol 290.fac.1.lin.40.& 41.pro iacicitur,iacitur.
Fol.291.fac.2.lin.35.pro diſcipuloſum,diſcipulorum.
Fol.293.fac.6.ſcol.6.pro virgininatem,virginitatem.
Fol.297.fac.1.lin.4.pro vidiuimus,vidimus.
Fol.298.fac.1.lin.34 & 35.pro conſtituus,conſtitutus.Et
fac.2.lin.4.pro Vuirginis,Virginis.
Fol.307.fac.2.lin.1.II.abundant.
Fol.310.fac.2.ſcol.2.pro ſacroſancta,ſacroſanctum.

Fol.311.fac.2.lin.31.& 32.pro ſugerit,ſugeret.
Fol.313.fac.1.lin.7.pro iuræ,iure. Et lin.36. pro i a,ira.
Fol.325.fac.1.lin.15.pro inſpiratæ,inſperatæ.
Fol.333.fac.1.ſcol.2.pro Virga,Virgo.
Fol.342.fac.1.lin.14.pro Verantamen,Veruntamen.
Fol.347.fac.2.lin.10.pro lædeamus, lædamus.
Fol.352.fac.1 lin.1.pro IN F.MICHAELLE,IN F.S.MICHAELIS.
Fol.355.fac.2.lin.vlt.pro reperitus,reperitur).
Fol.365.fac.1.lin 48.poſt attolle,adde quintò.
Fol.369.fac.1.lin.21.pro ſe viuit,ſeruiuit.
Fol.375.fac.2.lin.10.pro Romauo,Romano.
Fol.377.fac.1.lin.48.pro filij,fili. Et fac.2.lin.15.pro niſt,niſi.
Fol.378.fac.1.lin.16.pro conubium,connubium.
Fol.379.fac.2.lin.23.pro ſatagitto,ſatagito.
Fol.380.fac.2.ſcol.3.pro Religiotorum,Religioſorum..
Fol.391.fac.1.lin.28.pro ſmetipſo,ſemetipſo.

REGISTRVM.

* ** *** **** A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO PP QQ RR SS TT VV XX YY ZZ. AAA BBB CCC DDD.

Omnes ſunt quaterni, præter *, & ****, qui ſunt duerni, & DDD, qui eſt ternus.

ne prob
an re recte ob
qué mortuus ilca

mie mats uid
cdam